

BONINUS MOMBRITIUS

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

NOVAM HANC EDITIONEM

CURAVERUNT DUO

MONACHI SOLESMENSES

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD FONTEMOING ET SOCIOS, EDITORES

4, VIA LE GOFF, 4

M . CM . X

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

TOMUS SECUNDUS

BONINUS MOMBRITIUS

SANCTUARIUM

SEU

VITAE SANCTORUM

NOVAM HANC EDITIONEM

CURAVERUNT DUO

MONACHI SOLESMENSES

TOMUS SECUNDUS

PARISIIS

APUD FONTEMOING ET SOCIOS, EDITORES

4, VIA LE GOFF, 4

M . CM . X

TABVLA SECVNDI VOLVMINIS .

Hermes martyr fo . i .
Hermes alter martyr require in sancto Hippolito .
Herculanus episcopus fo . i .
Hermagoras et Fortunatus martyres fo . i .
Hermolaus martyr require in sancto Pantaleone .
Hermitius martyr require in sancto Pantaleone .
Hermocrates martyr require in sancto Pantaleone .
Hilarius episcopus et confessor fo . iiii .
Hilarion monachus et heremita fo . vii .
Hiacintus leuita et martyr fo . xiii .
Hippolitus martyr fo . xiiii .
Hieronimus presbyter et confessor fo . xv .
Honoratus martyr require in sancto Stephano papa .

Iacobus apostolus fo . xviii .
Iacobus apostolus filius Zebedei fo . xviii .
Iacobus nisibenus episcopus et martyr fo . xlviiii .
Iacobus intercisus martyr fo . xx .
Ianuuarius[1] beneuentanus episcopus et martyr fo . xlvii .
Ianuarius alter martyr require in sancto Saturnino .
Ignatius episcopus et martyr fo . xxiii .
Iohannis baptiste capitis inuentio fo . xxiii .
Innocentius dertonensis episcopus fo . xxvii .
Iuentius episcopus require in sancto Syro .
Iohannes apostolus et euangelista fo . xxviiii .
Iohannes confessor panariensis fo . xxxii .
Iohannes Chrisostomus fo . xxxiii .
Iohannes et Paulus martyres require in sanctis Gallicano et Hilarino martyribus .
Iouita martyr require in sancto Faustino martyre .
Iohannes eleimosynarius fo . xxxv .
Iohannes alius martyr require in sancto Stephano papa .
Iustina et Cyprianus martyres fo . ccclxxviii[†] .
Iustina uirgo et martyr fo . xl .
Iulianus[†] martyr fo . xli .
Iuliana martyr require in sancta Barbara .
Iulianus et Ferreolus martyres fo . xlviiii .
Iuentius confessor fo . xliii .
Ionius martyr fo . xliiii .
Isichius martyr require in sancto Romano martyre .
Irena martyr require in sancto Chrysogono .
Iulius senator martyr fo . xliiii .
Iulius sacerdos et confessor fo . xliiii . |
Iulianus presbyter et confessor require in sancto Iulio proximo .
Iulianus et sancta Basilissa coniuges et alii consortes omnes martyres fo . xlvi .
Iustus martyr fo . xviii[†] .
Iusta et Ruffina uirgines et martyres fo . xlviii .

Lambertus episcopus fo . l .
Laurentius leuita et martyr fo . l .
Laurentius alter martyr require in sancto Gaudentio .

Largus martyr require in sancto Marcello papa .
Leo et Marinus martyres fo . lii .
Leo papa fo . lv .
Leontius martyr require in sancto Cosma .
Leodegarius martyr fo . lvi .
Leonardus confessor fo . lvi .
Lucas euangelista fo . lvii .
Lucas alter diaconus et martyr require in sancto Polochronio .
Lucia uirgo et martyr fo . lviii .
Lucia et Geminianus martyres fo . lviiii .
Lucius martyr require in sancto Hippolito .
Lucianus et Martianus martyres fo . lxii .
Lucianus alter beluacensis fo . lxvi .
Lucina martyr require in sancto Stephano papa .
Luxorius martyr fo . lxiii .
Lodouicus confessor rex Francie fo . lxiiii .
Lupus confessor fo . lxvii .

Machabei martyres fo . lxviii .
Macra uirgo et martyr fo . lxviii .
Malachias episcopus et confessor fo . lxxviii .
Mames martyr fo . lxviiii .
Mamertinus confessor fo . lxx .
Marcelinus confessor fo . lxxi .
Marcellus papa et martyr cum sociis fo . lxxxxii .
Marcellus alter martyr require in sancto Sauino .
Marcellus presbyter et martyr require in sancta Sophia .
Marcellus alius martyr require in sancto Sauino .
Marcelina uirgo fo . lxxxxv .
Marcelinus et Petrus exorcista martyres fo . lxxxxvii .
Maria ægiptiaca fo . lxxiii .
Maria magdalena fo . lxxxxviii .
Maria uirgo et martyr fo . ciii .
Marcus euangelista fo . lxxxxiiii .
Marcus alter martyr require in sancto Sebastiano . ||
Marcellianus martyr require in sancto Sebastiano .
Margarita uirgo et martyr fo . ciii .
Martinus episcopus fo . cvii .
Martha Christi hospita fo . cxxvii .
Marius Martha Audifax et Abacus martyres fo . cxxxi .
Martianus episcopus Dertonensis fo . cxxxiii .
Martina uirgo et martyr cum sociis fo . cxxxv .
Martiana uirgo et martyr fo . cxl .
Massa candida et decemocto martyres . fo . cxxxv† .
Maturinus martyr fo . cxl .
Matheus apostolus et euangelista fo . cxl .
Maternus episcopus et confessor fo . cxliiii .
Mathias apostolus fo . cxlvi .
Maurilius Andecauorum episcopus fo . cl .
Maurus monachus et quidam alii martyres fo . cliii .
Maurus alius martyr require in sacto† Marcello .
Maurus alius etiam martyr require in sancto Stephano papa .
Mauritius et eius commilitones socii martyres fo . cliii .
Melonus episcopus fo . clvi .
Menna martyr fo . clvi .
Marinus puer et martyr fo . clv .
Monyca beati Augustini mater in fine totius operis et fo . ccclviiii .
Muccus diaconus et martyr require in sancto Polochronio .

Nabor et Felix martyres fo . clviii .
Narcissus episcopus hierosolimorum fo . clviiii .
Narcissus alter episcopus require in sancta Aphra .
Nazarius et Celsus martyres fo . clxxviiii .
Nereus et Archilleus† et Eutices martyres fo . clviiii .
Nicomedes martyr fo . clx .
Nicomedes alter presbyter et martyr require in sancta Petronila .
Nicholaus episcopus fo . clxii .
Nicholaus tolentinas confessor fo . clxx .
Nicostratus martyr require in sancto Sebastiano .
Nicostratus martyr alter require in sancto Claudio et sociis .
Nichasius remensis et eius soror Eutropia fo . clxxxiiii .

Octauius martyr require in Aduentore .
Olimpius martyr require in sancto Stephano papa .

Parmenio† presbyter et martyr fo . clxxxv .
Patroclus martyr fo . clxxxv . |
Paulus primus heremita fo . clxxxv .
Paulinus Nolanæ ciuiiatis† episcopus fo . clxxxvii .
Paula sancta matrona romana fo . clxxxviiii .
Paulina uirgo require in sancto Marcelino et Petro .
Pancratius martyr fo . clxxxviii .
Papias martyr require in sancto Marcello .
Patricius confessor fo . clxxxviii .
Prntaleo† martyr fo . clxxxxi .
Praxedis uirgo fo . clxxxxiiii .
Petrus et Paulus apostoli fo . clxxxxiiii .
Petrus ad uincula fo . ccxxiii .
Petronila uirgo simul cum Felicula uirgine ac NIcomede† presbytero martyres fo . cci .
Petronius bononiensis episcopus fo . cci .
Petrus martyr ordinis prædicatorum fo . cci .
Primitiuus martyr require in sancto Stephano papa .
Primus et Felicianus martyres fo . ccxxv .
Pistis quod est fides Elpis quod est spes Agape quod est caritas et mater earum Sophia quod est Sapientia fo . ccv .
Philippus apostolus fo . ccx† .
Priuatus episcopus et martyr fo . ccxxv .
Policarpus episoopus† et martyr cum aliis duodecim martyribus fo . ccxi .
Pontius martyr fo . ccxii† .
Polocronius martyr cum sociis fo . ccxiii .
Potentiana uirgo fo . ccxiii .
Prothus et Hiacintus martyres fo . ccxiiii .
Prothus alter martyr require in sancto Saturnino .
Prothus alius martyr require in sanctis Cancianis .
Prosdocimus episcopus Patauiensis fo . ccxviii .
Processius† et Martinianus martyres fo . ccxx .
Prosper episcopus et confessor fo . ccxxi .
Phorseus episcopus fo . ccxxvii .
Ponticus et Blandina martyres fo . ccxxvii .
Photinus cum sociis martyres fo . ccxxvii .
Phocas episcopus et martir fo . ccxxviii .

Quadraginta milites martyres fo . ccxxxii .
Quadringenti et quadraginta quattuor martyres require in sanctis Quirico et Iulita .
Quirinus martyr fo . ccxxxi .
Quintinus martyr fo . ccxxxii .

Quirillus martyr require in sancto Stephano papa .
Quiricus et Iulita martyres fo . ccxxxiiii .

Radegundis uirgo et martyr fo . ccxxxvii .
Regina uirgo et martyr fo . ccxl .
Regulus Arelatensis episcopus et martyr fo . ccxlvi . ||
Remigius episcopus et confessor fo . ccxl .
Reparata uirgo et martyr fo . ccxli .
Rogatianus martyr require in sanctis Donatiano et Pancratio .
Ruffina et Secunda martyres fo . ccxliii .
Ruffina uirgo et martyr require in sancta Iusta .
Ruffinus et Valerius martyres fo . ccxliiii† .
Rusticus martyr require in sancto Firmo .
Rusticus alter martyr require in sancto Dionysio .
Romanus monachus et martyr fo . ccxliiii .

Sauinianus et potentianus cum sociis martyribus fo . ccxlvi .
Sauinianus alter martyr fo . ccxlvii .
Sauinus episcopus require in sancto Syro .
Sauina martyr fo . ccxlviii .
Smaragdus martyr require in sancto Marcello papa .
Saturninus martyr fo . ccxlviii .
Satyrus confessor fo . ccxlviiii .
Sebastianus martyr fo . ccli .
Secundus martyr fo . cclxi .
Secunda uirgo et martyr require in sancta Ruffina .
Secundianus Verianus et Marcelianus martyres fo . cclxiii .
Stephanus prothomartyr fo . cclxiii .
Stephani prothomartyris Gamalielis Nicodemi et Abibonis sanctorum corporum inuentio fo . cclxxi .
Sergius et Bacchus martyres fo . cclxv .
Sennes martyr require in sancto Phoca .
Septem sancti dormientes fo . cclxviii .
Speusipus et consortes martyres fo . cclxx .
Stephanus papa et martyr fo . cclxxii .
Serapia uirgo et martyr fo . cclxxv .
Seruilianus martyr require in sancta Domitilla .
Seuerus episcopus et confessor fo . cclxxvii .
Simeon martyr fo . cclxxvii .
Sigismundus martyr fo . cclxxviii .
Siluester papa et confessor fo . clxxviiii .
Symphorianus martyr fo . cclxxxx† .
Symphronius martyr require in sancto Stephano papa .
Simon et Iudas apostoli fo . cclxxxxiiii .
Simplicius Faustinus et Beatrix martyres fo . cclxxxxiii .
Simplicianus episcopus mediolanensis fo . cclxxxxiii† .
Sinmetrius presbyter martyr cum aliis uigintiduobus require in sancta Praxede uirgine .
Syrus episcopus papiensis fo . cclxxxxviiii .
Syrus alter episcopus genuensis fo . ccciii .
Sisinnius et Alexander martyres fo . ccciii . |
Simphorosa cum septem filiabus† martyres fo . cccv .
Scolastica uirgo et martyr fo . ccciiii .
Solutor martyr require in sancto Aduentore .
Sophia sancta matrona require in sanctis Elpi Pisti et Agape martyribus et filiabus eius de ciuitate Mediolani oriundis .
Sulpitius et Seruilianus martyres require in sancta Domitila .
Susanna uirgo et martyr fo . cccvi† .

Taurinus ebriosensis episcopus et martyr fo . cccxxv .
Tharsitus† martyr require in sancto Stephano papa .
Tecla uirgo et martyr fo . cccviiii .
Trophinus† et Eucarpio fo . cccxii† .
Theodorus martyr fo . cccxxiiii .
Theodosius martyr require in sancto Hippolito .
Theodosia uirgo et martyr fo . cccxxvii .
Theogenes martyr fo . cccxxvii .
Theodota martyr cum tribus filiis fo . cccxxvii .
Theodota martyr require in sancto Chrisogono .
Theodolus martyr require in sancto Stephano papa .
Therentianus martyr fo . cccxxvii .
Therenus martyr fo . cccxxviiii .
Tertulinus martyr require in sancto Stephano papa .
Thyrsus martyr fo . cccxxviiii .
Tiburtius et Valerianus fo . cccxxxii .
Tiburtius alter martyr require in sancto Sebastiano .
Thomas apostolus fo . cccxxxiii .
Thomas aquinas confessor fo . cccxvii† .
Thomas cantuariensis episcopus et martyr fo . cccxxxviii .
Torpes martyr fo . cccxli .

Valentinus episcopns† et martyr fo . cccxliii .
Valentinus presbyter et martyr require in sancto Mario Martha et Audiphax martyribus .
Valerianus martyr require in sancta Cecilia .
Valerianus alter martyr require in sancto Tiburtio .
Valeria martyr require in sancto Vitali .
Vincentius leuita et martyr fo . cccxliiii .
Victor martyr fo . cccxlvi .
Victor et Corona martyres fo . ccclii .
Victorinus martyr fo . cccli .
Victorinus alter martyr require in sancto Sebastiano .
Victorinus alius martyr uide in sancto Eutice et sociis .
Vitalis martyr fo . cccxlviii .
Vitalis et agricola fo . cccxlviii .
Vitus modestus atque crescentia martyres fo . cccxlviiii .
Vrbanus papa et martyr fo . cccliiii .
Vrsula cum . xi . millibus uirginibus mar. fo . ccclv .

Xistus episcopus Felicissimus Agapetus martyres fo . ccclvii .

Zeno episcopus ueronensis fo . ccclviii .
Zoe martyr require in sancto Sebastiano .

PASSIO SANCTI HERMETIS MARTYRIS .

Beatissimum Hermetem martyrem illustrissimum uirum beatus Alexander pontifex et martyr cum esset præfectus urbis Romæ baptizauit cum uxore et filiis ac sorore Scodera : et cum eo pariter mille ducentos seruos eius . uxores quoque illorum et filios : prius ingenuitate illis concessa . Non multo post ab Aureliano Imperatore trusus est in carcerem : beato etiam Alexandro in custodia posito tribuno Quirino commendatur : qui ad beatum Hermetem dixit : Quæ ratio est : ut uir illustris uice sacra iudicans non solum ad istam iniuriam te redigi uelis : uerum etiam præfecturæ honorem in uinculis tanquam priuatum honori te æquanimiter feras ? Sanctus Hermes ait : Ego præfecturam non perdidi : sed immutaui : Nam dignitas terrena a terris tollitur ac mutatur . Dignitas uero cælestis æterna sublimitate subsistit . Dicit ei Quirinus : Miror te prudentem uirum ad tantam stulticiam deuenisse : ut credas te extra hanc uitam aliquid habiturum . Postquam cineres humani corporis ita ad nihilum rediguntur : ut nec ipsa ossa subsistant : Cui beatus Hermes : et ego ante hos annos deridebam : et istam carnalem uitam utilem dicebam : At Quirinus : fac et me probare : et si ita est : sicut tu credidisti : et ego credam . Beatus Hermes dixit : Sanctus Alexander qui habetur in uinculis hæc me docuit : Audiens hæc Quirinus cœpit maledicere Alexandro : et dixit ad Hermen : Ego te rogaui dicens : fac me probare iuste te credidisse : et tu mihi nominasti hominem magum : quem in uinculis teneo in carceris ima conclusum . Si uerum est ergo quod dicis : uado ad eum ipse : et triplicabo illi uincula et custodes : si potuerit hora cænandi uenire ad te : credam quæ docuerit : Iuit et triplicauit uincula et custodes apposuit . Primo igitur noctis initio uenit puer qui uidebatur esse non amplius : quam quinque annorum : ferens faculam ardentem in carcerem : Et flectens genua sua | cum beato Alexandro orauit : Dicens orationem dominicam : Et apræhendens manum eius eduxit per fenestram : et perduxit eum ad beatum Hermen in domum Quirini . Quirinus factum hoc ut uidit : exterritus est : Cui post alia beatus Hermes dixit : Ecce nos uides in unum quos custodiis mancipasti : causa cur ego huic sancto Alexandro crediderim ista est : unicus cum mihi esset filius nimio languore affectus : qui adhuc ambulabat ad litterarum studia . Hic in capitolium : cum esset aductus ad me : cum matre sua : et sacrificaremus diis : et pontificibus premia dedissemus : mortuus est . Tunc increpare me cœpit nutrix eius dicens : Si enim ad limina sancti Petri duxisses : et credidisses in Christo : filium tuum incolumem haberes : Cui ego respondi : dum tu ipsa sis cæca facta : et non sis curata : quomodo filium meum reddet incolumem ? At illa dixit : Si ante istos inquit quinque annos credidissem Christo : redditi essent mihi oculi : Cui dixi : Vade : et crede : et si tibi oculos aperuerit Alexander : credam : quod et mihi reddat filium meum . abiit ad ipsum cæca : et reuersa est ad me sana : Imponensque humeris suis filium meum mortuum : cucurrit ad eum et iactauit eum ante pedes beati Alexandri . At ille oratione facta resuscitauit eum . Ego confestim misi me ad pedes eius : et rogaui me fieri christianum . Patrimonium uero matris eius ipsi contuli : aliquanta etiam de meo addidi . Cætera uero aut pauperibus erogaui : aut seruis meis qui mecum facti sunt christiani dedi . Hæc et similia cum egisset circa Quirinum beatus Hermes : credidit Quirinus cum omni domo sua : et baptizatus est . Aurelianus cuncta hæc audiens dictauit in ultimo sententiam : ut beatus Hermes gladio puniretur : qui decollatus est uia salaria uetere non longe ab urbe Roma die quinta mensis septembris sepultus est in bona parte : Regnante domino nostro Iesu christo : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTI HERECVLANI† PERVSINI EPISCOPI .

Anno Iustiniani decimo septimo Herculanus perusinus episcopus a Totila rege secto capite martyrium patitur : ut est apud Gregorium in dialogo tertio libro qui sic habet : nuper Floridus uenerabilis uitæ episcopus narrauit memorabile ualde miracu-

lum dicens : Vir sanctissimus Herculanus nutritor meus perusinæ ciuitatis episcopus fuit ex conuersatione monasterii ad sacerdotalis ordinis gratiam deductus . Totilæ autem perfidi regis temporibus eandem urbem annis septem continuis Gothorum exercitus obsedit : ex qua multi ciuium fugerant : qui famis periculum ferre non poterant . Anno uero septimo necdum finito obsessam urbem Gothorum exercitus intrauit . Tunc comes qui eidem exercitui præerat ad regem Totilam nuncios misit : exquirens : quid de episcopo uel populo fieri iuberet : Cui ille præcepit dicens : episcopo prius a uertice usque ad calcaneum corrigiam tolle : et tunc caput eius amputa . Omnem uero populum qui illic inuentus est gladio extingue . Tunc idem comes uenerabilem uirum Herculanum episcopum super urbis murum deductum capite truncauit : eiusque cutem iam mortui a uertice usque ad calcaneum incidit : ut eius corpore corrigia sublata uideretur : Moxque corpus eius extra murum proiecit . Tunc quidam humanitatis pietate compulsi abscissum caput ceruici apponentes cum uno paruulo infante qui illic extinctus inuentus est : iuxta murum corpus eius sepulturæ tradiderunt : cumque post eandem cædem die quadragessimo rex Totila iussisset : ut ciues urbis illius : qui quomodolibet dispersi essent : ad eandem sine aliqua trepidatione remearent . Hi qui prius famem fugerant uiuendi licentia accepta sunt reuersi : Sed cuius uitæ eorum episcopus fuerat memores : ubi sepultum esset corpus eius quæsierunt : ut hoc iuxta honorem debitum in ecclesia beati Petri apostoli humarent : Cumque itum esset ad sepulchrum : effossa terra inuenerunt corpus pueri pariter humati : ut pote iam diei . xl . tabe corruptum et uermi | bus plenum : corpus uero episcopi ac si die eodem esset sepultum : et quod est adhuc magna admiratione uenerandum : quia ita caput unitum cum corpore fuerat : ac si nequaquam esset abcissum : sic uidelicet ut nulla uestigia sectionis apparerent : cumque hoc et in terga exquirentes : si quod signum uel de alia monstrari incisione potuisset : ita sanum atque intemeratum omne corpus est inuentum ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset .

PASSIO BEATISSIMORVM MARTYRVM HERMAGORE EPISCOPI ET FORTVNATI ARCHIDIACONI EIVS .

Post resurectionem domini nostri Iesu Christi omnes apostoli miserunt sortes : quis in quam prouinciam proficisceretur ad prædicandum uerbum dei . Quare ad urbem Romam profectus est beatus Petrus princeps apostolorum una cum beato Paulo apostolo adducente secum beatum Marcum : qui et ipse beati Petri primus fuit discipulus : et morabatur cum eis in urbe Roma . Tunc dicit ad eum beatus Petrus : Quid hic nobiscum moraris ? Ecce eruditus es de omnibus : que fecit Iesus . Surge : et perge ad urbem Aquilegiam Austriæ prouinciæ ad prædicandum uerbum dei : Tunc accipiens beatus Marcus primam sortem et baculum pontificatus arripuit iter : et ueniens peruenit ad predictam urbem Aquilegiam : inuenitque ibi iuuenem nomine Ataulfum filium Vlfii illustris et primi ciuitatis magna lepra detentum . Tunc interrogauit beatum Marcum de qua prouincia iter faceret : qui ei omnia enarrauit eo : quod christianus esset et medicus ad omnes ægritudines seu infirmitates curandas . hæc iuuenis audiens : ad pedes eius aduolutus : rogabat eum : ut infirmitatem suam curaret . Tunc beatus Marcus Appræhendit manum eius et brachium : et mox lepra ab eo mundata est de manu et brachio eius . Videns itaque iuuenis hæc mirabilia citius cucurrit ad patrem suum Vlfium et omnia ei indicauit quæ illi Beatus Marcus fecisset : quare Celerius cum magna || turba ueniens Vlfius inueniensque beatum Marcum ad portam occidentalem residentem rogare eum cœpit et dicere : fac filium meum totum sanum : et omnia quæcumque postulaueris faciam tibi . Tunc dicit ad eum beatus Marcus : quia si credideris in dominum Iesum Christum ex toto corde tuo uidebis filium tuum sanum : Vlfius exclamauit dicens : credo dominum Iesum Christum . Tunc beatus Marcus accepta aqua baptizauit iuuenem in nomine patris et filii et spiritu sancti : et omnis lepra eius mundata est . Videns autem Vlfius mirabilia baptizatus est ipsē† et omnis familia domus eius : et

multitudo populi baptizati sunt in illo die . Cumque Beatus Marcus prædicaret per annos aliquot : emicuit in cor eius desyderium uultum sancti Petri uidere : Volens occulte dimittere populum atque ire ad urbem Romam . Tunc dei nutu audientes populi et concurrentes diluculo uociferabantur clamore magno dicentes : Quid mali egimus ? Quid peccauimus : quia tu nos derelinquere uis ? Da nobis pastorem . Tunc beatus Marcus dixit populo : ut eligerent sibi quem uoluissent . populus uero elegit sibi uirum christianissimum elegante persona nomine Hermagoram : Qui iter faciens cum beato Marco ad urbem Romam et a beato Petro accupiens† baculum pontificitus† : et uelamen sacramenti suscipiens : factus est prothoepiscopus prouinciæ Italiæ . Et regressus ad urbem Aquilegiam ecclesiæ sue moderationem composuit : seniores et leuitas ordinauit : et post hæc ad ciuitatem trigestinam præsbyterum et diaconum direxit : et per alias ciuitates similiter faciebat : Et cum cœpisset prædicare uerbum domini nostri Iesu christi plenus spiritu sancto : et per orationem dæmonia ab obsessis corporibus eiicere : infirmos sanare : facto Christi signaculo super oculos eorum uisum reddere : concurrebant ad sanctum Hermagoram episcopum omnes Italiæ proninciæ† populi : uidentes eius mirabilia : quia per eum sancta multiplicabatur fides . paganorum autem insania confundebatur . Eodem uero tempore imperante Nerone in urbe Roma præfectum agente Agrippa filio fratris ipsus† Nero | nis in Aquilegensem ciuitatem direxit præsidem Sebastum nomine : Qui cum ingressus fuisset ciuitatem uniuersi populi occurrentes et uociferantes clamabant : sicut est solitum . Alia autem die sedente eo pro tribunali : postquam immundas hostias obtulissent dæmonibus sacerdotes idolorum ei suggesseruut† de beatissimo Hermagora dicentes : Subueni domine præses : quoniam templa deorum nostrorum desolata sunt per uirum quendam : qui per suam magicam artem et uerborum seductionem omnem populum a diis immortalibus seperauit . prædicando illum : qui a Iudæis populis est interfectus : Quem si tu dimiseris : omnes separat a sacrificio deorum : Et si hoc notum factum fuerit principi : incipies tu in magna culpa apud eum inueniri . hæc autem audiens Sebastus præses fremuit nimis sicut leo : et præcepit : ut plurima turba militum urbem ingrederetur : et eum ad suum præsentari auditorium . Hoc audito sanctus Hermagoras episcopus dixit omni clero : Viri fratres ingemiscamus ad deum : quoniam ecce uenerunt persequentes nos . Oremus itaque : ut diabolus : qui sicut leo circuit querens quem deuoret : elisus ac prostratus iaceat sub nostris pedibus : Cumque uniuersi orarent ad dominum : beatissimus Hermagoras hanc fudit orationem ad dominum dicens : domine deus omnipotens unigeniti Iesu Christi filii tui pater misericors : qui non memoras iniquitatem populorum : qui uis pœnitentiam pecatoris : ut conuertatur in uiam iustam et uiuat in tua uoluntate . Christe Iesu : qui duodecim apostolos coronasti : Et misisti eos in sæculum istud prædicare te prouisorem et saluatorem animarum nostrarum . te precor pater omnipotens et filium tuum Iesum christum : qui potens es ad saluandum animas seruorum tuorum in te confidentium et eis opitulari : libera nos a persequentibus nos : ut non dicant : ubi est deus eorum . Sed da domine Iesu christe misericordiam seruis tuis : ut confundantur inimici nostri : et cognoscant : quoniam tu es qui confringis ceruices peccatorum : Cumque orasset ad dominum : impetum facientes milites comprehenderunt sanctum Hermagoram episcopum : et fer || ro uinctum perduxerunt ad Sebastum præsidem : Qui cum fuisset perductus : dixit ad eum præses : Quæ est tua audacia : ut nescio per quam artem et seductionem uerborum : omnem populum a diis immortalibus separes : prædicans illum qui a Pilato est crucifixus : propter quem et Petrus similem accepit pœnam in urbe Roma ? An nescis quia tale accepi præceptum : ut si inuenero uiros ac mulieres hac in uanitate perseuerare : diuersis eos generibus tormentorum Affligam ? quod et si tu in hac perseueraueris insania : in te correctionem omnium quos ad te agregasti faciam : ut per te discant omnes ueneranda nomina deorum uenerari : sicut et omnes faciunt prouinciæ . Beatissimus Hermagoras episcopus eleuans oculos suos in cælum : factoque signaculo Christi in fronte constanter ita respondit : Ego ex iussione domini mei Iesu Christi ordinatus sum episcopus : et propterea non quiesco prædicare : quæ mihi præcepta sunt a domino meo Iesu Christo : Vt omnes a diabolo detentos per uerbum domini ad dei reuocem agnitionem : quoniam deus magnus est : qui est in cælis : qui iubet cælo dare pluuiam : qui solem suum oriri facit super iustos et iniustos : ipsum ego prædico omnibus diebus uitæ meæ . Sebastus præses dixit : ut uideo : certum est

quod deorum sacerdotes dixerunt : quia per ista stulta uerba populum seducis . Ego enim puto : quia non tua hæc loquaris mente . Sanctus Hermagoras dixit : Hoc certum est : quod dixisti : quia non ego mea loquor mente : sed ipse est spiritussanctus : qui per me loquitur : sic enim sancta continet scriptura : Cum ante iudicem steteritis : nolite cogitare : quomodo aut quid loquamini : dabitur enim uobis in illa hora : quid loquamini : quia spiritussanctus loquitur per os in Christo credentium . Sebastus præses dixit : Ego non uerbis tecum contendere quæro : sed ad tuam festino salutem : ut accedas : et sacrifices diis immortalibus . At si nolueris nunc sacrificare : dum tecum pacifice loquor : postea uero cum confussione incipies diis tura offerre . Multo enim melius est : tua bona hoc facere uoluntate . Sanctus Her | magores† dixit : de domini mei Iesu christi misericordia fidens sum : si qua uolueris pœnarum genera exerce : Corpus quidem meum poteris tormentis affligere : animam autem meam dominus meus Iesus christus habet in potestate . Nam diis tuis : qui sine anima sunt sine auditu sine uisu sine gressu : nunquam tura offeram . Hæ† audiens Sebastus præses iussit eum extendi : et neruis crudis cædi : Cumque cæderetur beatus Hermagoras aspiciens in cælum dixit : Gratias tibi ago deus altissime pater domini mei Iesu christi : quia cum sim indignus : facis me peruenire ad tuam sanctam deitatem et pietatem . Tunc præses iussit clamari ad eum : accede : et sacrifica diis . nam incipies peioribus pœnis torqueri . Sanctus episcopus respondit : Erubesce cum patre tuo diabolo : qui ab initio confussus a seruis dei est superatus . Iam semel et sæpius tibi dixi : quia dæmoniis tuis nunquam sacrifico . Audiens hæc Sebastus præses palluit ex nimio furore : et dixit ad eum : Per deos magnos quia sic te interficiam : ut nec sepulturæ corpus tuum tradatur . Tunc sanctus Hermagoras subridens ait : Verum est quod in sancta scriptum est lege : quia in maliuolam animam non introiuit intellectus . Audiens hæc præses iussit eum in eculeo suspendi : et pectus eius ungulis radi . postea præcepit laminas ferreas candentes eius pectori imprimi : et lampadas ardentes eius lateribus applicari : Et cum hæc fierent : sanctus dei martyr pendens in ligno hymnum domino canebat dicens : deus in adiutorium meum intende . domine ad adiuuandum me festina : et confundantur omnes : qui ostendunt seruis tuis mala : et conterantur ab omnipotentia tua : et uirtus eorum confringatur . uidentes autem populi eius magnam constantiam exclamauerunt dicentes : Magnus est deus christianorum . sine ulla causa tormentis afficitur uir dei . Non quiescit die ac nocte confortare populum suis sanctis monitis . Nihil inique gessit : pro qua hæc patitur causa . Tunc confusi sacerdotes deorum dixerunt præsidi : Vel nunc manifestissime uides : quod antea diximus : quoniam per magicam artem omnem seducit populum a diis immortali || bus . ex quo iratus præses iussit eum de eculeo submitti : et in carcerem recludi propter populorum seductionem : Cumque recluderetur in carcerem : orationem ad dominum effundebat dicens : Deus excelse et bene adorande : qui filium tuum dominum nostrum Iesum Christum seruili forma indutum : ad terram de cælo sancto tuo uenire iussisti : ut nos de seruitutis iugo liberaret : respice hunc agonem : et permitte mihi perseuerare usque in finem : et pro tuo nomine consumari : quoniam in te confidens non timebo mala : quia tu mecum es : qui regnas in sæcula sæculorum amen . Et cum orasset hanc orationem : subito lumen nimium refulsit in carcere : et odor suauis repleuit carcerem . Quo uiso custos carceris nomine Pontianus et aperta interiore carceris ianua : ipso quoque orante processit ad pedes eius : et prouolutus precabatur eum dicens : precor te per nomen dei tui : qui tantam claritatem tibi concessit in in† tenebris : ut miserearis mihi misero : et ad dei tui agnitionem me perducas : ut per te liberet deus tuus animam meam perditam : Et dixit ad eum sanctus Hermagoras : Si credis ex toto corde tuo et ex tota anima tua : omnia possibilia sunt : quæ postulas : Pontianus uero exclamauit uoce magna cum lachrymis dicens : Credo ex tota uoluntate in ipsum : qui tibi tam mirabile direxit auxilium . Tunc commisit ei sanctus Hermagoras triduo ieiunium deo reddere . Mediæ autem noctis tempore præcepit sanctus Hermagoras uenire præsbyterum cum diacone suo : qui et baptizauit eum in nomine patris et filii et spiritussancti . Postquam uero baptizatus est Pontianus : descendit in eum spiritussanctus : et cœpit præconia uoce clamare per omnes plateas et in cor ciuitatis dicens : Magnus est deus : quem sanctus prædicat Hermagoras . Venite uniuersi ciues : et cognoscite : qualis est deus christianorum : Nam lapides coluntur : qui obdurant corda humana . lumen hominum tollunt :

nam lumen præstare non possunt : sicut Christus sancto suo prestitit Hermagoræ : Ad hanc uocem cucurrit ad carcerem uniuersus populus : et multi clarissimi uiri uidentes in carcere tale lumen domino deo egerunt | gratias : Quottidie autem confundebatur paganorum insania : et sancta fides consequebatur uictoriam . Quam ob rem audientes hæc sacerdotes paganorum cum magna insania clamauerunt dicentes Sebasto præsidi : Quoadusque parcis huic mago ? Omnem subuertit populum . Ecce hic peiorem facit subuersionem quam in urbe Roma Petrus : sicut enim Petrum nosti punitum : tolle et interfice magum : quod nisi feceris : contra te relationem ad imperium dirigemus . Hæc præses audiens dixit : Triduo date mihi inducias : donec cogitem qualibus eum affligam pœnis : hoc autem dicebat : timens populi multitudinem : quæ per eum in Christo crediderat . frequenter enim magnifici uiri ad eum concurrebant in carcerem : quos sanctus suis corroborabat monitis : Aliqui uero uidentes tam immensum lumen : non recedebant ab eo : sed in carcere commorabantur . Nam et omnis clerus eius ex quo Pontianus effectus est christianus ingrediebatur ad eum : quia et ipse Pontianus custos carceris præparauerat se : ut pro Christi nomine passionem cum eodem sustineret . Quidam uir magnificus ipsius ciuitatis Gregorius nomine : cuius filius a dæmonio uexabatur : cum uidisset sanctum Hermagoram in nulla parte corporis læsum : et qui tales coram omni populo sustinuerat pœnas . mittens se ad pedes eius : et prouolutus præcabatur eum dicens : Miserere mei . subueni pater . per ipsum te peto quem prædicas : quia confido tu quod per tuas orationes potes filium meum a dæmonio liberare . Dicit ei Hermagoras Si credis in Christum : uidebis filium tuum saluum . Gregorius respondit : Credo Christum filium dei : pro quo talia sustines : quia poteris filium meum saluare . et ille. Non ego inquit sed dominus meus Iesus christus ipse faciet secundum suam deitatem : Nam et ego peccator sum sicut et tu ipse : Et iussit infantem adduci : erat enim annorum duodecim : interrogauitque eum quantum tempus est : ex quo hæc infirmitas ei euenit . Gregorius respondit : hodie per triennium non est dies neque nox : in quo potuerit uel modicum quiescere . Multo || tiens eum in templa deorum attuli : et hostias pro eo immolaui : et nihil ei profuit : sed credo in Christum : quem tu prædicas : quia poterit eum liberare . Vt audiuit hæc sanctus dei surridens ait : Modo tibi Christus ostendet : quanta præstat credentibus in eum : Tunc sanctus Hermagoras flexis genibus percussit pectus suum : exclamauitque ad dominum coram omnibus : Domine deus omnipotens pater : qui in cælis es : qui ante constitutionem mundi tu es : qui sæculo in tenebris posito uerbo sancto tuo dixisti : fiat lux : et facta est : qui cælum camerasti : et terram composuisti : qui cælum item stellas adornasti : qui mare infrænasti : et terminum ei posuisti : quem non transgrederetur : qui omnia elementa propter nos peccatores constituisti : qui filium tuum erranti populo trasmisisti : et nos ad libertatem hanc gloriæ credentes in eum constituisti . te precor pater omnipotens et filium tuum et spiritum sanctum : qui regnas in unitate : fac mirabilia domine Iesu Christe propter nomen tuum sanctum præsta in te credentibus : ut liberes huius innocentis animam ab immundo spiritu : quia ad tuam deitatatem† refugium fecerunt ad confirmanda corda : qui in te crediderunt : et qui credituri sunt : ut cognoscant : quia tu es deus altissimus : qui regnas per cuncta et infinita sæcula sæculorum . Et cum complesset : increpauit dæmonem dicens : Tibi dico inmunde spiritus præcipit tibi dominus Iesus Christus : ut recedas ab hac innocentis anima : quæ ad eius confugit fidem . Hæc audiens dæmon omnibus uidentibus qui aderant in carcere ab eo exiit . Videns autem Gregorius hæc mirabilia procidit ad pedes sancti episcopi et martyris : orans eum : ut baptismum promereretur . Media autem nocte occulte abiit sanctus Hermagoras cum clero domum Gregorii : et baptizauit eum cum coniuge sua et duobus filiis omnique familia domus eius in nomine patris et filii et spiritussancti . Postea uero dum reuerteretur in custodia : uniuersi præsbyteri uel diacones omnesque clerici seu ordines ecclesiæ postulabant eum cum lachrymis dicentes : Tu pastor noster si a nobis fueris ablatus : quem facie | mus uniuerso gregi tuo pastorem ? Aut quem doctorem uitæ inueniemus æternæ ? Nunquid possumus ubi pastor non est pascua inuenire ? Sin autem et nos omnes una tecum moriamur . Beatissimus autem Hermagoras confortans animos eorum iussit eis ordinare Fortunatum archidiaconem et discipulum suum : quem ipse ex infantia cum dei enutrierat timore . Quædam autem mulier uidua illustris Alexandria nomine timens deum : audiens beatissimum Hermagoram sanctum

dei esse et tantas in carcere fecisse uirtutes : misit secrete ad Pontianum carcerarium : ut noctis silentio ad eum ingrederetur . Erat enim oculis apertis nihil uidens . Dicebat uero : quia si tetigerit oculos meos : inuocato nomine Christi saluabor . Quæ mulier perrexit nocte ad carcerem : et procidens ad pedes Hermagoræ dixit ei : Sancte uir dei fac me sanam . Dicit ei sanctus Hermagoras : Beata est fides tua : quia prius quam audires uerbum ueritatis : mentem tuam bene fundasti . Propterea illuminabit oculos corporis et cordis tui dominus Iesus Christus : et cum fecisset crucis signum super oculos eius continuo uidit lumen : et reuersa est domum suam gaudens dans gloriam deo : ieiunauitque tribus diebus : et mittens beatissimus Hermagoras Fortunatum archidiaconem suum baptizauit eam intra domum suam cum suis omnibus in nomine patris et filii et spiritussancti . Post aliquot uero dies audiens Sebastus præses de Alexandria : quia baptizata est a sancto Fortunato Archidiacono : iussit eum compræhendi et ferro uinctum ad carcerem duci : quem cum uidisset sanctus Hermagoras domino deo egit gratias : quia dignatus est se cum eodem martyrium suscipere . Per dies plurimos multa per eos mirabilia dominus in carcere ostendit . Et enim concurrentes ad eos uarias infirmitates habentes : curabantur ab eis in nomine Iesu Christi . At ubi hoc sacerdotes paganorum conspexissent collegerunt populum incredulum ueneruntque ad Sebastum præsidem cum fustibus et lapidibus clamantes : Ciuitas tota perit per te : quia facis usque nunc uiuere hominem : qui per magicas artes populum || alienat : et euertit mentes eorum : ut separentur a diis . Tolle magum . occide maleficum . sin autem nolueris : te ipsum interficiemus : et illum igne consummemus : Sebastus itaque populum timens : qui per eum crediderat in nomine Christi : misit nocte spiculatorem et in carcere decollauit Beatissimum Hermagoram episcopum et sanctum Fortunatum archidiaconem eius : quorum corpora colligens Pontianus custos carceris et omnem cruorem sanguinis eorum colligens in unum collocauit locum . Audiens autem hæc Gregorius cuius filium a dæmonio liberauit sanctus Hermagoras et Alexandria quæ ab eo illuminata fuerat : uenerunt noctu occulte cum linteaminibus mundis et ualde pretiosis aromatibus : et condientes corpora sanctorum martyrum sepelierunt ea extra murum ciuitatis Aquilegiæ in agello ipsius Alexandriæ . Vniuersi autem uenientes ad corpus beatissimi episcopi et martyris Hermagore primi aquilegensis ciuitatis quacumque detenti fuissent infirmitate sanitatem recipiebant in nomine domini nostri Iesu Christi : passus est autem ipse uir dei beatissimus Hermagoras episcopus cum ipso sancto Fortunato archidiacone suo . IIII . idus Iulias . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI HILARII EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Beatus Hilarius pictauorum episcopus regione Aquitaniæ oriundus quæ ab oceano brittannico fere milliaria octoginta sciungitur apud gallicas familias nobilitatis lampade non obscurus imo magis præ cæteris prædictis : quasi refulgens lucifer inter astra processit . cuius a cunnabulis tantæ sapientiæ primitiua lactabatur infantia : ut iam tunc potuisset intelligi : Christum in suis causis pro obtinenda uictoria necessarium sibi iussisse militem propagare . Denique coniugem habens et filiam ita plenitudine domini uenerabilem animum ecclesiasticæ regulæ | tradidit informandum : ut adhuc in laicali proposito constitutus diuino nutu pontificis gratiam possideret : Ita seipsum propria disciplina coercebat intentus : quasi futuram speciem indicans : ut irrepræhensibilis in templo domini pararetur sacerdos : atque quod inter mortales ualde uidetur difficilie † : tam cautum esse : se a Iudæis illis hæreticis cibis suspendebat . Adeo uir sanctissimus hostes catholicæ relligionis abhorruit : ut ne dicam conuiuium sed neque salutatio cum his prætereundo communis . Vitabat hæc dauitico fultus exemplo : ne cum hæreticis mensæ participando fieret illi in scandalum . O quam perfectissimum laicum : cuius immitatores esse desyderant sacerdotes : Cui non fuit aliud uiuere : nisi Christum cum dilectione timere : et cum timore diligere : quem sequentes currunt ad gloriam : diuertentes ad pœnam . Credenti succedunt præmia : recusanti tormenta . Qui tamen nunc illos de pio relligionis opere commonens : nunc

alios de confessione inestimabilis sanctæ trinitatis informans : nunc reliquos ad promissionem regni cælestis inuitans non cessabat implere uerba ueritatis : et fructu fidei corda redundantia sæminare . Quo de sancto Hilario cognito quia tantum lumen et si uoluisset latere non potuit : quippe necessarium ut alienas tenebras in lucem transferret : concordante fauore populi uel potius dei spiritu acclamante uir olim dei ministeriis deputatus aliquando sacris altaribus sacerdos electus est . Crescebat in eo quottidie opinio famulatrix uirtutum : nec erat fama contenta circuniectas tantum gallias illustrare : sed exteras nationes et regiones implebat meritorum gratia percurrente : Idque actum est : ut toto orbe uelociter beati pontificis gloria militaret . Igitur Constantii imperatoris tempore cum arrhyana hæresis uenenata radice flore toxicato pullularet : tunc uir sanctissimus timore nudus fidei feruore uestitus : quasi signifer belligerator per medias acies inter hostiles fremitus inter hæreticorum gladios se ingerebat Christi caritate securus nihil de sua morte formidans . Illud solum metuens : quod absit præiudicio religionis illato || ne uiueret . Hinc a Valente et Vrsatio qui praua crrudelitate† ecclesiam dei perturbare pertina iter† insistebant : imperatori persuasum est : ut uirum crudelissimum de quo loquimur et Dionysium mediolanensem et Eusebium uercellensem exilio condemnaret . Nihil enim poterat ante insuperabilem sanctorum dei uirorum sapientiam hæreticus obtinere : Sperans hostis fidei aliquas se nebulas splendori catholico posse prætendere : si retrusi exilio tales uiri a certamine defuissent : quoniam ut dictum est : quisquis peruersus uoluit cum illo præsertim confligere : ac si mutus esset et claudus : nec uerba poterat proferre : sed quasi natans in pellago ante flatum eius eloquentie mergebatur . Itaque in phrigiam Asiæ regionem missus exilio et uirtutis augmento gratias peregit : quia quantum pro nomine Christi longius discedebat de solo proprio : tantum merebatur fieri uicinior cælo . Qui dum a† locum peruenisset optabilem : nobis tacendum non est : quid illi concessum est . Nam eo tempore sancto sibi spiritu reuelante cognouit : quod beatissimam Apram filiam suam quam cum matre pictauis reliquerat quidam iuuenis nobillissimus prædiues et pulcherrimus coniugii uinculo sibi quæreret annectendam . Sed ipse interuentu orationis assidue cælestem illi sponsum sine commutatione præuiderat . Mox opportunitate reperta manu propria suæ scriptam filiæ direxit epistolam sufficienti sale conditam et uelut aromaticis unguentis infusam : quæ nunc tenetur pictauis pro munere conseruata : et a me huic operi interponenda est : Indicans ei : quod talem sponsum pater Anxius prouidisset : cuius nobilitas cælos ascenderet : pulchritudo rosarum et lilii comparationem precederet : oculi gemmarum lumina illuminarent : uestis candore niuem opprimeret : ornamenta in extimabili fulgore uernarent : diuitiæ intra se regna concluderent : sapientia incompræhensibilis emanaret : dulcedo fauum mellis postponeret : pudicicia in contaminata persisteret : ordo† suauitatis fragraret : thesauri sine defectione constarent . Addens ergo monitis ut filia nulli se prius coniungeret : quam | ut patrem expectaret pollicitumque sponsum pariter cum promissione uenturum . Quod Apra dulciter excipiens : et quasi sponsum futurum in epistola patris amplectens : ammonitione† secuta est : nulli se in coniugium resoluens : cuius uidelicet epistolæ textus hic est : Dilectissime filiæ Apræ hilarius in domino salutem . Accepi literas tuas Intelligo te desiderantem mei esse : et certum ita habeo : sentio enim quantum præsentia eorum qui amantur optabilis sit : Et quia grauem tibi esse absentiam meam scio : ne me forte impium esse erga te extimes : qui tamdiu excusare tibi et profectionem meam et moras uolui : inteligeres me non impie tibi sed utiliter prodesse . Namque cum te filiam et unicam ita : quantum ad me est : ut unanimem habeam : et uellem te pulcherrimam omnium et sanissimam uiuere : nunciatum est mihi : esse quendam iuuenem habentem margaritam et uestem inestimabilis pretii : quam si quis ab eo posset mereri : super humanas diuitias et diues et saluus futurus esset . Ad hæc ergo his auditis profectus sum : ad quem cum per multas et longas et difficiles uias uenissem : uidens eum : statim procidi . Adest enim tam pulcher iuuenis ut in conspectu eius nemo audeat consistere . Qui ubi procidisse me uidit : interrogari me iussit : quid uellem : et quid rogarem . respondi : audisse me de ueste sua et margarita Ideo uenisse : ut si eam dignaretur mihi præsentare : esset mihi filia quam uæhementer diligerem : cui hanc uestem atque Margaritam quærerem . Et in terra prostrata facie flæui plurimum : quare noctibus ac diebus ingemiscens : rogo ut audire dignetur precem meam : post quæ quia bonus iuuenis et melius

illo nihil est ait mihi : Nosti hanc uestem atque hanc Margaritam quas a me lachrymis rogas : ut eas filiæ tuæ concedam ? respondi : domine audiui . cognoui de illis . fide credidi : et sic quia optimæ sunt : et salus uera est huic uesti : Statim ministris suis præcepit : ut mihi hanc uestem et Margaritam ostenderent : et confestim ut hanc Primum uestem uidi : uidi fillia : uidi : quæ loqui non possum . Non sericum secundum subtilitatem sibi erat . Nunquid candori eius || niues comparatæ non nigre sunt ? Nunquid aurum iuxta fulgorem eius non liquatur? Ipsi enim sunt multi colores . Et nihil prorsus comparatum ei potterat coæquari . Postquam uidi margaritam : statim concidi animo : non enim potuerunt occuli mei sustinere tantum eius colorem : nam nec cæli nec lucis nec maris nec terræ species pulchritudini eius poterat comparari . Et cum prostratus iacerem : ait mihi quidam de assistentibus : uideo te solicitum et bonum patrem esse : et hanc uestem atque margaritam ad filiam tuam desyderare : sed ut magis desyderes : ostendo tibi quid adhuc hæc uestis atque margarita boni habeant . Vestis hæc nunquam a tineis commeditur : nec usu atteritur : non damno minuitur sed semper talis qualis est permanet . Margaritæ uero huius hæc uirtus est : ut si quis ea induitur ne† ægrotet : ne† senescat : nec moriatur : aut obnoxium corpori aliquid sinat superuenire : sed utenti ea nihil accidat quod aut mortem afferat : aut ætatem demutet : aut impediat decorem : aut obstet sanitati . Quod ubi audiui o filia exaninare† magis desyderio margaritæ et uestis istiusmodi cœpi : et sic prostratus iacebam indeficienti flætu et intenta oratione iuuenem precari cœpi dicens : domine sancte miserere preci meæ . miserere sollicitndini† uitæ meæ . Si enim hanc uestem mihi et margaritam non concedis : miser futurus sum : filiam meam uiuentem perditurus sum . Ego propter hanc margaritam et uestem peregrinari uolo . Scis domine : quia non mentior . postquam uocem meam audiuit : iubet me leuari : et ait mihi : Mouerunt me preces et lachrymæ tuæ : et bene est : quod credidisti : Et quia dixisti te pro hac margarita ipsam uitam tuam uelle impendere : non possum eam tibi negare . Sed scire debes propositum et uoluntatem meam : Vestis quam ego dedero talis est : ut qui uoluerit ueste alia colorata et serica aut aurata uti : uestem meam capere non possit . Sed illi dabo eam : quæ contenta sit non serico habitu et ornatis coloribus : et sumptuosa ueste uestiri : ita ut propter consuetudinem purpura ipsa difundatur in uestem . Margaritam uero quam a me petis natu | ra eius est : ut habere nemo possit : margaritam alteram habuerit : quia altere margaritæ aut de terra aut de mari sunt : Mea autem ut ipse tu uides speciosa præciosa et incomparabilis et cælestis est . Non dignatur ibi esse : ubi alie sunt . Non enim rebus meis conuenit cum rebus hominis : quia qui ueste mea et margarita utitur : in æternum sanus est . Non enim febre exardescat : nec uulneri patet : non annis demutatur : non morte dissoluitur : æqualis et æternus est . Ego autem hanc uestem et hanc margaritam meam petenti tibi dabo . ut eam filiæ tuæ proferas . Sed prius scire debes : quid uelit filia tua : si se huius uestis et margaritæ meæ dignam facit : id est si uestes sericas et auratas et infectas habere noluerit . si omnem margaritam alteram oderit . tunc hæc quæ rogas tibi dabo : præter quam uocem filia lætus exurgo : et secretum habens hanc epistolam ad te feci rogans per multas lachrymas meas : ut te huic uesti et margaritæ reserues . Namque miserum senem tali damno tuo facies : si hanc uestem et hanc margaritam non habueris . Testor autem tibi filia domini cæli et terræ : quod nihil hac margarita et hac ueste pretiosius est et tui iuris est : ut tu hanc habeas hoc modo . Quando tibi uestis aliqua offertur uel infecta uel serica uel deaurata : dicito ei : qui tibi offeret . Ego alteram uestem expecto : propter quam pater meus a me tandiu peregrinatur usque dum mihi acquisierit : quam non possum habere : si istam habuero sufficit mihi lana ouis meæ sufficit mihi color quem natura attulit . sufficit textus in sumptuosus . Cæterum uestem illam desydero quæ dicitur non absumi : non atteri : non scindi . At uero si tibi margarita offeratur aut suspendenda collo : aut digito coaptanda : dices ita : Nam mihi impedimento sunt istæ inutiles et sordidæ margaritæ : expecto illam pulcherrimam et pretiosissimam : et utilem : credo patri meo : quia et ille qui ei spopondit credidit : propter quam mihi significauit se etiam mori uelle . hanc expecto'. hanc desydero : quæ mihi præstat salutem æternam . ergo filia subueni sollicitudini meæ : et hanc epistolam meam semper lege : et huic uesti et margari || tæ te reserua : et ipsa tu mihi nullum interrogans : qualibus litteris poteris scribe : utrum te uesti huic et margaritæ reserues : ut sciam quid iuueni illi respondeam : ut si illam desyderas et

expectas : letus possim ad te reditum cogitare . Cum autem scripseris mihi : tunc ego tibi quis sit hic iuuenis : et qualis sit : et quid uellit : et quid mittat : et quid possit indicabo . Interim tibi hymnum matutinum et serotinum misi : ut memor mei semper esse studeas . Tu uero si quid minus per ætatem hymnum et epistolam inintelligis interroga matrem tuam : quæ optat : ut te moribus suis genuerit deo . Deus qui te genuit : hic te in æternum custodiat : opto filia amantissima . His igitur hortamentis pius pater benigne animum filiæ a carnalis coniugii copula et terreno amore prouide abstraxit et ad cælestis patrie et æterni sponsi amorem robustius accendit : sublimiusque extulit : sed qualiter ad illum sponsum ipsa peruenerit : loco in sequenti seruatur . Interea cum toto orbe arrhyanæ hæreseos peruersitas pullularet : dato generaliter imperatoris edictorum ut omnes orientales episcopi apud Seleuchiam Isauriæ oppidum conuenirent disceptaturi : quid sentirent de fidei ueritate . Tunc inter reliquos quarto iam exilii anno de phrygia sanctus Hilarius in prædicto loco data electione ad synodum uenire compellitur : qui quodam in castello dum esset die dominico ingressus est templum : mox Florentia puella gentillis irrumpens multitudinem populi uoce magna seruum dei aduenisse testata est : Et ad pedes eius accurrens non cessauit petere : nisi signum crucis ab ipso fideliter postulasset : quam Florentius pater secutus et cuncta familia in nomine domini meruerunt baptizari : Quem florentia relictis parentibus uestigiis eius inhærens usque pictauis perducta est . patrem se habere non a quo generata est : sed per quem regenerata est prædicabat . Cum uero seleuchiam peruenisset : magno fauore a cunctis exceptus est eo : quod diuina misericordia talem uirum prudentissimum et singulari eruditione compertum in spectaculum mundi produceret : ubi erat de fide censendum . Hinc post examinationem | agnitis hostibus et oppressis : decretisque in scripto conditis prospera gerens synodi dirigitur ad Imperatorem legatio : cum qua perrexit sanctus Hilarius : quamuis ei non fuisset iniunctum : metuens ne adhuc contra religionis dogmata respiraret damnata perfida . Sed disserere longum est : qualiter ariminensi synodo composita mentione aliud ex alio referens fraus hæretica serpentino lapsu surripuit : et postea legatis seleucensibus per Imperatoris iniquitatem ipsa est illata calumnia : Quod tamen athleta Christi beatus Hilarius agnoscens : grauiter scilicet trinum diaboli præualuisse mendacium : in tantum ut orientales partes similiter imposito fucco inficeret : imperatori tribus libris oblatis preces effudit : ut eius in conspectu collectis aduersariis esset ei contra hæreticos disceptandi de religione uenia : ne ueritatem falsitas obumbraret : ne æquitati iniquitas præualeret : ne imperator deo resisteret : ne fidei perfidia rebellaret : Vnde Valens et Vrsacius conscientiæ reatu perterriti : quoniam si daretur facultas certandi : mox se recognoscebant Hilarii contentione prosterni : solicitant imperatoris animum iam magna parte captiuum : ut ipsum beatissimum redire ad Gallias perurgeret : scientes illo præsente hæretica non posse machinamenta proficere : quo obtento ad Gallias compulsus reuertitur putans se amplius pati exilium : quod illic perturbatione ecclesiæ relinquebat : termino non secuto . Sed oh beatum pontificem : qui in summo discrimine inimico iudice adiit tribunal imperii sine timore tormenti . uere totis uisceribus diligebat Christi regnum : et non formidabat in principatu Constantium . Nam qui se pro domino sic ingerebat martyrium pro domino libenter pertulisset : si non defuisset percussor . Et tamen animus sumpsit gloriam : si tempus non intulit pœnam . Sed nunc ipsum diuino nutu reseruatum testificor : pro correctione cunctorum nam pene totum mundum graui errore confusum factis sæpius intra Gallias synodis per Hilarium ad uiam ueritatis adductum fuisse confitetur lingua multorum . Quid autem inter est : uel pro uita æterna factum || fuisse martyrem : uel amplius uixisse reliquis ne perirent ? Igitur sanctissimam animam etsi gladius persecutoris non abstulit : palmam tamen martyrii non amissit . Itaque dum regrederetur ad propria : beatus Martinus æque meritorum lumine non absconsus : qui ab Hilario exorcista est postea institutus : cognito aduentu eius : Romam festinanter ei ocurrit : quem cum præterisse cognosceret : eæ† usque Gallias consecutus est . Neque enim Martinus qui adhuc catecuminus Christum clamyde sua tectum uidere meruit : illi deuotus occnrreret† : nisi per omnia eum mysteriis plenum : et in eum spiritum sanctum præuidisset : Nec mirum : si ille qui dominum prius uidit in paupere : postea illum habitare cognouit in doctore . Illud etiam nobis non conuenit tam nobile præterire miraculum : quod per eum tunc dominus

operatus est . Nam cum circa Callinariam insulam propinquaret : relatione uicinorum agnouit ibidem ingentia serpentium uolumina sine numero peruagari : et ob hoc quamuis illis uideretur uicina : propter inaccessibilem locum longius illis uidebatur esse quam Aphrica : quo audito uir dei sentiens sibi de bestiali pugna uenire uictoriam : in nomine domini præcedente crucis auxilio descendit in insulam . Eo uiso serpentes in fugam uersi sunt non tolerantes eius aspectum . Tunc baculum figens in terra quasi terminum : quousque deberent excurrere uirtutis potentia designauit . Nec amplius libertas est illis occupare quod uetuit : quam pars insulæ non sit terra sed pelagus : quia dum super illam partem uetaret attingere : facillius erat illis mare transire : quam transgredi eius signaculum . O immutabilem terminum de sermone plantatum . Apparet quantum melior Adam secundus antiquo . Ille serpenti paruit : iste seruos habet : qui possunt serpentibus imperare . Ille per bestiam de sede paradisi eiectus est . iste de suis cubilibus serpentes excussit . Deposuit anguis antiquus hominem mendacio : quia non didicit implere mandatum . O hylari medicamentum et medice ante quem sine mora uenena fugata sunt . Addis terram hominibus : quia in locum belluæ incola transmigrauit . Sed reuertamur ad ordinem . Cum | de exilio regressus introiuit pictauis : summo fauore plaudebant omnes pariter eo : quod ecclesia recepisset pontificem grex pastorem . Et sic gaudebant omnes : cum ipse redisset ad patriam . Ita sine illo se exules fuisse deflæbant . Itaque beatus Martinus in uico locotheaco cum præcepisset consistere : uirtute diuina meruit ibi mortuum suscitare . Post aliquot autem dies infans sine baptismi regeneratione defunctus est : et duplici morte damnatus præsentem lucem amiserat : et pœna futuri sæculi non carebat . Tunc mater extincti filii quæ mater iam non erat dum filium non habebat : prouoluta ad pedes sancti Hilarii procedentibus lachrymis nati sui corpus effudit exclamans : Martinus aduc incipiens catecuminus mortuum suscitauit : tu pontifex redde filium meum : aut mihi aut baptismo : Et qui populi pater agnosceris : ut ego mater uocer obtineas . Sic illa plus lachrymis petente quam uerbis : commotus uir dei expectante populo ad consueta arma recurrens in terra prosternitur . Mox paulatim defuncti pallor in ruborem conuertitur : frigida membra reuocato spiritu intepescunt . oculis apertis palpebræ peregrinum lumen agnoscunt . Vox educto aere de pectoris domicilio conflata profertur . gressus suis uestigiis rediuiuus extenditur . in anteriore fundamento tota fabrica† renouatur . Quid plura ? tandiu iacuit sacerdos in puluere : donec pariter surgerent senex de oratione . infans de morte . Ecce uita laudabilis : quæ de alterius corpore necem precibus effugauit . spoliauit tartarum spem habens in Christo . Mors ibi iura non tenuit : ubi Hilarius uim orationis ingessit . Sed tanta res non potest nostris uerbis plus ornari quam meritis . Nunc uero memorandum est : quod supra præmissimus . qualiter miracula reliqua huic accumulauit . Denique cum beatissimam Apram filiam suam ad quam de exilio præscriptam destinauit epistolam incolumem inuenisset : alloquitur qua poterat patris dulcendine† et facundia oratoris . Quid dicam ? Alloquitur illam Hilarius : cuius eloquentiæ post ipsum comparare aliquem uix audemus : nisi qui sancto spiritu repletus fuerit temptans eius animum : si uel || let sponsum attingere : quem patris gratia prouiderat : Tunc illa libenter se eum desyderare professa est : ita ut ei celeriter iungeretur : eius uoluntatem pius pater agnoscens intentus orationibus non cessauit : donec sine dolore sine contagione se præsente filia de hoc mundo migraret ad Christum : quam propriis manibus ut decuit uenerandæ tradidit sepulture . O funeris gloria quæ melior habetur quam uita : quia quod terræ surripuit : in cælum transmisit . Vere ut ego considero : plus fuit ita mori quam resuscitari . Certa enim salus est non contaminari peccato . Quanti cuperent rebus cum uita traditis talem transitum comparare : si mercatorem forsitan inuenirent . Quid distat inter uiuificati infantis et filiæ mortificate misterium ? Illum resuscitauit ad baptismum : hanc prædestinauit ad regnum : Nisi quod in illo adhuc spes peccandi perstabat : Hæc immaculata uitam finierat præsentem . Quod cum audisset mater beatæ Apræ : pontificem postulare cœpit ut ipsa sic erepta de mundi crimine cum filia præsentaretur ad regnum : Cuius uota considerans assidua oratione et ipsam ante se transmisit ad gloriam . Quis estimaturus est : talem uirum ita dilexisse dominum coniugis ac filiæ affectu contempto ? Tamen in hoc illas magis amasse cognoscitur : cum per ipsum ad lumen perpetuum transferrentur . Quis uero abundantiam rigantis ingenii eius contendat euoluere : aut uerba uerbis ualeat exe-

quare? qualiter ille indiuiduæ trinitatis librum stilo promente contexuit : aut scripta dauitici carminis coturnato per singula reseruauit? quam fuit in dissertione prouidus : in tractatu profundus : per litteraturam elloquens : per uirtutum signa mirabilis : in complexionibns† multiplex : in resolutione subtilis : astutus iuxta euangelicam uocem ut serpens : columbæ simplicitatis gratiam non amittens : conditus sale ingenii : fons loquendi : scripturarum scientia : lux doctrinæ : defensor ecclesiæ : hostium propugnator? Cuius dicta qui legerit : non credit dicere : sed tonare . hoc fuit ultra hominem sapere . tam caute de religione censere . Sed qui uult | ipsum agnoscere : eius exilia memoret : merita respiciat : uolumina relegat : dicta perpendat : signa quottidiana percenseat . Qui dum superstes fuit in sæculo : aut scripsit ecclesiasticæ fidei documenta : aut pugnando calcauit hæretica crimina : aut petenti tribuit miraculorum sufragia : quæ uolente domino usque in hodiernum diem eius perseuerant orationibus . Sed mea lingua non sufficit singula et sancto spiritu qui per eum operatus est et locutus : sicut illi dignum est cuncta proferre . Det pius ueniam : quia multa præteriui : qui uix pauca descripsi : Ita beatissimus Hilarius de præsentis sæculi uita migrauit cum gloria ad Christum : terra plorante : cælo gaudente . Gaudeat plane et sublimiter terra exultet : quia quamuis plura uiuens in corpore miracula fecerit : et ego uix pauca me superius compræhendisse dixerim : innumera scilicet operatus est : postquam æternam in requiem plaudentibus angelis ad Christum uictor de mundi certamine transmigrauit . Et si non potui annorum uetustate surripiente constringere cuncta quæ gessit : tamen uel quæ præsenti tempore miracula misericors præbuit : cupio indigenti memoriæ non fraudare . Vt quisquis fidei sicut condecet auditu perceperit : et præterita recognoscere gaudeat : et similia fieri posse confessoris uirtute confidat . Igitur Prouianus cum dubio iam uitæ penderet in fine et spem conualescendæ infantiæ mors inuida parentibus surripere festinaret : nec paruuli funus acerbum considerans nec desyderia ingemiscentis senectutis spectans auida quidquid inuenit extra sortem concludens : sola intercessione beati Hilarii restitit moribundo salutis occasio : Quem Franco suus genitor et periculosa mater : quæ magis conuerso nomine filii periclitabatur in nece : iam quasi defuncti præmeditantes exequias : eum ingenti flætu in tabernaculum dei detulerunt . Tunc sanctus Hilarius ab auctore suo secrete artis exhibens medicinam : consuetus de dispendio funeris reddere compendia sanitatis : subito membrorum fluuentem† fabricam uerbo dei operante sursum erexit et in statum pristinum statim ac si nihil esset solubile re || formauit . Mox parentum lachrymas læticia . ubi iam per dolorem non erat sed per gaudia quod plorarent : quas pœnas quæ tormenta mors ipsa tunc pertulit : quando illud quod credebat inuadere sic amisit profecto quando alteram uictrix ferire non potuit : sed mortem uita percussit . Quod tamen Prouianus cum uotis apicem meruit obtinere pontificis : et usque in hodiernum diem ad luminare sui medici singulis annis uitæ debito tributa persoluit . Illud quoque nobis tam singulare miraculum pro gloria collatoris ad memoriam reuocandum est . Nam cum a caturcis duo lepræ maculis immutati spem suæ salutis in sancti intercessione fundantes de puluere qui ab eius sepulchro abstrahebatur sua aspergerent capita : et membra reliqua perungentes : tandem sibi talem curam fideliter impenderet† : donec infirmitates illius hulceris ac uarietas de corpore quod captiuauerant captinæ† migrarent : et deceptæ suis solatiis colorem quem inuaserant inuiolatum relinquerent . et quam secum attullerant turpitudinis speciem non tenerent . Post innumerabilia uulnera membris instaurata est cutis una : uultus ille diuturna deletus sorde : sua cœpit repingi imagine : nec agnosci . Per fidelissimum Lauacrum pietauis† illis purificus iordanis inuentus est : et non ipsi ad fluuium sed fluuius ipse illis occurrit : quem tamen prædicabilis pacauit miseracio confessoris : qui et laborem Longinqui itineris abstulit : et salutis uota porrexit . Oh quam in extimabilium claruerunt documenta uirtutum : ubi sepulchrum mundicie mundauit maculas lepræ . Cuius hoc facere cura potuisset artificis : qui de tali puluere ferret beneficia medicine? Ex quibus Castorius diaconus et Eripus subdiaconus instituti ad eius obsequium usque in fine suum ei per quam sancti† sunt adhæsernnt† . Merito illius ellegerunt sustinere iuga dominii per quem a pœna liberi sunt effecti . Quedam puella in hanc uitam ueniens dextram mortuam traxerat natura formante : et debilem manum species globi eollegerat† : neruorum fila contra fluxum suo stamine digitorum tela arcebat . Tunc occurens ad beatissimi | sepulchrum inter-

cessione eius uiuacibus est officiis ordinata . Nec illud quidem præterire conuenit : ut cœpi : quid Felici cuidam post uota successit : Nam cum beati Martini limina pro recipiendo lumine properaret : in sancti Hilarii præteriens templum ingressus est : Quo dum uigilias officio solito celebrarent : mane facto apertis oculis ipse diem cœpit aliis nunciare : qui semper egebat audire : apud quem una semper nox erat : tenebras nox illa purgauit : et qui nunquam uiderat ornamenta diei : cœpit illi nouus sol nasci . Mulier in uico Tonaciaco dum aquam ad opus suum portaret die dominico : non est meum nosse : quo præuenta peccato manus attracta est . pœnarum facta est discussio . Tunc reuelatione commonita est : ut ad sancti limina si uellet salua fieri properaret : quo illa fidens nuncio tanquam cum ipso sanitatis præuiatore læta percurrit : Et dum in basilica psalleretur : similiter in absolutione die dominico : quo præcesserat pœna : secuta sunt gaudia . Veniamus ad alios uenerandi fructus miraculi . Quædam paralytica annis adulta puella non merito sine uitæ iuuebat† officiis . Cui in funus extinti corporis tantum superstes anima palpitabat : et in toto cadauere lumina quasi sola uigilabant : uelut in se membra mortua uigilantes occuli custodiebant . Non lingua torpens inter palati cameram uolubilis excurrebat : nec imo ducta de pectore uox collata poterat per uerba disponere . Non manus cum soluta languesceret : naturæ debita seruitia persoluebat : neque pes instabilis membra ruitura sustentabat . Adhuc totius corporis infabricata massa torpebat : que in festiuitate eius inter basilicam posita cum ingenti fauore expectantibus omnibus est erecta In unius corpore miracula plura compleuit . Attenuata genua ad uestigia roborauit . Linguam arentem flexibilitate et facilitate uocis aptauit . Ad usum lanificii debiles quondam palmas armauit . Aliquando uetus infans in uerba prorupit : et quod est conspicuum : uoce prima lactis alimenta quæsiuit : Nec illud tam fidele miraculum obliuione noxia substrahatur . Itaque cum duo || negociatores ad beati basilicam occurrissent : habentes formam ceræ quasi socialiter in commune . quidam ex his loquitur ad alterum : ut eam et si tam paruam rem tamen tanto confessori uel libenter offerent : sed incassum sua uerba in animo uolentis† expendit . Ipse tamen cum collega suo in oratione prosternitur . ceram illam occulte tremens sepulchri cancellis exponit . Mox ad omnem equalitatem ceræ ipsius species se diuisit : et parte illius fidelis allatoris accepta : pars alia uidentibus plurimis uoluendo usque ad alios cancellos nutu diuino cum omni contumelia est repulsa . Quasi nolens sanctus inuadere : quod alter illi deuotus non obtulit : quoniam semper abhorruit : quod ex fide non uenit tam certus in iudicio quam misericors est uoto . Vellem adhuc insatiatus sacratissimi uiri miracula quasi peculiariter decantare sed uereor : ne unde meam cupio deuotionem ostendere : intenti auditoris animum fastidio nascente uidear obturare : Da mihi precor ueniam : ne textus huius paruitatem repellens : improbes de casu culpæ de quo exiguum dicerem si libros implerem : ne dum hominis cupio uitare fastidia : uidear incurrere confessoris offensam : Sed præsumo plurima de te minus dicere : ut de te legere populum breuitas plus inuitet .

PROLOGVS SANCTI HIERONYMI PRAESBYTERI IN VITAM BEATI HILARIONIS MONACHI ET HEREMITAE .

Scripturus uitam Hilarionis beati habitatorem eius inuoco spiritumsanctum : ut qui illi uirtutes largitus est : mihi ad narrandas eas sermonem tribuat : et ut facta dictis exequantur . Eorum enim qui fecerunt uirtutes : ut ait : Crispus : tanta habetur laus : quantum eas uerbis potuere extolere præclara ingenia . Alexander magnus macedo quem uel arietem uel pardum uel hircum caprarum Daniel uocat : cum ad Achillis tumulum peruenisset : felicem te ait iuuenis : qui magnum funeris præconem me | ritus : homerum uidelicet significans : Porro mihi tanti ac talis uiri conuersatio uitaque dicenda est : ut homerus quoque si adesset uel inuideret materiæ : uel succumberet . quanquam enim sanctus Epiphanius Salamine Cypriani epistolas : qui cum Hilarione plurimum conuersatus est laudem eius breui epistola scripserit : quæ uulgo legitur : tamen aliud est locis communibus laudare defunctum : aliud defuncti

proprias narrare uirtutes . Vnde et nos fauore magis illius quam iniuria cœptum ab eo opus aggredientes maledicorum uoces contemnimus : qui olim Paulo in eo detrahentes nunc forsitan detrahent : et Hilarioni : illi solitudinis calumniam : huic obtientes† frequentiam : ut qui semper latuit non fuisse : et qui a multis uisus est uilis estimetur . Fecerunt hoc maiores eorum quondam pharisæi : quibus nec Iohannis heremus atque ieiunium : nec domini saluatoris turbæ et cibus potusque placuerunt . Verum destinato operi manum imponam : et scyllæos canes obturata aure transibo .

Hllarion† ortus in Cotabathan uico : qui circiter quinque milliaria a Gaza urbe palestinæ ad austrum situs est : Cum parentes haberet idolis deditos : Rosa : ut dicitur de spinis floruit : a quibus missus Alexandriam grammatico traditus est . Ibi quantum illa patiebatur ætas magna ingenii et morum documenta præbuit . in breui carus omnibus et loquendi arte non ignarus : quodque his maius omnibus est : credens in dominum Iesum christum non circi furoribus non hare sanguine non theatri luxuria delctabatur† : sed tota illi uoluntas in ecclesiæ congregatione erat . Audiens autem celebre tunc nomen Antonii : qui per omnes ægypti populos ferebatur : incensus uisendi eum studio perrexit ad heremum : Et statim : ut eum uidit : mutato pristino habitu : duobus fere mensibus iuxta eum mansit contemplans ordinem uitæ eius morumque grauitatem : quam creber in orationibus quam humilis in suscipiendis fratribus seuerus in coripiendis alacer in exhortationibus semper esset : et ut continentiam cibique eius asperitatem nulla nunquam infirmitas frangeret . Porro frequentiam || eorum ad eum qui ob uarias passiones et impetus dæmonum concurrebant ultra non ferens nec congruum esse dicens : pati in heremo populum cunctum : sicque magis sibi incipiendum esse : ut cœpisset Antonius illum quasi uirum fortem uictoriæ præmia accipere : se autem nec dum militare cœpisse : reuersus est cum quibusdam monachis ad patriam : et parentibus iam defunctis partem substantiæ fratribus partem pauperibus erogauit . nihil sibi omnino reseruans : et timens illud de actibus apostolorum Ananiæ et Saphyræ . uel exemplum uel supplicium : maximeque dominicæ sententiæ memor dicentis : qui non renunciauerit omnibus : quæ possidet non potest meus esse discipulus . Erat autem tunc annorum quindecim : Sic ergo nudus et armatus in Christo solitudinem : quæ in septimo milliario A mauima gacæ Emporio per littus euntibus ægyptum ad læuam flectitur ingressus est : Cumque essent nimis cruenta latrociniis loca : et propinqui amicique eius imminens periculum denunciarent : contempsit mortem : ut mortem euaderet . Mirabantur omnes animum : mirabantur ætatem : nisi quod flamma quædam pectoris et scintillæ fidei in oculis relucebant : lenes erant genæ delicatum corpus : et tenue : et ad omnem iniuriam impatiens : quod leui uel frigore uel æstu posset affligi : Igitur sacco tantum membra cohopertus : et pellicium habens idest appendicem : quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat : sagumque rusticum . Inter mare et paludem uasta et terribili solitudine fruebatur : quindecim tantum caricas post solis occasum comedens : et quia regio latrociniis infamis erat : nunquam in eodem loco mansitans . Quid faceret diabolus ? Quo se uerteret : Qui gloriabatur autem dicens : in cælum ascendam super sydera cæli ponam thronum meum : et ero similis altissimo . cernebat se uinci a puero : et prius ab eo fuisse calcatum : quam per ætatem peccare potuisset : Titillabat itaque sensus eius : et pubescenti corpori solita uoluptatum incendia suggerebat : Cogebat tiruncilus† Christi agitare quod nesciebat : et eius rei animo pompam uoluere : cuius | experimenta non nouerat . Iratus itaque sibi et pectus pugnis uerberans : quasi cogitationes cæde manuum posset excludere : Ego te inquit aselle faciam ut non calcitres : nec te ordeo alam : sed paleis fameque conficiam : et siti graui onerabo pondere . per æstus indagabo et frigora : ut cibum potius quam lasciuiam cogites : hærbarum ergo succo paucisque caricis post triduum uel quatriduum deficientem animam sustinebat : orans frequenter : et psallens : et rastro humum fodiens : ut ieiuniorum laborem labor operis duplicaret : simulque fiscellas iunco texens æmulabatur monachorum ægyptiorum disciplinam et apostoli sententiam dicentis : Qui autem non operatur : non manducet . Sic attenuatus ieiuniis et in tantum ex hausto corpore : ut ossibus uix hæreret : quadam nocte infantum cœpit audire uagitus : ballatus peccorum : mugitus bouum : planctus quasi muliercularum : Leonum rugitus : murmur exercitus : et prorsus uariarum portenta uocum : ut ante sonitu quam aspectu territus cederet . Intellexit hæc autem dæmonum ludibria : et

prouolutus genibus crucem Christi signauit in fronte : Talique armatus casside et lorica fidei circundatus : iacens fortius præliabatur quodammodo uidere desyderans : quos horrebat uidere : et solicitis oculis huc illucque circonspiciens . Cum interim ex improuiso splendente luna cernit redam feruentibus equis super se irruere : cumque inclamasset Iesum : ante oculos eius repentino terre hyatu pompa omnis absorta est . Tunc ille equum ait et ascenssorem proiecit in mare : et hii in curribus : et hii in equis : nos autem in nomine domini nostri magnificabimur . Multæ sunt tales temptationes eius : et die noctuque uarie dæmonum insidiæ : quas si omnes narrare uelim : modum excedam uoluminis . quotiens illi nudæ mulieres cubanti quotiens esurienti largissime apparuere dapes ? Interdum orantem lupus hululans et uulpecula ganniens transiliuit : psallentique gladiatorum pugna spectaculum præbuit : et unus quasi interfectus : et ante pedes eius corruens sepulturam rogabat . Orabat semel in terra fixo capite : et ut natura fe† || fert hominum abducta ab oratione mens nescio quid aliud cogitabat : cum statim exiliuit dorso eius festinus agitator : et latera calcibus : ceruicem uero flagello uerberans : heia inquit heia curre . Dormitas : Cachinansque de super si defecisset : an ordeum uellet accipere siscitabatur . Igitur a sextodecimo usque ad uicessimum suæ ætatis annum æstus et pluuias breui tuguriunculo declinauit : quod iunco et carice texerat extructa . deinceps breui celula : quæ usque hodie permanet latitudine pedum quattuor altitudine pedum quinque : hoc est statura sua humiliore . Porro longitudine Paulo ampliore quam eius corpusculum patiebatur : et sepulchrum potius quam celulam crederes . Capillum semel in anno paschæ die totundit . Super nudam humum stratumque iunceum usque ad mortem cubauit : saccum quo semel fuerat indutus nunquam lauans : et superfluum esse dicens : in cylicio munditias quærere : Nec mutauit alteram tunicam : nisi cum prior fuisset penitus scisa . Scripturas quoque sanctas memoriter tenens : post orationem et psalmos quasi deo præsente recitabat : Et quia longum esset per diuersa tempora carptim uirtutes ascensus eius edicere : compræhendam breuiter : et ante lectoris oculos uitam eius pariter exponens : et deinceps ad narrandi ordinem regrediar : A uicessimoprimo anno usque ad uicessimumsextum tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit : et aliis tribus annis panem aridum cum sale et aqua . Porro a uicessimoseptimo usque ad tricessimum herbis agrestribus† et uirgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est . A tricessimo autem primo anno usque ad tricessimum quintum sex uncias ordeacei panis et coctum modice olus absque oleo in cibo habuit . Sentiens autem caligare oculos suos et totum corpus impetigine et punicea quadam scabredine contrahi : ad superiorem uictum adiecit oleum : et usque ad sexagessimum tertium uitæ suæ annum hoc continentie cucurrit gradu : nihil extrinsecus aut pomorum aut leguminis aut cuiuslibet rei gustans . Deinde cum se uideret corpore defatigatum : et propinquam mortem | putaret inminere : a sexagessimoquarto rursus anno usque ad octogessimum pane abstinuit incredibili feruore mentis accensus : ita ut eo tempore quasi nouus accederet ad seruitutem domini : quo cæteri solent remissius uiuere : Fiebat ei autem de farina et comminuto olere sorbtiuncula : cibo et potu uix quinque uncias appendentibus . Sicque complens ordinem uitæ : nunquam ante solis occasum nec in diebus festis nec in grauissima ualitudine soluit ieiunium : Sed iam tempus est : ut ad ordinem reuertamur . Cum habitaret adhuc in tuguriunculo habens annos decem et octo : Latrones ad eum nocte uenerunt : existimantes habere aliquid : quod tollerent uel in contemptu sui reputantes fieri : si puer solitarius eorum impetus non pertimesceret . Itaque inter mare et paludem a uespere usque ad solis ortum discurrentes nunquam locum cubiculi eius inuenire potuerunt . Porro clara luce reperto : quasi per iocum quid inquiunt faceres : si latrones ad te uenirent ? quibus respondit : Nudus latrones non timet : Et illi certe aiunt occidi potes . Possum inquit possum : et ideo latrones non timeo : quia mori paratus sum . tunc admirati constantiam eius et fidem : confessi sunt noctis errorem cæcatosque oculos suos : correctionem deinceps uitæ pollicentes . Viginti et duos iam in solitudine habebat annos . famma tantum notus omnibus : et per totas palestinæ uulgatus urbes . Cum interim mulier quædam eleutropolitana† cernens despectui se haberi a uiro suo ob sterilitatem : iam enim per annos quindecim nullos coniugii fructus dederat : prima irrumpere ausa est ad beatum Hylarionem : et nihil tale suspicanti repente genibus eius obuoluta ignosce inquit

audaciæ iguosce† necessitati meæ . Quid auertis oculos ? Quid rogantem fugis ? Noli me mulierem aspicere sed miseram . hic sexus genuit saluatorem . Non habent sani opus medico sed qui male habent . Tandem substitit : et post tantum temporis uisa muliere interrogauit causam aduentus eius ac flætuum . Et postquam didicit : leuatis in cælum oculis fidere iussit : euntemque lachrymis prosecutus : exacto || anno uidit eam cum filio . hoc signorum est principium : aliud maius signum nobilitauit . Arestene thelpidi : qui postea præfectus prætorii fuit : uxor ualde nobilis inter suos et inter christianos nobilior reuertens cum marito et tribus liberis a beato Antonio Gazæ propter infirmitatem eorum remorata est . Ibi enim siue ob coruptum aerem siue : ut postea claruit : propter gloriam Hilarionis serui dei : henutriteo† pariter arrepti omnes a medicis desperati sunt . Iacebat hululans mater : et quasi inter tria cadauera filiorum discurrens : quem primum plangeret : nesciebat . Agnito autem quod esset quidam monachus in uicina solitudine : oblita matronalis pompæ tantum se matrem nouerat . uadit comitata ancillulis et eunuchis : uixque a uiro eius suasum est : ut Asello sedens pergeret : ad quem cum uenisset ait : Ego te per Iesum clæmentissimum dominum nostrum obtestor et per crucem eius et sanguinem : ut reddas mihi tres filios . Glorificicetur† in urbe gentilium nomen domini saluatoris . ingrediatur seruus eius Gazam : et martias corruat . Renuente illo et dicente nunquam se egressurum de cellula : nec habere consuetudinem : ut non tantummodo ciuitatem sed nec uillam quidem ingrederetur : prostrauit se humi crebro clamitans : Hylarion serue Christi redde mihi liberos meos : quos Antonius retinuit in ægypto : a te seruentur in Syria . Flæbant cuncti : qui aderant : sed et ipse negans flæbat . Quid multa ? Non prius mulier recessit : quam ille pollicitus est : se post solis occasum Gazam introiturum : quo postquam uenit : singulorum lectulos et arentia membra consyderans inuocauit Ihesum : Et o mira uirtus : quasi de tribus fontibus sudor pariter erupit . eadem hora acceperunt cibos : lugentemque matrem cognoscentes : benedicentesque dominum : sancti manus deosculati sunt : quod postquam auditum est : et longe lateque percrebuit : certatim ad eum de Syria et de ægypto plurimi confluebant : ita ut multi christiani fierent : et se monachos profiterentur : Necdum enim monasteria erant in palestina : nec quisquam monachos ante sanctum Hylarionem in Syria nouerat . Ille fun | dator et eruditor huius conuersationis et studii in hac prouincia primo fuit . Habebat dominus Iesus in ægypto senem Antonium in palestina Hilarionem iuniorem . Accidia uiculus est Rhinocoruræ urbis ægipti . De hoc ergo uico decem iam annis mulier cæca adducta est ad beatum Hilarionem : oblataque a fratribus : iam enim multi cum eo monachi erant : omnem substantiam se expendisse ait in medicos : Cui respondit sanctus : Si quæ in medicos perdidisti : dedisses pauperibus : curasset te uerus medicus Iesus . Clamante autem illa : et misericordiam præcante expuit in oculos eius : et statim saluatoris exemplo uirtus eadem secuta est . Auriga quoque Gazensis in curru percussus a dæmone totus obriguit : ita ut nec manum agitare : nec ceruicem flectere posset . Delatus ergo in lectulo : cum solam linguam moueret ad preces : audit : non prius se posse sanari : quam crederet in Iesum : et sponderet arti pristinæ renunciaturum . Credidit . spopondidit† . et sanatus est . magisque de animæ quam de corporis salute exultauit . Preterea fortissimus iuuenis nomine Mesecas de territorio hierosolimitano tantum sibi plaudebat in uiribus : ut quindecim frumenti modios diu longeque portaret : et habebat hanc palmam fortitudinis suæ : si asinos uinceret . hic afflatus pessimo dæmonc† : non cathenas non compedes non claustra hostiorum integra patiebatur . Multorum etiam nasos et aures mosru† amputauerat : horum pedes : illorum gulam fregerat : tantumque sui terrorem omnibus incusserat : ut oneratus cathenis et funibus in diuersa nitentium : quasi ferocissimus taurus ad monasterium pertraheretnr† : quem postquam fratres uidere : perterriti : erat enim mire magnitudinis : nunciauerunt patri . Ille sicut sedebat : iussit eum ad se pertrahi : et dimitti : solutoque inclina ait caput : et ueni . Tremere ille et ceruicem flectere : nec aspicere contra ausus : omnique ferocitate deposita : pedes sedentis lambere cœpit . Admiratus itaque et extortus dæmon qui iuuenem possederat : septima die egressus est . Sed nec illud tacebo : quod Orion uir primarius et ditissimus urbis Hailæ quæ mari || rubro imminet a legione possessus dæmonum ad eum adductus est . Manus : pedes : ceruix : latera : ferro onerata erant : furorisque sæuitiam torui oculi minabantur : Cumque deambularet sanctus

cum fratribus : et de scripturis nescio quid interpretaretur : eripuit ille de manibus se tenentium : et amplexans eum post tergum in sublime eleuauit . Clamor ingens ortus est ab omnibus . Timebant enim : ne confecta ieiuniis membra collideret : et sanctus arridens : sinite inquit : et mihi mecum palestritem dimittite : ac sic reflexa super humeros manu caput eius tetigit : appræhensoque crine ante pedes eius adduxit : stringensque e regione ambas manus eius et plantas utroque calcans pede : simulque ingeminans ait : Torquere dæmonum turba torquere : Cumque eiularet ille : et reflexa ceruice terram uertice tangeret : Domine inquit Iesu solue miserum solue captiuum : et unum et plures uincere tuum est . rem loquor inauditam . ex uno hominis ore diuersæ uoces et quasi confessus populi clamor audiebatur : Curatusque et hic post non multum temporis cum uxore et liberis uenit ad monasterium plurima quasi gratiam redditurus dona afferens : Cui sanctus ait : Non legisti quid Giezi : quid Symon passi sunt : quorum alter accepit pretium : alter obtulit . ut ille uenderet gratiam spiritus sancti . hic mercaretur . Cumque Orion flæns diceret : accipe . Da pauperibus : Respondit . tu melius potes . tu distribue : qui per urbes ambulas : et nosti pauperes . ego qui mea reliqui : Cui appetam aliena ? Multis nomen pauperum occasio auariciæ est . misericordia artem non habet . Nemo melius erogat quam qui sibi nihil reseruat . Tristi autem illi et in arenis iacenti noli inquit contristari fili : quod facio pro te : et pro me facio . Si enim hæc accepero : et ego offendam dominum : et ad te legio reuertetur . Quis uero possit silentio præterire : quod Gazianus Mammitis : haud longe a monasterio eius lapides ad ædificandum de ora maris cedens totus paralysi dissolutus est : et ab operum sociis delatus ad sanctum statim sanatus ad opus reuersus est : Et enim littus Palestinæ | Aegyptoque prætenditur per naturalem molem harenis in saxa durescentibus asperatur : paulatimque cohærescens sibi glareæ perdit tactum cum non perdat aspectum . Sed et Italicus eiusdem opidi municeps Christianus aduersus Gazensem Duumuirum Martiæ idolo deditum cyrcenses equos nutriebat . hoc si quidem in romanis urbibus iam exinde seruatur a Romulo : ubi propter felicem sabinarum raptum nescioquo consilio deorum quadragessimo septeno currant circuitu : et equos partis aduersæ fregisse uictoria sit . hic itaque æmulo suo habente maleficum : qui dæmoniacis quibusdam increpationibus et huius præpediret equos : et illius concitaret ad cursum . uenit ad beatum Hylarionem : et non tam aduersarium lædi : quam se defendi obsecrauit . Ineptum uisum est uenerando seni ut in huiuscemodi nugis orationem perdere : Cumque surrideret : et diceret : Cur enim non magis equorum prætium pro salute animæ tuæ pauperibus erogas ? ille respondit : functionem esse publicam . et hoc se non tam uelle quam cogi : nec posse hominem christianum uti magicis artibus : sed a seruo potius Christi auxilium petere maxime contra Gazenses aduersarios dei : et non tam sibi quam ecclesiæ Christi insultantes . Rogatus ergo a fratribus : qui aderant scyphum fictilem quo bibere consueuerat aqua iussit impleri : eique tradi : quem cum accepisset Italicus et stabulum et equos et aurigias suos currumque et repagula aspersit . Mira uulgi expectatio . Nam et aduersarius hoc ipsum irridens diffamauerat : et fautores Italici sibi certam uictoriam pollicentes exultabant . Igitur dato signo hii aduolant : illi præpediuntur . Sub horum cursu feruent rotæ : illi præteruolantium uix terga cernunt : Clamor uulgi nimis attolitur : ut ita et inimici quoque ipsi concreparent Martias uictus a Christo est . Porro furentes aduersarii Hylarionem maleficum christianorum ad supplicium poscunt . Indubitata ergo uictoria et illis et multis retro de cyrcensibus plurimis fidei occasio fuit . Item de eodem Gazensis Emporii oppido uirginis || dei amore uicinus iuuenis deperibat : qui cum frequenter tactu : iocis : nutibus : sibilis : cæterisque huiuscemodi : quæ solent morituræ uirginitatis esse principia : nihil profecisset : perrexit memfim : ut confesso uulnere suo : magicis artibus oneratus rediret armatus ad uirginem . Igitur post annum doctus ab Aesculapii uatibus non remediantibus animas sed perdentibus : uenit præsumpto animo stuprum gestiens : et subter limen domus puellæ quædam tormenta uerborum et portentuosas figuras sculptas in æris cyprii lamina defodit . Illico insanire uirgo et amictu capitis abiecto rotare crinem : stridere dentibus : inclamare nomen adolescentis cœpit . Magnitudo quippe amoris se in furorem uerterat . Perducta ergo a parentibus ad monasterium seni traditur hululante statim dæmone et confitente : uim sustinui : inuitus adductus sum : quam bene in emphis† somniis homines deludebam .

O cruces . O tormenta quæ patior . Exire me cogis : et ligatus subter limen teneor . Non exeo : nisi adolescens qui me tenet dimiserit . Tunc senex grandis inquit fortitudo tua : qui lycio et lamina strictus teneris . Dic : quare ausus es ingredi puellam dei ? Vt seruarem inquit eam uirginem . Tu : inquit : seruares proditor castitatis ? Cur non potius in eum qui te mittebat ingressus es ? Vt quid : respondit : intrarem in eum : qui habebat collegam meum amoris dæmonem : Noluit autem sanctus ante quam purgaret uirginem uel adolescentem uel signa iubere perquiri : ne aut solutis incantationibus recesisse dæmon uideretur : aut ipse sermoni eius accommodasset fidem : asserens semper fallaces esse dæmones et ad æmulandum callidos : sed magis reddita sanitate increpata uirgine : Cur fecisset talia per quæ in eam dæmon intrare potuiset . Non solum autem in palestina et in uicinis ægypti uel Syriæ urbibus : sed etiam in longinquis prouinciis fama eius percrebuerat : Namque Candidatus Constantii imperatoris rutilus coma et candore corporis indicans prouinciam : Inter Saxones quippe et Alemanos gens est non tam lata quam ualida apud hystoricos germania nunc francia | dicitur antiquo ab infantia possessus dæmone : qui noctibus eum hululare : ingemiscere : fremere dentibus compellebat : secreto ab imperatore euectionem petit : causam ei simpliciter indicans : Et acceptis ad consularem quoque Palestinæ litteris cum ingenti honore et comitatu Gazam deductus est : qui cum a decurionibus loci illius quæsisset : ubi habitaret Hylarion monachus : territi Gazenses et putantes ad imperatorem eum missurum : ad monasterium concite perrexerunt : ut et honorem commendato exhiberent : et si quid ex præteritis iniuriis in Hylarionem esset offensum : nouo officio deleretur . Deambulabat autem tunc senex in harenis mollibus : et secum de psalmis nescioquid murmurabat . Vidensque tantam turbam uenientem substitit : et resalutatis omnibus manuque eius benedicens : post horam cæteros abire præcepit : illum uero cum seruis suis et apparitoribus manere . Ex oculis enim eius et uultu cur uenisset agnouerat : Statim ergo ad interrogationem sancti suspensus homo uix terram pedibus tangere cœpit : et immane rugiens syro quo interrogatus fuerat sermone respondit : Videres enim de ore barbaro et qui Francam tantum et latinam linguam nouerat syra ad purum uerbum resonare : ut non stridor nec aspiratio neque idioma aliquid palestini deesset eloquii . Confessus est itaque inmundus spiritus : quo in eum ordine intrasset : et ut interpretes eius intelligerent : qui græcam tantum et latinam linguam nouerant : græce quoque interrogauit : quo similiter et in eadem uerba respondente : multas quoque occasiones et necessitates magicarum artium ostendente : non curo ait quomodo intraueris : sed ut exeas in nomine domini nostri Iesu Christi impero . Curatus itaque homo simplicitate rustica decem auri libras offerens ordeacium ab eo accepit panem : audiens quod qui tali cibo alerentur : aurum pro luto ducerent . Parum est de hominibus loqui bruta quoque animalia quottidie ad eum furentia pertrahebantur : in quibus bactriacum camelum enormis magnitudinis qui multos iam obtriuerat : triginta et eo amplius uiri di || stentum solidissimis funibus cum clamore adduxerunt . Sanguinei erant oculi . spumabat os . uolubilis lingua turgebat : et super omnem terrorem rugitus personabat immanis . Iussit igitur eum dimitti senex : statimque et qui eum adduxerant : et qui cum sene erant : usque ad unum omnes diffugere . Porro ille solus perrexit obuiam : et sermone Syro non me inquit terrebis diabole tanta mole corporis circundatus . Nam et in uulpecula et in Camello unus atque idem es : et interim porrecta stabat manus : Ad quem cum furens quasi deuoratura eum belua peruenisset : statim corruit summissumque caput terræ coæquauit : mirantibus cunctis qui aderant post tantam ferocitatem subito inesse mansuetudinem . Docebat autem eos senex hominum causa diabolum etiam iumenta corripere : et tanto eorum ardere odio : ut non solum ipsos sed ea quoque quæ ipsorum essent cuperet irrætire : Huiusque rei proponebat exemplum : quod antequam beatum Iob temptare permitteretur : omnem substantiam eius interfecerit : nec mouere quempiam debere : quod domini iussione duo millia porcorum a dæmonibus interfecta sunt . Si quidem eos qui uiderant non potuisse aliter credere exisse de homine tantam dæmonum multitudinem : nisi grandis porcorum numerus : et quasi a multis actus pariter corruisset . Tempus me deficiet si uoluero uniuersa signa quæ ab eo sunt perpetrata dicere . In tantam itaque a domino eleuatus fuerat gloriam : ut beatus quoque Antonius audiens conuersationem eius scriberet ei : libenterque epistolas eius sumeret : Aut si

quando de Syriæ partibus ad se languentes perrexissent : diceret eis : Quare tam longe uexare uoluistis : cum haberetis ibi filium meum Hylarionem . Exemplo autem eius per totam palestinam innumerabilia monasteria esse cœperunt : et omnes ad eum monachi certatim currere : quod ille cernens laudabat domini gratiam : et ad profectum animæ singulos chortabatur† dicens : præterire figuram huius mundi : et illam esse ueram uitam : quæ præsentis uitæ mercaretur incomodo . Volens autem eis exemplum dare humilitatis et officii : statu || tis diebus ante uindemiam lustrabat cellulas monachorum : quod postea quam cognitum est a fratribus : omnes ad eum confluebant : quia comitati tali duce circuibant monasteria habentes uiaticum suum : quia interdum usque ad duo millia hominum congregabantur . Sed et procedente tempore unaqueque uillula uicinis monachis ad susceptionem sanctorum gaudens cibos offerebat . Quantum sane in eo fuerit studii : ut nullum fratrem quamuis humilem quamuis pauperem præteriret : uel illud indicium est : quod uadens in desertum cades ad unum de discipulis suis uisendum cum infinito agmine monachorum peruenit Elusiam . Eo forte die cum anniuersaria sollemnitas omnem oppidi populum in templum ueneris congregauerat . Colunt autem illam ob luciferum : cuius cultui sarracenorum natio dedicata est . Sed et ipsum oppidum ex parte magna semibarbarum est propter loci ritum : Igitur audito quod sanctus Hilarion præteriret : multos enim sarracenorum arreptos a dæmonio frequenter curauerat : gregatim ei cum uxoribus et liberis obuiam processere : summittentes colla : et uoce Syra bareth id est benedic inclamantes : quos ille blande humiliterque suscipiens obsecrabat : ut deum magis quam lapides colerent : simulque hubetrim† flæbat ad cælum aspiciens et se pollicens : si Christo crederent : crebro ad eos uenturum esse . Mira domini gratia . Non prius eum abire passi sunt : quam futuræ ecclesiæ lineam mitteret sacerdos eorum : ut erant : coronatus Christi signo denotaretur . Alio quoque anno cum exiturus esset ad uisenda monasteria : et digereret in scedula : apud quos maneret quosque in transitu uisitare deberet : scientes monachi quemdam de fratribus parciorem per senem cupientes uitio eius mederi : rogabant : ut apud eum maneret : et ille : quid inquit uultis et uobis iniuriam et fratri uexationem facere ? quod postquam frater ille parcus audiuit : erubuit : et annittentibus cunctis uix ab inuito impetrauit : ut suum quoque monasterium in mansionum ordine poneret . Post diem uero decimum uenerunt ad eum custodibus iam in uinea : quasi uilla esset : ab eo dispositis : qui || cum lapidibus et glebarum iactu : fundæque uertigine accedentes deterrerent : sine esu uuæ omnes profecti sunt ridente sene : et dissimulante scire : quod euenerat . Porro suscepti ab alio monacho Cui Sabbas uocabulum est : debemus autem parci tacere : uocabulum largi dicere : quia dominicus erat dies : inuitabantur uniuersi ad uineam : ut ante horam cibi uuarum pastu laborem uiæ subleuarent . Et sanctus : maledictus ait : qui prius refectionem corporis quam animæ quæsierit : Oremus : psallamus : reddamus deo officium : et sic ad uineam properabitis . Completo itaque monasterio in sublimi stans benedixit uineæ : et suas ad pascendum dimisit oues . Erant autem qui uescebantur non minus quam ad tria millia : Cumque centum lagenis estimata fuisset integra adhuc uinea : post dies uiginti trecentas fecit . Porro ille parcus frater multo minus solito colligens etiam id quod habuerat uersum in acetum sero doluit . Hoc autem multis fratribus senex ante futurum dixerat . Detestabatur autem præcipue monachos : qui infidelitate quadam in futuro seruarent sua : et diligentiam haberent : uel sumptuum : uel uestium : aut alicuius rei cum sæculo transeuntis . Denique unum ex fratribus in quinto ferme a se milliario manentem : quia compererat hortuli sui nimis cautum : timidumque custodem et pusillum habere nummorum ab oculis abiecerat : qui uolens sibi reconciliari senem : frequenter ueniebat ad fratres et maxime ad Isichium : quo ille uæhementissime delectabatur . Quadam igitur die ciceris fascem uirentis sicut in hærbis erat detulit : quem cum ad uesperam Isichius in mensa posuisset : exclamauit senex : se putorem eius ferre non posse : simulque unde esset : interrogauit . Respondente eo : quod frater quidam primitias agelli sui fratrbus† detulisset : non sentis inquit fætorem teterrimum et in cicere fætorem auariciæ ? Mitte bobus : mitte brutis animalibus : et uide an comedant : quod cum ille iuxta præceptum in præsepe posuisset : exterriti boues et plus solito mugientes : ruptis uinculis in diuersa fugerunt . habebat enim hanc gratiam senex : ut ex odo | re corporum uestiumque et earum rerum : quas quisque tetigerat : sciret cui

dæmoni uel cui uitio subiacerent . Igitur sexagessimo tertio uitæ suæ anno cernens iam grande monasterium et multitudinem fratrum secum habitantium turbasque eorum : qui diuersis languoribus et immundis spiritibus occupati ad se deducebant : ita ut omni genere hominum solitudo per circuitum repleretur : flæbat quottidie : et incredibili desyderio conuersationis antiquæ recordabatur . Interogatus ergo a fratibus† : quid haberet : cur se affligeret ? Aiebat : rursus ad sæculum redii : et recepi mercedem meam in uita mea : et omnis palestina et uicinæ prouinciæ estimant me alicuius momenti esse : et ego sub pretextu monasterii ac dispensatione fratrum uilem supllectilem† habeo . Seruabatur ergo intente a fratribus maxime ab Isichio : qui miro amore uenerationis seni deditus erat : Gumque† ita duxisset lugens biennium : Aristena illa cuius supra mentionem fecimus prefecti tunc uxor sed nihil de habitu habens uenit ad eum uolens etiam ad Antonium pergere : Cui ille flæns ait : Vellem quoque et ipse ire : si non carcere huius monasterii clausus tenerer : et si eundi fructus esset . Biduum est enim hodie : quo totus mundus tali parente orbatus est : Credidit illa : et substitit : et post paucos dies ueniente nuncio : Antonii dormitationem audiuit . Mirentur alii signa eius et portenta : quæ fecit . mirentur incredibilem abstinentiam scientiam et humilitatem . ego autem nihil ita stupeo quam gloriam illum et honorem calcare potuisse . concurrebant episcopi : præsbyteri : clericorum et monachorum greges : matronarum quoque christianarum grandis temptatio : et hinc inde ex urbibus et agris uulgus ignobile : sed et potentes uiri et iudices ut benedictum ab eo panem uel oleum acciperent : At ille nihil aliud nisi solitudinem meditabatur in tantum : ut quadam die proficisci statuerit : et adducto asello nimiis quippe exesus ieiuniis uix egredi poterat : iter arripere conaretur : quod cum percrebuisset : quasi uastitas et exitium Palestinæ indiceretur : plus quam decem || millia hominum diuersæ ætatis et sexus ad retinendum eum congregati sunt . Immobilis uero ille ad preces et baculo harenam discutiens loquebatur : fallacem deum meum non facio : nec possum uidere subuersas ecclesias : calcata Christi altaria : filiorum meorum sanguinem . Vniuersi autem qui aderant intelligebant reuellatum ei quiddam esse secreti : quod nolet confiteri : et nihilominus tamen custodiebant eum : ne proficisceretur . Decreuit ergo publica omnes uoce contestans : nec cibi se nec potus quicquam sumere : nisi dimitteretur : et post septem dies inediæ tandem causa relaxatus : ac uale dicens plurimis : cum infinito agmine prosequentium uenit Bitellum : Vbi suasis turbis ut reuerterentur : ellegit quadraginta monachos : qui haberent uiaticum et possent ieiunantes ingredi id est post solis occasum cibum sumere . Quinta igitur die uenit Pelusium : uisitatisque fratribus qui in uicina heremo et in loco qui Lycognos dicitur morabantur : perrexit triduum ad castellum Tobaston : ut uideret Dracontium episcopum et confessorem : qui ibi exulabat : quo incredibiliter consolato tanti uiri præsentia post aliud triduum multo labore Babylonem uenit : ut uiseret Philonem episcopum et ipsum confessorem . Constantius enim rex arrhyanorum fauens hæresi utrumque in illa loca deportauerat . Inde egrediens per biduum uenit ad oppidum Aphroditon : ubi conuento diacono Bisiano qui locatis dromatibus camelis in heremo ob aquæ penuriam consueuerat euntes ad Antonium deducere . Confessus est fratribus instare diem dormitionis beati Antonii peruigilem noctem in ipso quo defunctus fuerat loco a se ei debere celebrari . Tribus ergo diebus per uastam solitudinem et terribilem tandem ad montem altissimum peruenerunt : repertis ibi duobus monachis Isaac uidelicet et Pelusiano : quorum Isaac interpres Antonii fuerat . Et quia se præbet occasio : et ad id loci uenimus : Dignum uidetur breui sermone habitaculum tanti uiri describere . Saxeus enim et sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit : quarum alias ha | renæ ebibunt : aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt : super quem ex utraque ripa palme innumerabiles multum loco et amenitatis et commodi tribuunt . Videres namque senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonii discurrere . Hic aiebant psallere : Hic orare : Hic operari : Hic fessus residere solitus erat . has uites has arbusculas ipse plantauit . hanc areolam manibus suis ipse composuit . Hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est . Istum sarculum ad fodiendum humum pluribus habuit annis . Iacebat uero in stratu eius : et quasi calens adhuc cubile deosculabatur . Erat cellula non plus mensuræ per quadrum tenens : quam homo dormiens extendi poterat . Præterea in sublimi montis uertice quasi per

cocleam ascendentibus et arduo ualde nixu duæ eiusdem mensuræ cellulæ uisebantur : in quibus uenientium frequentiam et discipulorum suorum contubernium fugiens moratus est. Verum hæ in uiuo excisæ saxo ostia tantum abdita habebant . Postquam autem ad hortulum uenerunt : uidetis inquit Isaac hoc pomerium arbusculis consitum et oleribus uirens ? Ante hoc ferme triennium cum onagrorum grex uastaret : unum e doctioribus eius stare iussit : bacilloque tundens latera eius ait : Quare comeditis : quod non seuistis : Et exinde exceptis aquis ad quas potandas uentitabant nunquam eos nec arbusta nec olera eius tetigisse . Præterea rogabat senex : ut sibi locum tumuli eius ostenderent : qui cum seorsum eum adduxissent : utrum ne monstrauerint : ignoratur . causam tantum ocultandi iuxta præceptum sancti Antonii fuisse referentes : ne pergamius qui in illis locis ditissimus erat : sublato ad uillam suam sancti corpore monasterium fabricaret . Igitur reuersus ab Aphroditone duobus tantum retenti :† secum fratribus in uicinia heremo conuersatus est tanta abstinentia et silentio : ut tunc primum cœpisse deo seruire se diceret . Porro iam triennium erat : quod clausum cælum illas terras arefecerat : ita ut uulgo dicerent : Antonii mortem etiam elementa lugere . fama quoque Hylarionis non latuit incolis loci illius : et certatim uirilis || ac muliebris sexus ore luridi : et attenuati fame pluuias a seruo Christi idest a successore Antonii deprecabantur : quos ille cernens mire doluit : eleuatisque ad cælum oculis : et utrasque in sublime erigens manus : statim impetrauit : quod rogauerat . Ecce autem sitiens harenosaque regio postquam pluuiis irrigata est : tantam serpentium et uenenatorum animalium ex improuiso ebuliuit multitudinem : ut percussi innumerabiles nisi ad Hilarionem cucurrissent : statim interissent . Benedicto itaque oleo uniuersi agricole atque pastores tangentes uulnera certam salutem præsumebant . Videns autem se etiam ibi miris honoribus affici : perrexit Alexandriam : inde ad interiorem Osaam transiturus : Et quia nunquam ex quo cœperat esse monachus : in urbibus manserat : diuertit ad quosdam fratres notos sibi in Brichium haud procul ab Alexandria : qui cum miro gaudio suscepissent senem : et iam uicina nox esset : repente audiunt discipulos eius asinum sternere : illumque parare proficisci . Itaque aduoluti pedibus eius rogabant : ne hoc facerent : et ante limen prostrati citius se mori quam tanto carere hospite testabantur : quibus ille respondit : Idcirco abire festino : ne uobis molestiam generem . Certe ex posterioribus cognoscetis : non frustra me subito recessisse . Igitur altera die gazenses cum lictoribus profecti : nam pridie eum uenisse cognouerant : intrantes monasterium : cum illum minime reperissent : inuicem loquebantur : Nonne uera sunt : quæ audiuimus : Magnus est : et futura cognoscit? Vrbs enim Gaza postquam profecto de palestina Hylarione Iullianus in imperium successerat : destructo monasterio eius præcibus ad imperatorem datis : et Hylarionis et Isichii mortem impetrauerat : amboque ut quærerentur toto orbi scriptum erat . Egressus uero de Bruchio ipse in uiam solitudinem intrauit Osaam : ibique anno plus minus exacto : quia illuc quoque sui fama peruenerat : quasi iam in oriente latere non posset : ubi multi illum et opinione et uultu nouerant : ad solas nauigare insulas cogitabat : ut quem terra uulgauerat saltem maria celarent . Eodem fer | me tempore Adrianus discipulus eius de palestina superuenit dicens : Iullianum occisum : christianum uero Imperatorem regnare cœpisse : reuerti eum debere ad monasterium sui reliquias : Quod ille audiens detestatus est : et conducto Camello per uastam solitudinem uenit ad maritimam urbem Libyæ Parathonium : Vbi Adrianus infelix uolens Palestinam reuerti : et pristinam sub nomine magistri gloriam quærere : multas ei fecit iniurias . Ad extremum uastatis quæ a fratribus ei missa detulerat nesciente eo profectus est . Super hoc quia alter referendi locus non est : hoc tantum dixerim in terrorem eorum : qui magistros suos despiciunt : quod post aliquantum temporis regio morbo computruerit . habens igitur senex zamnanum secum classem ascendit : quæ Siciliam nauigabat : Cumque uenundato euangeliorum codice quem manu sna† adolescens scripserat dare naulum disponeret : in media ferme hadria naucleri filius arreptus a dæmone clamare cœpit : et dicere : Hilarion serue Christi cur nobis per te et in pelago tutos esse non licet . Da mihi spatium : donec ad terram ueniam : ne hic eiectus præcipiter in Abyssum : Cui ille ait : Si deus meus concedit tibi : ut maneas : mane. Sin autem ille te eiicit : quid mihi inuidiam facis homini peccatori et mendico ? hoc autem dicebat : ne nautæ atque negotiatores qui in naui erant se cum ad terram peruenisset : perderent . Nec multo post purgatus est puer : patre fidem dante et cæteris qui ade-

rant nulli se super eius nomine locuturos . Ingressus autem Pachinum promontorium Siciliæ obtulit nauclero euangelium pro subuectione sua et Zamnani : qui nolens accipere maxime eos cum uideret excepto illo codice et iis quæ uestitus erat : amplius nihil habere : ad extremum iurauit se non accepturum . Sed et senex assensus est fiducia pauperis conscientiæ : et in eo magis lætabatur : quod nihil sæculi haberet : et ab accolis loci illius putaretur mendicus . Porro recogitans : ne se negociatores ab oriente uenientes notum facerent : ad Mediteranea fugit loca idest uicessimo milliario : Ibique in quodam deserto agello ligno || rum quottidie fascem colligens imponebat dorso discipuli : quo in proxima uilla uænundato et sibi alimoniam et iis qui forte ad eos ueniebant pusillum panis emebat . Sed et uere iuxta quod scriptum est : non potest ciuitas abscondi supra montem posita : Romæ scutarius quidam dum in basilica beati Petri apostoli torqueretur : proclamauit in eo immundus spiritus : Ante paucos dies Hilarion seruus Christi Siciliam ingressus est : et nemo eum nouit : et putat se esse secretum . Ego uadam : et prodam eum : Statimque cum seruulis suis ascensa naui in portu appulsus est Pachinum : et ducente se dæmone ut ante conspectum senis prostratus est : illico curatus est . Hoc est initium signorum eius in Sicilia : Innumerabilem ad eum ægrotantium sed et religiosorum hominum multitudinem uenisse compertum est in tantum : ut de primatibus uiris tumens quidam morbo intercutis eadem die qua ad eum uenerat curaretur : qui postea offerens infinita munera audiuit dictum saluatoris ad discipulos : gratis accepistis gratis date . Dum hæc ita geruntur in Sicilia : Isichius discipulus eius toto corde senem quærebat lustrans littora : penetrans deserta : et hanc habens tantum fiduciam : quia ubicumque esset : diu latere non posset . Transacto autem iam triennio audiuit a montano quodam Iudæo Iullia populis scuta uendente prophetam christianorum apparuisse in Sicilia tanta miracula et signa facientem : ut de ueteribus sanctis putaretur . Itaque interrogatus habitum eius incessum et linguam maximeque ætatem discernere nihil potuit . Ille enim qui referebat famam tantum ad se peruenisse hominis testabatur . Ingressus hadriam prospero cursu uenit pachinum : et in quadam curui littoris uillula famam senis sciscitans consona omnium uoce cognouit : ubi esset : quid ageret : nihil in eo ita cunctis admirantibus quam quod post tanta signa atque miracula nec fragmentum quidem panis a quoquam in illis locis accepisset : Et ne longum faciam sermonem : sanctus uir Isichius ad magistri genua prouolutus plantasque eius lachrymis rigans : tandemque subleuatus post biduum triduumque sermonem audiuit a Zamnano non posse iam senem || in illis regionibus habitare : Sed uelle ad quasdam barbaras pergere nationes : ubi et nomen et sermo ipsius ignotus esset . Duxit itaque eum ad Epidaurium Dalmatiæ oppidum : ubi paucis diebus in uicino agello mansitans non potuit abscondi : Si quidem draco miræ magnitudinis : quem gentili sermone Boan uocant ab eo : quod tam grandis sit : ut boues glutire soleat : omnem late uastabat prouinciam : et non solum armenta et pecudes sed et agricolas atque pastores tractos ad se ui spiritus absorbebat : Cui cum piram iussisset præparari : et oratione ad Christum missa euocato eo præcepisset struem lignorum scandere : ignem supposuit : cunctaque spectante plebe immanem bestiam concremauit : Vnde æstuans quid faceret : quo se uerteret : aliam præparabat fugam : et solitarias terras mente perlustrans mærebat : quod tacente de se lingua miracula loquerentur . Ea tempestate terremotu totius orbis qui post Iuliani mortem accidit : maria egressa sunt terminos suos : et quasi rursus dominus diluuium minaretur : uel in antiquum chaos redirent omnia : naues ad prærupta delatæ montium pependerunt : Quod cum uiderent epidauritani frementes fluctus et undarum molem et montes gurgitum littoribus inferri : uerentes : quod iam euenisse cernebant : ne oppidum fuuditus† subuerteretur : egressi sunt ad senem : et quasi ad prælium proficiscentes posuerunt eum in littore : qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo : manusque contra tenderet : incredibile dictu est : in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit : ac diu fremens : et quasi ad obicem indignans : paulatim in semet relapsum est . Hoc Epidaurus et omnis regio ista usque hodie prædicat : matresque docent filios suos ad memoriam in posteros transmittendam Vere illud quod apostolis dictum est : si credideritis : et dicetis monti huic : transi in mare : fiet : etiam iuxta litteram impleri potest : si tamen quis habuerit apostolorum fidem et talem : qualem illis habendam dominus imperauit . Quid enim interest : utrum mons descendat : an immensi undarum montes repente obriguerint : || et ante pedes

senis tantum saxei : ex alia autem parte molliter fluxerint ? Mirabatur ergo omnis urbs : et eius magnitudo signi Salonis quoque percrebuerat : quod intelligens senex in breui lembo clam fugit nocte : et inuenta post biduum oneraria naui perrexit Cyprum : Cumque inter Maleas et Cytheram piratæ derelicta classe in littore quæ non antenna sed conto regitur duobus haud paruis mioparonibus occurrissent : Denuo hinc inde fluctus uertente remige omnes qui in naui erant trepidare : flære : discurrere : præparare contos : et quasi non sufficeret unus nuncius certatim : seni piratas adesse dicebant : quos ille procul intuens surrisit : et conuersus ad discipulos dixit : modice fidei quare trepidastis ? Nunquid plures sunt hi quam Pharaonis exercitus . Et tamen omnes deo uolente submersi sunt ? Loquebatur : et nihilominus spumantibus rostris hostiles imminebant carinæ iactu tantum lapidis medio . Stetit ergo in hora nauis : et ille porrecta contra uenientes manu hucusque inquit uenisse sufficiat . O mira rerum fides . Statim resiliere nauicullæ : et impellentibus contra remis ad pupim impetus redit . Mirabantur piratæ : post tergum se redire nolentes : totoque corporis nixu contendebant : ut ad nauigium peruenirent : Velocius multo quam uenerant ad littus ferebantur . Prætermitto cætera : ne uidear in narratione signorum uolumen extendere : Hoc solum dicam : quod prospero cursu inter cycladas nauigans hinc inde clamantium de urbibus et uicis : ad littora concurrentium inmundorum spirituum uoces audiebat . Ingressus ergo Paphum urbem Cypri nobilem carminibus poetarum : quæ frequenti terremotus lapsu nunc ruinarum tantum uestigiis quod olim fuerit ostendit . in secundo ab urbe milliario habitabat ignobilis gaudens uæhementer : quod paucis diebus quietus uiueret . Verum non uiginti plus transiere dies : Cum per omnem illam insulam qui immundos spiritus habebant : clamare cœperunt uenisse Hilarionem seruum Christi : et ad enm† se debere properare . Hoc Salamina : hoc Curium : hoc Lapyta et urbes reliquæ cclamabant† | plærisque asserentibus se scire quidem Hilarionem : et uerum illum esse dei famulum : sed ubi esset ignorare . Intra triginta igitur nec amplius multo dies ducenti ferme tam uiri quam mulieres ad eum congregati sunt : quos cum uidisset dolens quod se non paterentur quiescere : et quodammodo in ultionem sui sæuiens tanta eos orationum instantia flagellauit : ut quidam statim : alii post biduum triduumque : omnes uero inter unam hebdomada curarentur . Manens itaque ibidem biennio : et semper de fuga cogitans : Isichium ad se ueris tempore reuersurum Palestinam misit ob salutationem fratrum : et quia monasteria et uicinæ res inuisendæ erant : qui cum reuertisset : cupienti rursus ad ægyptum nauigare hoc est ad ea loca : quæ bucolia uocantur : eo quod ibi nullus christianorum esset : sed barbara et ferox natio suasit : ut in ipsa magis insula ad secretiorem locum secederet : quem cum diu lustrans omnia reperisset : perduxit eum duodecim millibus a mari procul inter secretos asperosque montes : et quo uix reptando manibus genibusque posset ascendi : qui introgressus : contemplatus est quidem terribilem ualde et remotum locum arboribus hinc inde circondatum : habentem etiam aquas de supercilio collis irrigantes hortulum peramœnum et pomeria plurima : quorum tamen fructum nunquam in cibum sumpsit : iuxta quem erat antiquissimi templi ruina : ex quo ut ipse referebat : et ut eius discipuli testabantur tam innumerabilium per noctem et diem dæmonum uoces resonabant : ut exercitum crederes : quo ille ualde delectatus : quod scilicet Agonistas eos haberet in proximo : habitauit ibi per annos quinque : et sæpe imiscente se Isichio in hoc iam extremo uitæ suæ tempore refocillatus est : quod propter asperitatem et difficultatem loci et umbrarum ut ferebatur uulgo multitudinem aut nullus aut rarus ad se uel posset : uel auderet ascendere . Quadam autem die egressus hortulum : uidit hominem toto corpore paralyticum iacere ante fores : Interrogauitque Isichium : quisnam esset : uel quomodo fuisset adductus : qui respondens ait : procuratorem illum || fuisse uillulæ : ad quem hortulus quoque in quo ipsi erant pertimebat† : et ille cum lachrymis tendens ad iacentem manum : tibi inquit dico in nomine domini Iesu Christi surge : et ambula . Mira uelocitas : adhuc uerba enim in ore loquentis uoluebantur : et iam membra solidata ad standum hominem surrigebant : quod postquam auditum est etiam difficultatem loci et iter inuium plurimorum uicit necessitas : nihil per circuitum ualidius cunctis obseruantibus : quam ne quo modo laboretur : Disseminauerat enim hæc de eo rumor : diu eum in eodem loco manere non posse : quod tamen ille non leuitate quadam ac puerili sensu uictus faciebat . Sed honorem fugiens : et in opportunitatem semper et silentium et uitam ignobilem desyderabat .

Igitur octogessimo ætatis suæ anno : cum absens esset Isichius : quasi in testamenti uice breuem manu propria scripsit epistolam : omnes ei diuicias suas derelinquens euangelium scilicet et tunicam saccineam : et cuculam et palliolum . Nam minister eius ante dies paucos obierat . Venerunt igitur ad ægrotantem de Papho multi relligiosi uiri maxime quod eum dixisse audierant : iam se ad dominum migraturum : et de corporis uinculis liberandum : Sed et Constantia quædam sancta fœmina cuius generum et filium unctione olei de morte liberauerat : quos omnes adiurauit : ut ne puncto quidem horæ post mortem reseruaretur : sed sttatim† eum in eodem loci hortulo terre operirent : sicut uestitus erat in tunica cylicina cuculo et sacco rustico . Itaque modicus calor tepebat in pectore : nec propter sensum quicquam uiui hominis supererat : et tamen apertis oculis loquebatur : Egredere : quid times ? Egredere anima . Quid dubitas ? Septuaginta prope annis seruisti Christo : et mori times ? In hæc uerba exhallauit spiritum : statimque humo obrutum ante urbi sepultum : quam mortuum nunciauerunt : quod post Palestinæ sanctus uir audiuit Isichius : perrexitque ad Cyprum : et simulans se uelle habitare in eodem hortulo : ut diligentis custodiæ suspicionem accolis tolleret : cum ingenti satis uitæ suæ periculo post decem fere menses corpus eius furatus est : quod | Mauimam deferens totis monachorum et oppidorum turbis persequentibus in antiquo monasterio condidit . illæsa tunica cuculo et pallio et toto corpore quasi adhuc uiueret integro : tantisque fragrante odoribus : ut delibutum unguentis putaretur . Non mihi uidetur in calce libri tacenda Constantiæ illius sanctæ mulieris deuotio : quæ perlato ad se nuncio : quod corpusculum sancti Hylarionis Palestinæ esset : statim exanimata est : ueram in seruum dei dilectionem morte quoque comprobans . Erat enim solita peruigiles in sepulchro eius noctes ducere : et quasi cum præsente adiuuandas orationes suas sermocinari . Cernis usque hodie miram inter Palestinos et Cyprios contentionem : Hylarionis his corpus : illis se spiritum habere certantibus : Et tamen in utrisque locis magna quottidie signa fiunt : Sed magis in hortulo Cypri : et forsitan quia plus eum locum dilexerat . Depositus est beatus Hylarion duodecimo calendas nouembres .

PASSIO SANCTI HIACYNCTI LEVITAE ET MARTYRIS .

Sanctum Hiacynctum diaconum luxorius tradidit consulari Leontio : quem intromissum sub uoce præconia interrogauit consularis dicens : Quid uocaris ? Respondit : Hiacynctus dicor . Consularis dixit : Seruus an ingenuus ? Hiacynctus dixit : Seruus ait Consularis : Cuius ? Hiacynctus respondit : seruus sum domini mei Iesu christi : cui consularis dixit : Domini nostri imperatores iusserunt : ut qui noluerint sacrificare diis : diuersis pœnis et supliciis puniantur . Hiacynctus dixit : Pœne uestre diuersæ esse possunt : æternæ esse non possunt . Vnde quia non timeo plus diuersas quam æternas : idcirco nec te audio iubentem : nec tuum principem comminantem . Hodie enim ira uestra exardescit : et euanescit : et cum fueritis mortui : ulterius non eritis . Tunc Luxorius clamabat consulari dicens : Audis Hiacynctum hunc in principum iniuria sermocinantem : et adhuc eum non punis ? dixit au || tem consularis ad Luxorium : quali debet puniri sententia ? Respondit Luxorius : Vt comburatur igni : Et deinde corpus eius præcipitetur in torrentem . Hiacynctus dixit : me quidem igne concremasti : aqua quæ me regenerauit quasi filium suum ex se renatum suscipiet : et ipsa me martyrem modo faciet : quæ me antea fecerat christianum . Te autem luxori hodie comedet coluber : ut cognoscat hæc omnis patria : quia uindicat dominus sanguinem serui sui : quem tu iussisti igne cremari : et ad libitum tuum in aqua mergi iussisti . Interea missus in ignem sanctus Hiacynctus eodem die nec ignis nec aqua Dominari potuit : Sed statim ignis extinctus est . aqua uero in qua missus est : Vnda in eodem littore eiecit incolumem : ubi iacebat Luxorius tumidus a serpente percussus . Ibat enim in equo sedens ad uillam : ut pranderet : et quando festinabat ad prandium : Processit in equo solus . Igitur cum iuxta arborem præteriret : faciente nequitia eius sic uenit : ut eum per caput eius inter collum et capitium tunicæ eius in uentrem coluber suis morsibus laniaret ita : ut perueniret usque ad cor eius . Iacens autem tumidus antequam expiraret : uidit oculis suis deambulantem iuxta aquas

martyrem domini et psallentem : Transiuimus per ignem et aquam et induxisti nos in refrigerium . Nunciantur hæc consulari Leontio : et misit spiculatorem cum militibus plurimis : ut eum compræhenderent dans ei capitalem sententiam . Tunc duxerunt eum milites a ciuitate non longe iuxta uiam regalem : et ibi eum percusserunt gladio . Tunc quædam matrona religiosa nomine Iulia ueniens ad urbem Romam nocte cum seruis suis collegit corpus eius : et cum honore magno sepeliuit in eodem loco in prædio suo : ut etiam cubiculum sibi construeret iuxta sepulchrum Beati martyris Hiacyncti : Vbi consequuntur beneficia homines quia passus est pro nomine domini nostri Iesu Christi : Cui est gloria et honor et potestas in sæcula sæculorum

PASSIO SANCTI HIPPOLYTI MARTYRIS . |

Sanctus Hippolytus et Iustinus præsbyter cum sepelissent corpus beati Laurentii ieiunauerunt : et agentes uigilias noctis triduo cum multitudine christianorum non cessabant mugitum lachrymarum dare . Beatus autem Iustinus obtulit sacrificium laudis : et participati sunt omnes : Regressusque Hippolytus post tertium diem uenit in domum suam : dedit pacem omnibus seruisque suis et ancillis : et communicauit de sacrificio altaris beati Laurentii martyris . Et posita mensa prius quam cibum sumeret uenerunt milites : et tenuerunt eum : et perduxerunt ad Decium cæsarem : quem uidens Decius Cæsar surridens dicit ei : Nunquid et tu magus factus es : quia corpus Laurentii abstulisse diceris ? Hippolytus respondit : hoc feci non quasi magus sed quasi christianus : quo audito Decius Cæsar furore repletus iussit : ut cum lapidibus os eius contunderetur : Et expoliauit eum ueste quam induerat habitu christiano : et dixit ei : Sacrifica diis : et acquiesce præceptis nostris : et uiue : et fruere militiæ palma : ne pereas per tormenta sicut Laurentius . Hyppolytus dixit : Exemplum merear fieri beati Laurentii martyris : quem tu miser ausus fuisti ore polluto nominare . Et Decius : Nunquid tu non es cultor deorum ? quomodo insipiens factus es ? Vel nuditatem tuam non erubescis ? Cui Hyppolitus : Non me expoliasti : sed magis cœpisti uestire . Tunc Decius cæsar dixit : Extendite eum : et fustibus cædite : Et cum cæderetur dixit : Gratias ago domino meo . Decius dixit : deridet Hippolytus fustes : cum cordis cædite eum : Et cædentes defecerunt . Hippolytus autem clamabat dicens uoce clara : christianus sum . Decius dixit : Leuate eum a terra : Et cnm† leuatus fuisset : iussit eum uestiri ueste militari : qua antea gentilis utebatur : Et dixit Decius ad Hippolytum : Recole militiæ nostræ : utere militia pristina : quam semper habuisti . Tunc beatus Hippolytus uoce clara dixit : militia mea ecce christianum firmo me militare : unde cupio || celerem ad palmam cum fructu peruenire Decius cæsar iracundia plenus dixit ad Valerianum præfectum : Accipe omnes facultates eius : et interfice eum crudeli examinatione : Eodem die Valerianus præfectus eyquisiuit† omnem facultatem eius et inuenit in domo Hippolyti omnem familiam christianam : Quos præfectus adduci ante conspectum suum iussit . Ibidem enim erat nutrix beati Hippolyti nomine Concordia christiana . Valerianus ad eos præsente Hippolyto dixit considerare† ætates uestras : ne simul pereatis cum Hippolito domino uestro . Respondit Concordia : Nos cum domino nostro desyderamus pudice mori quam impudice uiuere . Valerianus præfectus dixit : Genus seruorum nisi cum supliciis non emendatur : Et iussit ut Concordia plumbatis cæderetur : cumque cæderetur : emissit spiritum præsente Hypolito . Tunc exultans Hippolytus cœpit dicere : Gratias tibi ago domine : qui nutricem meam præmisisti ante conspectum sanctorum tuorum . Valerianus præfectus dixit ad Hippolytum : adhuc confidis in arte magica : et non honoras deos nec præcepta principis sequeris ? Et iratus iussit eum duci foras muros porte tyburtine cum familia sua . Tunc Hippolitus cœpit eos confortare dicens : Nolite metuere fratres : quia ego et uos unum deum habemus . Iussit uero Valerianus in conspectu Hippolyti ut omnes capite truncarentur . Decolati sunt promiscui sexns† numero decem et octo . Tunc uero iussit ut beati Hipoliti pedes ad colla equorum indomitorum ligarentur perque carduos et tribulos trahi : qui dum traheretur eleuans oculos in cælum sic ait : Domine Iesu Christe lumen claritatis et stella splendida iube me recipi in locum in quem recepisti beatum Laurentium : et statim reddi-

dit spiritum . Eadem hora dimiserunt corpora in campo iuxta nimpham ad latus agri uerani idibus Augusti . Eadem noste† uenit Iustinus præsbiter collegitque corpora et sepeliuit in eodem loco . Cœpit beatissimus Iustinus præsbxter† curiosius quærere corpus beatæ martyris concordiæ multis diebus : Et dum non inueniret : cœpit tristis | esse : et lachrimæ de oculis eius non cessabant . Die tertio decimo post passionem beati Hipolyti uenit quidam miles nomine Porphyrius ad quendam cloacarium : speransque beatam Concordiam aurum aut gemmas in uestimentis suis habere dixit ad cloacarium : si recte secretum possis custodire : diuulgabo arti tuæ multum quæstum . Ante hos dies iussit Valerianus præfectus in conspectu suo quandam creditariam Hippolyti Christiani plumbatis cædi : quæ dum mortua fuisset : corpus eius iussit in cloacam iactari : Et ecce in uestibus suis sperabat : quod margaritas absconsas haberet : Cloacarius autem fidelis et christianus erat occulte . Eodem die dixit Cloacarius : demonstra mihi locum : et quæro eam : et noctu dum inuenero : nunciabo tibi . Et nomen Cloacarii Hereneus . hic uenit ad Iustinum præsbyterum : et nunciauit omnia : quæ acta fuerant : et intimata a Porphyrio . Tunc beatus Iustinus præsbyter gratias agens deo omnipotenti et domino Iesu christo flectens genua cum lachrimis : dixit pergamus noctu ad Cloacam . Respondit Hereneus : Sine prius accedo ad Porphyrium . Porphyrius uero denunciauit locum . Hereneus uero uenit cum ipso noctu : et inuenit corpus sanctum incontaminatum : et quærentes in uestimentis eius nihil inuenerunt . Eadem nocte Porphyrius fugit . Hereneus uero uocauit ad se quendam christianum nomine Abundium : et tulerunt corpus beatæ Concordiæ : et perduxerunt ad beatum Iustinum præsbyterum : quod sucipiens gratias egit domino : et sepeliuit eam iuxta corpus sancti Hippolyti et cæterorum . Alia die Valerianus hoc audito tenuit Hereneum et Abundium : iussitque : ut uiui in cloacam necarentur : qui necati sunt sub die calendarum septembrium . beatus deinde Iustinus leuauit corpora : et sepeliuit iuxta corpus beati Laurentii in crypta in agro uerano uicessimo die post passionem sanctorum supradictorum martyrum . Tunc iussit Decius edictionem munerum parari : Et sedente eo in caruca aurea una cum Valeriano præfecto : Vt iam de caruca descenderent : et in amphitheatrum || introirent : et multos martyres ad crudelissimum munus exiberent : clamabat Decius cæsar arreptus a dæmonio : o Hippolyte tanquam captiuum et unictum† asperis cathenis me ducis . Valerianus autem clamabat omni die et nocte . Adiuro te Laurenti : modicum cessa a tormentis : Et factus est luctus magnus iu† palatio . Tunc uxor eius nomine Triphonia pagana crudelis uidens Decium a dæmonio uexari iussit omnes sanctos qui reclusi erant dimitti . Eadem uero hora mortuus est Decius . Vxor autem eius Triphonia uenit ad beatum Iustinum : et missit se cum lachrymis ad eius pedes cum filia Cyrilla : ut baptizarentur : quas cum gaudio suscepit beatus Iustinus præsbyter : et indixit eis ieiunium septem diebus : quibus completis eas baptizauit . dum autem baptizate fuissent percepissentque fidem Christi : auditum est : in uniuerso mundo : Et omnes credentes in Christo confortati sunt in domino : et gratias egerunt patri et filio et spiritui sancto : qui eos in cælum suscepit et festinanter in persecutores eorum ultus est . alia autem die dum orat Triphonia emisit spiritum : Cuius corpus sepeliuit in eadem crypta : ubi sanctum Hippolytum sepelierat quintodecimo calendarum nouembrium . Ab eadem die cœpit Beatus Iustinus præsbyter diligenter quærere : sicubi corpora sanctorum absconsa essent : ex quo præmium promisit militibus : qui quidem audientes Triphoniam Decii uxorem filiamque eius Cyrillam christianas fuisse factas : uenerunt cum uxoribus suis numero quadragintasex : ad beatum Iustinum præsbyterum : miseruntque se ad eius pedes rogantes : ut baptismum perciperent . Tunc Iustinus collegit omnem clerum : exquisiuitque quem in locum beati martyris Sisti papæ episcopum consecraret . Et exinde ordinauerunt uenerabilem uirum nomine Dionysium : quem consecrauit Maximus ostiensis episcopus . Tunc obtulit beatus Iustinus milites quadragintasex ad baptismum uenerabili uiro Dionysio urbis Romæ episcopo : et eos baptizauit in nomine trinitatis : ut hoc Claudius rex audiuit indignatione repletus misit et tenuit filiam Decii cæsaris et christi milites iussitque duci ad sacrificandum dæmoniis : Qui | omnes contempto regis præcepto deriserunt eum : illos autem iussit in custodiam recipi : Cyrillam uero sibi præsentari : cui ita idxit† : Sic tibi placuit : ut præceptum nostrum et ritum claritatis parentum non sequaris et deseras nutrimenta regalia ? Respondit Cirilla : Ego christiana sum ancilla Christi :

et desero dæmonia : quæ uos usque ad supplicium æternum deducent : ut cum ipsis pereatis . Cui Claudius consenti nobis : et sacrifica diis : et accipe uirum secundum natales tuos . et Cyrilla : Ego iam uirum accepi : qui me docuit sapientiam hoc est dominum nostrum Iesum Christum : cui semel tradita sum . Claudius iracundia repletus iussit eam iugulari : et necatam gladio iussit corpus eius in plateam iactari : canibusque derelinqui : quod noctu collegit beatissimus Iustinus præsbyter : et sepeliuit cum matre sua : ubi et posuerat beati Hippolyti corpus quinto calendas nouembres . Eodem tempore iussit Claudius exercitum armatum in palatio Salustii includi : sibique præsentari : qui baptismum perceperant : Et præcepit exercitui : ut educerent eos foras muros portæ Salarie in ciuitate Fidenis : ibidemque eos omnes capitæ cæderunt : decolati autem sunt omnes pro Christi nomine numero quinquagintasex præter uxores eorum : quorum corpora noctu collegerunt beatissimi præsbyteri Iustinus et Iohannes : et sepelierunt in crypta cum multitudine christianorum in uia salaria uetere in cliuo cucumeris octauo calendas nouembres . Vbi florent orationes eorum usque in hodiernum diem cum aliis centumuigintiuno martyribus : quos inter fuerunt quattuor milites Christi Theodosius : Lucius Marchus : et Petrus : quattuor uidentes armatos ad se uenire : rogabat eorum quisque : ut primus decollaretur : adeo enim mori leti pro Christo festinabant Regnane† domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus : per omnia sæcula sæculorum .

VITA SANCTI HIERONYMI PRAESBYTERI . ||

Plærosque nimirum illustres uiros non ambigo nosse : quo natus : quibus doctoribus eruditus : quoue quiescat sanctus Hieronymus loco : uerumtamen quibus non uacat : uel legere plurima non ualent : hunc si uoluerint legant libellum per quem quod cupiunt compendiosa breuitate scire poterunt . Beatus itaque Hieronymus genere nobili ortus patre Eusebio oppido Stridonis : quod a Gothis euersum dalmatiæ quondam pannoniæque confinium fuit . Congrue scilicet Eusebio generatus est patre : Eusebius namque attice : romane uero dicitur pius : Hieronymus eolice : latine omnino sacra lex interpretatur . Iure igitur Hieronimus id est sacra lex de pio gignitur patre : ut studioso eius labore ex hebreorum scriptis absque omni scrupulo alma pateret lex : quæ humano modo sua austeritate remota pium ac sacrum misericordemque patrem uenturum nunciaret . Hic dum inter pueritiam adolescentiamque incederet medius : instinctu tactus cælesti affinibus cunctis sensuque paterno relicto : ut perfectus euangelii imitator quiuisset existere ingessus† nauim aura flante secunda diuinaque dispensante clæmentia ad limina sublimium apostolorum Petri et Pauli urbem Romam properans adiit : In qua litteris græcis et latinis diligenter eruditus : Christi uestem suscipiens : præsbyter quoque cardinalis ibidem est ordinatus . Nam ut inexpugnabilem suæ ecclesiæ dominus murum contra perfidos dementesque hæreticos erigeret : huic uiro in litterarum studiis plærique catetizati fuerunt . Donatus namque grammaticus romanis eum imbuens elementis : liberaliumque sufficienter sapore replens artium magister illi fuit : sicut ipse in chronica sua meminit dicens : Victorinus rhetor et Donatus grammaticus magister et præceptor meus Romæ insignes habentur . Gregorium nazanzenum quippe ut idem in tertio explanationum Isaiæ refert libro didascalum fuisse suum testatur . Nam cum in prædicto propheta ad eum uenisset locum : quo de seraphin quiddam debuisset exponere : ita intulit de | hac uisione ante annos circiter triginta cum essem constantinopoli : et apud uirum eloquentissimum Gregorium nazanzenum præceptorem meum : tunc eiusdem urbis episcopum sacrarum scripturarum studiis erudirer : scio me breuem dictasse subitumque tractatum : ut experimentum caperem ingenioli mei : et amicis iubentibus obedirem . Quid uero de huius eleganti industria quam erga latinos : græcos : hebræos : arabicos : caldæosque in discendo elementorum apices habuit præstantius dici potest : quam ipsius ad Pammachium et Oceanum missa profitentur uerba : dum essem iuuenis miro discendi feruebam ardore : nec iuxta quorumdam præsumptionem ipse me docui . Apollinarem audiui Antiochiæ frequenter et colui . Tunc cum me in sacris scripturis erudiret : iam canis aspergebatur caput : et magistrum potius quam disci-

pulum decebat . Perrexi tamen Alexandriam . audiui Didimum . in multis ei gratias ago . quod nesciui didici . Putabant me homines finem fecisse discendi . Rursum hierosolymæ et bethleem quo labore quo pretio Baraninam hebræum nocturnum habui† præceptorem ? Timebam enim Iudæos : et mihi alterum exhibebam Nichodemum . Hec utique contuli : ut qui scire cupiunt : nosse queant : sicut prædixi : quo natus loco : quibus ue tantus uir magistris fuerit informatus . Conmorante itaque Hieronymo Romæ mentis corporisque uirginitatem et delictorum pœnitentiam custodiens : fidelibus prædicabat : multaque iuxta septuaginta librorum uolumina atque psalterium emendauit . apostolice præsidente Liberio sedi pontifice . Ea proculdubio tempestate romanum populum per Constantium augustum arryana hæresis maculabat . Quare prædictus uir occasione quam optauerat semper accepta : ut superius dictum est : relicta domo : parentibus : sorore : cognatis et et† inclyta ac relligiosissima petri urbe : sola tantum quæ in itinere ualere esse utilia cum bybliotheca quam sibi summo studio in præfata confecerat urbe confecerit . Hierosolymam propter regna cælorum iuuenis militaturus aduenit : Cumque aliquot peractis morando diebus cognouisset : qualiter quod absque animæ damno ualuisset ui || uere caute et præsepi dominico ut prudens animal uoluit esse contiguus : quod ab hierosolymis sex millibus seperatur contra meridianam plagam accedens ad eiusdem urbis pontificem Cyrillum nomine petiit : ut parrochiæ quæ Betlheem† fuerat sita locum sibi habitandi tribueret : Cui mox quod deuotione poposcit libentissime concessit . Data et enim habitandi uenia Bethleem adiuuantibus uicinis uiris catholicis construxit monasterium : In quo sub statuta ab apostolis regula degens : cœpit quod olim multum cupierat cum fratribus et Eusebio emonensi nobilique uiro habitare : cuius postulatione ex græco sermone quandam epistolam transtulit in latinum . In quo sciendum hanc matutinam quæ nunc obseruatur in occiduis maxime regionibus canonica functio monasterio primitns† institutam : ubi prædictus uir ociosus non fuisse credendus est : qui tantum nobis in diuinæ translatione scripturæ præstitit : ut ad hebræorum fontem pene non egeamus accedere : quando nos facundiæ suæ multa cognoscitur hubertate satiasse . primus libros copiosis epistolis fecit esse beatos : quibus scribere domino præstante dignatus est . Inter cætera perfecta studiorum suorum opuscula a beato Petro sumpsit exordium usque in semetipsum de uiris illustribus scirpsit† imitatus Tranquillum græcumque Apollonium : ubi de se ita refert : post catologum† plurimorum me quoque in calce uoluminis quasi abortiuum et minimum omnium christianorum posui : quo mihi necessitas fuit usque ad quartam decimam Theodosii principis quæ scripserim breuiter annotare . Innumeris præterea iste libris apostolorum prophetarumque constructionibus editis immobilem catholicæ turrem ecclesiæ contra perfidorum iacula consumauit . Omnes ueteris testamenti libros ex hebreorum codicibus in latinum conuertit . Daniellem quoque prophetam chaldæo stillo locutum et Iob iustum arabico in romanam linguam utrumque auctorem perfecta interpretatione mutauit . Matheum nihilominus ex hebræo fecit esse romanum . Epistolam quidem suam ad Paulinum et Senatorem præsbyterum mirificam destinauit docens quemadmo | dum scripturas diuinas adhibita cura perlegeret : ubi breuiter uirtutem uniuscuiusque libri ueteris et noui testamenti mirabiliter indicauit . Mirabiliter planus : honeste doctus ac dulcis parata copia sermonum ad quamcumque partem uertit ingenium : et undecumque interrogatus fuisset paratum haberet et competens sine aliqua dillatione responsum . Modo humilibus suauiter blanditur . modo superborum colla constringit . Modo derogatoribus suis uicem necessaria mordacitate restituens . modo uirginitatem prædicans . modo matrimonia casta collaudans . modo uirtutum certamina gloriosa commendans . modo lapsus in clericos atque monachos prauitatis accusans . Sed tamen ubicumque se locus attulit : gentilium exempla dulcissima uarietate permiscuit . Sed non erat hoc suæ uoluntatis : uerum ut ita dicam : grauissime necessitatis : ut probaret ea : quæ a sanctis prophetis ante sæcula prædicta sunt tam græcorum quam latinorum et aliarum gentium litteris contineri . Vere totum explicans totum exornans : et per diuersa disputationis genera disertus semper et equalis incedens . Tanta namque utriusque linguæ peritia fungebatur : ut quoscumque libros æolicos in manibus acciperet : latine sine offensione transcurreret : iterumque latinos attico sermone legeret : ut crederetur hoc sermone conscriptum : quod eius os in offensa uelocitate fundebat . Vere dixerim catholicam hominis Huius scientiam sanamque doctrinam :

quocumque conuersatus loco fuisset stabilis perstitit fidei firmitate . Nam certissime ignorantie inuidieue morbo languentes desipiunt : qui eum deuiasse a catholice ecclesiæ id est beati Petri fide uel hereticum fuisse arbitrantur : quod Paulæ mandauerit : caue queso ne quando et de te dicat deus : Virgo Israel cecidit non est qui resuscitet eam : Vbi terrendo lubricos atque incautos quia deus iustus sit iudex : subdens ita dixerit : Audenter loquor : cum omnia possit deus : suscitare uirginem non potest post ruinam . Valet quidem liberare de pœna : sed non ualet coronare corruptam . Hoc proculdubio dicendo non omnipotentiam deo abstulit : sed iustum iudicem manifestans asseruit : Nam nisi fallor : qualia sanctus || Hieronymus paulæ mandauit : talia ad Domitillam imperatoris Domitiani neptem ammonitionis legimus uerba : Sed et ipsa uerba qua de causa sint illi prolata : audire gratius puto . Hæc omnino uirgo Nereum et Achilleum eunuchos cubicularios habuit : quos beatissimus Petrus apostolus lucratus fuerat Christo . Isti dum uiderent dominam suam gemmis ornari : et purpureis uestibus atque auro textis indui : dixerunt ei : Quanto studio ornaris in corpore : ut filium consulis Aurelianum hominem mortalem maritum accipias : si tanto in animo studio ornareris : regem immortalem filium dei adipisci poteras sponsum : qui etiam te ipsam æternam faceret : et nunquam tibi neque ornamentis tuis neque gaudiis tnis† finem permitteret ant† terminum euenire . Respondit eis Domitilla : et dixit : Quæ potest melior esse caritas : quam habere uirum : suscipere filios : per quos possit posteritas dulcissima propagari : et tam generis dignitatem quam memoriam non deleri ? Cui Nereus respondit : Melior est uirginitas : que quando de matris tuæ utero exististi† tecum nata : tecum lactata : tecum semper fuit a carnis corruptione aliena : quæ deo est amabilis omnibusque angelis cara : quam profecto si qua perdiderit uirgo : huius reatum per pœnitentiam euadere potest : ipsam uero integritatem adipisci nequaquam ualet . Omnis namque sanctitas cum per aliquam uoluntatem aut necessitatem amissa fuerit : uel quæque perdita uirtus : ad statum suum uel integritatem seu ad suam gloriam per pœnitentiæ lachrymas recupeperari† ac reuocari potest . Sed uirginitas si semel perierit : Ad pristinæ integritatis stabilitatem pertingere minime ualet : Cumque Nereus et Achileus : hæc laudando uirginitatem et alia proferendo : dissererent plurima : quibus æterna meretur actibus uita : Domitilla uirgo prudentissima dixit : Vtinam ad me olim ista dei sapientia peruenisset : et nunquam ego suscepissem mortalis hominis sponsionem . Nunc uero quia deus uobis aperuit os ad lucrandam animam meam : quidquid me facere uultis accelerate quantocyus . Quid multa ? a sancto papa Clæmente consecrata Aureliano sponso contempto ob hoc in Pontiana insula | exilio demandata est : Inde in Tecracinam† adducta nolens idolis sacrificare : cum Euphrosyra† et theodora sponsis Sulpicii et Seruiliani Luxorio fratre Aureliani : igne concremante palmam susceperunt martyrii : quas sanctus Cæsarius diaconus qui postea et ipse a prædicto Luxorio est martyrio cæsus est† in sarcophago nouo simul condiens sepeliuit : Hæc de his licet non fuerit hic tantum necesse loqui addidimus : tamen quia pene quod Nereus prudentissime Domitille dixerat : uirginitate perdita de reatu posse per pœnitentiam ueniam consequi : nequaquam tamen ualeret fieri uirgo sicut fuerat prius : Hoc sanctus Hieronimus Paulæ ad meliora studuit horhortando† mandare : cum omnia possit deus : suscitare uirginem non potest post ruinam . Quod non uelle alio omnimodo dici poterat uerbo . Per quendam namque sapientem dicitur deo : Tu autem dominator uirtutis : cum tranquilitate iudicas : et cum magna reuerentia disponis . Sub est enim tibi cum uelle posse : dominuus† quippe ut est immutabilis naturæ : ita immutabilis est uoluntatis . Et utique cum sit uerax et iustus : non illum mendacium neque iniustitia decet : quia sicut non ualet mentiri : quia est ueritas : ita quia iustus est : non potest uelle iniuste facere quicquam . Nam omnia teste propheta quæcumque uoluit fecit dominus in cælo et in terra† omniaque iudicia eius iusta . Cum igitur niteremur ostendere quod uolente deo fieri posset : quod ue nolente illo fieri non ualeret : et ut ueridico eximioque doctori : cui dum adhuc uiueret in omni scientia se comparare nemo audebat : non usurparet uaniloquus detrahere quispiam cœpto ab ordine longe sumus digressi : Veruntamen qualis quantus ue uir iste fuerit solius sancti Austugini† testimonio qui uelit plenius cognoscere potest . Nam cum in libro primo quem contra errorem Iuliani manichæi descripserat : qui nuptias sine dubitatione dicebat damnari : quod uero ex eis nasceretur ab omnibus esse liberum obliga-

tionibus peccati et dum plurimos contra huius pestiferum dogma catholicos introduxisset testes : ita intulit dicens : Nec sanctum Heronymum† quia præsbyter || fuit contempnendum arbitreris : qui græco et latino insuper et hebræo eruditus eloquio ex occidentali ad orientalem transiens ecclesiam : in locis sanctis atque in litteris sacris usque ad decrepitam uixit ætatem : Cuius nobis eloquium ab oriente in occidentem instar solis lampas resplenduit . Omnes denique qui ante illum aliquid ex utraque orbis parte de doctrina ecclesiastica scripserant legit . Nec aliam de hac re quam prædixi tenuit prompsitque sententiam : qui cum exponeret Ionam prophetam : apertissime dixit : quid paruuli peccato offensionis Adæ tenerentur obnoxii . Impossibile est omnino et longum de isto uiro eiusque districte uitæ conuersatione illiusque moribus retexere cuncta . Vnum autem miraculum eius monasterii quoddam priscorum simile : quod per succedentium relationem memoriæ nondum religio abstulit : et a religionis uiris qui cælestis amore patriæ Bethleem fuere huc est delatum : huic compendioso necto sermoni . Quadam die aduesperascente cum beatus Hieronymus una cum fratribus ut monachis mos est : ad sacrarum lectionum audienda sedisset præcepta diuina : subito tribus claudicans quarto uero suspenso pede ingens leo cœnobii claustra ingressus est : quo utique uiso fratres perterriti non nulli in fugam sunt : ut fragilitatis est humanæ : conuersi . Sanctus uero Hieronymus ueluti aduenienti hospiti intrepidus leonis aduentui obuiauit : qui dum sibi pariter propinquasset : et loqui leo ut suæ naturæ est non poterat : ut cumque ualuit prædicto patri læsam quam habebat pedis obtulit plantam . uocatis tunc fratribus præcepit ut diligenter abluerent pedem leonis læsum : inquirentes cur ita leo claudicans iret . Quod dum factum studiose fuisset : uulneratam a sentibus inuenerunt eius plantam : Cui cum alimento diligenter adhibita cura de læsionis ictu conualuit illico . Omni ergo belluinæ feritatis deposita rabie cœpit inter eos ultra citraque quasi domesticum animal tranquille pariterque morari . Hoc et enim beatus Hieronymus cognito fratribus ait : Eia fratres studiose ad inuicem rogo perpendite : quid huic leoni operis congrui nostre utilitatis addamus : quattinus ab eo leuiter per | fici et efficaciter fieri possit : quia credo certe non tantum propter sui pedis salutem huc illum miserit deus : qui ei mederi sine nobis potuerat : quantum ut nobis ipsis etiam suæ uisitationis demonstraret iudicio† per hunc nostre neccessitati† mirabiliter se uelle præbere iuuamen . quare prædicti fratres tale concorditer humiliterque patri responsum dedere dicentes : Tu pater bene uidelicet nosti quod asinus qui ab agro usui nostro ligna deferre solitus est : custodis solicitudine indiget : et ne a qualibet bestia improba deuoretur satis ueremur : Idcirco ergo si tibi placet : et rectum uidetur : huic leoni aselli iungatur sollertia nostri : ut eum subsequens ducat ad pastum : reducatque remeans domum . Ita et factum est . Nam adiuncta leoni asini cura more pastoris industrii eundo ad pastum socius incessanter itineris rure pascendo undecumque defensor tutissimus erat . Verumtamen ut se cibaret : et asinus solitum perficeret opus : consuetis semper horis cum eo domum redibat . Interea dum hæc dillato tempore gererentur : educto quadam die ad loca pascuæ asino : graui leo ultra modum somno oppressus obdormiuit : quo tam grauiter soporato contigit : ut per eandem uiam negociatores gradientes olei emendi causa pergerent Aegyptum : qui sæpe dictum uidentes asinum pascentem : dum neminem uidissent ad esse custodem : iniqua surripiente cupiditate rapientes secum duxerunt . Expergiscens itaque leo quod sibi dampni accidisset nescius : ut requireret tamen pascentem : quem commissum habebat : inquirere cœpit : qui cum solito non appareret in loco pascendi : contristatus de discrimine leo mærore anxius rugiendo aliqua parte diei huc illucque ibat : quem perdiderat quærere . Sed cum iam omnis reperiendi asini spes fuisset ablata : ad monasterii ianuam ueniens perstitit : Conscius culpæ non ausus est ingredi : quo prius cum asello solebat : quem beatus Hieronymus una cum fratribus absque asino uidens ad cellæ fores morari : et quia non solita hora fuerat reuersus : instigante fame necessitate compulsum putauerunt eum occidisse animal suum : Nolentesque ei annonam tribuere consue || tam dicebant : uade : et reliquum aselli : quod tibi remansit mande : tuamque ingluuiem reple . Licet hæc illi dicerent : erant tamen incerti utrum hoc mali an non is perpetrasset : qua propter exeuntes fratres ad loci pascua quo iam præfatum animal deducere leo solitus erat : Longe lateque peragrantes quærebant : ut quid de mortis illius potuissent indicio inuenire : Qui nihil

interemptionis eius signum reperientes : redeuntesque studuerunt hoc beato Hieronymo nunciare : quo audito ait fratribus : Obsecro uos fratres quanquam sustineatis asini damnum : hunc tamen ne exasperetis : neque abiiciatis leonem : sed ut dudum gubernantes præbentesque alimenta nutrite : incidentesque in nemore ligna : et ea uice asini ut nobis trahens deferre ualeat moderando nectentes ligate : ita et factum est : Cumque sibi opus tunc crebrius gereret : et iam redeundi negociatoribus tempus adesset : Expleto die quadam opere quamuis animal brutum diuinitus tamen puto ammonitum exiuit ad agrum : huc illucque discurrens gyrando : nosse plenius cupiens : quid de socio suo factum fuisset pro inde fatigatus iam nimium quandoque ad publici itineris locum deuenit sublimem : quo dum anxius ut poterat circumspiciendo persisteret : cernit procul uenientes contra se homines cum onustis camelis : quos præcedebat asinns † : sed quia ualde procul erat : hunc cognoscere minime poterat . tamen pedetentim se illis obuium obtulit . Mos quippe dicitur esse illi regioni : quotiens cum camelis longius proficiscuntur : antecedentem asinum funem camelorum gestantem collo subsequantur camelli . Iamque cum prædicti iter agentes negociatores appropinquassent leoni : ille cognito asino sæuum rugiens ingenti strepitu in eos irruit : neminem nempe eorum lædens . Qui omnibus statim relictis dementesque ut digni fuerant effecti in fugam conuersi sunt : quibus quidem fugientibus terribiliter rugiens leo cauda fortiter terram percutiebat : perterritosque camelos : sicut erant onusti : ad cellam ire coegit . Insolitam ergo rem fratres uidentes : quod asinus præcedens : sarcinati in medio cameli : subsequens eos pariter leo ueniret : mox exeuntes modeste curauerunt beato | nunciare Hieronymo : Quo audito foras egrediens ianuas monasterii patefieri iussit : summeque imperauit silentium : dicens hospitibus nostris id est camelis et asino auferentes sarcinas eos leuigate : pedesque lauate : escas præbete . expectantes quid in hoc facto suis uoluerit dominus seruis demonstrare . Itaque cepit leo ut dudum huc atque illic gratuliabundus † per claustra monasterii ire : singulorumque fratrum se uestigiis sternere : et quasi de perpetrata quam non fecerat culpa alludens cauda ueniam postulabat . Quo uiso fratres pœnitentiam agentes quod ei crudelitatis intulissent crimen : dicebant : Ecce pastorem nostrum quem paulo ante ut uoratorem crudeliter damnabamus : cum quanto eum præconii miraculo ut huic crimen aufferret ad nos dignatus est mittere dominus . Beatus ergo Hieronymus futurorum præscius sic fratribus ait : parati estote fratrees † in his quæ usui refectionis sunt necessaria : ut hi qui nobis sunt futuri absque molestia hospites : sicuti dignum est suscipiantur . Mox utique imperata subsequente ueloci obedientia sunt expleta : paratis quoque iussis sermocinantibusque cum beato Hieronymo fratribus : subito uenit nuncius qui diceret ante monasterii fores hospites adesse : qui cœnobii patrem uidere cuperent . Hoc pater audito portam cellæ patefiri † : eosque ad se ingredi iussit : Qui quamuis uocati erubescendo tamen introierunt : uisoque beato Hieronymo eius se prostrauere uestigiis : pro culpa ueniam postulantes : quos ille ad se clæmenter eleuans ammonuit : ut suis cum gratiarum actionibus rebus utentes aliena tangere non usurparent : ac deinceps sub dei præsentia caute semper uiuerent . hac nimirum prædicatione expleta præcepit : ut reficerentur : refectisque camelis abirent . Tunc illi una uoce pariter dixerunt : Obsecramus te pater : ut ad ecclesiæ lumen necessitatemque fratrum dimidium liquoris olei quod attulerunt cameli suscipi iubeas : quia scimus : et certi sumus : quod plus propter uestram quam nostra utilitate ut negociaremur perreximus ægyptum : quibus beatus Hieronymus ait : Non recte proculdubio postulatis : quia ualde durum uidetur : ut nos qui aliis compati aliorumque necessitatem || subleuare debemus : uos grauemus uestra quibus non indigemus tollite . Tunc illi : Neque inquiunt hic cibum neque quæ sunt nostra accipiemus : nisi quod poposcimus prius fieri iusseris : ita ut prædiximus nunc medium quod attulerunt cameli olei liquorem suscipiatis : et deinceps pollicemur nos nostrosque hæredes uobis uestrisque successoribus omni anno olei mensuram hanc esse daturos : Sicque coactus beatus Hieronymus eorum uiolentis precibus quæ rogauerunt implæri præcepit . Sumpto cibo benedictione cum camelis accepta exultantes ad propria remearunt . Hæc autem Bethleem acta : et ab incolis loci illius ita fuisse narrantur . Bethleem uerò locus splendidus ciuitas fuit Dauid in tribu Iuda : ubi quondam dominus ac saluator ut adimpleretur prophetia : ueritas de terra orta est : in præsepio infra speluncam ex uirgine nasci dignatus est : et par-

uulus uagiit . Quod præsepe auro argentoque ornatum est : sicut refert sanctus Antoninus : et incessanter in eo luminaria ardent : plurimisque seruorum dei undique habitaculis circundatur . Os enim speluncæ ad ingrediendum omnino angustum est : In cuius utique ore id est in ipso præsepis ingressu beatus Hieronymus saxum sculpendo monumentum suum fieri iussit : Vbi præstante domino sæculi peruersitate deuicta positus est pridie calendas octobres expleto ætatis suæ anno nonagessimo primo . Imperii uero Honorii duodecimo anno : Imperante utique illo : cuius anni nec inchoantur nec finiuntur in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTI IACOBI APOSTOLI . |

Cum beatus Paulus apostolus persequentibus Iudæis a Festo teneretur in uinculis: appellauit ad Cæsarem : statimque Festus ordinatis militibus : cum tribuno direxit eum ad iudicium Cæsaris ad urbem Romam . Videntes igitur Iudæi frustratas insidias : quas Paulo intenderant indignati in Iacobum fratrem domini immanitatem nequitiæ suæ uertunt : cui episcopalis hierosolymis ab apostolis diebus illis sedes commissa fuerat . Quem hoc modo adorti sunt : perductum in medium ab negare fidem Christi coram omni populo expetunt . Tunc beatus Iacobus contra omnium opinionem uoce satis libera et multo maiore quam uellent coram omni populo cum omni fiducia confitetur esse filium dei saluatorem dominum nostrum Iesum Christum . Tunc illi non ferentes tam graue et tam liberum testimonium pro eo maxime : quod iustissimus apud omnes habebatur : ob relligiose et continentissimæ uitæ merita in necem eius uæhementer commoti uertuntur fauente sibi occasione temporis ex morte rectoris . Contigit enim Festum per idem tempus obire apud Iudæam : et sine rectore ac principe esse prouinciam . Eo igitur tempore gubernabat ecclesiam cum apostolis frater domini Iacobus : qui ab omnibus cognominatus est iustus ab ipsis domini temporibus perdurans usque ad nos . Et multi quidem Iacobi uocati sunt sed hic ex utero matris suæ sanctus fuit . Vinum et siceram non bibit : neque animal manducauit . Ferrum in caput eius non ascendit . oleo non est perunctus . balneis non est usus . Huic soli licebat introire in sancta sanctorum : Neque enim laneo utebatur indumento sed tantum syndone . Igitur solus ingrediebatur templum : et iacebat super genua sua orans pro populi indulgentia : ita ut orando callos faceret ad modum cameli semper genua flectendo : nec unquam ab oratione cessando . Itaque pro ineffabili continentia et summa iusticia appellatus est iustus . Quidam ergo de septem hæresibus quæ erant in populo interrogabant eum : quod esset hostium Iesu . At ille dicebat || hoc esse saluatorem : Ex quibus aliquanti ex ipsis crediderunt : quia Iesus est Christus filius dei . Ille autem hæreses quas supra diximus non crediderunt neque resurrexisse eum : neque uenturum : ut retribuat unicuique secundum opera sua : Qui uero crediderunt : per Iacobum crediderunt : In quibus cum multi etiam ex principibus credidissent : perturbatio erat Iudæorum et scribarum et pharisæorum dicentium : Nihil iam superest nisi ut omnis populus credat in Iesum : quod ipse sit Christus . Conuenientes igitur ad Iacobum dicebant : Oramus te : ut reuoces populum : quia ecce errant in Iesum : precamur ergo te : ut suadeas omnibus conuenientibus in die festo de Iesu . Tibi enim omnes obtemperamus . de te tam nos quam populus testimonium ferimus quia iustus es : et personam nullius accipis . Tu ergo suade populo de Iesu : quia omnes tibi obedimus . Ascende itaque in excelsum locum pinnæ templi : ut in edito positus appareas omnibus : et uerba tua audiantur a cunctis : quia in die festo conuenit non solum Iudæorum sed et gentilium multitudo . Statuerunt igitur supradicti scribæ et pharisæi Iacobum supra pinnam templi : et cum uoce magna clamantes ad eum dicunt : Virorum iustissime cui omnes obtemperare debemus quoniam populus errat post Iesum : qui crucifixus est : enuncia nobis : quod sit hostium Iesu . Tunc Iacobus ad eos cum ingenti uoce respondit : Quid me interrogatis de filio hominis ? Et ecce ipse sedet in cælo a dextris summæ uirtutis . et ipse uenturus est in nubibus cæli . Igitur cum hæc responsio et testimonium Iacobi clarum coram multis factum esset : et libenter audissent : quæ Iacobus protestatus est : cœperunt glorificare deum : et dicere : Osanna filio dei . Tunc rursum ipsi scribe et pharisæi cœperunt ad inuicem dicere . Male

fecimus tale testimonium præstare de Iesu . sed ascendamus : et præcipitemus hunc dehorsum : ut cæteri terreantur : et non credant . Simul et uoce magna exclamauerunt Oh et iustus errauit : Et completa est scriptura : quæ in Isaia scripta est dicens : Auferamus iustum : quia inutilis est nobis . propterea | fructum operum suorum manducabat . Ascenderunt ergo : et præcipitauerunt eum : et dicebant ad inuicem . Lapidemus Iacobum iustum . Et cœperunt urgere cum lapidibus : qui deiectus de illa altitudine non solum mori non potuit : sed conuersus et super genua sua procumbens dicebat : Rogo te domine deus pater remitte eis peccatum : non enim sciunt : quid faciunt : Cumque eum talia orantem desuper lapidibus perurguerent : Vnus ex sacerdotibus filiis Rechab filii Rechabin de quibus protestatur Hieremias proheta† exclamauit dicens : parcite quæso . quid facitis . pro uobis orat iustus hic : quem lapidatis . et unus ex illis fullonis arrepto fuste : in quo res premere solent cerebrum eius illisit : et tali martyrio consumatus est : ac sepultus prope templum . Hic est Iacobus apostolus : qui ab omnibus appellatus est frater domini cognomento iustus : qui extitit ueritatis testis Iudæis et gentilibus : Quia dominus noster Iesus Christus est filius dei : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTI IACOBI APOSTOLI FILII ZEBEDEI .

Apostolus domini nostri Iesu christi Iacobus frater beati Iohannis apostoli et euangelistæ omnem Iudæam et Samariam uisitabat . Ingrediens per synagogas secundum scripturas sanctas ostendebat omnia a prophetis prædicta : quæ in domino nostro Iesu christo essent impleta . Accidit autem ut quidam Hermogenes magus discipulum suum Siletum nomine mitteret ad eum : qui cum uenisset cum aliquantis pharisæis ad Iacobum : conabatur asserere : quod non uerus esset dei filius Iesus Christus nazarenus : cuius se Iacobus apostolum memorabat . Iacobus autem in spiritusancto confidenter agens omnes assertiones eius euacuabat : ostendens ei ex scripturis diuinis hunc esse uerum filium dei . Reuersus autem ad Hermogenem Siletus dixit ei : Iacobum qui se seruum Christi Iesu nazare || ni asserit et apostolum esse eius scias superari non posse . Nam in nomine eius uidi eum cæcos illuminare : leprososque mundare . Asserunt etiam iam amicissimi mei uidisse se Iacobum mortuos suscitantem . Sed quid multis moramur . omnes scripturas sanctas memoriter retinet : ex quibus ostendit non esse alterum filium dei nisi hunc : quem Iudæi crucifixerunt . Placeat ergo tibi consilium meum : et ueni ad ipsum : et postula tibi indulgentiam ab eo : Quod si non feceris : scias artem tuam magicam in nullo penitus profuturam . Me autem scias ad ipsum reuerti : et petere : ut eius merear esse discipulus . Hermogenes autem hoc audiens repletus est zelo : et fixit Siletum ita : ut se mouere non posset : et dicebat ei : Videamus : si Iacobus tuus soluet te ab his uinculis . Tunc festinanter puerum suum ad Iacobum misit : Cui cum uenisset et nuntiasset ei : statim sudarium suum misit ad eum dicens : Accipiat eum : et dicat : Dominus Iesus christus erigit elisos : et ipse soluit compeditos . Statim autem ut de sudario suo tetigit eum : is qui eum attulerat : resolutus a uinculo magi : currens uenit ad Iacobum insultans maleficiis eius : Hermogenes autem magus dolens quod ei insultaret de arte sua : excitauit dæmones : et misit eos ad Iacobum dicens : Ite et ipsum Iacobum mihi huc adducite simul etiam et Philetum discipulum meum : et uindicem me in eo : ne mihi cæteri discipuli mei taliter incipiant insultare . Venientia autem dæmonia ubi Iacobus orabat : ululatum in aera habere cœperunt dicentia : Iacobe apostole dei miserere nostri : quia antequam ueniat tempus incendii nostri iam ardemus . Dicit eis Iacobus : ut quid uenistis ad me ? Dicunt ei dæmones : Misit nos Hermogenes : ut te et Philetum ad ipsum perduceremus . Mox autem ut ingressi sumus : angelus dei sanctus cathenis igneis religauit nos : et cruciamur . Dicit eis Iacobus : In nomine patris et filii et spiritussancti exsoluat uos angelus domini : ita ut reuertentes ad Hermogenem non eum lædatis : sed uinctum huc eum ad me adducatis . Qui cum abissent : ligauerunt eum restibus manus a tergo : et ita eum addu | xerunt ad Iacobum dicentes : Misisti nos : ubi incensi sumus : et torti : et intolerabiliter consumati . Interea cum ad Iacobum fuisset adductus : dicit ei Iacobus apostolus dei : Stultissime hominum cum inimico generis humani rationem

te habere non consideras : quem rogasti : ut mitteret tibi angelos suos ad læsionem meam : quos ego adhuc non permitto : ut furorem suum tibi ostendant . clamant quoque ipsa dæmonia dicentia : Da nobis eum in potestatem : ut possimus et tuas† iniurias uindicare et nostra incendia . Dicit eis Iacobus : Ecce Philetus ante uos est cur eum non tenetis ? Dicunt ei dæmones : Nos non possumus nec formicam quæ in cubiculo tuo est manu contingere . Tunc beatus Iacobus dicit ad Philetum : ut cognoscas scholam domini nostri Iesu christi hanc esse : discant homines bona pro malis reddere . Ille te ligauit . tu eum solue . Ille te uinctum a dæmoniis ad se conatus est adducere : tu eum captum a dæmoniis liberum ire permitte . At ubi soluit eum Philetus : confussus humilis et deiectus Hermogenes cœpit stare . Dicit ei Iacobus : uade liber : quocumque uolueris . Non est enim disciplinæ nostræ ut inuitus aliquis conuertatur . Dicit ei Hermogenes . Ego noui iras dæmonum . nisi mihi dederis aliquid : quod mecum habeam : tenent me : et diuersis pœnis interficiunt . Tunc dicit ei Iacobus : Accippe tibi baculum itineris mei : et cum eo perge securus quocumque uolueris : et accipiens baculum apostoli domum suam iuit et posuit super ceruicem suam et super ceruices discipulorum suorum et zabernas plenas codicibus attulit ad apostolum dei : et cœpit eos ignibus concremare . Dicit ei Iacobus : Ne forte odor incendii eorum uexet incautos : mitte intra zabernas petras simul et plumbum : et fac eas demergi in mari. Quod cum fecisset Hermogenes reuersus tenere cœpit plantas apostoli : rogans eum et dicens : Animarum liberator accipe pœnitentem : quem inuidentem et detrahentem hactenus sustinuisti . Respondit Iacobus : et dixit : Si ueram deo pœnitentiam obtuleris : ueram eius indulgentiam consequeris . Dicit ei Hermogenes : adeo enim ueram deo pœnitentiam offerro : ut omnes codi || ces meos in quibus erat illicita præsumptio abiecerim : et omnibus simul abrenuntiauerim artibus inimici . Dicit ei apostolus Nunc uade per domos eorum : quos euertisti . Doce esse falsum : quod dicebas esse uerum . Idolum quoque quod adorabas et quas diuinationes tibi putabas ab eo responsa dei confringe . pecunias quas de malo opere acquisisti in bonis operibus expende : ut sicut fuisti filius diaboli imitando diabolum : efficiaris filius dei imittando deum : Qui quottidie ingratis præstat beneficia : et se blasphemantibus exhibet alimenta . Si enim cum malus esses apud deum : bonus circa te extitit dominus : quantomagis erit circa te benignior : si malus esse cessaueris : et bonis cœperis operibus placere ? hæc et his similia dicente Iacobo in omnibus obtemperauit Hermogenes : et ita cœpit in dei esse timore perfectus : ut et uirtutes per eum plurimas faceret dominus . Videntes igitur Iudæi : quia hunc magum quem inuictum putabant ita conuertisset : ut etiam omnes discipuli et amici eius qui solebant ad synagogam conuenire Iesu Christo per Iacobum credidissent : obtulerunt pecunias . Centurionibus duobus qui præerant Hierosolimis . Lisias et Theochlytus tenuerunt eum : et miserunt eum in custodiam . Facta autem sedicione de apostolo dictum est debere eum educi : et secundum legem audiri . Tunc pharisæi dicebant : Vt quid prædicas Iesum hominem quem inter latrones crucifixum omnes scimus ? Tunc Iacobus repletus spiritusancto dixit : Audite uiri fratres et omnes qui uos filios Abrahæ scitis . Promisit omnes patri nostro Abrahæ quod in sæmine eius hæreditentur esse gentes semen autem eius non est hummael sed Israel Hismahel cum matre sua Agar eiectus a portione seminis Abrahe exclusus est : et dictum est Abrahe a deo : in Isaac uocabitur tibi semen . Amicus autem dei Abraham pater noster appellatus est ante quam circuncisionem acciperet : ante quam sabbatum coleret : ante quam legem aliquam diuinæ constitutionis sciret . amicus autem factus est non circuncidendo sed credendo in deum hoc : quod in sæmine eius hereditentur omnes gentes . | Si ergo Abraam amicus factus est credendo : constat inimicum dei fieri : qui non credit in deum : Dixerunt autem Iudæi : quis est : qui non credit in deum ? Iacobus respondit : qui non credit : quod in sæmine eius hæreditentur omnes gentes : Qui non credit moysi dicenti : suscitabit uobis dominus prophetam magnum . Ipsum audictis tanquam me per omnia : quæ præceperit uobis . Hoc autem promissum Ipsaias† prædixit : quo ordine fieret . Ait enim : ecce uirgo concipiet in utero : et pariet filium : et uocabitur nomen eius Emanuel : quod est interpretatum nobiscum deus . Ieremias autem dixit : Ecce ueniet redemptor tuus hierusalem : et hoc eius erit signum : Cæcorum oculos aperiet . surdis reddet auditum : et uoce sua excitabit mortuos : Ezechiel autem assignat dicens : Veniet rex tuus Syon humilis : ut restauret te . Daniel autem

dicit : sicut filius ita aducniet : et ipse obtinebit principatus et potestates . Dauid autem dicit uocem filii dei dicentis : Dominus dixit ad me : filius meus es tu : et patris uox de filio dicit : Ipse inuocabit me : pater meus es tu : et ego primogenitum ponam illum excelsum apud reges terræ . Ad ipsum autem Dauid sermo dei loquitur dicens : De fructu uentus† tui ponam super sedem tuam . De passione autem eius dicit Isaias : sicut ouis ad occisionem ductus est : et dauid in persona eius dicit : foderunt manus meas et pedes meos : dinumerauerunt omnia ossa mea . Ipsi uero consyderauerunt : et conspexerunt me : diuiserunt sibi uestimenta mea : et super uestem meam miserunt sortem : Et in alio loco idem Dauid ait : Dederunt in escam meam fel : et in siti mea potauerunt me aceto . De morte autem eius dicit : Caro mea requiescet in spe : Quia non derelinques animam meam in inferno : nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem . uox autem filii ad patrem dicit : Exurgam : et adhuc tecum suum† : et ietrum† propter misericordiam inopum et gemitum pauperum : nunc exurgam dicit dominus . De ascensione autem eius dicit : Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem : et iterum : ascendit super cherubin : et uolauit : Et iterum : Ascendit deus in iubilatione . Iterum Anna mater sancti Samuelis dicit : Domi || nus ascendit in cælos : et tonat : et multa alia inueniuntur in lege de ascensione eius testimonia . Nam quod sedeat ad dexteram patris idem dicit per Dauid : Dixit dominus domino meo : sede a dextris meis : et quod uenturus sit iudicare terram per ignem : dicit propheta : Deus manifeste ueniet deus noster : et non silebit . Ignis in conspectu eius ardebit : et in circuitu eius tempestas ualida . Hæc omnia in domino nostro Iesu christo impleta : quæ transacta sunt : et quæ nondum facta sunt implebuntur ita : sicut prophetata sunt . Ait enim Isaias : Surgent mortui : et resurgent omnes : qui in monumentis sunt . si interroges : quid erit cum resurexerit . Dicit Dauid audisse se deum loquentem : quidnam : ut probetis ita esse audite quid dicat : Semel locutus est deus duo hæc audiui : quia potestas dei est : et tibi domine misericordia : quia tu reddes singulis secundum opera eorum : Vnde uiri fratres unusquisque uestram† pœnitentiam agat : ut non recipiat secundum opera sua : qui se scit participem esse eorum : qui crucifixerunt eum : qui mundum totum a cruciatibus liberauit . Nam sputamento suo oculos cæci nati aperuit : ut probaretur ipse esse : qui Adam de limo terræ formauerat : lutum fecit de saliua sua : et posuit super loca oculorum : quos non caecauerat infirmitas : sed defuerant per facturam . Nam interrogauimus dominum nostrum Iesum christum dicentes : Quis peccauit : hic aut parentes eius : ut cæcus nasceretur ? Et respondens nobis dixit : Nec hic peccauit nec parentes eius : sed ut manifestentur opera dei in eo : id est : ut manifestus fieret artifex : qui eum fecerat : cum ipse faceret : quod minus fecerat . nam et hoc quod pro bonis mala recepturus esset : prædictum est in persona eius per Dauid : cum diceret : retribuerunt mihi mala pro bonis et odium pro dilectione mea . Denique posteaquam paralyticos curauit : leprosos mundauit : cæcos illuminauit : dæmones fugauit : et mortuos suscitauit : omnes una uoce clamauerunt : reus est mortis : et quod a suo discipulo tradendus erat : hoc ordine prædictum est per Dauid : Qui edebat panes meos : ampliauit aduersus me supplantationem . hæc om | nia uiri fratres filii abrahæ prædixerunt : loquente per os eorum spiritu sancto . Numquid si hoc non credimus poterimus euadere perpetui ignis supplicia : aut non merito puniendi erimus : cum gentes credant uocibus prophetarum : et non credamus nos patriarchis et prophetis nostris ? Erubescenda et punienda tot factis et sceleribus crimina lachrymosis uocibus lugeamus : ut pœnitentiam nostram pius indultor accipiat : ne illa nobis eueniant contemptoribus : quæ in Moise leguntur et in Dauid : aperta est terra : et deglutiuit datham : et operuit super synagogam Abiron . Exarsit ignis in synagoga eorum : et flamma combussit peccatores . Hæc et his similia dicente Iacobo : tantam dominus gratiam apostolo suo contulit : ut omnes una uoce clamarent : peccauimus . iniuste egimus . da remedium quid faciamus : Quibus Iacobus ait : uiri fratres nolite desperare . credite tantum : et baptizemini : et delebuntur omnia peccata uestra . Post aliquot dies Abiatar pontifex anni illius uidens tantum populum domino credidisse : repletus zelo per pecunias excitauit sedicionem grauissimam : ita ut uir unus scriba phariseorum mitteret funem in collo eius : et perduceret eum ad prætorium herodis regis : Herodes autem filius Archelai regis iussit decollari eum : Cumque duceretur ad decollationem uidit paralyticum iacentem : et clamantem : Sancte Iacobe apostole Iesu christi libera me a doloribus : quibus omnia

membra mea cruciantur : et ait ad eum : In nomine domini nostri Iesu christi pro cuius fide ducor ad decollationem exurge sanus : et benedic saluatorem tuum . Et protinus surrexit : et gaudens cucurrit : et benedixit nomen domini nostri Iesu christi : tunc ille scriba pharisæorum qui funem ei in collum misit et traxit eum mittens se ad pedes eius qui quidem Iosias : id enim nomen ei erat obsecro te ait : des mihi indulgentiam : et facias me nominis sancti participem . Intelligens autem Iacobus uisitatum cor eius a domino : dixit ei : Tu credis : quia dominus Iesus christus quem crucifixerunt Iudæi : ipse sit uerus filius dei uiui ? et ait Iosias : Ego credo : et || hæc est fides mea ex hac hora : quia ipse est filius dei . Tunc Abiatar pontifex fecit eum teneri : et dixit ei : Si non discesseris a Iacobo : et maledixeris nomen Iesu : cum ipso decolaberis . Dicit ei Iosias : Maledictus tu : et maledicti omnes dies tui . Nomen autem domini Iesu christi quem Iacobus prædicat est benedictum in sæcula . Tunc Abiatar iussit pugnis cædi os eius : et missa de eo legatione ad Herodem : impetrauit : ut simul cum Iacobo decollaretur . uentum est autem ad locum : ubi capite plectendi erant : et dixit Iacobus spiculatori : prius quam nos decolles : facito nobis aquam dari : Et allata est ei lagena aqua plena . Tunc dixit ad Iosiam : Credis in patrem et filium et spiritumsanctum ? at ubi dixit Iosias : credo : perfudit eum Iacobus : et dixit ei : Da mihi pacis osculum : Cumque osculatus esset eum : posuit manum suam super caput eius : et benedixit eum : Et fecit signaculum crucis Christi in frontem eius : atque ita perfectus in fide domini nostri Iesu christi cum apostolo eadem hora martyr effectus perrexit ad dominum : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

PASSIO SANCTI IACOBI INTERCISI .

Temporibus Germani principis persarum : erat in regione Eluza in ciuitate Bilape uir quidam Iacobus nomine genere nobilis fama insignis religione christianus et timens deum christianisque parentibus ortus . Nam et mater et uxor eius Christum colebant . Eratque notissimus regi et inter optimates primus . Diligebatur autem a principe plurimum et eum frequenter maximis honorabat donis . Accidit autem : ut seduceretur a principe propter nimii amoris magnitudinem in idolatriæ culturam : Cumque ad matris et uxoris hoc noticiam peruenisset nimio merore turbate : cum omni festinatione scripserunt ad eum dicentes : Non expedierat te a uia ueritatis auerti : ut uolens placere mortali regi : mutares ueram fidem in mendacium et obtemperando | temporali principi : æterni regis offensam incurreres : et caducis ac transitoriis donis intendens a caritate dei quæ manet in æternum recederes . Consydera igitur et diligenter o fili perpende : cuius uoluntatem secutus sis : et quem negaueris : obediendo mortali : deseruisti sempiternum : qui uita est . placendo cito future putredini : deseruisti odorem indeficientem . obtemperando ei qui mox deficiens cum mortuis deputabitur : abiecisti eum : qui iudicaturus est uiuos et mortuos : Quibus te donis iis : qui te seduxit : eripiet ab eius iudicio quem contempsisti : cum uenerit in maiestate sua iudicare omnes ? quo a facie eius abscondi poteris : cui omnia præsentia sunt ? Qua fronte factori tuo et redemptori te præsentaueris : quem negasti adorando surda et muta idola ? Scias igitur quoniam si in hac permanseris insipientia et contempseris misericordiam eius : qui tibi spatium resipiscendi tribuit : et eius spreueris patientiam qui te expectat ad pœnitentiam : simul cum principe tuo : cuius amiciciæ fauendo ad tam nefandam deuenisti ignauiam : cito morieris : æternoque deputaberis incendio : ubi nec uermes te lacerantes deficient : nec ignis te consumens extinguetur in æternum : et a te de cætero noueris nos extraneas nec sortem ulterius nobiscum habere ullomodo poteris . tempore scilicet illo quo ad eum peruenerunt hæ litteræ : quas mater et uxor direxerant : princeps perrexerat ad montana : morabaturque in montibus : quas cum legeret is ad quem destinatæ fuerant : cœpit amare flære : et dicere : Quando mater mea et uxor extraneæ a me factæ sunt : haud dubium quod multo magis mihi extraneus factus est deus : et auertit faciem suam a me dominus noster Iesus christus : quem contempsi adorando muta et surda symulacra . hæc illo replicante amaræ fuerant lachrymæ extrinsecus : interius uero pœnitentia germinabat fructus huberes more fontis salientis in uitam æternam . Et currens ad tabernaculum suum sacrarum scri-

pturarum delectationi contulit sese . Et quasi a graui somno euigilans : ubi est inquit anima mea ? ubi et corpus meum conuertendum cito in puluerem ? Si mater mea quæ genuit me : et me educauit ab infantia : et uxor in tan || tu† contristatæ sunt propter cordis dementiam : ut cum iuramento denunciarent se a me ulterius fore extraneas : et amici contristati pro transgressione mea recesserunt a me : quid deus faciet : a quo recessi : et cuius pactum transgressus sum ? In resurrectione omnium cum rectis corde merces recompensabitur : in quam partem miser deputabor qui ueritatem commutaui in mendacium ? Heu mihi : quale remedium requiram animæ meæ ut redeam ad locum : et progrediar unde depulsus fui ? Quis quærenti ducatum præstabit mihi nisi ille : qui pulsanti aperit ianuam ? Videns autem insidiator humani generis hunc quem se deglutisse arbitrabatur suo abstractum gutture : et dolens tantæ prædæ se perpeti dispendium : mox incitauit : qui principi dicerent : Iacobus hic quem præ cuntis† diligis tua o princeps contemnit monita et Iesu nequam sectam sequitur . His auditis indignatus princeps iussit sibi præsentari Iacobum : et sedens pro tribunali dixit ad eum : Dic mihi si Nazareus es . Iacobus dixit : Etiam Nazareus sum . Princeps dixit : Ergo magus es . Iacobus respondit : Absit a me magum esse . Princeps dixit : Scias proculdubio : quia si non a secta hac discesseris : multiplices tibi pœnas inferam . Cui ille respondit . Noli excitari animo princeps et multiplicare minas uentosis fabulis : sed opere exerce quæ promittis . Neque enim conturbant me minæ tuæ : quia tanquam uentus supra petram flans ita furor tuus aures meas frustra pertransit . Et princeps Quidquid sectæ in diebus patris mei inuentum est : nolentes ab ea discedere morti sunt traditi . Beatus Iacobus dixit : hoc fideliter Christum deprecor : ut sicut illi mortui sunt : ita et ego moriar : quatinus in eorum consortium deputari merear . Princeps dixit . Noli imprudenter agere ne graui morte pereas . beatus Iacobus dixit hæc mors non mors dicenda est : sed somnus potius ad cuius transitum post modicum resurrectio tribuitur . Et princeps dixit : Non te seducant nazarei dicentes : mortem esse somnum a quo post paululum expergiscitur : quia et magni imperatores timent eam . Beatus Iacobus dixit : merito imperatores reges et magnates timent eam : | qui uero deo non seruiunt : sed spem suam ponut† in sæculi pompis : quia scriptum est : Mortuus est autem et diues et sepultus est in infernum : et spes eius periit . Et item spes impiorum peribit . Princeps dixit : Existimatis nos nazarei uobis similes : qui deorum culturam uacuatis non adorantes solem et lunam ignem et aquam : qui sunt magni dii : At Beatus Iacobus dixit . Noli inquit errare o rex : quoniam scriptum est : Qui certamen pro deo subeunt : hii filii dei uocabuntur : Vos . autem deum prouocatis ad iracondiam adorantes surda et muta omnique sensu carentia idola fabricata et contemnitis eum : qui uos creauit : et uobis hoc regnum tribuit . His auditis princeps furore succensus est et facies eius ut ignis exarsit . et precepit uenire sapientes et satrapas et ait ad eos : Dicite qua morte dignus sit magnorum contemptor iste deorum : quorum quidam semper ad malum promptior ait Rex in æternum uiue . Hic ut aliis terrorem inferat : communi cæteris hominibus non debet morte perire uel sola : sed potius multiplicatis coaceruatisque decies cruciatibus interire . Expedit namque eum extendi et tunc membratim partiri ita demum : ut primo digiti manuum uel pedum eius abscidantur : et postea brachia et pedes uellantur : uenter et genua tollantur singillatim : et capite truncetur . Annuit princeps nefandis eius consiliis : et iussit : ut fieret : sicuti impius censuerat . Rapitur continuo a lictoribus beatus Iacobus : et primo diluculo ad locum certaminis ducitur : quo conuenit uniuersa ciuitas expectans euentum eius cernere . Christiani uero qui aderant audientes tam crudelem tyramni sententiam flæbant orantes deum : et dicentes : Rex regum et dominus dominantium multiplica in eo gratiam tuam tu qui es infirmorum uirtus et imbecillium fortitudo et potentia conforta seruum tuum Iacobum . Da ei constantiæ uirtutem in tanto certamine quia tu es Christus uictoria pro nomine :† tuo certantium . Perueniens autem beatus Iacobus ad locum certaminis in quo coronatus est : rogauit lictores dicens : Aliquantulum rogamus spatium concedite confitendi domino : quibus annuentibus || eius precibus uertit se ad orientem : et fixis genibus in terra : expanssisque manibus ad cælum orabat dicens : Exaudi domine orationem serui tui Iacobi in hac hora : et fac mecum signum in bonum : ut fieri merear eorum particeps : qui pro tui nominis confessione persecutionem passi sunt : ut uincam in uirtute tua magna : et dignus inueniar immarcessibilem gloriæ coronam percipere cum electis tuis : et uideant inimici mei : et con-

fundantur : quoniam tu domine adiuuisti me : et consolatus es me . Adhuc illo orante iniecerunt in eum manus ligantes immisericorditer . Quidam autem de assistentibus infideles compatientes illius industriæ et speciei status et pulchritudini flæbant et hortabantur dicentes ad illum : Non tam insensate perdas animam tuam : sed parce ætati tuæ et corporis pulchritudini et consule domui substantiæque tuæ : et uoluntatem principis fac antequam pereas . Similiter et cæteri dicebant : qui aderant ad spectaculum . Beatus Iacobus respondit : Nolite rogo super me flære sed super uosmetipsos plangite et super filios uestros : quoniam modicum uobis in hoc mundo requies est : in quo confiditis : et hereditatem æternæ pœnæ cum dæmonibus possidebitis : quos adoratis . Ego autem confido in domino Iesu Christo : quia pro nece hac quam coram patior : uitam æternam possidebo . Non enim apud eum est iniustitia . Hæc eo dicente accesserunt carnifices et absciderunt ei pollicem manus dextere : Et clamans beatus Iacobus dixit : Liberator nazarene suscipe ramum arboris misericordiæ tuæ : nam a cultore uineæ sarmentum absciditur uitis : ut potius germinet : et huberius coronetur . Dicit ei carnifex : Sufficiat tibi unius digiti abscisio : quia si uis medicamen ad sanandum adhibeo : tantum parce corporis speciei . Aperiens os suum beatus Iacobus dixit : Nonne perspexisti stipitem uitis : quia cum sarmenta ei putantur : ille qui nudus remanet suo tempore cum terra calescere incipit : et per singula abscisionis loca producit germina . Perpende igitur insensate : si uitis mutatur uicissitudine temporis : ut germinet : quanto magis fidelis homo qui in ueritate Christo complantatus est . Accessit impius et secundum abscidit | digitum . Beatus Iacobus dixit : Domine suscipe duos ramos ab arbore quam plantauit dextera tua . Abscidit et tertium : et beatus Iacobus dixit : Cum tribus pueris de camino ereptis confitebor tibi domine : et choris martyrum psallam nomini tuo Christe . Abscidit et quartum : Beatusque Iacobus dixit : protector filiorum Israel : qui in quarta Iudæ benedictione pronunciatus es : suscipe a seruo tuo confessionem quarti digiti tanquam in Iuda benedixisti . Abscidit et quintum : Et dixit beatus Iacobus : Completum est gaudium meum . Accesserunt carnifices ad sinistram manum et dixeruut† : Quid dicis ? consydera et fac uoluntatem principis : ne pereas : sed possis uiuere. Multi enim sunt in mundo unam habentes solummodo manum : et bene conuersantur : abundantque immensis opibus : et tu noli tristari : quia perdidisti unam manum : sed parce animæ tuæ : et ne patiaris artus tuos singillatim abscidier uidentibus oculis tuis . Beatus Iacobus dixit : Quando pastores incipiunt pecus tondere : non ne totum uellus aufertur ? Nunquid ne sinistrum relinquunt ? Arbitror relinquenti sit uerecundia : si sinistrum uellus remaneat . Nam et ipsum pecus totum uellus uult amittere : licet brutum sit animal : quanto magis homo rationalis quem oportet laudare et glorificare deum : qui me suo gregi annumerare dignatus est : recusabo membratim pro Christo abscidi ? Hæc eo dicente aggressi sunt incidere digitos sinistræ manus : et incipientes absciderunt minimum . Beatus Iacobus ait minimus sum in conspectu tuo domine : Nam et tu cum magnus sis domine temetipsum humiliasti : et a maiestate usque ad nos descendisti : et pro nobis mortem gustasti . Vnde et ego cum læticia reddo tibi corpus et animam : quam creasti : et proprio sanguine redemisti sciens : quoniam tu domine in fine temporis illæsum illud resuscitabis . Addiderunt abscidere ei et proximum : Sed ipse in gloria Christi exardescebat magis ac magis : et dicebat : Septies in die glorificabo patrem et filium et spiritumsanctum . Addiderunt abscidere octauum : et dixit beatus Iacobus : Octauo die circunciditur hebreus : ut transeat ad legales cerimonias : et mens mea serui || tui domine segregatur hodie ab his circuncisis corde : et coinquinatum habentibus præputium : ut ueniam et conspiciam faciem tuam domine . Inciderunt etiam et nonum digitum : et dixit : Circa nonam adhuc horam Christe extensus eras in cruce pro peccatis nostris : Vnde et ego in dolore digiti confiteor domine : qui dignaris me ad confessionem tui perducere nominis . Absciderunt et decimum : et dixit : In libro genesis computatur numerus : et Moysi et Iesu totius mundi liberatoris nomen conscribitur . Tunc accesserunt quidam de astantibus noti eius flæntes atque dicentes : O dilectissime nostri quondam contubernii . consule iuuentuti tuæ licet abscisis manibus : et non te conturbet . Sunt namque peritissimi medici : qui adhuc tuis doloribus subueniant . satisfac tantum uoluntati principis : ut uiuere ualeas . Profitere tantum coram principe : ut eius uoluntati pareas : et egressus adora : quod uolueris . Intuens autem in eos beatus Iacobus dixit : Absit a me hæc nefaria simu-

latio . Nemo enim mittens manum suam in aratrum et retro aspiciens aptus est regno cælorum . Tunc indignati carnifices accesserunt : et absciderunt pollicem dextri pedis : Et beatus Iacobus dixit : Gloria tibi Christe : quoniam humanam carnem ex uirgine dignatus es suscipere : et lancea latus tuum apertum est : unde sanguis nostræ redemptionis et aqua emanauit baptismatis : qui dignatus es pedem intingere in sanguine : conforta me domine : Absciderunt et secundum pedis digitum : Et beatus Iacobus dicit : Magna mihi dies hæc præ omnibus diebus . Prius enim quam certamen inirem uana erat gloriatio mea et mens mea sæcularia diligens : unde et cogitationes meæ uariæ impediebant orationem meam : quia ubi thesaurus hominis est : ibi est et mens illius . Quotiens namque orante me in dominica domo montium et uallium profunda mente lustrabam ? hodie quippe ad domini sortem conuersus ibo . Absciderunt et tertium digitum : proieceruntque ante ipsum : et subridens beatus Iacobus dixit : Vade tertie digite ad socios tuos : et quemadmodum granum tritici cadens in terra | multum fructum affert : et sicuti uisus in oculis requiescit : ita et tu in nouissimo cum sociis tuis requiesce . Absciderunt et quartum : et beatus Iacobus dixit : Quare tristus† es anima mea : et quare conturbas me ? Spera in deo : quoniam adhuc confitebor illi salutare uultus mei et deus meus . Absciderunt nihilominus et quintum : Et beatus Iacobus dixit : Nunc incipiam dicere ad dominum meum : quoniam dignum me fecit seruis suis . Tunc accedentes ad sinistrum pedem absciderunt digitum paruum : Et dixit beatus Iacobus : Digite parue confortare : quia paruus et magnus unam habent resurrectionem . Capillus capitis a conspectu domini non peribit : quanto magis tu a sociis tuis minime separaberis . Absciderunt et secundum digitum : Et dixit beatus Iacobus : Destruite ueterem domum : quoniam splendidissima ei præparatur et fortior . Absciderunt et tertium digitum : Et beatus Iacobus dixit : Sicut firmatur incus ferrarii : cum plurimum super eam ferrum producitur : nec dolet : nec sentit : ita et ego confortatus in domino Iesu christo illata a uobis tormenta nihil appendo : Absciderunt et quartum : Et dixit beatus Iacobus : conforta me deus ueritatis : quoniam in te confidit anima mea : Et in umbra alarum tuarum sperabo : donec transeat iniquitas . Absciderunt et quintum : et tanquam a somno expergefactus dixit : Iudica me deus : et discerne causam meam de gente non sancta . Ecce et tibi domine uicies hodie immolor propter nomen tuum : et tanquam lupi rapaces in me sæuientes non pepercerunt plasmati tuo . Tunc seniores et populi qui uenerant ad spectaculum dixerunt : Neque audiuimus a sæculis : neque uidimus talia quempiam passum . Tortores autem quibus imperatum fuerat sanctum lacerare corpus tædio affecti exarserunt in furorem : accesseruntque : et absciderunt dextrum ipsius pedem : Et dixit beatus Iacobus : Omnia membra mea quæ abscidistis offeram munus cælesti regi : pro cuius amore hæc patior . Et absciderunt ei pedem sinistrum : et beatus martyr dixit : Exaudi me domine : quoniam bonus et misericors es omnibus inuocantibus te . Et apponentes absciderunt et dexteram manum . || Beatus Iacobus exclamans dixit : Misericordia tua domine adiuuet me libera me : et eripe me de inferno inferiore . Absciderunt et sinistram manum : Et beatus martyr dixit : Tu es deus : qui facis mirabilia exaudi me domine : et salua me . Abscisis singillatim artubus beati martyris : nec sic bachantium satiata est rabies : sed addiderunt brachium abscidere : Et aperiens Christi martyr os suum dixit : Lauda anima mea dominum Laudabo dominum in uita mea psallam deo meo quandiu fuero . Suauis sit ei laudatio mea . ego uero delectabor in domino . Absciderunt et eius brachium dextrum : Et beatus Iacobus dixit : Circundantes dolores circundederunt me : et in nomine domini uindicabor in eis . Virtus mea et laus mea dominus : et factus est mihi in salutem . Tunc furiose accedentes absciderunt suram dextri cruris scindentes usque ad femur . Quis hæc audiens abstineat a lachrymis ? Tunc beatus Iacobus ineffabili dolore grauatus exclamauit uoce magna dicens : Domine Iesu Christe adiuua me : quoniam circundederunt me genitus† mortis : Et irridentes homicidæ crudelissimi dixerunt : Nonne pridem tibi dixeramus : quoniam multa et horribilia imminent tormenta : nisi principis nostri uoluntati parueris : Quibus beatus Iacobus Vultu sereno respondit : Inquisitus hactenus tormenta contempserim : sed hoc uos scire uolo : quia præsto est mihi dominus meus Iesus christus : qui me noua carne induet : quam uulnera uestra maculare nequeunt : uel contingere : Ad cuius uisionem exardesco plurimum : cum eum intueor . Defecerant enim carnifices : eo quod a prima diei hora sancti uiri membra partiri cœperunt : et nona iam hora existeret . O quan-

tus ille dies qui tam horribilibus tormentis expensus est . Tunc furore amministrante resumptis carnifices uiribus accesserunt ad sinistri cruris suram : et abscidendo usque ad femur abstraxerunt . Pendebat igitur beatissimi Iacobi corpus cunctis abscissis membris solo capite pectore et uentre remanentibus : reliquis membris in terram conspersis : Veluti si quis domum cuiuslibet potentis diuersis floribus conspergat et uelut cypressus odoratissima trun | catis ramis a stipite solo nubifero in uertice remanentibus : Et exclamans clara uoce beatus martyr dixit : Dominator domine exaudi me semiuiuum uiuorum et mortuorum deus . Digitos non habeo : ut ipsos porrigam ad te . pedes mei truncati sunt . brachia mea abscisa sunt . genua demollita sunt . femora deserta† sunt : et sum uelut casura domus ab latis quibus sustentabatur columnis . Exaudi me domine Iesu christe : et consolari me dignare iustorum consolatio : et educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo : ut lætus glorificem te cum sanctis confessoribus et martyribus tuis : qui ab oriente et occidente aquilone et meridie laudem dant tibi deo patri et unigenito filio et sancto spiritui nunc et semper et per infinita sæcula sæculorum amen . Hæc cum dixisset : accessit unus de carnificibus : et amputauit caput eius : cuius spiritus a choro angelorum ductus est ad gloriam illius : pro cuius amore tanta ac talia perpessus est tormenta . Coronatus est autem beatissimus dei martyr Iacobus sub Arara rege persarum temporibus Honorii et Theodosii christianissimorum imperatorum mense nouembrio die mensis eiusdem uigesimo septimo feria sexta . Accesserunt autem christiani : qui aderant offerentes carnificibus dona non modica : ut liceret eis sparsa membra colligere sanctissimi martyris . Verum illi propter impii tyramni timorem acquiescere noluerunt . Vespere autem facto discesserunt carnifices propter immanes immitesque loci bestias : sed potius hoc dei factum esse nutu credendum est : Et accedentes christiani : qui prius sanctum corpus emere uoluerunt : et rapientes illud cum celeritate sepelierunt cum hymnis et canticis dignanter cantantes et psallentes domino : qui coronas uictoriæ tribuit martyribus suis : Cui est honor et gloria uirtus et imperium per omnia sæcula sæculorsm† Amen .

PASSIO SANCTI IGNATII EPISCOPI ET MARTYRIS . ||

Ignatius fuit discipulus beati Iohannis euangelistæ et episcopus antiochenus . Hic epistolam ad beatam uirginem dirrexisse legitur in hæc uerba : Christiferæ Mariæ suus Ignatius . Me neophitum Iohannisque tui discipulum confortare et consolari debueras : de Iesu enim tuo percepi mira dictu : et stupefactus sum ex auditu : A te autem : quæ semper fuisti ei familiariter coniuncta : et secretorum eius conscia : desydero ex animo certior fieri exauditis . Valeas : et neophiti qui mecum sunt ex te et per te et in te confortentur . Beata autem uirgo dei gentrix† Maria in hæc uerba sibi respondit : Ignatio dilecto condiscipulo humilis ancilla Iesu christi . De Iesu quæ a Iohanne audisti et didicisti : uera sunt . Illa credas . illis inhæreas : et christianitatis uotum firmiter teneas : et uitam et mores uoto conformes . Veniam autem una cum Iohanne te et qui tecum sunt uisitare . Sta : et uiriliter age in fide : nec te commoueat persecutionis austeritas : sed ualeat et exultet spiritus tuus in deo salutari tuo . Amen . Tante autem auctoritatis beatus Ignatius extitit : quod etiam Dionysius Pauli discipulus qui fuit in philosophia summus et in diuina scientia perfectus uerbum beati Ignatii ad confirmationem dictorum suorum tanquam per auctoritatem adduxerit . Cum enim ut ipse in libro de diuinis nominibus attestatur : quidam nomen amoris in diuinis repræhenderent dicentes : indiuinius esse nomen amoris quam dilectionis : uolens ostendere hoc nomine amoris per omnia in diuinis esse utendum : ait : Scribit autem diuinus Ignatius amor meus crucifixus est . Legitur in historia tripartita : quod Ignatius audiuit angelos cantantes antiphonas super montem quendam : et exinde instituit antiphonas cantari in ecclesia : et psalmos secundum antiphonas intonari . Cum igitur beatus Ignatius diu pro pace ecclesiæ exorasset : non suum sed infirmorum periculum metuens : Traiano imperatori de uictoria redeunti et christianis omnibus mortem minanti occurit : et libere se esse christia | num asseruit : Quem Traianus ferro uinctum decem militibus tradidit : et romam adduci præcepit minans eidem : quod traderetur bestiis deuorandus . Cum ergo Romam duceretur : ad omnes

ecclesias epistolas destinabat : et eos in fide Christi confortabat : quarum unam ad romanam ecclesiam scripsit : sicut legitur in historiis ecclesiasticis rogans : ne suum martyrium impediant : Vbi sic dicit : a Syria usque Romam cum bestiis terra marique de pugno die ac nocte connexus et colligatus decem leopardis militibus ducor ad custodiam datis : qui ex beneficiis nostris sæniores† fiunt : sed ego eorum nequitiis magis erudior . O salutares bestiæ quæ præparantur mihi : quando uenient ? quando emittentur ? quando eis licebit frui carnibus meis ? Inuitabo eas ad deuorationem meam : et deprecabor : ut in nonnullis fecerunt : ne forte timeant contingere corpus meum : Quinimmo et si conctabuntur : ego uim faciam ego me ingeram . Date quæso ueniam . Ego noui : quid mihi expediat . Ignes : cruces : bestiæ : dispersiones ossium : discerptiones omnium membrorum et totius corporis et omnia pene in me unum supplicia diaboli arte quæsita conflentur : dummodo Iesum christum merear adipisci . Cum ergo Romam uenisset : et ante Traianum adductus fuisset : dixit ei Traianus : Ignati cur Antiochiam rebellare facis : et gentem meam ad christianitatem conuertis ? Cui Ignatius : utinam et te possem conuertere : ut semper obtineres fortissimum principatum : Cui Traianus : Sacrifica diis nostris : et sacerdotum omnium princeps eris : Cui Ignatius nec tuis diis sacrificabo : nec tuam dignitatem affecto . De me quicquid uis : facere poteris : sed nullatenus me mutabis . Traianus dixit : plumbatis scapulas eius contundite et ungulis latera laniate : et duris lapidibus eius uulnera confricate : Cumque hæc omnia in eum fecissent : et ipse immobilis permaneret : dixit Traianus : carbones uiuos afferte : et ipsum nudis plantis ambulare facite : Cui Ignatius : nec ignis ardens nec aqua ebulliens poterit in me Christi Iesu extinguere caritatem : Cui Traianus maleficia sunt : quod tanta patiens non sentis : Cui Ignatius : Nos chri || stiani malefici non sumus : sed in lege nostra maleficos uiuere prohibemus . uos autem malefici estis : qui idola adoratis : Traianus dixit : Dorsum eius ungulis laniate : et plagas eius sale perfundite . Ad quem Ignacius : Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam . Traianus dixit : iam nunc eum tollite . uinculis ferreis alligate . in imo carceris custodite . sine cibo et potu eum permittite : et post triduum bestiis deuorandum date . Tertia die imperator et senatus omnisque populus conuenerunt : ut uiderent episcopum antiochenum : qui erat cum bestiis pugnaturus : Dixitque Traianus : Quoniam Ignatius superbus et contumax est : ipsum alligate : et duos leones ad ipsum laxate : ut de eo reliquias nullas relinquant : Tunc sanctus Ignatius dixit ad populum : qui astabat : uiri romani qui certamen aspicitis non sine mercede laboraui : quia non propter prauitatem sed propter pietatem hoc patior . Deinde cœpit dicere : sicut in historia ecclesiastica legitur : frumentum Christi sum . Bestiarum dentibus molar : ut panis mundus efficiar . Hoc audiens imperator dixit : Grandis est tolerantia christianorum grecorum : ut tanta tolerent pro deo suo . Ignatius respondit : Non hæc mea uirtute sed Christi adiutorio toleraui : Tunc sanctus Ignatius leones cœpit prouocare : ut ad se deuorandum accurrerent . Accurrentes igitur duo sæui leones ipsum tantummodo præfocauerunt . carnem tamen eius nullatenus tetigerunt . Traianus autem hæc uidens cum nimia admiratione discessit : præcipiens ut non prohiberetur : si quis uellet tollere corpus eius : quapropter christiani corpns† eius tulerunt : et ipsum honorifice sepelierunt : Cumque Traianus litteras quasdam recepisset : in quibus plurimos christianos quos imperator occidi iusserat plurimum commendabat : doluit de iis : quæ Ignatio intulerat : præcepitque : quod nullus christianus inquireretur : si quis tamen incideret puniretur . Legitur autem : quod beatus Ignatius inter tot tormentorum genera nunquam ab inuocatione nominis Iesu christi cessabat : quem cum tortores requirerent : cur hoc nomen totiens replicaret ait : hoc nomen cordi meo scriptum habeo : et | ideo ab eius inuocatione cessare non ualleo . Post mortem igitur eius : qui audierant uolentes hoc curiosius experiri : cor eius ab eius corpore auellunt : et illud scindentes per medium : totum cor inscriptum hoc nomine Iesus christus litteris aureis inueniunt : unde ex hoc plurimi crediderunt . De hoc sancto sic dicit Bernardus super psalmum : Qui habitat : magnus ipse Ignatius auditor discipuli : quem diligebat Iesus : martyr et ipse : cuius pretiosis reliquiis nostra est ditata paupertas : Mariam quidem in pluribus quas ad eam scribit epistolis Christiferam consalutat . Egregius plane titulus dignitatis et commendatio honoris immensi .

IN INVENTIONE CAPITIS SANCTI IOHANNIS BAPTISTE PRAEFATIO .

Domino uenerando mihi Gaudentio abbati Dionysius carissimorum fratrum : Quos per Christi gratiam regitis cura studiumque me compulit : ut religiosa materia quæ de inuentione capitis beati Iohannis baptistæ græco sermone conscripta est : latino per me redderetur eloquio : conueniens esse dicentes : ut in natali eius quo inter natos mulierum maior nemo surrexit : hæc relatio quæ de illo traditur populis intimetur . promptis igitur animis spatio licet breui quod poscebatur expleui : maxime quia sanctitatem tuam hoc idem fieri uelle cognoui . Nec hoc sine diuino nutu gestum esse perspicio : ut idem sanctus Iohannes præuius domini : ueritatis præco : prophetarum culmen : omnium institutor monachorum : sicut primum se monachis ostendit : qui sacratissimum caput eius de domo herodis quondam regis impii sustulerunt : Dein allatum in emissa dum multis ignoratur ibi temporibus : idem monachis sese declarauit : ita nunc officio monachorum quamuis humilium hanc de se romanis historiam manifestare dignatus sit . Venerandi credo propositi delectatus obsequio : quatenus per eos qui singularem sectantur uitam eius in Christo panderet gloriam . Et hoc dicimus non || quod uobis† alicuius præclari meriti conscientiam insolentius arrogemus : sed quod per se pia professio sanctum præferat studium : licet eidem nostra desyderiosa conuersatio non æquetur . Qualem uero tunc idem beatissimus exegerit uitæ modum quis fidelium poterit ignorare ? Nam præter illam diuini muneris eximiam largitatem qua de repromissione conceptus est : et adhuc intra materna conclusus uiscera : de utero quem fæcundauit sterilem in utero sancte uirginis agnouit uniuersitatis auctorem : præter illam quoque gloriam singularem qua baptista Christi et amicus cælestis extitit sponsi : sepe solitarius in desertis locis abditisque moratus est : die noctuque in ieiuniis et orationibus perseuerans uestitus camelorum pilis et locustis pastus ac melle siluestri : Quæ omnia summæ continentiæ atque frugalitatis indicia sunt . Quibus uuiuerso† mundo cum suis pompis deliciisque renuntians nihil aliud dignabatur uidere quam Christum : Cui etiam ad suum baptisma uenienti testimonium perhibuit dicens : ecce agnus dei . ecce qui tollit peccatum mundi : Cumque tam præclaris actibus atque magnificis insinuaret omnibus exempla uirtutis : principes tamen sacerdotum cum scribis et pharisæis meritis eius insanis auribus exprobrabant : quod dominus noster in euangelio testatur : et dicit : uenit Iohannes baptista neque manducans neque bibens : et dicitis dæmonium habet : sicuti nunc plærique christianorum pharisæorum sine dubitatione consimiles : si forte dei famulos uiderint abstinentes in eadem gestiunt conuicia atque maledicta prorumpere : et rem quam imitatione deberent assequi : suis insequi contumeliis non uerentur : ut probabilis uita rumoribus malignis exposita laudanda perseuerantiam tenere non ualeat : qua feruorem cæteris æmulationis accendat . Hoc autem odium de morum dissimilitudine sustinemus : ut id quod dominus noster ait in euangelio : in nobis etiam comprobetur : Si de hoc mundo essetis : mundus quod suum erat diligeret . Sed quia de mundo non estis : propterea odit uos mundus . Hæc mundi odia hic idem sanctus Iohannes : cuius hodie natiuitatis ab ecclesia toto terra | rum orbe celebratur : etiam temporibus Iuliani tyramni potius quam principis in suo reliquo corpore pertulit : quod a discipulis eius sepulturæ tunc traditum sacratissima euangelia retulerunt . Nam gentilium fera crudelitas impiissimi atque apostatæ illius moribus congruens effracto beatissimi tumulo ossa eiusdem amens extraxit : ignique comburens redegit in puluerem : et passim uesano furore dispersit : Sed gratia Christi quæ suorum dirigit corda famulorum per illos dies monachos ab hierosolymis ibidem causa orationis adduxerat : Qui uidentes tam scelestum facinus ab impiis perpetrari : stupentibus ipsis gentilibus easdem uenerandas reliquias abstulerunt : moxque inde profecti sunt thesaurum secum mirabile deferentes . Ecce rursus obsequium monachorum diuinitus procuratur : ut quemadmodum per monachos caput huius sancti repertum est : ita quoque per monachos residui corporis eius reliquiæ seruarentur : Quæ protinus sancto Athanasio Alexandrinæ ciui-

tatis episcopo diriguntur : quas postea Theophilus eiusdem urbis antistes uniuersa idolorum delubra destruens in basilica quam sub nomine eiusdem beatissimi Iohannis baptistæ pia deuotione construxit et sub ingenti populi ueneratione disposuit . Sed iam tempus est : ut prædictam uobis reseremus historiam : proque hoc labore nostro precum uestrarum præsidia efficaciter impetremus .

Finit præfatio . Relatio quemadmodum præcursoris caput sancti Iohannis baptistæ de civitate Herodis sit delatum .

Duo quidem monachi de oriente profecti cupientesque pretiosæ crucis Christi et gloriosi sepulchri : eius qui pro nostra salute homo factus mortem sustinuit : per quam nobis uitam immortalitatemque largitus est : necnon resurrectionis eius et ascensionis in cælum loca ueneranda conspicere hierosolimam peruenerunt . Horum uni præcursor aduentus dominici et baptista regis æterni sanctus Iahannes† assistens ait : Venientes domum quondam regis herodis auferte uobiscum caput meum : quod inueneritis in terra defossum : Mane uisionem monachus quam uiderat retulit fratri : qui || delusionem phantasiæ suspicatus : persuadet illi cui mysterium reuelatum fuerat : ut idem quod ipse sentiret . Cumque rem neglectui tradidissent : postero die præco ueritatis astitit utrisque sequestratim : et similiter apparens eis ita locutus est : Omnem dubitationis infidelitatem de uestris cordibus effugantes : ad ueritatem uisionis cogitatio non claudicet : Dumque consonantiam reuelationis alter alteri retulisset : gemina uisione firmati et inobedientiæ supplicium formidantes : sine mora quod imperatum fuerat sibi impleuerunt . Et præcedente se gratia diuina : caput Baptistæ quod pro iustitia et pietate desectum fuerat in sacco cylicino condiderunt . Delectatum autem prophetam estimo tali uelamento : cuius in deserto quondam de camelorum pilis fuerat corpus obtectum . Reuertebantur igitur monachi deferentes caput : quod herodias pro mercede saltatricis filiæ suæ in disco suscipiens ueluti desyderata diu uenationis præda potita est : quæ etiam discissæ iam propheticæ linguæ correptiones existimans nequaquam passa est caput ipsum uenerandum cum reliquo corpore sepeliri : metum de eius coniunctione concipiens : et hoc procul dubio pertractans : quod integrum sancti corporis omni facilitate resurgeret . hoc autem fieri non posset : si caput ipsa retineret : ideo illud non passim sepulturæ tradidit : sed intra septa suæ domus infossum sub claustri fecit sollicitudine custodiri . Amor et enim coniunctionis illicitæ suis adinuentionibus prædictus increpationum sibi fingebat imagines : et amputatum caput iusti nefanda diaboli filia formidabat : sicque cogitationum prauitate decepta deinceps latere se credidit . Monachi ergo qui tanta reuelatione præcursoris Christi digni sunt habiti : sumentes uenerandum caput domum redire properabant . Figulus autem quidam per idem emissinæ ciuitatis multis oppressus angustiis omnibusque rebus necessariis indigens : cum non posset extremam paupertatem ulterius eluctari pro ipsius difficultatis egestate magnis affectus tædiis uitam discessione continere se credidit . Accidit autem illi | dum fugeret : occurrere monachis istis : qui uas preciosissimum deferebant . At ubi comes eius et socius itineris factus est : onus eius : sicuti peregrinantes pariter solent : fidele committunt passim quæ sibi reuelata fuerant exponentes . Sed Figulo misterium ignoranti præcursor apparuit : monuitque uti comites suos lateret : et assumens id quod ferebat† aufugeret : quod cum fecisset domum propriam unde discesserat rediit : et ex illo die permansit uniuersis rebus prosperis florens . Intelligebat autem suæ prosperitatis auctorem : et honorem ei deuoto studio suis congruentem uiribus offerebat : qui cum propinquare sibi cerneret ut moreretur hydriam in qua mnnus† illud habebat inclusum diligenter obsignans sorori commendat propriæ : pristinam egestatem suam eidem referens et opulentiam quæ nunc esset in manibns† pandens : Cumque fugienda primæ paupertatis incomoda retulisset : indicassetque etiam modum quo his esset ereptus : precatus est etiam : ut depositum honorifice tractaret : nec prius hydriam patefaceret : quam rei prouentum id quod erat indicaret interius . Recogitans quantum reor quod uteri instar uas ipsum præcursoris foret : ut sicuti dominum in utero matris positus innotuerat : ita profecto post mortem uiuens urnæ illius mysterium opportuno tempore reuelaret : Quare non tacuit inspiratæ suæ commutationis auctorem : sed ait : O mulier ipsis experimentis doceberis : nostræque uitæ modum conuersionemque

cognosces : quales ex quibus effecti fuerimus : ex quo thesaurum istum possidere meruimus . Si igitur et tu reuerentiam huius habueris : bonorum omnium tam præsentium quam futurorum copia perfrueris . Quod si tibi forsitan prolyxitas temporis uires abstulerit : aut ægrotatio corporis uiolentia macerauerit : quo minus studium dependere debitum possis alicui pio atque fideli uiro munus hoc tradere ne moreris : quæ post obitum fratris quandiu deuotionis suæ uires habuit consonantes : sanctum probatur dilexisse negocium . At ubi necessitate senilis cessit ætatis : ea quæ a germano sibi mandata || fuerant insinuans iis qui erant pium suscepturi depositum tradidit . plurimis autem munus hoc alterna successione recipientibus : quidam Eustachius monachus nomine et alterius sectæ præsbyter illud quod in hydria seruabatur sicut obsignatum erat accepit . profecto namque qui dederant religionem discernere nequiuerunt : eumque pium arbitrati sunt hominem : qui nimis astute sanitates quæ per uirtutem sacri capitis accedentibus conferebantur sibimet ascribens ueritatem fidei sicut Caupo nequissimus adulterare nitebatur : tandemque seruis iis qui rectæ et sanctæ atque inseparabiliter beatam trinitatem glorificant notus factus is ipse qui sub obtentu paternæ uenerationis in diminutione Christi filii dei contumeliosus esse probabatur ab Eimissena ciuitate cohoperantibus etiam iudicibus cœpit expelli . Precabatur autem eos : qui se salubriter a sancto grege Christi secerneræ atque effugare quærebant : ut unius saltem diei spatium largirentur morandi in ea spelunca : quo sanctum constabat esse depositum : quia iam et angustia nocturni temporis urgeretur : sed prouidentia dei spe sua frustratus est . Non enim potuit impetrare : ne id quod moliebatur efficeret . Suscipiunt igitur eandem speluncam uenerabiles uiri sectantes singularis uitæ propositum . Multis autem sibimet in eodem monasterio succedentibus ad postremum sub uenerando archimanduta Marcello diuina gratia eum quem . ipse Angelus Gabriel euangelizauit et sterilis mater edidit heremi habitatorem : maximum correptorem impietatis : legis uindicem : domini præcursorem : amicum sponsi : saluatoris Babtistam† : præconem ueritatis amatoremque iusticiæ feruentissimum reuelare dignata est : Cuius apparitionis modum idem uenerabilis archimanduta Marcellus his retulit dicens : Apparuit inquit ter beatissimus et uniuersalis apostolis† atque fidelis amicus saluatoris nostri Iesu christi mediante septimana quadragesimæ sanctorum ieiuniorum octauo decimo calendas martias anno septuigentissimo† Lx . III . per indictionem sextam re | gnantibus Valentiniano et Martiano piissimis Imperatoribus famulis dei sub sanctissimo episcopo Vranio ciuitatis Emmessenæ : cui etiam hoc idem reuelatum est uigesimo quarto die mensis ipsius id est sexto calendas martias . Reuelauit autem mihi Marcello in magno timore et reuerentia constituto in spetiæ stellæ igneæ secundum subiectas uisiones fidelissimas : qui cuncta condidit in uirtute sua : et præparauit in sapientia sua : qui scit omnia ante quam fiant : et ad salutem humani generis uniuersa dispensat : qui est super omnia benedictus in sæcula Amen . Igitur me famulum suum deus propositæ uisionis inspectorem taliter esse dignatus est . Vidi namque in uisione noctis : et ecce omnia hostia monasteri nostri patefacta sunt : et in magno metu positus cucurri . ut ea clauderem : et rursus inspicio flumen ad hostia nostra prorumpere . hoc autem cum uidissem : stupefactus cogitabam : unde tanta aquarum esset immensitas : Dumque id mecum ipse pertracto leuans oculos uidi Marcellum præsbyterum : qui erat secundus post Maxentium archimandutam a meridiana fluminis parte uenientem : et multarum turmarum uoces ab orientali plaga basilicæ sancti Iuliani martyris audiebam : quarum ad nos ingens sonus deferebatur : et per aquas ipsas populi cum impetu et alacritate properabant . Ammirante autem me quomodo in mediis aquis ambulantes ad nos conciti peruenirent : et una quæque turma lingua propria psalleret : subito uox audita est eorum : qui ab oriente clamabant : ecce sanctus Iohannes baptista descendit : Cumque ad meridianum hostium starent : apertæ sunt ianuæ orientales : et psallentium turinæ† protinus intrauerunt . Omittens igitur ego spectaculum fluminis festinus ingredior : et in exordio scalæ consistens aspexi sanctum officium eorum quod in monasterio celebrabant . Et stans in eadem scala uidi atria duo : unum respiciens ad occidentem : et alterum ad meridiem : et inter utrumque atrium templum grande : singulæque turmæ ingrediebantur in atrium quod respiciebat ad occidentem : et adora || bant ad templum . Intrantes autem in atrium meridianum illico quiescebant† : Cumque siluissent turmæ : præcedebant alii : et clamabant : Ecce sanctus Iohannes aduenit : Cumque starem

in eodem scalæ loco : uenit sanctus Iohannes domini præcursor : uidique eum in templo : quod mihi ostensum est : et ecce unus erat a dextris eius et unus a sinistris . Stante autem illo in templo ceperunt turmarum populi ad eum consequenter accedere : et ab eo benedici : itemque psallentes proficiscebantur ad occidentalem partem ueluti ad basilicam sancti Stephani martyris congregandi : Cumque turmæ se explicuissent : cogitaui et ego adire eum : ut benedicerer ab eo : uisumque est mihi : ut intrarem per ea hostia : per quæ turmæ fuerant introgressæ : Et quia non uideram quod alicui dedisset osculum pacis nisi tantum pectus eius osculati essent : accedens ad eum ab anteriore parte cum metu et reuerentia dimisso capite in terra cucurri : et tenui pedes eius . Ipse uero appræhendens mentum meum osculatus est me . Quod cum meruissem : protinus expergefactus sum . Paucis item diebus transactis uideo : et ecce hostia monasterii nostri a parte meridiana rursus aperta sunt : et ueluti ad fratres uociferabam cur ista hostia reliquissent : et celeri gradu perexi : ut ea clauderem : Et ecce uideo sanctum Iohannem stantem ad hostium : et cum eo duos illos quos prius uideram : et accessi : ut benedicerer ab eo : Et rursus eleuans me : dedit mihi pacem . Vestimenta autem eius erant candida : Et mox eiiciens unum uas de sinu suo plenum melle dedit mihi dicens : Accipe hanc benedictionem : et effundit uas ipsum mellis super manus meas : Et interrogaui eum dicens : Domine mi sancte Iohannes unde ad nos uenisti ? qui respondit : de Sebaste ueni . Præibam igitur eum : et tam ipse quam qui cum ipso erant ingressi sunt monasterium unum : Et iterum uas mellis fudit super manus meas : Cumque ego detulissem benedictionem eius ad superiora triclynii : ipse intrauit in oratorium : Et cum descendissem ad oratorium : ubi erat : ecce uideo columnam ignis ante eum et nimio pauore correptus exci | tatus sum . Post hæc autem priusquam nobis hostium monasterii ubi erat sanctum depositum traderetur : in sanctis ieiuniorum diebus ubi cibum uespere sumpsimus : dixi ad fratres nostros : Vnusquisque uestrum psalmos suos iterare non negligat . Et relinquentes me in triclynio : descenderunt ad initium scalæ : quæ ad utraque monasteria respicit : Cumque consedissent : ut iterarent psalmos : ut dixeram : leuans oculos suos frater Isacius ignem uidit ardere in tabulis hostii speluncæ : ubi erat uenerandum caput sancti Iohannis baptistæ repositum : quod cum uidisset frater : exclamauit : et dixit : Domine mi domine hostio speluncæ ignis accensus est . Et ego respondi : Ne timeas frater : sed muniens te signaculo Christi ibidem perseuera : fratres autem præ timore claudentes hostium ad me conciti peruenerunt . Ego uero mysterium recognoscens ex uisionibus mihi ante monstratis dixi ad eos : Ne timeatis fratres mei : quia nobis hoc prosperum faciet dominus . Post dies autem quinque Maxentius et Stephanus uenerabiles præsbyteri et archimandriæ† uenientes ad sanctum episcopum dominico die uespere suggesserunt ei de ipsa spelunca : quæ cohærebat monasterio nostro : ut utrumque pariter iungerentur : Iussitque hoc episcopus fieri : Cui dixit Stephanus præsbyter : Ex præcepto uestro cras mature trado speluncam fratri Marcello : Et mane perueniens tradidit nobis ipsum monasterium sub præsentia præsbyterorum palladii Petri Gemnadii et Stephani archimandritæ monasterii Bethgaalorum : Et aperiens hostium quod erat obseratum : simul ingressi sumus : et orauimus . Videns autem locum unius esse neglectum : commonuit : ut diligentiam eius haberemus : Et profectus est idem præsbyter Stephanus ad uisitanda monasteria : quæ erant in uillulis constituta : ego uero Marcellus fratres assumens cœpi diligentiam monasterio quod nobis datum fuerat instanter impendere . Dumque loca ipsa mundamus ueniens præsbyter Petrus loci Bethmanalis ait mihi : Stephanus archimandrita bethgaalorum precatur : ut propter || dominum nobiscum uenias ad monasterium beati Carterii : Et respondi me non posse uenire : quia diligentiam loci mihi commissi dependerem : qui compulit me secum proficisci : Cumque pergeremus pariter : aio ad eum : Ascendamus : et salutemus diaconum Cyriacum et archimandritam : Ascendentesque et salutantes eum : cœpimus ire uelle ad prædictum monasterium beati Carterii : Dixitque mihi Cyriacus diaconus : Nunquid propterea uenisti : ut sine mora discederes ? Cui respondi : Necesse est : ut celeriter ambulemus : quia traditum nobis est ab episcopo aliud monasterium : cui curam instanter impendimus : Descendentesque peruenimus ad monasterium sæpe memoratum : Cumque salutassemus fratres ordinantes quæ erant necessaria : reuertebamur : dicunt mihi præfati Petrus et Stephanus præsbyteri et archimandritæ : Vale dicimus tibi : ora pro nobis .

Tunc aio ad eos : Hodie suscepimus monasterium : et uultis abire ? Sustinete quæso et consolamini nos . Et coegi eos : Cumque uespera facta esset post orationes cibo sumpto quieuimus . Illi ambo in triclynio superiore : ego uero ibi quidem sed in interiore cubiculo : et cum dormirem : ea nocte in qua monasterii uel speluncæ apertum est hostium : hoc est sequenti die tertia sabbati post orationes nocturnas quasi manus uiri pulsauit me tertio in dextro latere : et audio uocem magnam dicentem mihi : Ecce hostium apertum est : et ideo cognosce eum : qui tibi patefecit ingressum : ne forsitan negligas . Ego uero cum magno timore conuersus assedi : et uideo stellam flammeam in hostio : ubi quiscebam[†] : Maioremque metum concipiens signaui me cruce Christi : et illa de loco illo minime mota est . Surrexi itaque : et misi manus in hostio : ubi erat : et rursus inuenta est in hostio sequente : Cum uero aperuissem hostium : unus ex iis qui ibidem quiescebant sensit : Et cum ad secundum peruenissem hostium : inuenta est eadem stella in hostio tertio . Deinde conspicio eam in inferioribus scalæ gradibus . Erant autem hostia utriusque monasterii patefacta : simul et speluncæ | hostium patens : Et ecce præcedebat me stella ipsa et ego sequens eam ingressus sum usquedum in absidula speluncæ constitit : uidensque hoc miraculum : adoraui dominum pronus in terram per horas multas . Recordatus sum uero quod hospites haberem uenerabiles uiros Petrum et Stephanum præsbyteros et archimandritas : et ne suspicarentur ubi nocte fuerim : ad orationem surrexi : Ascendensque sursum cum uellem ingredi cubiculum : dicunt mihi : Vbi tandiu fuisti ? Respondi : quia ad opus necessarium descendi : Cumque uellem intrare : ubi quieueram : dicunt mihi : Rursus ingrederis . At ego attonitum me sentiens factum ex reuelatione quam uideram ueniam poposci tanquam male sanus : et continuo me recepi . Postquam uero mane factum est : uale dicentes mihi ad proprias cellulas abierunt . Ego uero ubi profecti sunt diluculo consurgens præcepi fratribus qui mecum erant . pandite ianuas manentes extrinsecus . Et si forsitan aliquis ad requirendum uenerit : occupatum me esse dicite . Sæpe namque ueniebat Palladius præsbyter intrans : et euangelium lectitans . Cum ergo solito uenisset : fratres ei aditum negauerunt affirmantes id quod erat : quod euangelium quoque sub claui archimandritæ sit . Secundo etiam uenit : et excusatum est illi . Venit et tertio : et ingressus est . Ego nanque turibulum sumens incensum in eo imposui : et pium dominum suppliciter obsecrabam : ut mihi locum thesauri ostenderet cælestis . Tollens etiam rastrum cœpi fodere : et perueni ad locum : qui erat ædificatus ex calce et ordinariis tegulis . Quantumque ego fodiendo descendebam : tantum sonus ualidior quasi ex percussione hydriæ reddebatur . Et postquam fodi : et descendi usque ad solum repperi uelut harenam ex ære fusam : multumque laborans uix harenam potui sequestrare . Post hæc autem harena sublata una tegula maior apparuit . Hanc suspendens inueni sub ea tabulam marmoream . Tabulamque suspendens : hydriam repperi . Hanc cum metu ac reuerentia lumen accendens et incensum ponens in turibulo palpaui dili || genter : et adorans dominum diutius attonitus mansi : hydriamque rursus sanctam operui . Statim uero uenit ad nos Gemnadius diaconus et archimandrita : Salutansque me ad hostium speluncæ dixit mihi : Veni precor introeamus in speluncam pariter . Et postea quam simul ibi orauimus : dedit mihi pacis osculum et fratribus meis : et ait : De Carpeto monasterio meo nuper aduenio . Vidi autem tale somnium quasi utrique stabamus in hoc specu : in quo mundissimorum panum sicut solet erat magna copia et portio super posita panibus . Immensa uero populi multitudo ueniebat ex ipsis : nec deficiebant : nec cessabant homines : qui acciperent : Iamque nobis præ multitudine turbarum deficientibus cœperunt panes euolare super manus nostras : et ita percipiebant omnes quotquot ad hanc gratiam muneris confluebant . Postquam uero retulit mihi somnium : ego respondi : Bonum est : quod uidisti . Et recogitans apud memetipsum : quid sibi uellet hæc uisio : rursumque pertractans ea : quæ præcesserant : dixi : quia uisio ista ex deo est . Sciens autem quia diuinitus ista contingerent : indicaui ei : qualiter sanctus Baptista Iohannes apparere dignatus est . qui mox ut audiuit : mansit attonitus Et orare cœpit ut ei locum ostenderem : quod et feci . post hæc egressi sumus utrique : et quid oporteret fieri tractabamus : Visumque est mihi : ut prius irem : et indicarem Stephano præsbytero et archimandritæ monasterii quod appellatur Darumium : et per ipsum manifestaretur episcopo . Et uenientes ad monasterium eius non eum repperimus abierat enim ut diximus ad monasteria :

quæ erant in agris : ex eo die quo nobis dederat monasterium : et hostium speluncæ patefecerat : Cunque regressi fuissemus : placuit : ut euocaremus ad nos Ciriacum et archimandritam : et reuelaremus ei misterium . per quod nobis sanctus Iohannes apparere dignatus est . Misimus autem ad eum fratrem Isacium dicentes : ueni ad nos celeriter : Ad quem cum frater uenisset : dixissetque ei : protinus obediens uenit : quem cum salutassemus : indicauit no | bis somnium : quod uidit : Eratque consonans uisioni : quam diaconus Gemnadius uidit : et mihi retulerat : Et cum orassemus : mox ei reuelationem sancti Iohannis baptistæ manifestare curauimus : et ait : Cogitemus : quid fieri debeat : Ex ego dixi : Puto conueniens esse : ut hoc innotescamus episcopo : Rursumque cognoscentes quod sæpe memoratus Stephanus præsbyter et archimandrita de agro non uenerat : mansimus diebus quinque : postea quam nobis reuelatio ostensa est . Die uero sabbatorum post meridiem sedentibus atque sermocinantibus nobis ingressus est ad nos Sallus collectarius et Marislinopola lecticarius : et locuti nobiscum continuo recesserunt . Ego autem dixi fratri Isacio : ut post eos hostium clauderet : Itemque residentibus nobis et loquentibus ita sum repente uerberatus in genibus : ut totus incuruarer : nec possem omnino consurgere : uel aliquid operis implere . Tunc autem ad me Gemnadius et Cyriacus diaconi et archimandritæ : non diximus tibi noli moras innectere : sed eamus : et in noticiam episcopi deponamus : quia præsbiter Stephanus non dum dicitur aduenisse ? Ego uero mansi uehementer afflictus . Ipsi autem uespertinum celebrantes officium ingressi sunt : ubi iacebam : et denunciauerunt dicentes iureiurando : satisfecimus sancto Iohanni : suscipientes personam tuam : quod omnem causam cras ante solis ortum per te cognoscet episcopus . Et ego respondi : Bene admodum fecistis . hoc idem promittentes : Et protinus a doloribus releuatus sum . Sequenti autem die dominico simul cum diacono Cyriaco et Iuliano monacho uenientes : episcopo iam post matutinas orationes de ecclesia tunc egredienti suggessimus dicentes : quia sanctus Iohannes baptista reuelatus est . Ipse uero stupefactus ait : Nullus hoc nouerit : et ne quis uestrum audeat eum contingere : Dixit ei diaconus Cyriacus : Quando uenire dignaris ? et ille : Cras inquit adueniam . Postero autem die cum præsbyteris et diaconibus episcopus uenit : Et intrantes ad locum : procidentesque in facies suas adorauerunt . Malchus || autem præsbyter unus ex iis qui cum episcopo uenerant infideliter motus ait : unde hoc certum est : quod caput præcursoris sit : Mittensque manum : ut contingeret hydriam : confestim exaruit : adhæsitque manus eius ad os hydriæ : nec eam abstrahere ualuit . instanter autem ab omnibus oratione facta : cunctisque glorificantibus deum atque precantibus pro eo : uix tandem manum quidem potuit abstrahere : sed permansit inualida . Episcopus autem cum uniuersis qui secum uenerant accipiens hydriam cum sancto thesauro ibi reposito interim in diaconio idest in secretario sanctæ ecclesiæ collocauit : donec ædificaretur ecclesia in nomine eius : quæ ubi perfecta est : cum dies sancta depositionis eius instaret apparuit sanctus Iohannes ei : cui manus aruerat dicens : Cum sit depositio : pone manum tuam super hydriam : statimque sanabitur . Hoc autem cum fecisset : restituta est pristinæ sanitati . Celebrata est autem depositio sancti Iohannis baptistæ et præcursoris domini in eadem basilica uigesimo octauo die mensis octobris id est quinto calendas nouembres per indictionem septimam ad laudem et gloriam sanctæ et indiuiduæ trinitatis patris et filii et spiritus sancti in sæcula sæculorum Amen .

VITA ET DEPOSITIO SANCTI INNOCENTII ECCLESIAE DERTONENSIS EPISCOPI .

Ad laudem gloriamque domini nostri Iesu christi referre curauimus : quæ per ipsum facta cernimus : ne obliuione futuri populi pereat gratia quam suis concessit fidelibus . Fuit apud ciuitatem dertonensē[†] illustris Quintius qui de stirpe romana descenderat uir prudens : et cui diuitiæ ac facultates erant multæ . Et hic habuit uxorem nomine Innocentiam ciuem lucanam . Habebant autem auctoritatem a Valeriano et Galieno cæterisque imperatoribus : ut sine ulla persecutione qui Christiane legis cultores essent : ut nemo imperatorum molestus fuisset generi illius . | habita- 7

bat autem prope templum Iouis sed propter culturam idolorum frequenter manebat cum omni familia sua in uilla : quæ appellatur Iata non longe a ciuitate Dertonense prope fluuium Golubum sub potestate Adriani : quæ tunc appellabatur uilla Innocentii . Facta itaque persecutione temporibus dioclytiani et Maximiani Imperatorum solus erat absque persecutione . Hoc enim præceperant : ut omnes ecclesiæ clauderentur : aut destruerentur . Compræhenso itaque Marcellino præsbytero iussit eum gladio puniri . Sacerdotes uero exilio alii diuersi perpesi tormentis uitam finierunt . Quorum corpora absconse rapiebat Quintius : et nocte sepeliebat : sedensque scribebat certamina singulorum . Scripturas uero diuinas quæ fuerant ecclesiæ apud se absconsas habebat . ecclesias autem et libros omnes igni cremauerunt . Relictus autem solus est Iulianus præsbyter et Maliodorus diaconus : qui in abdito apud Quintium latitabant : et secrete in domo ipsius extra ciuitatem sancta mysteria celebrabant . post menses autem septem nunciatum est Leoni præsidi Iulianum præsbyterum apud Quintium latitare . Iussit ergo eum inquiri : et conpræhenso in abdito iussit eum duci foras portam ticinensem : fecitque eum decollari . Noctis autem tempore rapuit Quintius corpus eius : et sepeliuit procul a domo sua non longe a fluuio Golubo . Maliodorus uero diaconus permansit in abditis : et non inueniebatur . Cessauit autem episcopatus annis quindecim . Quintius uero christianissimo uiro erat unicus filius annorum quindecim : qui deriuato a patre uocabulo Quintius appelabatur . Nomen autem proprium quod in baptismi gratia acceperat Innocentius dicebatur : et filia una paruula nominabatur Innocentia sicut et mater ipsius . Ipsa autem tempestate nimia zelo inimici uocatus ad dominum Quintius a uita subtractus est : et sepultus extra terram marineam : Septimo uero die defuncta est Innocentia coniunx eius : et cum eo posita est in uno sepulchro . Erat autem tunc Innocentius annorum duorum et uiginti . Post mortem uero || genitorum ipsius præsumpsit Leo conpræhendere Innocentium : uallans domum eius : Et cum conpræhensus esset : duxerunt eum ad prætorium : et eleuauerunt sacerdotes idolorum uocem dicentes : Si non incendis domum Quintii et sæmen eius perit :† tota Dertona et quæ fuit filia Romæ effecta est filia perditionis propter domum Quintii : et dii nobis irati sunt . Tunc Leo iussit beatum Innocentium extendi : et fustibus cædi dicens : Diu est quod tu et omnis domus tua sacrilego more uixistis . Sacrifica diis . Cæsum autem iussit mitti in carcerem dicens : Dic ubi sunt thesauri patris tui et sculpturæ : quas scribebatis per noctem . Ipse uero respondit : se nescire . Tunc impius Leo iussit omnem substantiam eorum Imperatoris fisco deuenire : et gesta omnium christianorum quæ apud eum inuenta sunt incendi : Iussit porro iniquissimus præses iterum beatum Innocentium recludi in carcerem ad portam : quæ dicitur uercellina . Misit autem quæstorem suum dicens : Consydera nobilitatem tuam et possessionem tuam : immola diis et ostende thesauros patris tui : et uiues . Si non ostenderis morieris . Respondens autem beatus Innocentius dixit : præcepta imperatorum habeo : ut deo meo seruiam . Deos tuos non adoro : nec thesauros ostendo . Tunc impius præses iussit eum fustibus cædi : et cæsum in carcerem recipi : mandauitque Maximiano Imperatori omnia : quæ gesta sunt . Maximianus autem imperator præcepit Substantiam Quintii suscipe in prætorium : filium uero eius si non sacrificat igni consume . Nobilitas eius ueniat in obprobrium omnium christianorum . Nocte autem eadem apparuit ei pater eius dicens in somnis : Fili exi hinc : et uade Romam : ibi saluus eris in propriis tuis : Nondum enim de nobis sensit Dioclycianus . Et hoc scias : quia hoc anno ambo morientur : et pax reddetur ecclesiæ . Expergefactus autem a somno uidit ianuas carceris apertas : et exiit foras dicens : Deduc me domine in uiam tuam : ut ingrediar in ueritate tua . Custodes uero carceris dormiebant et stertebant . Tunc iuit beatus Innocentius domūm suam in Floriaca : cœpitque tres pueros suos et perrexit Romam Sororem uero suam commendauit tutoribus eius dicens : prope est : ut transeat tempestas hæc . nolite timere . ipse autem perueniens ad sanctum Melciadem episcopum honeste receptus est . Eodem anno Dioclitianus et Maximianus uitam finierunt . post modum autem Maliodorus diaconus a sancto Materno mediolanense archiepiscopo consecratus est episcopus . Mansit uero in episcopatu usque ad conuersionem Constantini Imperatoris . Euntem autem ad dominum sanctum Melchiadem episcopum Sylueste episcopus factus est . Innocentium uero ordinauit diaconem . Cœpit autem Constantinus toto orbe persequi Christianos : pro qua sententia lepra percussus est : quo post baptizato a Syluestro episcopo

iussit priuilegia restitui christianis . Petiit autem pius Syluester a christianissimo Imperatore toto orbe baptizari credentes . restitui ecclesias . constituere sacerdotes : Quæ postulatio placuit Imperatori . Et iussit imperiali auctoritate manu publica per uniuersum mundum restitui ecclesias . Eodem namque tempore Maliodorus episcpous† migrauit ad dominum : quo audito clæmentissimo Constantino patefactum est a sancto Syluestro . Et dum ei omnia de sancto Innocentio per ordinem nunciata fuissent : nobilitas generis et abundantia diuitiarum : præcepit Constantinus omnia restitui quidquid culta fuerant . Et ordinauit eum episcopum deditque ei apicem : qui ei omnia restitueret : et ut omnes gentiles seu Iudæi Christum dominum adorarent : et qui contempserant exilio destinarentur : ut omnis substantia eorum ecclesiæ catholicæ permaneret . Accipiens itaque beatus Innocentius missum uel præceptum Imperatoris uenit in ciuitatem Dertonensem : domumque suam tam intus quam foris euersam inuenit cum ecclesiis : Seditque in episcopatu octauo calendas octubres . cœpit colligere christianos : et baptizare credentes : inquirere pecunias tam ecclesiæ quam suas . Tunc beatus Innocentius omnem substantiam suam per scriptum sanctæ ecclesiæ confirmauit . Sa || cerdotes templorum qui baptizati sunt cum uxoribus et uniuersis substantiis in ecclesia uenerunt . Qui uero noluerunt baptizari : exilio destinati sunt : et omnem substantiam eorum ecclesa† suscepit . Iudæi uero qui habitabant in parte portæ ticinensis nolentes baptizari per singulas prouincias dispersi sunt . Euerterunt christiani una cum papa suo synagogam : et ædificauerunt ecclesiam ubi episcopi moram trahunt : Feceruntque baptisterium : et fundauerunt aliam ecclesiam secus baptisterium : quo in loco sanctus resederat Martianus uel parentes eius . Euerterunt templum Martis et Iouis et ædificauerunt cuncta manu basilicam sancti martyris Stephani ecclesiamque apostolorum . In uertice castri prioris constituerunt basilicam sancti Xisti et Laurentii . Sorori uero suæ quia tutoribus fuit nutrita condidit monasterium in utraque montis in medio ascensu ciuitatis in tutoribus Fecit puteos et eduxit aquam ab antiqua cisterna per cloacas et aquæductus per omnem cellam monasterii . Inferius et superius fecit cloacas in quas decaderet aqua : ne ocecuparet† ciuitatem . Cœpitque multa signa facere in nomine domini Iesu Christi : illuminare cæcos : surdis restituere auditum : claudis gressum : fugare dæmones . euertit aras et lucos et omnia loca idolorum destruxit . Et factus est omnis populis† ciuitatis christianus : quia primi milites et robusti habitabant in ea . Contra marcomanosos ipsi dimicauerunt ita : ut minime possent contra romanum imperium caput leuare Gratias domino Iesu christo qui per sacerdotem sanctum renouauit mundum : et illuminauit et erexit ecclesiam : in statu constituit sacerdotes et clerum : fecit tonsuram in clericis sicut a sancto didicerat Syluestro . Factum est autem : ut media pars ciuitatis dertonensis una cum omnibus suburbanis ecclesiæ permaneret : quia et res antiqua ecclesiæ reddita est : et pecunia iudeorum et sacerdotum gentiliumque quæ multum ampla esse uidetur omnia ecclesiæ iura firmata sunt . Cum uero legeret quottidie acta et certamina sancti Martiani martyris uel prædecessorum eius bea | tus Innocentius obnixe orabat die noctuque ut dominus ostendere dignaretur sepulchrum eius : Cumque consumasset omnia publica uirtute et manu populi septimo decimo anno episcopatus eius expleta sunt omnia ædificia . dum uero aliquando beatus Iacobus præsbyter obseruaret uicem suam in ecclesia sanctæ Mariæ : per uissum dictum est ei . Veni . ostendam tibi : ubi est sepulchrum sancti Martiani . Et ducens eum foras portam ciuitatis ostendit ei locum dicens Vade . dic Innocentio episcopo : Ecce ubi positum est corpus Martiani episcopi ? Excitatus autem a somno confestim nunciauit episcopo : quo eunte ad locum ostendit ei : Et erat super sepulchrum eius sambuci arbor condensa nimis . Accersitis uero Celso et Gaudentio diaconibus cœperunt fodere . Euellentes autem arboris condensa qnasi† ad pedes tres inuenerunt sepulchrum latere cohopertum . Et hæc erant scripta in latere : Hic requiescit corpus Martiani episcopi . Tunc beatus Innocentius conuocauit sacerdotes et clerum simul et populum euntesque ad locum psallentes et aperientes sepulchrum inuenerunt corpus eius simul et uas uitreum eius sanguine plenum et spongiam : qua collestus† fuerat sanguis eius . Et accipientes eum cum omni gaudio tulerunt foras : munieruntque sepulchrum : et posuerunt lapidem et uerba quæ fuerunt in latere scripserunt in lapide . ædificauerunt basilicam per totum spatium anni . Beatus autem Innocentius episcopus consecrauit eam ipsa die inuentionis eius terciodecimo calendas nouembres : In quo loco

et die multi infirmi salui facti sunt : et fiunt quottidie merito sanctitatis eius : et facta est pax ecclesiarum dei : Et quia quo ueniebat episcopus benedicebat : tunc demum constitutum est ut episcopus Romam pergeret . Beatus autem Innocentius expletis omnibus perrexit Romam orationis causa : et sollicitudine peccuniæ suæ quam habebat in urbe Roma uel per singulas ciuitates siue in Luca siue in Sicilia : quia ut legimus magna substantia est ecclesiæ dertonensis simul et per uniuersam Tusciam : quia romanus uir illuster uxorem siculam || In rauenna uero et uniuersa Pentapoli diuersæ pecuniæ Quintii . Vnde igitur beatus Innocentius perrexit Romam Siciliam uel Pentapolim . mulier quædam nobilis uidua iam pluribus annis bonis operibus dedita eleimosynis et orationibus uacans infirma longo tempore spem habens in domino quottidie orabat dicens : Domine ne permittas me mori : donec uideam sanctum Innocentium . Dum hoc dixisset nuncius appropinquans dixit : dominus Innocentius iam Rauenne est . At illa magis clamabat : Domine miserere mei non me permittas mori : donec uideam seruum tuum Innocentium : Cumque apropinquasset ciuitatem Placentinam nunciatum est ei . Festina : quia Perpetua filia tua te expectat ualde anhelans : et anxie te uidere desyderans . Surgens itaque primo mane perrexit . At ubi ingressus est ciuitatem : inuenit eam mortuam . statim abiit domum eius : quæ ante ecclesiam domini erat . iuit ad feretrum : et lachrymatus est : quia diligebat eam : quippe quæ dei erat ancilla . Et inclinans se dixit : Filia cur insalutata recessiti ? Quare absque comeatu abisti ? Aut cur a me uiaticum non petisti ? Statim illa aperuit oculos quasi a somno excitata : et protinus exiliens cecidit ad pedes eius dicens : Gratias ago deo meo : quia merui uidere te . Tunc cuncti ammirati sunt : et præ gaudio flæuerunt : et benedixerunt deum . Ipsi uero narrantes omnia quæ cognouerant hæc et alia multa mirabilia per eum dominus operatus est . Erat enim uigilans et orans frequenter . Eleimosynas multas sicut pater suus exercebat . Lætabatur in eo omnis plebs et uicinia urbium : eo quod non solum prædicatio sed et signa præcedebant uirtutum . Nos pauca quæ ob memoriam ex libris Celsi diaconi eius didicimus scribere curauimus : qui a gentibus deperiit : quas peccato operante super nos dominus induxit : Qui liber omnibus patuit . Fuit igitur quædam mulier senatrix filia Prosperi uxor Sabini scribæ : quæ tantum duos annos fuerat cum uiro suo . Cum autem obisset uir eius : in tanta castitate permansit : ut uideretur Anna esse : quam euan | gelista commemorat . In uigiliis in ieiuniis in castitate et eleimosynis degens . habitabat autem ante atrium beatæ Mariæ : tantumque peruigilans : ut nemo ante illam ingrederetur ecclesiam : solumque sanctum pontificem inueniebat aliquotiens ante ingredi . Ipsa uero reficiebat lampadas . Scoparum diligentiam non solum ecclesiæ sed et porticibus exhibebat . Dum autem pluribus annis hoc ageret etiam propriis manibus pontifici exhibebat obsequium . Cumque cum ea episcopum frequenter clerici nocturno tempore inspexissent : cœperunt mutuo dicere : Quid est : quod iuuenis mulier et uidua hæc et sine filiis quod eius deseruit officiis : Qui consuetudinem posuerat in baptisterio manere propter calorem : qui ibidem consueuerat esse tempore hyemis . Illi autem dum in hoc opere eos perseuerantes quottidie uidissent non diuinæ uirtutis potentiam credebant sed solam concupiscentiam carnis existimabant : Cumque hanc famam de eo populo detulissent : cœperunt et ipsi mala colloquia inter se quottidie de eo inuehere . Tunc cogitans pontifex huius rei detractionem tacendo uoluit diminuere . Quadam uero die dominica dum resedisset pontifex in ecclesia sancte Mariæ coram populo innuit ipsi dei famulæ : ut sibi ad pedes calefaciendum prunas deferret : Quæ uelocius iuit : et ardentes prunas uestimento detulit illæso : et ante pontificem ad calefaciendum obtulit . At ille porrectis pedibus ad prunas per horam unam uestimento permanebat illæso : quo uiso omnis clerus et populus uniuersi mirabantur ualde . O quam gloriosum et ammirabile nomen tuum omnipotens deus : qui etiam sanctos tuos a labiis iniquorum et a lingua eorum dolosa superari non permittis . Quia nec falsitas in conspectu tuo proficit nec lingua dolosa ante te dirigetur . sit nomen tuum deus benedictum in sæcula . Vnde factum est : ut eos qui hanc infamiam excitauerunt : repentinus uastaret interitus . Et inter eundem annum clerici qui hoc commiserunt elephantino morbo percussi mortui sunt : creuitque timor in omnes : et glorificauerunt : deum . Et omnes submisso collo pontifici || rogauerunt : ut oraret pro eis : qui euaserant : ne similis eis interitus eueniret . Per idem uero tempus uirtutes plurimas et miracula per eum dominus opera-

tus est coram populo : quæ non sunt in hoc libello scripta . Transiit autem idem beatissimus uir Innocentius episcopus quintodecimo calendas maias : et sepultus est a christianis cum omni diligentia . Regnante domino nostro Iesu christo . qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus in sæcula sæculorum Amen .

VITA ET ACTVS BEATI IOHANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTAE .

Secundam post Neronem Cæsarem persecutionem christianorum Domitianus exercuit . Huius temporibus beatus Iohannes apostolus et euangelista apud urbem Ephesum a proconsule compræhensus ammonebatur iuxta edictum imperiale ut negaret Christum : et a prædicatione cessaret . At ille respondens dicebat : Obedire oportet deo : magis quam hominibus . Proinde nec Christum deum meum negabo : nec a prædicatione nominis eius quiescam : donec consumem cursum ministerii : quod suscepi : Ad cuius responsionem motus Proconsul iussit eum uelut rebellem Cæsaris in arcta recludi custodia : scribens de eo Imperatori epistolam continentem ita : Piissimo Cæsari et semper augusto Domitiano : Proconsul ephesiorum salutem . Notum facimus gloriæ uestræ : quoniam quidam uir nomine Iohannes ex genere hebreorum in Asiam ueniens et prædicans Iesum christum crucifixum : affirmat eum uerum deum et dei filium esse . Culturam autem inuictissimorum deorum nostrorum euacuat et templa ueneranda quæ ab antecessoribus nostris mirifice fuerunt constructa funditus euertit . Contrarius itaque existens hic magus et sacrilegus imperiali uestro edicto : suis magicis artibus et prædicationibus pene omnem populum urbis Ephesi ad culturam hominis crucifixi et mor | tui conuertit . Nos autem zelum habentes erga culturam immortalium deorum iussimus eum nostris tribunalibus præsentari : quem blandiciis et terroribus admonere studuimus : ut iuxta edictum imperii uestri Christum suum negaret : et ab eius prædicatione cessaret : atque diis omnipotentibus grata libamina offerret : Cui cum nulla ratione ista persuadere potuissemus : Hos apices imperiali uestræ potestati dirigimus : ut quicquid uestræ magnitudini de prædicto rebelle placuerit facere nostræ paruitati notetis . Bene ualete . Statim autem ut legit epistolam insanus Domitianus furore arreptus Proconsuli scripsit : ut sanctum Iohannem uinctum cathenis ab Epheso urbem Romam adduceret . Itaque Proconsul beatissimum Iohannem apostolum et euangelistam cathenis uinctum secum Romam adduxit : nunciauitque Domitiano Cæsari eius aduentum . Indignatus autem crudelissimus Domitianus iussit ut ante portam quæ latina dicitur : in feruentis olei dolium uiuum Iohannem mitteret . Prius tamen eum flagellis cædi et crines capitis eius tonderi . ut inhonorabilis ab omnibus uideretur . Tunc proconsul secundum iussionem imperialem ueniens ad supradictam portam urbis Romæ iussit sibi tribunal parari : et ante suum conspectum sanctum Iohannem adduci præcepit : adductum iussit expoliari et flagellari : crinesque capitis eius tonderi . Quæstionarii autem fecerunt : ut iussit Proconsul . Post hæc ante portam latinam iussu crudelissimi Domitiani ab eodem Proconsule pridie nonas maias in feruentis olei dolium missus est . Vnde tam illæsus protegente eum gratia dei a pœna exiit : quam a corruptione carnis mansit immunis . Ad commendandam ergo ipsius sanctissimi Iohannis apostoli et euangelistæ digne memoriam et apostolicam constantiam christicolæ in supradicto loco ante portam latinam postea ecclesiam præclaro opere condiderunt : ubi festiuum concursum usque hodie populi fideles faciunt . Proconsul autem uidens : quod beatus Iohannes uelut athleta fortissimus de dolio exiret unctus et non adustus : obstupe || factus uoluit eum libertati suæ reddere : fecissetque : nisi timuisset iussioni regiæ contraire . Iussu itaque regis præcepit eum in exilium duci in insulam quæ Pathmos dicitur : in qua et Apochalypsim quæ ex nomine eius legitur uidit et scripsit . Domitianus autem eodem anno quo iussit sanctum Iohannem exilio damnari : a senatu romano interfectus est . Et qui deo curæ fuit de apostolo suo : ex totius senatus consulto hoc definitum est : ut quidquid Domitianus fieri uoluit cassaretur . Hinc factum est : ut sanctus Iohannes qui uoluntate Domitiani deportatus cum iniuria

fuerat : cum honore ad Ephesum remearet . Occurit autem illi omnis populus uirorum ac mulierum omnes exultantes et dicentes : benedictus qui uenit in nomine domini . Cum autem ingrederetur ciuitatem : Drusiana quæ semper eum secuta fuerat et aduentus eius desyderio fuerat fatigata : efferebatur . Tunc sanctus Iohannes uidens flæntes pauperes et parentes ac uiduas simul cum orphanis clamantes et dicentes : sancte Iohannes apostole ecce Drusianam efferimus : quæ sanctis tuis monitis obtemperans nos omnes alebat : et quottidie desyderabat reditum tuum dicens : si uideam apostolum dei oculis meis antequam moriar ecce tu uenisti : et te uidere non potuit . Quare beatus Iohannes iussit deponi feretrum : et coram omnibus corpus eius resolui iussit : et uoce clara ait : Dominus meus Iesus christus excitet te Drusiana . Surge : et pedibus tuis reuertere domum tuam : et para mihi refectionem . Ad hanc uocem surrexit : et cœpit ire sollicita de iussione apostoli : ut uideretur ipsi Drusianæ : quia non de morte sed de somno excitasset eam . Factus est clamor populi per tres horas dicentis : Vnus deus : quem prædicat Iohannes : unus est dominus Iesus christus . Altera uero die Craton philosophus in foro proposuerat de contemptu mundi huiusmodi spectaculum : ut duo iuuenes fratres ditissimi quos fecerat distracto patrimonio suo gemmas emere singulas easdem in conspectu omnium frangerent populorum : quas cum frangerent pueri : contigit transitum habe | re apostolum : et conuocans ad se philosophum ait : Stultus est iste mundi contemptus : qui hominum ore laudatur : sed condemnatur diuino iudicio . Sicut uana medicina est : ex qua non curantur ægretudines corporum : ita uana doctrina est : ex qua non uicia curantur animarum et morum . Magister itaque meus iuuenem cupientem ad uitam æternam attingere his uerbis instruxit : quibus diceret : ut si uellet perfectus esse : uenderet omnia sua : et daret pauperibus : quo facto thesaurum in cælis acquireret : et uitam quæ finem non habet inueniret : Cui Craton dixit : Humanæ cupiditatis fructus in medio positus est : ut si uere est deus magister tuus : et uult hoc fieri : ut pauperibus errogetur : census pretii harum duarum gemmarum facias redintegrari : ut quod ego ad famam hominum : tu facias ad gloriam eius fieri : quem tuum magistrum esse commemoras . Tunc autem beatus Iohannes colligens fragmenta gemmarum in manu sua : eleuauit oculos ad cælum : et dixit : domine Iesu christe cui nihil impossibile est : qui fractum mundum per lignum crucis tuæ in tuis fidelibus restaurasti : qui cæco nato oculos quos natura negauerat reddidisti : et omnes morbos omnemque ægritudinem uirtutis tuæ uerbo curasti : adesto nunc super istos lapides pretiosos : quos ignorantes fructum eleimosynæ ad plausus hominum confregerunt : tu domine per manus angelorum tuorum modo recupera : ut pretium earum in misericordiæ usus expletum facias credentes peruenire ad tuum imperium : qui cum patre et spiritusancto uiuis et regnas deus per omnia sæcula sæculorum Amen : Cumque omnes respondissent fideles qui cum apostolo erant et dixissent amen : ita sunt sollidata fragmenta gemmarum : ut nec signum aliquod de eo quod fractæ fuerant remaneret . hic philosophus Craton simul cum iuuenibus et cum uniuersis discipulis suis pedibus eius aduolutus credidit : et baptizatus est : cœpitque fidem domini nostri Iesu christi publice prædicare . Tunc uero illi duo fratres uænundantes gemmas : quas uendito patrimo || nio suo emerant : pauperibus tradiderunt : cœpitque infinita turba credentium adhærere apostolo . duo fratres honorati ciuitatis ephesiorum horum sequentes exemplum uænundantes omnia quæ habere poterant et dantes uniuersa egentibus : sequebantur apostolum per ciuitates euntem et uerbum dei prædicantem . Contigit autem : ut intrantes urbem Pergamum uidere seruos suos sericis indutos uestibus procedentes : et in gloria sæculari fulgentes . Et hinc factum est : ut sagittis diaboli percussi tristes efficerentur : quod se in uno pallio uiderent egentes : suos uero seruos potentissimos atque fulgentes . Sed hos dolos diaboli intelligens apostolus ait : Video uos et animos uestros mutasse et uultus propter hoc : quod doctrinam domini mei secuti omnia quæ habere potuistis pauperibus errogastis : quam ob rem si uultis recuperare omnia quæ in auro et argento et lapidibus pretiosis habuistis : deferte mihi uirgas rectas in singulis fascibus : quod ubi fecissent : inuocata trinitate dei conuersæ sunt in aurum . Iterum dixit eis : Deferte mihi lapides minutos a littore maris : quod cum fecissent : inuocata trinitate dei conuersi sunt in gemmas . Tunc dicit eis apostolus : per septem dies ite per aurifices et gemmarios et dum probaueritis uerum aurum et ueras gemmas :

nuntiate mihi . Euntes autem ambo post septem dies reuersi sunt ad apostolum dicentes : Domine omnium aurificum officiuas† circuiuimus : et omnes dixerunt tam purum et optimum se nunquam uidisse aurum : sed et de gemmis eadem dixerunt : tam optimos lapides et pretiosos nuuquam† uidisse . dicit eis sanctus Iohannes : Ite : et redimite uobis terras : quas uændidistis . Emite uobis sericas uestes : ut pro tempore fulgeatis sicut rosa : quæ dum odorem pariter et ruborem ostendit repente marcescit . Suspirastis enim in uestrorum seruorum aspectu : et uos effectos pauperes gemuistis . Estote floridi : ut marcescatis . Estote diuites temporaliter : ut in perpetuum mendicetis . Nunquid ualet manus domini : ut faciat seruos suos diuitiis affluentes et incomparabiliter splen | dentes . Sed certamen statuit animarum : ut credant se æternas habituros diuitias : qui pro eius amore omnes temporales opes habere noluerint . Denique narrauit nobis magister noster de quodam diuite : qui epulabatur quottidie : et fulgebat in auro et purpura : ad cuius fores iacebat mendicus Lazarus : qui cupiebat uel micas quæ de mensa eius cadebant accipere : et nemo illi dabat . Contigit autem : ut in uno die ambo deficerent : et ille mendicus duceretur in requiem : quæ est in sinu habraæ : Ille autem diues miteretur in flammam incendii . Vnde eleuans oculos uidit Lazarum sedentem in sinu Abraæ et exclamauit dicens : Pater Abraam mitte Lazarum ut intinguat extremum digiti sui in aqua : et tangat os meum : quia crucior in hac flamma : Cui respondens ait : Recepisti bona in uita tua et lazarus similiter mala . Nunc uero iste consolatur : tu uero cruciaris . Et in his omnibus Chaos magnum inter nos et uos firmatum est : quod neque inde huc neque : hinc illuc transmeare possint . Et ille respondit : Sunt mihi quinque fratres obsecro : ut surgat aliquis qui moneat eos : ne huc ueniant ad hanc flamnam : Cui Abraham ait : Habent Moysen et prophetas audiant eos . Ad hæc ille respondit : Non domine nisi resurrexerit aliquis : non credent : Cui dixit Abraham : Si Moysi et prophetis non credunt : neque si aliquis resurrexerit poterunt credere . Hos autem sermones suos dominus et magister noster uirtutum firmabat exemplis : Nam cum dicerent ei : quis inde huc uenit : ut credamus ei : ille ait : Deferte huc mortuos : quos habetis : Cumque apportassent coram illo tria corpora mortuorum : ueluti dormientia excitata sunt ab eo : qui dabant fidem cunctis sermonibus eius : Sed utquid ego de domino meo referam cum in præsenti sunt quos in nomine eius suscitaui uobis præsentibus : In cuius nomine et paralyticos curatos uidistis : leprosos mundatos : cæcos illuminatos et homines a dæmoniis liberatos . Sed has uirtutum opes habere non possunt : qui uoluerunt habere diuitias terrenas . Denique uos ipsi quando ad infirmos intrastis inuocato nomine Chri || sti saluati sunt . Fugastis dæmonia : et cæcatis etiam lumina reddidistis . Ecce ablata est hæc gratia a uobis : et facti estis miseri : qui eratis fortes et magni . Sed et cum tantus timor uester esset in dæmoniis : ut iussu uestro homines relinquerent : modo uos timetis dæmonia . Amator enim pecuniæ : seruus est Mammonæ : Mammona autem dæmonis nomen est eius : qui lucris carnalibus præest : et dominatur his : qui diligunt mundum . Ipsi autem amatores mundi non possident diuitias : sed ipsi a diuitiis possidentur . Nam cum sit unus uenter et sint reposita tanta : quæ mille uentribus satis sunt : ut cum sit unum corpus et sunt tantæ uestes : quæ mille hominum corporibus præbere ualeant indumenta : utique quod uti non potest custoditur : omnino nescitur dicente spiritusancto per prophetam : Sane conturbabitur omnis homo : qui thesaurizat : et ignorat : cui congreget ea . Nudos nos fuderunt in lucem partus mulierum egentes cibo amictu et poculo : nudos recipiet terra : quos edidit . In commune possidemus cæli diuitias . Splendor solis diuiti et pauperi æqualis est . Similiter lunæ lumen et syderum . Aeris quoque temperies et pluuiarum guttæ . ecclesiæ ianua . fontis sanctificatio . remissio peccatorum et participatio altaris : esca corporis et sanguinis sancti et chrismatis unctio et gratia largitoris : uisitatio domini .et indulgentia uniuersis peccatis ad hæc omnia absque acceptione personæ æqualis est dispensatio conditoris : Neque enim aliter diues aliter pauper his utimur donis : sed miser et infelix homo : qui uult plus habere aliquid quam sufficit : cum nec possit securus uti : quod sufficit : Nascuntur enim ei calores febrium : rigores frigorum dolores uarii in cunctis corporum membris . Et neque esca cibari potest neque poculo satiari : ut cognoscat auiditas non sibi pecunias pro futuras : quæ reposite custodibus sollicitudinem diuturnam incutiunt : et nec unius horæ spatio quietos eos aut securos esse patiuntur . Nam dum custoditur a furibus

domus : dum possessio colitur dum aratris intenditur : dum soluunt fiscalia : dum ædificant promptuaria : dum lucris | student : dum potentum impetum mitigare nituntur : dum minus potentes nudare contendunt : dum iras suas quibus possunt inferunt : et illatas in se uix tolerare possunt : dum blandimento carnis assentiunt : dum ludere tabulis et spectaculis non perhorrescunt : dum polluere non polui non metuunt : subito exeunt de isto corpore nudi solum secum peccata portantes : pro quibus pœnas passuri sunt perpetuas . Hæc dicente sancto Iohanne ecce efferebatur iuuenis a matre uidua : qui triginta dies habebat : quod uxorem acceperat . Venientes autem turbæ : quæ exequias faciebant simul cum matre eius uidua : iactauerunt se ad pedes eius omnes pariter gemitum mugitumque mittentes . rogabantque : ut in nomine dei sui sicut Drusianam sic et hunc iuuenem suscitaret . Tantus autem omnium extitit flætus : ut etiam ipse sanctus apostolus uix a flætu et lachrymis se temperaret . Itaque prosternens se in oratione : diutissime fleuit : Et exurgens ab oratione : expandit manus suas ad cælum : et tacitam precem diutissime fudit : Hoc cum fecisset tertio iussit solui inuolutum corpus : et ait . O iuuenis Sactee qui amore carnis tuæ ductus cito animam misisti . O iuuenis qui nescisti creatorem tuum . nescisti saluatorem omnium . nescisti amicum uerum : et ideo hostem pessimum incurristi : Pro ignorantia tua lachrymas domino meo simul et preces fudi : ut exurgas a mortis uinculo resolutus . Et istis duobus Attico et Eugenio annuncies : quantam gloriam amiserunt : et quantam incurrerint pœnam . Tunc exurgens Stacteus adorauit apostolum : et cœpit increpare discipulos eius dicens : Vidi angelos uestros flæntes : et satanæ angelos in uestra deiectione gratulantes . Iam regnum paratum uobis et ex corruscantibus gemmis zetas instructas plenas gaudiis : plenas epulis : plenas deliciis : plenas perpetuitate : plenas lumine æterno . plenas delectationibus : quas amisistis incauti : et acquisistis loca tenebrarum plena draconibus : plena stridentibus flammis : plena cruciatibus et incorporabilibus† tormentis : plena pudori || bus : plena doloribus : plena angustiis : plena timore et tremore . Amisistis loca floribus immarcescibilibus plena uocibusque organorum : et acquisistis uobis loca in quibus die noctuque non cessat mugitus et hululatus et luctus : Iam nihil aliud uobis superest nisi : ut rogetis apostolum domini : ut sicut me resuscitauit ad uitam : ita quoque uos resuscitet ab interitu ad salutem et animas uestras : quæ iam de libro uitæ deletæ sunt : Tunc qui resuscitatus fuerat prosternens se cum omni populo et Attico et Eugenio omnes pariter orabant apostolum ut intercederet pro his apud dominum : quibus sanctus apostolus hoc dedit in responsis : ut per triginta dies pœnitentiam offerrent . In quo spatio hoc maxime precarentur : ut uirgæ aureæ ad suam naturam redirent : similiter et lapides ad suam uilitatem qua antea fuerant remearent . Factum est autem : ut triginta dierum transacto spatio : cum neque uirgæ mutarentur in lignum : neque gemme : mutarentur in petras : uenientes Atticus et Eugenius dixerunt apostolo : Semper misericordiam docuisti : semper indulgentiam prædicasti : et præcepisti : ut homo homini indulgeret : homo homini parceret : Et si homo homini indulgere uult quanto .† magis deus . ipse enim cum sit deus homini indulget : et parcit . In peccato nostro confusi sumus : et qui oculis concupiscentibus mundum dereliquimus : oculis flentibus pœniteamus . Oramus domine oramus apostole : ut indulgentiam dei quam semper prædicas uerbis : factis ostendas . Tunc beatus Iohannes flentibus eis : et pœnitentibus uniuersis etiam pro his interuenientibus dixit : Dominus noster his sermonibus usus est ut diceret : nolo mortem peccatoris : sed ut conuertatur et uiuat . Nam et cum nos doceret de pœnitentibus dominus Iesus christus ait : Amen dico uobis : quia magnum gaudium est in cælo angelis super uno peccatore : et conuertente a peccatis suis : et amplior læticia illis est : quam super nonaginta nouem iustis : qui non indigent pœnitentia . Vnde uolo uos scire : quia dominus accepit pœnitentiam eorum . Tunc conuersus ad Atticum et Eugenium di | xit : Ite : et reportate uirgas ad syluam : unde eas asumpsistis : quoniam ad suam sunt naturam reuersæ : et lapides : quoniam petræ effecti sunt : ut fuerunt : quod cum fuisset impletum : receperunt gratiam : quam amiserant ita : ut etiam fugarent dæmones sicut et prius : infirmos curarent : mortuos suscitarent : et uirtutes multas dominus per eos faceret . Cum autem omnis ciuitas Ephesiorum immo omnes prouinciæ Asiæ Iohannem excollerent et prædicarent : accidit : ut cultores idolorum excitarent seditionem . ex quo factum est : ut Iohannem traherent ad templum Dianæ : et urgerent eum : ut ei fæditatem

sacrifitiorum offerret Tunc beatus Iohannes ait : Ducam uos omnes ad ecclesiam domini mei Iesu Christi : et inuocantes nomen Dianæ uestræ facite cadere ecclesiam eius : et consentiam uobis . Si autem hoc facere non potestis : ego inuocabo nomen domini mei Iesu christi : et faciam cadere templum hoc : et comminuam idolum uestrum : quod cum factum fuerit iustum uobis uideri debet : ut relicta supersticione illius rei quæ a deo uicta est et confracta : ad ipsum conuertamini . Ad hanc uocem conticuit populus : et licet essent pauci : qui contradicerent huic definitioni : pars tamen maxima consensum prestitit . Quare beatus Iohannes blandis alloquiis orabat populum : ut a templo longe se faceret : Cumque uniuersi exteriore parte foras exissent : uoce clara coram omnibus dixit : Vt sciat hæc omnis turba : quia idolum hoc Dianæ dæmonium est et non deus : corruat cum omnibus manufactis idolis : quæ coluntur in eo : ita ut nullam læsionem faciat hominibus qui sunt in eo . Continuo autem ad hanc uocem apostoli omnia simul cum templo suo idola corruerunt : ut efficerentur sicut puluis : quem proicit uentus a facie terræ . Conuersi sunt eodem die ad duodecim millia gentium præter paruulos et mulieres : et baptismatis sancti consecrati sunt uirtute . Aristodemus uero qui erat pontifex idolorum repletus spiritu nequissimo sedicionem excitauit in populo : ita ut populus contra populum pararetur ad bellum . Sed beatus Iohannes ait : Dic mi || hi Aristodeme : quid faciam : ut tollam indignationem de anima tua : Cui Aristodemus ait . Si uis ut credam deo tuo : dabo tibi uenenum bibere : Quod cum biberis si non fueris mortuus : apparebit uerum esse deum tuum : Cui apostolus ait . Venenum si dederis mihi bibere : inuocato nomine dei mei non poterit mihi nocere . Cui Aristodemus prius est : ut uideas bibentes et statim morientes : ut uel sic possit cor tuum ab hoc poculo formidare : Cui beatus Iohannes ait : Iam dixi tibi : tu paratus esto credere in dominum Iesum christum : dum me uideris post ueneni poculum sanum : Perrexit itaque Aristodemus ad Proconsulem : et petiit ab eo duos uiros : qui pro suis sceleribus erant decollandi . Et statuens eos in medio foro coram omni populo in conspectu apostoli fecit bibere uenenum : qui mox ut biberunt : spiritum exhallarunt . Tunc dicit Aristodemus : Audi me Iohannes : aut recede ab ista doctrina qua a deorum cultura reuocasti populum : aut accipe : et bibe : ut ostendas omnipotentem esse deum tuum : si postea quam biberis potueris incolumis permanere . Quam ob rem beatus Iohannes iacentibus mortuis iis qui uenenum biberant intrepidus et constans accepit calicem et signaculum crucis faciens in eo dixit : Deus meus pater et filius et spiritussanctus cui omnia subiecta sunt : et metuunt : et expauescunt : quem nos ad auxilium inuocamus : cuius audito nomine serpens conquiescit : draco fugit . silet uipera et rubeta illa quæ dicitur rana quieta torpescit scorpius . extinguitur regulus . uincitur et spalanguis et nihil noxium operatur : et omnia uenenata et adhuc ferociora repentia et animalia noxia terebrantur . et omnes aduersæ radices salutis humanæ arescunt : tu extingue hoc uenenum : extingue omnes operationes eius mortiferas : et uires quas habet in se euacua : Et da in conspectu tuo omnibus iis quos tu creasti oculos : ut uideant : aures ut audiant : et corda ut magnitudinem tuam intelligant : Cumque hoc dixisset : totum semetipsum armauit signo crucis : et bibit totum : quod erat in calice : et po | steaquam bibit dixit : peto : ut propter quos bibi conuertantur ad te domine : et salutem quæ apud te est illuminante te mereantur . Contendentes autem populus per tres horas Iohannem hahere† uultum hillarem et nulla penitus signa palloris aut trepidationis habentem : clamare cœperunt : Vnus deus uerus est : quem colit Iohannes . Aristodemus autem : nec sic credebat : sed populus eum obiurgabat . Ille autem conuersus ad Iohannem dixit : est mihi adhuc dubietas Si hos qui hoc ueneno mortui sunt excitaueris : emundabitur ab omni dubietate mens mea . Populi autem insurgehant† in Aristodemum dicentes : Incendemus te et domum tuam : si ausus fueris ultra apostolum dei in tuo sermone facere laborare . Videns autem Iohannes accerrime sedicionem fieri : petiit silentium : et omnibus audientibus ait : Prima est quam debemus de uirtutibus diuinis imitari patientia : per quam ferre possimus incredulorum insipientiam . Quo fit ut si adhuc Aristodemus in infidelitate tenetur : soluamus nodos infidelitatis eius . Et licet tarde : faciamus eum cognoscere creatorem suum . Non enim cessabo ab hoc opere : quo medela eius possit uulneribus peruenire : Vt medici habentes inter manum ægrum uaria medela indigentem : ita etiam nos si adhuc curatus non est : de eo quod factum est : aliud faciamus : quod factum

non est : Et conuocans ad se Aristodemum : dedit ei tunicam suam . Ipse uero pallio amictus cœpit stare : Cui ait Aristodemus : Vt quid mihi dedisti tunicam tuam : Dicit ei Iohannes : ut uel sic confusus a tua infedilitate† discedas : Cui Aristodemus ait : Et quomodo me tunica tua faciet ab infidelitate discedere ? Apostolus : uade : et mitte eam super corpora defunctorum : et dices ita : Apostolus domini nostri Iesu christi misit me : ut in nomine eius exurgatis : ut cognoscant omnes : quia uita et mors famulantur domino meo Iesu christo : At cum hoc fecisset Aristodemus : et uidisset eos exurgere : adorans Iohannem festinauit : et perrexit ad Proconsulem : cœpitque clamosa uoce dicere : audi me Pro || consul memorem te esse puto : quod contra Iohannem frequenter iram tuam excitaui : et multa mala contra eum egi . propter quod uereor : ne iram eius experiar . Et enim deus sub specie hominis latens Nam uenenum bibens non solum ipse incolumis perseuerat sed etiam illi : qui ueneno mortui fuerant per manus meas tunicæ eius tactu suscitati uiuunt nulla secum signa mortis habentes . Dicit ei Proconsul : Et quid uis : ut faciam ? Respondit ei Aristodemus : Eamus aduoluti eius genibus : ut ueniam postulemus : et quidquid nobis iusserit faciamus . Tunc uenientes simul prostrauerunt se ad pedes apostoli indulgentiam flagitantes : quos ille suscipiens orationem cum gratiarum actione obtulit deo : præcepitque eis unius hebdomados ieiunium agere : quo expleto baptizauit eos : qui cum baptizati essent cum uniuersa parentela sua et affinitate et famulis suis fregerunt omnia simulacra : et fabricauerunt basilicam in nomine sancti Iohannis in qua ipse sanctus .† Iohannes assumptus est hoc ordine : Cum esset annorum nonaginta et septem apparuit ei dominus Iesus christus cum discipulis suis : et dixit ei : Veni ad me : quia tempus est : ut epuleris in conuiuio meo cum fratribus tuis . Surgens autem Iohannes cœpit ire : sed dominus dixit ei : dominica resurrectionis meæ die qui post puinque† dies futurus est : ita uenies ad me . Et cum hæc dixisset cælo receptus est . Veniente itaque dominica conuenit uniuersa multitudo in ecclesiam : quæ in eius fuerat nomine fabricata : Et a primo pullorum cantu agens mysteria dei omnem populum usque ad horam diei tertiam allocutus est : post hæc iuxta altare iussit foueam fieri quadratam : et terram eius foras ecclesiam proiici : et descendens in eam expandit manus suas ad dominum dicens : Inuitatus ad conuiuium tuum uenio gratias agens : quia me dignatus es domine Iesu christe ad tuas epulas inuitare : sciens quod ex toto corde desyderabam te . uidi faciem tuam : et quasi de sepultura suscitatus sum . Odor tuus concupiscentias in me excitauit æternas . Vox tua plena suauitate melliflua : et allocutio tua in compa | rabilis eloquiis angelorum . Quotiens te rogaui : ut aduenirem : et dixisti expcta† ut populum liberes crediturum mihi . Et custodisti corpus meum ab omni pollutione et animam meam semper illuminasti : et non dereliquisti me : cum irem in exilium : et redirem : Et posuisti in ore meo uerbum ueritatis : commemorasti mihi testimonia uirtutum tuarum : Et scripsi ea opera : quæ audiui auribus meis ex ore tuo : Et nunc domine commendo tibi filios tuos : quos tibi ecclesia tua uirgo uera mater per aquam et spitum† sanctum regenerauit . Suscipe me : ut cum fratribus meis sim : cum quibus ueniens inuitasti me . Aperi mihi pulsanti ianuam uitæ . Principes tenebrarum non occurrant mihi . Pes superbiæ et manus extranea me non contingat . Sed me suscipe secundum uerbum tuum : et perduc me ad conuiuium epularum tuarum . ubi epulantur tecum amici tui . Tu es enim Christus filius dei uiui : qui cum patre et spiritu sancto uiuis et regnas deus per omnia sæcula sæculorum : et cum omnis populus respondisset : amen : Lux tanta aparuit super tumulum per unam fere horam : ut nullus eius sustineret aspectus . postea uero inuenta est et fouea illa plena : nihil aliud in se habens nisi mana quod usque hodie gignit locus ille : Ft† fiunt uirtutes orationum eius et ab omnibus infirmitatibus et periculis liberantur omnes : et precum suarum consequuntur effectum .

Heronymus† in libro uirorum illustrium de illo sic habet : Iohannes apostolus et euangelista a domino Christo electus atque dilectus in tanto amore dilectionis ab eo est habitus : ut in cæna super pectus eius recumberet : et ad crucem astanti soli matrem propriam commendasset : Vt quem nubere uolentem ad amplexum uirginitatis asciueart† : ipsi etiam custodiendam uirginem tradidisset . Hic itaque cum propter uerbum dei et testimonium Iesu christi exilio in pathimos† insulam portaretur : illic ab eodem Apocalypsis præostensa describitur : si sicut in principio canonis id est libri Geneseos in corruptibile principium prænotatur : ita etiam incorruptibilis finis

per uirginem in Apo || calypsi redderetur dicens : ego sum alpha .et O : initium et Finis . Hic est Iohannes : qui sciens superuenisse sibi diem egressionis de corpore : conuocatis in Epheso discipulis : descendit in defossum sepulturæ suæ locum : orationeque completa reddidit spiritum tam a dolore mortis factus extraneus : quam a corruptione carnis noscitur alienus : Cuius tamen scripturæ dispositio uel libri ordinatio ideo a nobis per singula non exponitur : ut nescientibus inquirendi desyderium collocetur : et quærentibus laboris fructus et deo magisterii doctrina seruetur . Hic est Iohannes euangelista unus ex discipulis dei : qui uirgo electus a deo est : quem de nuptiis uolentem nubere uocauit deus : Cuius uirginitatis duplex testimonium in euangelio datur : quod et præ cæteris dilectus a deo dicitur : et huic matrem suam pendens in cruce commendauit deus : ut uirginem uirgo seruaret : Denique manifestans in euangelio quod : erat incorruptubilis† uerbi opus inchoans solus uerbum carnem factum esse : nec lumen a tenebris compræhensum fuisse testatur : primum signum ponens : quod in nuptiis fecit dominus ostendens : quod ipse erat : legentibusque demonstraret : quod ubi dominus inuitatur : deficere nuptiarum uinum debet : ac mentibus immutatis : noua omnia quæ a Christo instituuntur appareant . Hic est Iohannes filius zebedæi frater Iacobi : qui in loco Christi ipso iubente successit : dum suscipiens matrem magistri discipulus par post Christum alter quodam modo derelictus est filius . Hic dum euangelium Christi in Asia prædicaret a Domiciano Cæsare in pathmos insulam metallo relıgatur : ubi etiam positus Apocalypsim sibi diuinitus præostensam descripsit . Interfecto autem a senatu Domiciano exilio resolutus recessit ephesum : ibique ob hæreticorum refutandas uersutias et flagitatus ab Asiæ episcopis euangelium post alios edidit : Cuius quidem inter alias uirtutes magnitudo signorum hæc fuit : mutauit in aurum syluestres frondium uirgas : litoreaque saxa in gemmas Itemque gemmarum fragmina in propriam reformauit naturam . Viduam quoque præ | cepto populi suscitauit : et rediuiuum iuuenis corpus remeante anima reparauit . Bibens letiferum haustum : non solum euasit periculum : sed eodem prostratos periculo in uitæ reparauit statum : hic autem a Domitiano in feruentis olei dolium missus est Romæ ante portam latinam : unde gratia diuina protegente illæsus exiuit . Anno sexagesimo septimo post passionem domini sub troiano† principe longæuæ uetustatis senio fessus cum diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret : sepulchrum sibi effodi fecit : et facta oratione ualedicens : uiuens tumulum intrauit : in quo tanquam in lectulo requieuit Vnde quidam asserunt illum uiuere : nec in sepulchro mortuum sed dormentem† contendunt : pro eo quod terra scaturiens ad superficiem sepulchri conscendat : et quasi flatu quiescentis dehorsum ad superiora puluis ebulliat .

VITA SANCTI IOHANNIS PANARIENSIS .

Factum est in diebus illis cum beatus Iohannes egrederetur de prouincia Syria orauit ad dominum dicens : Domine deus cæli et terræ deus Abraham deus Isaac et deus Iacob deus patrum nostrorum : qui fecit cælum et terram cum omni ornatu suo : qui suspendisti mare sermone iussionis tuæ : qui clausisti abyssum : et signasti desuper : gloriosum et potens nomen tuum omnia uerentur et contremescunt a facie uirtutis tuæ : precor : qui lumen es uerum illumina sperantem in te prosperumque facias iter meum quod nunc dirigo : ut hoc mihi signum sit : ubicunque ambulauero : et cui enim psalterium meum dedero et ipsa die illud mihi non restituerit : ibi me facias permanere . Vnde et factum est . uenit in Italiam circa ciuitatem metropolim iter plus minus milliario quinto in fundo agello : inuenitque ibi quandam ancillam dei : cui secundum orationem suam dedit psalterium suum : et postmodum requisiuit eum . Et dixit illi ancilla dei : quo ua || dis serue dei : Hodie mane : et crastino uades : et dum multum loquerentur : detenuit eum illa nocte : et mansit in eodem loco . Et recordatus est beatus Iohannes orationis quam effuderat ad dominum Iesum chistum† : et dixit in corde suo : uere hic est obsecratio mea : et hic permanebo . Mane autem facto recepto psalterio suo perrexit inde non longe plus minus quasi iactu sagittarum duarum . Ecce angelus domini apparuit illi : et antecedebat eum . Et dum

uenisset ad locum : dixit illi angelus : sede hic serue dei excelsi : quia hic tibi præcipit dominus permanere . Et hæc dicens applicuit sub arbore : et dixit : Hic habebis congregationem magnam . et requiem sempiternam . Et requieuit beatus Iohannes confessor Christi sub arbore . Hæc acta sunt mense decembris . In illo autem tempore secundum consuetudinem mensis præ nimio frigore gelu ingens fuit et omnis terra arida facta est . Arbor uero sub qua beatus Iohannes requieuit : floruit sicut lilium . Eodem uero tempore cum transissent uenatores per locum ipsum inuenerunt beatissimum Iohannem sub arbore residentem . Existimauerunt eum exploratorem esse et percunctabantur eum dicentes : Vnde huc aduenisti ? quibus beatus Iohannes narranit† eis omnia : quomodo in Italiam aduenisset . Tunc illi ammirati sunt omnes : quia tale uestimentum nunquam uiderant . Et dixit ad illos beatus Iohannes : Nolite filioli nolite inquit mihi molesti esse . propter seruitium domini nostri Iesu christi in istum locum adueni . Attendens autem ad arborem . arbor uero fulgebat sicut lilium . Quare cognouerunt uiri : quia dominus erat cum eo : et nunciauerunt hoc factum beato Iohanni episcopo spolitinæ ciuitatis . Et dum hoc audisset beatus Iohannes episcopus repletus est gaudio magno : exurgens perrexit ad seruum dei in locum : ubi beatus Iohannes confessor Christi dominum precabatur . Et dum uenisset inuicem præ gaudio lachrymas fuderunt ad dominum : Et requisiuit eum beatus Iohannes episcopus : retulitque illi sanctus Iohannes omnia : quæ | supra scripta sunt . Tunc omnes qui aderant egerunt gratias deo : Domini autem misericordia collecta multitudo populi ædificauerunt ibi monasterium : et habitauit ibi cunctis diebus uitæ suæ . Et sedit in eodem loco annis quadraginta quattuor : et requieuit in pace : depositusque est qnartodecimo† calendas apriles cum hymnis et canticis : ubi præstantur beneficia domini usque in hodiernum diem . cæci ibidem illuminantur . dæmonia fugantur . leprosi mundantur : præstante domino nostro Iesu christo : qui uiuit et regnat cum spiritusancto in sæcula sæculorum Amen .

DE SANCTO IOHANNE CHRISOSTOMO .

Iohannes cognominatus chrisostomus antiochenus filius Secundi et Anturæ nobilium fuit : Cuius uita genus conuersatio et persecutio in hystoria tripartita plenius declaratur . Hic cum phylosophyæ studium impendisset tandem hanc deserens diuinis lectionibus incumbebat . post uero præsbyter ordinatus propter castitatis zelum seuerior habebatur : et feruori magis quam mansuetudini seruiebat : et propter uitæ rectitudinem incautus ad futura prospicere nesciebat . In confabulatione arrogans a nescientibus putabatur . In docendo præcipuus erat . In exponendo egregius : ad mores cohercendos optimus . Regnantibus autem Archadio et Honorio augustis et Damasco† in Romana sede præsidente creatus est Constantinopolis episcopus . dum autem uitam clericorum repente corrigere uoluit : omnes in suum odium excitauit : cunctique eum uelut furiosum declinabant : omnesque illi detrahebant : Et quia nunquam aliquem ad prandium inuitabat : nec ab aliquo inuitari uolebat : dicebant eum ideo hoc facere : quia turptter† manducaret . Alii propter excellentem et exquisitum usum ciborum hoc eum facere prædicabant . Re uera autem propter abstinentiam et quia stomachum et caput sæpe dolebat : ideo prandiorum epulas euitabat . || Populus autem propter sermones quos in ecclesia faciebat eum plurimum diligebat : Paruipendens quid contra eum æmuli loquerentur . Apposuit autem Iohannes et quosdam procerum obiurgare : quare in eum maior inuidia succensa est : ob aliam quoque causam in illam commoti sunt . Eutropius enim præfectus Imperatoris uir consulari dignitate uolens se de quibusdam ad ecclesiam confugientibus uindicrae† : curauit ut lex ab Imperatore poneretur : ne quispiam ad ecclesiam confugeret : imo qui dudum refugerant traherentur . Post paucos autem dies cum Eutropius regem offendisset : ad ecclesiam mox confugit . episcopus autem hæc audiens ad eum sub altari latitantem accessit : et omeliam increpatoriam contra eum faciens ipsum durissime obiurgauit : quam ob rem multos offendit : eo quod homini infelici noluit misericordiam inpendere : sed insuper eum obiurgare non destitit . Imperator uero Eutropium rapiens eius caput abscidit . diuersis igitur causis multos homines fiducialius

obiurgabat : ideoque pluribus factus est odiosus . Theofilus autem alexandrinus episcopus Iohannem deponere uolebat : et presbyterum quendam Isidorum nomine intrudere affectabat : quo fit ut causas depositionis deligenter† quæritaret . Populus autem Iohannis intendebat defensioni eiusque doctrinam auiditate mirabili pascebatur . Sacerdotes quoque pro ecclesiasticis sanctionibus uiuere cogebat dicens : Non debere frui honore sacerdotii : qui eorum uitam contemnerent imitari . Non solum autem ciuitatem constantinopolim strenue gubernabat : sed plures etiam circum adiacentes prouincias cum imperiali auctoritate tum prouidis legibus ordinabat : Cumque cognouisset in phœmœ adhuc dæmonibus sacrificia ministrari : clericos illuc monachosque destinauit : omniaque templa idolorum destrui fecit . per idem tempus Gamas quidam genere celticus erat consilio barbarus : studio tyrannico uæhementer elatus : arrhyana hæresi deprauatus magister tamen factus militum : hic imperatorem rogauit : ut intra ciuitatem sibi suisque ecclesiam unam daret : Quod ubi imperator pro | misisset : rogauit Iohannem : ut unam illi ecclesiam concederet quo : sic eius refrenaret tyrannidem . Ad Iohannes fortissimus et totus ignitus zelo noli inquit o Imperator hæc promittere : neque sanctum canibus dare : neque hunc barbarum metuas : sed ambos nos iube uocari et sub silentio inter nos quæ dicentur audi . Ego autem eius linguam sic refrænabo : ut hoc petere non presumat . Quod audiens imperator gauisus est : et utrumque altera die uocauit : Cumque Gamas unum sibi oratorium peteret : ait Iohannes : ubique tibi diuina domus aperta est : ut nullus te uetet orare . At ille ego alterius sectæ sum : et unum templum cum meis habere deposco . Multos quidem pro romana republica labores assumpsi : non debeo in mea petitione contemni : Cui Iohannes : Plurima premia quæ transcendunt tua certamina recepisti magister militum factus consulari toga insuper exornatus . oportet itaque te consyderare : quid dudum fueris : et quæ modo substantia : quibus uestimentis ante utebaris : et quibus modo ornaris . Igitur quia pauci labores maxima tibi præmia contulerunt : circa honorantem te ne sis ingratus . Hiis sermonibus os obstruxit : eumque compulit : ut taceret . Dum igitur Constantinopolitanam urbem strenue gubernaret : Gamas prædictus imperium ambiens cum eapropter nihil agere posset : noctu barbaros misit : qui palatium concremarent . Tunc aperte monstratum est : quomodo sanctus Iohannes custodiebat ciuitatem . Barbaris enim angelorum armatorum ingens chorus habentium copiosa turba apparuit : quæ ipsos protinus effugauit : Quod cum suo domino nunciassent : ille ualde miratus est : sciens exercitum militum per ciuitates alias constitutum . Cum ergo sequenti nocte eos iterum destinasset : ab ipsa uisione angelorum pariter sunt effugati Nouissime ille egressus miraculum uidit : et fugit extimans milites in die latere et nocte ciuitatem custodire . Egressus inde tertio perrexit : magnoque congregato exercitu uniuersa uastabat timentibus cunctis barbaricam feritatem . Imperator || ergo Iohanni sanctissimo onus commisit legationis . Ille autem inimciciarum† immemor alacriter est profectus . Gamas ergo agnoscens eius fiduciam pro pietate assumpta longo itinere eidem occurrit : suisque oculis dexteram eius circumposuit : et filios suos sacra eius genua osculari præcepit . Huius namque uirtutis Iohannes fuit : ut etiam ualde terribiles humiliari cogeret et timere . Eodem tempore quæstio mota est : utrum deus corpus haberet : Ex qua contentiones et certamina surrexerunt . Aliis hoc aliis id affirmantibus : maxime tamen monachorum turba simplicium est decepta dicentium : deum forma corporea esse distinctum . Theophilus autem episcopus alexandrinus contrarium sapiebat : ita ut in ecclesia contra eos : qui humanæ formæ dei asseruerant : contenderet et deum incorporeum prædicaret . Quod ægyptiorum monachi agnoscentes habitacula sua reliquerunt : et Alexandriam uenientes seditionem contra Theophilum excitarunt ita ut eum occidere mererentur . Quod ille cognoscens et timens : ait illis : Sic uos uideo sicut dei uultum . Et illi : si uere inquit dicis : quia dei uultus sic est ut noster anathematiza libros Origenis : qui nostræ opinioni aduersantur : Quod si non feceris : quæ imperatoribus et deo rebellium sunt : a nobis sine dubio sustinebis . Et ille : Nolite in me sæuire . Ego quidem quæ uobis placent facio : et sic monachos a suo impetu reuocauit . exercitati uero et perfecti monachi in hoc seducti non sunt : sed simplices ardore fidei contra fratres contrarium sapientes insurrexerunt : multosque occidi fecerunt . Dum hæc in ægypto fierent : Iohannes apud Constantinopolim doctrina florebat : et apud omnes habebatur mirabilis . Verum cum arrhyani plurimum pullularent : et

extra ciuitatem haberent ecclesiam : sabbato tamen et dominica die intra portas et porticus congregati hymnos et antiphonas noctu cantabant . Diluculo autem cum in ipsis antiphonis per mediam ciuitatem portas egressi ad suam ecclesiam concurrebant : Hæc autem ad uituperationem orthodoxorum facere non cessabant frequenter hæc decantantes : ubi sunt : | qui dicunt tria uirtute unum ? Iohannes autem metuens : ne simplices huiusmodi cantibus traherentur : instituit : ut fidelium turba nocturnis hymmis† insisteret : ut et illorum opus offuscaretur : et fidelium professio firmaretur . Fecitque cruces argenteas : quæ cum argenteis cereis portabantur . Tunc arrhyani zelo accensi inuidiæ usque ad necem insurgunt . una igitur nocte percussus est Brison eunuchus augustus qui ad hymnos exercendos a Iohanne fuerat deputatus . Sed etiam quidam de populo utriusque partis extincti sunt . Ex his motus imperator prohibuit arrhyanos hymnos publice decantare . Eo tempore Seuerianus gabalensis episcopus honorabilis apud multos proceres et ab ipso imperatore et Augusta multum dilectus Constantinopolim uenit : et a Iohanne gratanter susceptus est : Cumque Iohannes in Asiam perrexisset : suam ecclesiam eidem commendauit . Ille autem non fideliter ambulabat : sed semetipsum populo commendabat . Serapion autem clericus Iohannis hoc Iohanni studuit nunciare . Transeunti autem Seueriano non assurrexit Serapion . Ille autem indignatus clamauit : Si Serapion clericus mortuus non fuerit : Christus in humana natura natus non est . Hæc audiens Iohannes rediit : et ipsum tanquam blasphemum de ciuitate eiecit . Quod Augustæ displicuit admodum : ipsumque euocari fecit rogans Iohannem : ut sibi eum reconciliaret . Qui nullatenus acquieuit : donec Augusta filium suum Theodosium eius genibus imponeret supplicans et coniurans : ut Seuerianum reconciliaret . Eodem quoque tempore Theophilus alexandrinus episcopus dioscorum uirum sanctissimum Isidorum prius sibi amicissimum iniuste eiecit : Qui constantinopolim uenerunt : ut principi et Iohanni eius facta narrarent . Iohannes autem eos quidem honorabat sed ante causæ cognitionem cum eis participare nolebat . Falsus autem rumor ad Theophilum delatus est : quod Iohannes cum illis communicaret : et eis auxilium ferret . At Theophilus indignatus non solum in illos uindictam exercere sed etiam Iohannem deponere fortiter se armabat . Celans igitur intentionem suam misit ad singularum || episcopos ciuitatum dicens : se Origenis libros uelle damnare . Epiphanium quoque episcopum Cypri uirum sanctissimum et famosissimum circunuenit : et amicum fecit rogans : ut et ipse similiter libros Origenis damnaret . Epiphanius propter sui sanctitate eius falacias non attendens apud Cyprum suos episcopos conuocauit : et lectionem Origenis interdixit : rogans Iohannem per litteras ut se ab horum lectione librorum suspenderet : et quæ ordinata fuerant confirmaret . Iohannes autem hæc paruipendens in doctrina ecclesiastica laborabat : et in ea florebat : Nihilque de iis quæ contra eum cogitabantur curabat . Theophilus Deinde odium diu celatum manifestauit : et se uelle Iohannem deponere indicauit : Moxque inimici Iohannis multique clerici et proceres palatii tempus opportunum inuenientes nitebantur : ut contra Iohanem apud Constantinopolim concilium fieret . post hæc autem Epiphanius Constantinopolim uenit : damnationem librorum Origenis secum ferens et inuitationem Iohannis Canthophili declinauit : Et quidam propter Epiphanii reuerentiam damnationem librorum Origenis subscribebant . Plurimi autem hoc facere recusabant : quorum fuit Teotimus Sitie præsul uir rectitudine uitæ famosissimus : qui ita respondit : Ego inquit o Epiphani æquæ eius qui dudum bene requieuit iniuriam non fero : neque rem blasphemam temptare præsumo damnans ea : quæ priores nostri respuere noluerunt . Nam neque malam doctrinam in eius libris esse conspicio : Qui hiis contumelias inferunt : nesciunt semetipsos . Athanasius autem defensor niceni concilii contra arrhymos† testem suæ fidei hunc uirum apellat : illius libros suis coniungens et dicens : Mirabilis inquit et laboriosissimus Origenes hoc de filio dei nobis testimonium perhibuit asserens coæternum eum patri . Iohannes autem indignatus non est : cur absque regulis in eeclesia† sua Epiphanius ordinationem fecerit sed tamen rogabat : ut inter episcopos cum eo maneret . At ille nec se cum eo manere : nec orare respondit : nisi Dioscorus ibi esset : et damnationi librorum Origenis subscri | beret . Ioāanne† hoc facere renuente : aduersus Iohannem ab eius inuidis Epiphanius incitatur : Vnde Epiphanius libros Origenis damnauit : et Dioscorum adiudicauit : ac Iohanni tanquam horum defensori detrahere cœpit : Cui Iohannes mandauit contra regulas multa gessisti o Epiphani : primum quia ordinatio-

nem fecisti in ecclesia sub meo iure instituta : Deinde quia in ea auctoritate propria sacra celebrasti : Rursus quia inuitatus excusasti : et nunc denuo qui in teipsum confidis : Qua propter obserua : ne in populo sedicio oriatur : et huius rei periculum ipse suscipias . Hæc audiens Epiphanius discessit : Qui cum ad Cyprum reuersus esset : madauit† Iohanni : Spero quod episcopus non morieris . At ille remandauit : Spero quia ad tuam patriam non redibis : Quod sic euenit . Nam Epiphanius in uia obiit : et Iohannes postmodum de episcopatu depositus in exilio uitam finiuit . Ad sepulchrum autem huius Epiphanii uiri sanctissimi dæmones expelluntur . Fuit autem uir miræ liberalitatis in pauperes : qui cum aliquando totam ecclesiæ pecuniam errogasset : et nihil sibi remansisset : quidam subito ueniens sacculum multarum pecuniarum sibi obtulit : ac dicessit : nec unde uenerit : aut quo abierit : scitum fuit . pauperes quidam uolentes Epiphanium decipere : ut aliquid eis daret : unus eorum suppinum in terra se prostrauit : alter super eum stans quasi mortuum flæbat : et quod nihil unde eum sepellire posset haberet querulis uocibus clamitabat . Epiphanius igitur ueniens ut in quiete dormiret orauit : et sepulturæ necessaria ministrauit : hominemque consolatus abiit . Ille autem socium pulsans dicebat : Surge . surgere hodie tuis laboribus epulemur . qui cum crebro pulsasset : et mortuum cognouisset : ad Epiphanium cucurrit : et quid acciderit nunciauit : ac ut eum resuscitaret : rogare cœpit . Ille autem benigne consolatus est : non tamen eum resuscitare uoluit : ut ne ministris dei facile deludatur . Verum cum Epiphanius discessisset : relatum est Iohanni : quod Eudoxia augusta contra eum epiphanium incitasset : quod solito zelo accen || sus sermonem ad populum fecit : Qui cunctarum mulierum uituperationem omnimodam continebat . Hic sermo ab omnibus est acceptus quasi contra Augustam sic prolatus : quod ubi Augusta cognouisset : imperatori conquesta est dicens : contumeliam illatam uxori in eum potius redundare . Motus ad hæc imperator contra Iohannem præcepit synodum celebrari . Theophilus igitur festine episcopos conuocauit : omnesque Iohannis inimici alacriter confluebant : superbum et impium eum uocantes . uniuersi igitur episcopi apud Constantinopolim constituti non iam de libris Origenis tractabant : sed contra Iohannem se manifestius erigebant . Iohannem itaque uocantes : qui eos uelut apertos inimicos uitare censuit : ac uniuersalem synodum fieri proclamauit : Illi uero ipsum denuo citauerunt : qui cum eos refugeret : synodum fieri proclamaret : damnauerunt eum in nullo eum culpantes : nisi quod uocatus noluit obedire : quod populus audiens ad sediciones maximas excitatus est : et eum trahi ab ecclesia non sinebat . Sed ut hoc ad maius referretur concilium proclamabat . Iussio autem principis conpellebat eum uelociter eiici : et in exilium deportari . Iohannes autem timens : ne in populo sedicio oriretur : nesciente populo semetipsum tradidit in exilium deferendum : populo hoc cognoscente importabilis sedicio est exorta : ita ut etiam multi inimicorum eius ad misericordiam mouerentur : dicentes eum calumniam passum : quem paululum ante desyderabant uidere depositum . Seuerianus autem de quo supra sermo habitus est in ecclesia docens : Iohanni detrahebat dicens : Et si nullum aliud crimen haberet : eius tamen superbia depositionis eius sufficiens causa erat . Orta igitur contra imperatorem et episcopos inmensa sedicione in populo : Augusta imperatorem rogauit : ut Iohannem de exilio reduci faceret . Terræmotus quoque maximus ciuitatem inuasit dicentibus cunctis : hoc accidere propter iniustam eiectionem Iohannis . Missi igitur sunt legati ad Iohannem rogantes : ut cito rediret : et ciui | tati pereunti orationibus suis succureret : et in populo seditionem excitatam sedaret . Alii quoque post illos et rursus alii destinati sunt : qui eum cito redire compellerent : qui eum redire nolentem ad propriam reduxerunt sedem cum cereis et lampadibus uniuerso populo occurrente . Ipse autem in episcopali sede residere nolebat dicens : opportere hoc fieri indicio† synodali : et eos qui damnauerant suam sententiam reuocare . Populus autem miro modo accendebatur : eum in episcopali sede residentem uidere : et uerba doctoris audire . Præualuit autem populus : coactusque est sermonem ad populum facere : ac in sua cathedra residere . Theophilus igitur inde fugit : qui cum Hieropolim aduenisset : mortuus est eiusdem ciuitatis episcopus : et ı† Lamon sanctissimus monachus est electus . At ille cum crebro refugeret : ei Theophilus suadebat : ut suæ electioni consensum præberet . Tunc ille promisit dicens : Cras quod domino placet implebitur . Crastina igitur die uenientes ad cellam suam : eum ut susciperet instanter rogabant : qui ait : oremus primo ad

dominum : qui dum oraret : mox cum illa oratione terminum uitæ suscepit . Iohannes itaque doctrinæ sedulæ insistebat . Eo autem tempore statua argentea clamidæ circum amicta in platea iuxta ecclesiam sanctæ sophiæ ad honorem Eudoxiæ augustæ constituta erat : ubi milites proceres lusus publicos exercebant : quod quidem Iohanni plurimum displicebat : cum uideret hoc ad ecclesiæ spectare iniuriam . Consueta igitur fiducia rursus linguam suam armauit : et cum oporteret principes supplicationis uerbo deflectere : ut a tali lusu recederent : hoc non fecit ; sed impetu sui usus eloquii iubentes fieri talia lacerabat . Augusta uero rursus ad suam hoc trahebat iniuriam : et rursus laborabat : ut aduersus eum synodus celebraretur . Hoc sentiens Iohannes illam famosissimam in ecclesia pertulit omeliam : Cuius inicium est . Rursus Herodias uexauit . Rursus turbatur . denuo saltat . denuo caput Iohannis in messorio concupiscit accipere : quod factum ad iracundiam plus incitauit Augustam . Dum autem || quidam Iohannem uellet occidere : a populo est conpræhensus : et ad iudicandum traditus : Sed a præfecto ne occideretur ereptus est . Quidam etiam seruus cuiusdam presbyteri in eum impetum faciens ipsum occidere molitus est : et dum ab alio teneretur : ipsum qui tenebat et alium astantem et tertium percussit . Tunc clamore facto multis concurrentibus plurimos interfecit . Ex illo tempore populus Iohanem custodiebat : eius domum die ac nocte muniens Suadente igitur Augusta episcopi constantinopolim conuenerunt : et acusatores Iohannis fortiter insistere cœperunt : Cum autem festiuitas natalis superuenisset : mandauit imperator Iohanni : quia nisi prius criminibus exueretur : non communicaret eidem . Episcopi nihil autem contra eum repererunt : nisi quod post depositionem residere in sede episcopali sine decreto concilii præsumpsisset : et sic damnauerunt eum . Appropinquante autem sollemnitate paschali : mandauit ei imperator : non posse secum in ecclesia manere ; cum eum duo concilia condemnassent . Vacabat igitur Iohannes : et nequaquam in ecclesia descendebat . Illi qui Iohanni fauebant Iohannitæ dicebantur . Post hæc autem imperator Iohannem de ciuitate expelli fecit : ac duci in exilium in quandam ciuitatem paruam : ubi fines sunt positi imperiique romani : quæ loca crudelibus barbaris sunt uicina . Sed clæmens dominus non permisit diu in locis talibus athletam suum fidelissimum commorari . Hæc Innocentius papa audiens moleste ferebat ; uolensque concilium celebrare : scripsit clero Constantinopolitano : ne Iohanni successorem aliquem ordinaret . Cum igitur longo fuisset itinere fatigatus : et dolore capitis uæhementissime cruciatus : necnon et ardorem solis intolerabilem pateretur ; sancta illa anima in Comanis decimoquarto die septembris e carne soluta est : Quo de facto grando uæhemens in Constantinopolim et omnia suburbana descendit : dicentibus cunctis : hoc dei iracundia gestum esse : eo quod iniuste Iohannes fuerit condemnatus ; quibus uerbis fidem fecit mors Augustæ protinus subsecuta . Quar | ta namque die post grandinem est defuncta . Mortuoque omnium doctore terrarum occidentales episcopi cum orientalibus nullatenus communicare uoluerunt : donec illius sacratissimi uiri nomen inter præcessores episcopos poneretur . Verum Theodosius filius Archadii : qui aui sui nomen et pietatem tenebat : sacras huius doctoris reliquias mense ianuarii in regiam ciuitatem transferi fecit : Cui fidelissimus populus cum lampadibus et cereis obuiauit . Theodosius autem suppliciter eius adorans relliquias pro Archadio et Eudosia genitoribus supplicauit : ut ignoranter delinquentibus ueniam condonaret . Dudum enim parentes eius mortui fuerant . Hic Theodosius clæmentissimus fuit adeo ; ut nullum se lædentium morti adiudicaret dicens : Vtinam esset mihi possibile ad uitam etiam mortuos suscitare . Eius curia monasterium uidebatur . Matutinas laudes agebat . codices diuinos legebat . Huic erat uxor nomine Endocia† quæ heroico metro poemata multa confecit : habuitque filiam nomine Endoxiam† : quam Valentiniano : quem imperatorem fecerat : dedit uxorem . Hæc omnia ex historia tripartita extracta sunt . Mortuus autem est circa annos domini quadringentos .

DE SANCTO IOHANNE ELEIMOSYNARIO .

Iohannes eleimosynarius quadam nocte in oratione persistens uidit puellam pulcherrimam sibi assistentem : et coronam oliuarum in capite gerentem : quam ille uidens nimium stupefactus : quænam† esset inquisiuit . Et illa ego sum misericordia : quæ dei filium de cælo adduxi . me sponsam accipe : et bene tibi erit . Intelligens ergo per oliuam misericordiam designari ab illa die factus est† sic misericors ut eleymon id est eleimosinarius uocaretur . pauperes autem semper suos dominos appellabat : et inde hospitalarii de more habent : ut pauperes suos dominos uocent . Omnes igitur suos famulos conuocauit eisque dixit : Euntes per totam ciuitatem con || scribite mihi usque ad unum omnes dominos meos : Illis uero non intelligentibus dixit : Quos uos egenos et mendicos uocatis ego dominos et auxiliatores prædico . Isti enim nobis uere auxiliari et cæleste regnum donare poterunt . Volens homines ad eleimosynam inuitare . Narrare conuenit quod pauperibus semel se ad solem calefacientibus cœperunt inuicem de eleymosynatoribus conferre : et bonos collaudare : et mallos uituperare . Erat autem quidam Thœlonarius nomine Petrus diues ualde et præpotens : sed nimis pauperibus immisericors : quia domum suam accedentes cum indignatione nimia repellebat . Cum ergo nullūs† illorum inuentus fuisset : qui in domo sua eleimosynam recepisset unus illorum dixit : Quid uultis mihi dare : si ego hodie ab eo eleimosynam accipiam : et facientibus cum eo pactum : domum eius uenit eleimosynamque postulauit . At ille domum reuertens et pauperem præ foribus uidens : cum mancipium eius panes siliginis in domum deferret . Ille lapidem non inueniens panem unum siliginis arripuit et cum furore inde eum percussit : quem protinus accipens† pauper ad socios rediit : et quod de manu eius eleimosynam acceperat indicauit . post duos dies Petrus infirmatus ad mortem uidit se ante iudicium stare et mauros quosdam super stateram eius malla appendere : ex altera autem parte stateræ quidam dealbati trystes stabant : quia quod apponerent nil ibi inuenire ualebant . Tunc unus eorum dixit : uere nihil habemus præter panem unum siliginis : quem ante duos dies Christo dedit coactus : quem dum super stateram ponerent : deo sic complente æqualitas ut sibi uidebatur facta est : dixeruntque ei : adauge ad siliginem hanc : alioquin te mauri appræhendent . Euigilans au:em† et liberatus dicebat certe si una siligo quam per furorem iactaui ita profuit : quanto magis si quis omnia sua indigentibus elargiatur ? Quadam igitur die dum optimis uestimentis indutus per uiam pergeret : quidam naufragus ab eo tegumentum aliquod postulabat . Continuo ille pretioso uestimento se expoliauit : et illi dedit . quod ille accipiens statim | uændidit . Cum autem thœlonarius rediret : et uestimentum suspensum uideret : contristatus est ualde : adeo ut nec cibum sumere uellet dicens : Quoniam non fui dignus : ut mei memoriam haberet egenus . Et ecce dum dormiret : uidit quendam super solem fulgentem et super caput crucem ferentem habentemque uestimentum indutum : quod dederat egeno et dicentem sibi : Quid ploras petre ? qui cum causam suæ tristiciæ ei dixisset : ille ait : Cognoscis hoc ? Et ille etiam domine . Et dominus ad eum . Illo ego uestior quod mihi dedisti et gratias ago bonæ uoluntati tuæ : quoniam frigore affligebar : cohoperuisti me . In se ergo reuersus cœpit beatificare egenos ac dicere : Viuit dominus : non moriar : donec fiam unus ex eis . Datis ergo pauperibus omnibus quæ habebat : et accersito notario suo dixit ei : Secretum tibi uolo committere : quod si propalaueris aut si me non audieris uændam te barbaris : Dansque ei decem libras auri dixit ei : uade in sanctam ciuitatem : et merces tibi eme : et me alicui christiano uænde : et pretium pauperibus tribuo . Illo autem recusante dixit ei : Si me non audieris uændam te barbaris . Ducens ergo eum ut dixerat : cuidam argentario uestibus sordidis indutum tanquam suum seruum uændidit : et triginta numismata inde accipiens pauperibus errogauit . Petrus ergo omnia officia uilia faciebat ita : quod ab omnibus contemnebatur : et ab aliis conseruis frequenter percutiebatur : et iam amens appellabatur . Dominus autem frequenter ei apparebat et uestimenta et numismata ostendens ipsum consolabatur . Verum imperatore et uniuersis de amissione tanti uiri dolentibus : quidam uicini eius a constantinopoly ad uisitanda loca

sancta uenerunt : et a domino ipsius inuitati cum pranderent inuicem in aurem dicebant . quam similis est puer iste domino petro thœlonario et curiose respicientibus unus dixit : Vere dominus Petrus est . Surgam : et tenebo eum : quod ille aduertens latenter fugit : Erat autem hostiarius surdus et mutus : qui per signum hostium aperiebat : Cui Petrus ut sibi ape || riat non signis sed uerbis imperauit . Et ille continuo audiens et loquelam recipiens : eique respondens apparuit : et domum regrediens Cunctis de eius loquela mirantibus dixit . Ille qui coquinam faciebat exiit et fugit : sed uidete ne seruus dei sit . Cum enim mihi dixit tibi dico aperi : Mox ex ore eius flama exiit : quæ linguam et aures meas tetigit : et continuo auditum et loquelam recepi : et exilientes uniuersi concurrentesque post eum ipsum amplius inuenire non potuerunt . Tunc omnes de domo illa pœnitentiam egerunt quod talem uirum sic uiliter tractauerunt . monachus quidam nomine Vitalius uolens sanctum Iohannem temptare si posset sibi uerbis persuaderi : et ad scandalum facile inclinari : ingrediens ciuitatem omnes publicas meretrices conscripsit . Intrabat ergo ad illas per ordinem dicens cuilibet : dona mihi noctem istam : et noli fornicari . Ipse autem domum eius intrans in angulo flexis genibus tota nocte stabat in oratione : et pro illa orabat : et postea mane exibat præcipiens cuilibet : ne alicui reuelaret . Vna autem uitam eius manifestauit : quæ statim orante sene a dæmone uexari cœpit : cui omnes dicebant : Reddidit tibi deus : quod merebaris : quoniam mentita es : ut fornicetur enim ingreditur pessimus iste et non propter aliud . Vespere autem facto dicebat prædictus Vitalius cunctis audientibus : uolo ire quia talis domina expectat me . Multis uero criminantibus illum . Respondebat : Nunquid ego non habeo corpus ut omnes : aut Monacis solum iratus est deus . Vere et ipsi homines sunt ut cæteri . Dicebant autem quidam accipe tibi mulierem unam abba et muta habitum : ut non scandalizes alios . Ille autem fingens se iratum dicebat : Vere non audiam uos . ite a me : qui uult scandalizari scandalizetur : et det de fronte in parietem . Nunquid iudices constituti estis super me a deo ? Ite et de uobis curam habete . uos pro me non reddetis rationem : Hæc autem cum clamore dicebat : Cumque ad beatum Iohannem querimonia ferretur : cor eius deus indurauit ne hiis fidem adhiberet . precabatur autem deum : ut post mor | tem suam opus suum alicui reuelaret : ut non imputaretur peccatum hiis : qui in eum scandalizabantur . Multas igitur de predictis mulieribus ad conuersionem perduxit : et in monasterio plurimas collocauit . Quodam autem mane dum ab una illarum egrederetur : obiauit ei quidam ingrediens ad fornicandum cum ea : dansque ei alapam dixit : usquequo pessime non emendas te ab hiis tuis immundiciis . Et ille crede mihi accipies a me alapam talem : ut tota Alexandria congregetur . Et ecce postmodum diabolus in specie mauri sibi alapam dedit dicens : Hæc est alapa : qnam† mittit tibi abbas Vitalius et statim a dæmonio uexatur : ita quod ad uoces eius omnes currebant . Sed tamen pœnitens per eius orationem liberatus est . Vir autem dei morti apropinquans hanc scripturam reliquit : Nolite ante tempus iudicare : mulieribus autem confitentibus quæ faciebat omnes glorificabant deum et præcipue Beatus Iohannes dicens : quoniam alapam quam ille accepit accepissem et ego Quidam in habitu peregrini ad Iohannem uenit : et ab eo eleimosynam postulauit : at ille uocato dispensatore dixit : Da ei sex numismata : quæ ille accipiens et abiens habitum mutauit et iterum ad patriarcham rediens ab eo eleimosynam postulauit . Ille autem dispensatore uocato dixit da ei sex aureos : quos cum sibi dedisset et ille abisset : dixit ei dispensator : Per orationes tuas pater iste idem hodie mutato babitu† bis accepit : Beatus autem Iohannes quasi se nescire hoc dissimulauit . Iterum ille tertio habitum mutans ad beatum Iohannem uenit : et eleimosynam postulauit. Tunc dispensator beatum Iohannem tetigit innuens : quod ille esset : Cui beatus Iohannes Respondit : Vade : et da ei duodecim munismata† : ne forte sit dominus meus Iesus christus : qui temptare me uelit : utrum poterit hic plus accipere : quam ego dare . Dum autem aliquando Patricius quandam peccuniam ecclesiæ in mercationibus ponere uelet : et patriarcha nullatenus consentiret : sed pauperibus eam dispensare uellet : ambo plurimum contendentes irati ab inuicem recesserunt . adueniente hora unde || cima mandat patriarcha per archipresbyterum Patricio dicens : Domine sol ad ocasum est . Quod ille audiens lachrymis infusus ad eum uenit et ueniam postulauit . Cum quidam suus nepos a quodam tabernario grauem iniuriam audiuisset : et ex hoc patriarchæ lamentabiliter conquerens nullatenus consolari posset : patriarcha

respondit : et omnino est ausus aliquis contradicere et os suum contra te aperire ? Crede fili meæ paruitati : quoniam faciam in eo hodie talem rem : ut tota Alexandria miretur . Quod ille audiens consolationem recepit : putans quia eum faceret grauiter uerberari . Videns Iohannes quod consolationem recepisset : pectus eius osculatus est dicens : fili si uere humilitatis meæ nepos existis : præpara te et flagellari et conuicia pati ab omnibus . Vera enim cognatio non ex carne et sanguine sed ex uirtute mentis agnoscitur . Confestim igitur pro homine isto misit et ab omni pensione et tributo liberum eum fecit . Et omnes audientes mirati sunt et intellexerunt hoc esse quod dixerat : faciam in eum talem rem : ut tota Alexandria miretur . Audiens patriarcha consuetudinem esse quod mox ut imperator coronatus est : confestim monumentorum ædificatores sumunt quatuor uel quinque minucias marmorum pusillas diuersi coloris : et ingredientes ad imperatorem dicunt : De quali marmore uel metallo iubet imperium tuum sibi fieri monumentum ? immutatus hoc monumentum sibi fieri præcepit : sed tamen usque ad obitum suum illud imperfectum stare fecit . Ordinauitque aliquos qui ad eum in celebri festiuitate dum cum clero consisteret : accederent sibique dicerent : Domine monumentum tuum imperfectum est : præcipe ut consumetur : eo quod nescias qua hora fur ueniat . Diues quidam cum uidisset beatum Iohannem in stratu uiles pannos habere : eo quod cæteros pauperibus errogasset : quoddam ualde pretiosum cohopertorium emit et beato Iohanni tradidit . Qui cum illud nocte super se haberet : tota nocte dormire non potuit cogitans quia trecenti domini sui de tanto precio cohoperiri possent . Tota insuper nocte lamentabatur et dicebat : Quanti incenati : quanti in foro pluuiis madefacti : quanti pro | frigore dentibus stridentes hodie dormierunt : Tu uero grandes pisces deuorasti : et in thalamo requiescens cum omnibus malis tuis insuper te cohopertorio triginta sex mumismatum† calefacis ? Humilis Iohannes alia uice hoc non uestietur . Statimque facto mane illud uendi fecit : et pretium pauperibus errogauit : quod audiens ille diues illud cohopertorium secundo emit et beato Iohanni tradidit rogans : ut illum de cætero non ueuderet† : sed super se ipsum teneret . At ille illud accipiens : iussit iterum uendi et dominis suis precium errogari . quod ille diues audiens : iterum abiit et illum redemit : ac beato Iohanni detulit eique gratulabundus dixit : uidebimus quis deficiet aut tu uendendo aut ego redimendo : et sic suauiter quasi diuitem uindemiabat dicens : quod possit aliquis intentione dandi pauperibus diuites taliter expoliare non peccat . Duo enim lucratur talis : unum quia animas illorum saluat : alterum quia ex hoc ipse mercedem non modicam habet . Volens homines ad eleimosynam prouocare : narrare consueuit de sancto Serapione : qui cum amictum suum pauperi tribuisset : et alteri obuians qui frigus patiebatur tunicam similiter tribuisset : et eum tenens nudus sederet interrogauit eum quidam dicens : Abba quis te expoliauit ? Et demonstrans eum ait : Iste me ipsum expoliauit . Alias autem alium pauperem uidens euangelium uendidit et pauperi precium dedit . Qui cum interogaretur ubi euangelium haberet : Respondit : euangelium precipit dicens : uade et uende omnia que habes et da pauperibus . illud ergo uendidi ut mandabat . Cum cuidam eleimosynam petenti dari præcepisset quinque nummos : ille indignatus quod maiorem sibi eleimosynam non fecisset : continuo ad contumelias ipsius prorupit ac in eius faciem conuiciari cœpit . quod eius famuli audientes in eum uoluerunt irruere : ac illum grauiter cædere . quod beatus Iohannes omnino prohibuit dicens : Sinite fratres sinite : ut mihi maledicat . Ecce enim ego habeo sexaginta annos blasphemans per opera mea Christum : et unum conuicium non portabo ab isto ? Iussitque saculum affer || ri et coram ipso apponi ut inde tolleret quantum uellet . Cum populus lecto euangelio ecclesiam exiret et foris ociosis uerbis uacaret : quadam uice post eum patriarcha cum eis exiit et in medio eorum sedere cœpit : omnibus uero de hoc mirantibus dixit ad eos . Filii ubi oues ibi pastor : aut intrate et ingrediar : aut manete hic et ego manebo pariter . Semel ac iterum hoc fecit : et sic populum stare in ecclesia erudiuit . Cum quidam Iuuenis sanctimonialem quidam† rapuisset : et clerici talem Iuuenem coram beato Iohanne exprobrarent et ipsum excommunicandum esse dicerent : ut puta qui duas animas perdiderat suam silicet et illius : compescuit eos sanctus Iohannes dicens non sic filii non sic . Ostendo uobis quia uos duo peccata committitis : primo contra præceptum domini facitis : qui ait nolite iudicare et non iudicabimini : secundo quia nescitis pro certo si usque hodie peccent et non pœniteant . Frequenter beato Iohanne in oratione

et in extesi mentis posito : talibus uerbis cum deo disputare auditus est . Sic sic bone Iesu : ego dispergendo et tu ministrando uideamus quis uincat . Cum febre correptus se morti appropinquare cerneret dixit : gratias ago tibi deus : quoniam exaudisti me rogantem bonitatem tuam ne inueniretur mihi morienti nisi unum tenuisse : hoc igitur pauperibus iubeo dari : Positum est igitur uenerabile corpus eius in sepulchro ubi corpora duorum episcoporum fuerant tumulata : et corpora ipsa mirabiliter sancto Iohanni cesserunt et locum medium uacuum dimiserunt : Per paucos dies antequam moreretur : cum quedam mulier quoddam flagitiosum peccatum commisisset et nulli unquam confiteri auderet : dixit ei sanctus Iohanes : ut saltem illud scriberet eo quod scribere sciebat et sigillatum ei afferret : et ipse pro ea oraret : Cui illa assensit et peccatum illud scribens diligenter sigillauit : et beato Iohanni tradidit : sed post paucos dies beatus Iohannes infirmatus in domino requieuit : Illa autem audiuit illum defunctum . se uituperatam et confusam putauit : credens quod scriptum alicui dimisisset et ad manus alicuius deueniret . Ad tumulum igitur sancti Iohannis accessit : et ibi uberri | me flæns clamabat dicens . Heu heu putans confusionem uitare : confusio omnibus facta sum . Cumque amarissime fleret : et beatum Iohannem rogaret : ut sibi ostenderet ubi nam suum scriptum dimisisset . Ecce beatus Iohannes in habitu pontificali de tumulo processit : duobus episcopis qui secum quiescebant hinc inde uallatus : Dixitque mulieri . Cur nos tantum infestas : et me et sanctos istos qui mecum sunt quiescere non permittis . Ecce stolle nostre lachrimis tuis omnes madefacte sunt . Porrexitque sibi scriptum suum sigillatum ut prius fuerat dicens ei : Vide sigillum et aperi scriptum tuum et lege : Quod illa aperiens peccatum omnino deletum inuenit : et ibi taliter scriptum reperit : propter Iohannem seruum meum deletum est peccatum tuum : Sicque immensas deo gratias rettulit : et beatus Iohannes cum aliis duobus episcopis in monumentum rediit . Claruit circa annos domini sexcentos et quinque tempore Foce imperatoris . I .

PASSIO SANCTAE IVSTINAE ET CYPRIANI MARTYRIS .

Illuminatio domini nostri Iesu christi Saluatoris de cælo facta est : et completis uerbis prophetarum omnium sub cælo illuminatum est uerbum dei : et credentes in deum patrem et dominum Iesum christum et spiritum sanctum baptizabantur . Addebatur autem et uirgo Iustina : cuius pater erat Edisius in ciuitate Antiochia : quæ est iuxta locum : qui dicitur Dasne . Hæc audiens Prædium diaconem per suam fenestram sedecbat† et audiebat magnalia dei : quemadmodum suscepit hominem dominus saluator noster : secundum annunciationem prophetarum : et quomodo de Mara† uirgine natus est : et magi adorauerunt eum : et stellam uisam : et angelorum clarificationem signorumque et prodigiorum uirtutem : et crucis gratiam : et ex mortuis resurrectionem et manifestationem ad discipulos : et in cælis || ascensionem : et ad dexteram dei patris sedentem : et immortale eius regnum . Hæc autem cum audisset beata uirgo a diacono per fenestram : sanctispiritus inflammationem sufferre non potuit : sed cupiebat facie ad faciem uidere diaconem . Et conferens ardorem spiritussancti dixit matri suæ : Mater mea audi me filiam tuam : nihil enim sunt hæc quæ quottidie adoramus . idola sunt de argento et auro et ferro et æramento et plumbo et lapide et ligno et de ossibus mortuorum contexta : quibus si aduenerit unus de galileis uerbo tantum omnia simul conteret . Mater autem eius dixit ad eam : Tace : ne forte audiat pater tuus sensum tuum hunc . Et ipsa dixit ad matrem suam : Notum tibi sit et meo patri : quoniam ego Christum adoro : quem per diaconem Prædium didici perfecte . pluribus diebus audiens per fenestram omnia mirabilia : quæ fecit deus . Hie† uero deus per signum crucis suæ semper adest timentibus eum . Dicite si est deus alius : in quo saluemur . Et hæc cum dixisset : abiit in ecclesiam Christi ad orationem . Mater autem beatæ Iustinæ in cubiculo uiro suo omnia narrauit . Diu uero cum uigilarent : uenit eis sopor : et uidit Edisius angelorum exercitum et in medio Christum dicentem sibi : Venite ad me : et ego regnum cælorum dabo uobis .

Mane uero surrexerunt : et stupebant in eis quæ uiderant . Et tollentes filiam suam uenerunt ad ecclesiam dei una cum Prædio diacono . Et rogabant eum : ut induceret eos ad episcopum optatum : quod et fecit . Procideutes† autem ad pedes episcopi obsecrabant accipere signaculum Christi . Episcopus autem non consensit : donec annuntiauerunt uisionem suam : quomodo eis uisus est Christus . Dixerunt uero ei : et desyderium uirginis Christi : Edisius uero tondebat caput suum et barbam erat autem sacerdos idolorum . E† procidentes ad pedes episcopi acceperunt toti tres signaculum Christi . Edisius uero meruit honorem presbyteri anno uno et mensibus sex : et recessit de sæculo . Virgo autem frequenter ibat ad ecclesiam dei . Acladius quidam scholasticus uidens uirginem fre | quenter ire ad ecclesiam uenit in desyderium eius . Et transmittebat uiros ac mulieres petens eam sibi uxorem : quæ omnibus illis dicebat : Desponsata sum Christo cælesti sponso : ipse me custodiat immaculatam usque in aduentum suum . Acladius autem congregans multitudinem uirorum et obseruans eam euntem ad ecclesiam uolebat per uim rapere eam . Mulieres uero uel puellæ quæ cum ea erant exclamantes notum fecerunt in domo eius : et exeuntes cum gladiis et fustibus fugauerunt omnes . Virgo uero signum crucis faciens in fronte sua salua fiebat ab omni temptatione mala semper ecclesiam frequentans : et uacans orationi . Acladius autem accessit ad primum magum : promisitque ei duo talenta auri et argenti si maleficio caperet ei uirginem Iustinam . ignorabat infelix : quia inuicta est uirtus Christi . Cyprianus autem per suas magicas artes uocauit dæmonem : qui ueniens dixit ad eum : Quid me uocasti ? Dixit ei Cyprianus : Amo uirginem de galileis . Potes suadere ei : et adducere eam mihi ? Dæmon autem potestatis nihil habens promisit ei . Et Cyprianus dixit dæmoni . Dic mihi opera tua : et credam tibi : quia adduces mihi uirginem Iustinam . Dicit ei dæmon : Ego desertus factus sum a deo obediens patri meo . Ego angelos de alto traxi . Ego Euæ persuasi : et Adam de paradixo fraudaui . Ego Caim docui : ut occideret fratrem suum . Ego persuasi Indæis† : ut crucifigerent Christum . Ego commoui ciuitates . muros elisi . domos effodi : et alia multa cum fecerim non me uincit uirgo hæc . Accipe ego formeum : et sparge circa domum eius foris : et ego superueniens paternum sensum meum iniiciam in eam : et statim audiet mihi . In illa hora uirgo dei surgens tertia hora noctis reddebat orationem domino deo suo . Sensit autem impetum dæmonis : et signauit se et domum suam signo crucis : et precabatur : ut fugeret dæmon . Et dixit cum lachrymis : Deus omnipotens unigenite qui cælum extendisti : qui terram fundasti super aquas : qui fecisti hominem ad imaginem et simulitudinem† tuam : tu domine || qui fecisti ut cum sua costa immaculata epularetur de tua creatura : nisi persuasioni serpentis obedissent : Sed morti traditis misertus es donans remissionem peccatorum et resurrectionem uitæ æternæ : Omnis creatura quam fecisti glorificat te uerum deum . Domine deus te precor : adiuua me : et conforta famulam tuam : et dignam me fac : quam uult temptare adueniens Sathanas . Et consignans totum corpus suum signo crucis exuflauit in dæmonem : et recessit ab ea Et ueniens ad Cyprianum stetit ante eum : dixitque Cyprianus : quare non adduxisti uirginem respondit dæmon . Non me cogas dicere : quod non possum . Vidi autem quoddam signum : et tabui . Cyprianus autem deridens eum dimisit : Et iterum per artem magicam uocauit alterum dæmonem fortiorem . Similiter autem et hic gloriabatur . et dicebat ad Cyprianum : Audiui : et tuam iussionem et illius impossibilitatem : ego emendo : et facio uoluntatem tuam . Accipe ergo hoc formeum sparge circa domum eius : et ego uado : et suadeo ei . Cyprianus autem accipiens fecit sicut præceperat ei dæmon . Virgo autem Iustina media nocte surgens orauit dicens : Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificatio† tuæ . Deus omnium et dominus misericordiæ cælestium rerum et terrestrium dominator : qui diabolum confudisti : et sacrificium per fidem suscepisti : et dedisti hominibus potestatem conculcare inimici uirtutem . sanctum Danielem de lacu leonum extraxisti . Bel et draconem occidisti : qui obscura illuminasti : et mortua corpora uiuificasti : et mortem confudisti . qui donasti hominibus resurrectionem non me despicias pie pater . Parce famulæ tuæ rex omnipotens : et custodi me domine in castitate et inextinctam meam lampadem custodi : ut intrem tecum in requiem immaculatam . gloria tibi sancte deus pater et cum unigenito filio tuo una cum spiritu sancto Amen . Et consignans se signo crucis in nomine Iesu Christi exufflauit in dæmonem : et reliquit eam . Dæmon autem uenit ad Cyprianum : et stetit

contra eum : et erubescens tacebat . Dicit ei Cyprianus : Vbi est uirgo ad quam transmisi | te . Respondit dæmon : Victus sum : timeo dicere . Vidi enim quoddam signum terribile : et tabui . Cyprianus autem dimisit et hunc cum iniuria . Et per magicas artes uocauit ipsum diabolum patrem dæmonum : dixitque ei : Quæ est hæc infirmitas uestra ? uicta est omnis uestra uirtus ab una uirgine . Dicit ei diabolus : Ego modo adducam illam tibi : tantum tu paratus sis . Cyprianus autem diabolo ait : Dic mihi quod est signum uictoriæ tuæ . Dicit illi diabolus : Ecce uro eam febribus uariis : et incendam illam : et corpus eius ad fornicationem et phreneticam eam faciam adducens ei phantasma in media nocte : et parabo eam tibi ad desyderium corruptionis . Tunc dæmon ostendit se in specie uirginis sanctæ Iustinæ uirgini dei : et intrauit sedens super lectum eius : dicitque sanctæ Iustinæ uirgini : Ego hodie missa sum ad te a Christo tecum uiuere in castitate . Dic uero mihi quæ est merces certaminis tui pro uirginitate . Multum enim te uideo uexatam abstinentia . sancta uirgo Iustina dixit : Merces quidem multa labor autem modicus . Dicit ei dæmon : quomodo ergo Eua cum inesset in paradiso uirgo sterilis erat : et non generabat separans se ab omni scientia : Postea repleti sunt et generauerunt filios et repletus est mundus . Deus autem benedixit eos dicens : Crescite : et multiplicamini : et replete terram . Puto enim si in uirginitate permanserimus : pro nihilo faciemus uerbum dei : et in iudicium incidemus uelut contemnentes dominum : et non obedientes ei . Sancta autem uirgo cum audisset hæc : turbata a diabolo uolebat exire foras hostium : quia cogitationibus turbabatur in corde uæmenter† . Sensit autem in semetipsa : qui loquebatur ei per sanctum spiritum : qui habitabat in ea . Et consignans se : et orans : insuflauit diabolum : et diabolus liquefactus est sicut cera a facie ignis : et non comparuit . Sancta autem uirgo in se rediens post turbationem statim fugit ab ea inflammatio carnis : et cœpit dicere : Gloria tibi Christe saluator deus noster : qui eos qui deprimuntur : a periculo saluas : et deducis ad lumen seruos tuos || et ad tuam uoluntatem de aliena uoluntate . Domine deus meus ne permittas me famulam tuam a maligno Sathana uinci . non polluat inimicus serpens immaculatam tuam columbam : sed custodi me incontaminatam ad tuam deitatem . confige clauis a timore tuo carnes meas : et de lege tua miserere mei . Diabolus autem confusus apparuit Cypriano : et dicit illi Cyprianus : Sicut uideo : et tu uictus es . Quemadmodum tamen uicti estis ab una uirgine christiana ? Dic mihi quæ est uictoria eius . Dicit ille Diabolus : Dicere tibi non possum . Vidi autem quoddam signum terribile : et tabui et statim discessi dissolutus uelut fumus . Si autem uis dicsere† uictoriæ eius uirtutem : iura mihi : et dicam tibi . Dicit illi Cyprianus : Per quid iurabo tibi ? Dicit illi diabolus : Iura mihi per uirtutes meas magnas : quæ mihi permanent : non te discedere a me aliquando . Cyprianus autem dixit : per uirtutes tuas magnas non a te discedam uniquam† . Diabolus autem fiducialiter dixit : Vidi signum crucifixi : et statim tabui : et fluxi sicut cera a facie ignis . Dicit ei Cyprianus . Ergo crucifixus maior te est . Dicit ei diabolus : Etiam maior est omnibus : quia per ipsum misertus est deus mundo . Quæcumque autem hic egerimus : et errare facimus homines : ibi furcella ænea et stimuli ignei infiguntur in eis cum tormentis : ut sic accipiant sententiam inextinguibilis ignis in æternum cruciandi . Dicit illi Cyprianus : Ergo et ego debeo festinare amicus fieri crucifixi : ut non talem incurram pœnam . Dicit ei diabolus : Iurasti mihi per uirtutes exercitus mei : per quas nemo potest periurare . Dicit ei Cyprianus : Contempno te et omnes fumigantes uirtutes tuas Nocte autem hac cognoui uirtutes Christi et orationem uirginis : quomodo uos omnes confudit : et liquefacti estis sicut fumus : propter quod consigno memetipsum : et renuncians tibi et dæmonibus tuis consigno me dicens : Gloria tibi Christe filius dei saluator noster . Tu autem diabole audi me . habeo Christum dominum : qui me saluum fecit . Tunc diabolus discessit confusus . Cyprianus autem uadens ad | episcopum cecidit ad pedes eius dicens : Famule dei excelsi catetiza me : et signa me in Christi noticia . Beatissimus autem Antimus episcopus putans ne forte ecclesiam uenisset in errorem mittere : expulit eum† dicens : Sufficiant tibi Cypriane hi : qui foris sunt . Nihil potes ad ecclesiam dei : inuicta est enim uirtus Christi . Cyprianus dixit : Certus sum et ego : quia inuicta est uirtus Christi . Nocte enim quæ transiit transmisi principes dæmoniorum et ipsum diabolum ad sanctam uirginem Iustinam : ut aliqua ratione seducerent eam . Et cognoui in precibus quod per uirtutem crucis et orationibus effugauit eos et ipsum diabolum .

Propter hoc precor te miserere mei : et salua animam meam . Episcopus uero gratias deo agens benedixit eum : et permisit ire dicens ei : festina fili ad ecclesiam dei : et orationem sine cessatione redde deo . Cyprianus autem uadens in domum suam omnia idola confregit : et per totam noctem lugebat dicens : Quomodo ausus sum apparere uirtuti Christi : cum tanta mala fecerim ? Quomodo benedicam eum in ore meo : cum inuocauerim frequenter multos immundos dæmones : et manducauerim de pollutis sacrificiorum ? Et nunc positus sum in cinere miser misericordiam dei sustinens . In magna autem die sabbati uadens ad ecclesiam orauit dicens : Domine Iesu christe si dignus sum uocari seruus tuus perfectus : da mihi audire per spiritum sanctum . Ingressus uero ecclesiam sanctam quærebat audire a sanctis scripturis uerbum consolationis . Et cum ingressus esset ad limen sanctæ ecclesiæ : qui psallebant exclamauerunt dicentes : Saluum fac seruum tuum deus sperantem in te . Et iterum lectio prophetæ : Ecce Intelliget puer meus : exaltabitur et glorificabitur nimis . Iterum et in psalmo : Vidisti domine : ne sileas . domine ne discedas a me : Et iterum apostolus ait : Christus nos redemit de maledicto legis : et iterum in sancto euangelio : Filius meus hic perierat : et inuentus est : Et post hoc clamabat diaconus dicens : Procedite cathecumini . Cyprianus autem sedebat : et dicebat Austerius diaconus . Sur || ge . exi Cypriane : Dicit ei Cyprianus : Seruus factus sum Christi : et foras me mittis : Dicit ei diaconus : Factus es perfectus seruus dei ? Dicit ei Cyprianus uiuit mihi Christus : qui dæmones confudit : et uirginem saluauit : et mei misertus est : quia non exeam nisi perfectus fuero seruus Christi . Diaconus autem nunciauit hæc episcopo . Conuocans autem eum episcopus et interrogans uoluntatem eius secundum consuetudinem ecclesiæ : inquirensque diligenter omnia : catethizauit eum : et sic eum baptizauit . Post aliquod autem tempns† factus est diaconus sanctorum sacramentorum Christi . Et gratia data est ei aduersus dæmones : et omnem infirmitatem sanabat . Multos autem de gentili errore conuertens : fecit christianos . Erat autem uita eius irrepræhensibilis et mores sine malicia . Completo autem anno promotus est in presbyterum : et permansit sexdecim annos in officio presbyterii . Beatus autem Antimus præuidens exitum suum conuocauit synodum episcoporum : ordinauitque sanctum Cyprianum episcopum : et statim ad dominum migrauit . Cyprianus uero episcopus sanctam Iustinam uirginem promouit in monasterio uirginum abbatissam : et constituit eam matrem monasteriorum uirginum . Multos enim Cyprianus illuminabat per uerbum dei : et conuertebat augens gentem Christo . Cum completi fuissent prophetici sermones : et quæ a Christo dictæ sunt parabolæ de illo : qui exiuit sæminare sæmen suum : Et quædam ceciderunt in terram secus uiam : quædam in petrosam : quædam necabantur a spinis et zizaniis : multi circa fidem offenderunt : et populus spargebatur . Terreni autem reges idolorum cultores insanientesque suscitauerunt persecutionem aduersus christianos : ut immolarent diis . Sanctus uero Cyprianus episcopus per epistolas suas ecclesias omnes ut Paulus apostolus consolabatur et confortabat : E† per ciuitates singulas multos conuertebat de errore . Malignus autem serpens ut assolet diabolus per suos impios homines suggessit Cutulimio comiti orientis : quia Cyprianus episcopus do | ctor christianorum ipse destrueret gloriam deorum nostrorum : et omnem orientem seducit per magicas artes cum quadam uirgine Iustina suadente non immolare diis . Comes uero iratus iussit uinculis sub multa custodia per singulas ciuitates deduci : ut peruenirent in urbem Damascum . Cum ergo fuissent ei oblati : interrogabat eos dicens : Tu es Cyprianus doctor christianorum : qui per maleficia multos errare fecisti : et culturam deorum per uanitatem habuisti : Et nunc præsumis te per artem magicam posse crucifigi ? Cyprianus autem dicit ei : Magnum te ipsum dilatas in multa superbia : Dum sis diues in diabolica insania : in qua ego fueram aliquando concaueatus Sathanæ in perditione dæmonum : et multos feci errare : sed saluauit me deus per uirginem Iustinam . Comes autem dixit : Quomodo te saluauit ? et Cyprianus : Dum uellem eam temptare per dæmones omnes : quos mittebam illa exufflans ad nihilum deducebat . Dum etiam conuersus fuissem : omnes in conuersatione mea glorificabant deum . Comes hæc audiens iussit eum suspendi et exungulari : beatam uero Iustinam uirginem crudis neruis immanibus cædi : et exalapari a duobus spiculatoribus . Virgo autem cum cæderetur dicebat : Gloria ribi† Christe : quia cum non sim digna : dignam me fecisti coronæ tormentorum . Spiculatores defecerunt : et ipsa glorificabat deum . Iterum iubet adduci Cyprianum comes : et uidet

eum tacentem : et dicit : Cypriane indurasti . Dicit ei Cyprianus . Infelix tuum cor est induratum : cum sis apostata a deo : ego in regnum eius intrare si mereor dignus factus . Comes uero iussit tortores cessare : et Cyprianum de equuleo deponi : et in carcerem mitti : sanctam uero Iustinam uirginem in domo cuiusdam matronæ nomine Terrentinæ esse . Ingressa uero Iustina illuminata est domus illa gratia domini . Post paucos autem dies iussit comes adduci eos . Et dixit Cypriano : utquid seducimini in magicis cuiusdam hominis Christi : quem Iudæi occiderunt ? Dicit ilii† Cyprianus : diligentibus deum hæc mors non est : quia || ipsa inducit in uitam æternam . Comes autem iussit fieri sartaginem ferream : præcepitque in ea mitti picem et adipem et ceram uæhementerque succendi . Et iussit mitti in eam sanctum Cyprianum et uirginem Iustinam . Misso autem Cypriano non eum tetigit ignis . Sancta uero Iustina cum uenisset ut ingrederetur sartaginem : misit ei timorem diabolus : et timebat intrare . Dicit illi Cyprianus : Veni agna Christi . ueni mecum . Tu mihi portas cæli aperuisti : et ostendisti mihi uiam Christi . Noli uinci : quæ dæmones uicisti : et eorum principem pro nihilo habuisti . Non te seducat Sathanas : uera famula Christi confide in signo saluatoris : per quod mihi salutem dedisti . Virgo autem Iustina consignans frontem suam ingreditur sartaginem : et facta est omni refrigerio sicut ros hermon . Sanctus uero Cyprianus cœpit laudare et dicere : Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis . Gloria tibi Christe : qui pro nobis passus es : et per tuam mortem nostram exterminasti : et per tuam resurrectionem omnes nos resuscitasti . Gratias tibi agimus deus patrum nostrorum . suscipe sacrificium nostrum in odorem suauitatis . Audiens hæc comes quia non tetigit eos ignis dixit : Vicit magica Cypriani . Athanasius quidam assessor eius qui fuerat et sacerdos idolorum postulauit comitem dicens : Iubeat claritas tua me stare super sartaginem in nomine deorum : et uincam uirtutem christianorum . Comes uero dedit quod petiit . Cum uenisset prope sartaginem : cœpit dicere : Magnus es deus Hercules et pater deorum : et Aesculapius qui donant sanitatem hominibus . hæc eo dicente : exiuit ignis de sartagine : et comedit eum : ut nec ossa eius parerent . Beatus autem Cyprianus et sancta uirgo Iustina glorificabant dominum deum nostrum Iesum christum dicentes : Magnus dominus et laudabilis nimis : et sapientiæ eius non est finis . Audiens hæc comes dixit : Forte inuicta est uirtus Christi . Nihil mihi pertinet nisi de sacerdote deorum : quia consumpsit eum ignis : Vocans Terentianum cognatum suum dixit ei : | Da mihi consilium : quid faciamus de condempnatis istis . Dicit ei Terentianus : Nihil tibi sit comes aduersus sanctos hos : Noli contradicere ueritati . non uincuntur christiani : quia inuicta est uirtus Christi . Audi me : et proiice a te magnum periculum . transmite eos ad regem referens omnia : quæ de his sunt acta . Comes uero retulit dicens : Claudio Cæsari magno terre et maris domino secundum dispositionem splendidissimi regni tui Ego Eutulimius susceptus tua pietate compræhendi Cyprianum doctorem christianorum cum Iustina quadam uirgine : quos etiam multis tormentis cruciaui : et non consenserunt sacrificare diis . hos tranmisi† ad tuam pietatem : ut secundum quod uelit uestra sententia : in illis iudicet . Rex uero legens scriptum . quod multas sustinuerint pœnas : et quia liberati sunt a cruciatibus : dedit sententiam aduersus eos dicens : Transimitantur† urbem Nicomediam . Cyprianum uero et uirginem Iustinam : quia elegerunt uanam hæresim christianorum : et elegerunt magis mortem quam uitam hos iubeo tradi puniendos . Ducti sunt autem ad fluuium : qui uocatur callus ut decollarentur . Orauit uero sanctus Cyprianus pro cunctis ecclesiis dei pro ministris et populo christiano et consignans se signo Christi fecit a dextris suis sanctam uirginem stare rogans ante se debere consumari . Cœpit ergo Cyprianus gratias agere deo dicens : Benedictus es qui suscepisti animam ancillæ tuæ :·fac et me peccatorem consumari . Theonitus quidam christianus peregre ueniens et uidens sanctum Cyprianum quia ducitur decollari currens osculatus est eum . Feruius quidam cognatus regis uidit Theonitum osculantem Cyprianum : et iratus iussit eum decollari . Consumauerunt martyria Cyprianus Iustina et Theonitus . Feruius uero iussit corpora eorum canibus proiici . Iacuerunt uero corpora dies sex : et non tetigerunt ea bestiæ ullæ . Nautæ uero fideles ex prouincia Theoniti noctu uenientes : cum dormiunt : sanctorum corpora furati sunt : et leuauerunt in nauem onus preciosum super aurum multum : et nauigauerunt de Ni || comedia ad urbem Romam ferentes reliquias Cypriani et Iustinæ uirginis : et Theoniti martyris preciosa munera romam Suscepit

autem hæc sancta corpora Rufina relligiosa et clarissima urbis matrona . In quo loco demoniaci curantur : et uariæ curantur infirmitates : eorum meritis glorificant patrem et filium et spiritumsanctum in sæcula sæculorum Amen .

PROLOGVS IN PASSIONEM BEATE IVSTINE VIRGINI† ET MARTIRIS .

Quoniam sanctus Raphael nos adhortari dignatur : ut opera dei non tam in abdito collocemus : quam potius pro dei gloria in aperto pandamus monens et dicens : Sacramentum regis bonum est abscondere . Opera autem dei honorificum est reuelare : Et quia sicut cognitis fidem non adhibere infidelitatis est : ita inuidentia est in ædificatione sanctorum nolle cognita prædicare : Attamen non tantum fisus uiribus meis : quam adiutus dei gratia : et sanctis oratonibus† uestris beatæ martiris Iustinæ historiam quam apud nos dominus noster Iesus Christus sub ara sua ad tutellam fidei nostre sibi martyrem dignatus est consecrare uobis ipsis sine fuco prodam . Sane non ad hoc quispiam arbitretur ista recitari : quæ in eius ut præfati sumus sancta gesta sunt passione quasi aliquid nos gloriæ beatæ Iustinæ martyri uideamur præstare : quando quidem illi nec tacendo de nobis nec loquendo quicquam possumus conferre . Ipsa quoque uirtutum miraculla nullo humane lingue præconio indigentia ubique profecto tonanti exierunt tuba . Sed tantum nostræ deuotionis pro recipienda mercede obedientiæ cum hilaritate uolumus demonstrare . Metuens quoque quod ab ipso domino nostro Iesu christo legimus terribiliter esse dictum : Si uos tacebitis : lapides clamabunt . Quæso autem nos† : quicumque audire hæc aut legere pie ac religiose uolueritis : ut huius peccatoris ultimi memores sitis : qui in nomine | domini huic passioni interfui et uobis eam sum præconatus : In diebus illis beata Iustina ex christianis parentibus oriunda atque inter generosas fœminas præclaræ indolis fama subnixa fuit : In cuius mente sacræ religionis instantiam : et sobrium sapientiæ culmen dignum sibi Christus domicilium collocauit . Quis non optet : et ambiat sanctæ uirginis ac ministræ Christi placere indicio : quæ superbi sanguinis nobilitatem sic humilitate prouexit ad gloriam : ut cælestis patriæ fieri mereretur electa ? Vere dignum in quo dominus habitaret templum : erat tot tantisque meritis sanctum corpus diuersis margaritis ornatum : ieiuniis castigatum : orationibus semper refectum : puritate mundissimum : ut magnitudo tantæ prudentiæ gemina resplendens lampade plus luceret . Vere nomine meritoque Iustina : quæ dum nominis sui dignitate pascitur : sic promeruit et coronam sic uiuit : ut nequeat ammittere quod uocatur . Illustris potentia generosa : Illustrior relligione diuina : continuit palmam mens pudica : Dum igitur in Venetiarum partibus in sua quoque patria Patauii moraretur : Maximianus tunc atrocissimus illas ad partes uenit : iussitque sibi in campo martio tribunal parari : ut illic dei sanctos sacrilegus interficeret imperator . Hinc beatissima tunc Iustina : cum de suo predio : quod Vitelianum uocabulo nuncupatur : ad uisitandos dei famulos ascendens uehiculum properaret : repente a militibus compræhenditur : et deposita cursu rapidissimo Maximiano crudelissimo præsentatur : sicut eis ab Imperatore iussum fuerat : Et dum eius animus intrinsecus fortiter anhellaret : interrogata est a puella : quæ secum ierat : quare eius turbaretur animus et respondit ei puella . Vere domina mea : Video faciem tuam rubere : coloremque mutari . Et respiciens beata Iustina : Vidensque eos totis uiribus ad se currentes : in fugam se dare conabatur : Arbitrans : quod pro stupro uoluptatis insidiarentur : Et in angusto pontis loco qui ex marmore . constructus est : non longe A ciuitate Patauii eam concluserunt . Et deposita æstuare ac clamare cœpit cum lachrymis : et dicere : || adiuua Ancillam tuam in hac angustia positam domine Iesu christe fili dei uiui : Et positis genibus in marmore pontis ita molle inuentum est ac si terra ab igne soluta . Illi uero dum fortiter et totis uiribus crudeliter eam pertraherent : ita ut extracta ex utrisque genibus in marmore fossa uelocissima appareret : Et arripientes eam cursu rapidissimo Maximiano crudelissimo præsentauerunt : Diciturque Iustinam hanc esse : quæ se Christianam summis uiribus fateretur : Quam ita aggressus est Imperator :

Nomen tuum quo diceris conditionemque designa . Ad hæc beata Iustina hilari uultu respondit : Christiana sum . Maximianus Imperator dixit : Ego te de nomine plus requiro : et tu hæc quæ nolumus nostris auribus intimas . Dic tuum nomen : antequam moriaris . Ad hæc beata Iustina respondit : Iam dixi tibi christiana sum . Quod autem de nomine plus requiris : Iustina uocor . Maximianus Imperator dixit : quam sectam colis ? Beata Iustina respondit : Ego colo dominum meum Iesum Christum : qui fecit cælum et terram : mare et omnia : quæ in eis sunt . Nam lapidibus surdis et mutis quæ sunt opera manuum hominum non sacrifico . Maximianus Imperator dixit : Quid uerborum prolyxitate mea dicta refellis : Accede : et sacrifica magno deo Marti : si tuæ consulere uis teneræ iuuentuti . Beata Iustina respondit : iam dixi : quia christiana sum : et omnibus diabolicis pompis abrenuncio . Illi me offero sacrificium domino Iesu christo : qui dixit : Ego sum uia ueritas et uita : qui credit in me : non morietur in æternum . Hæc in se credentibus uoce tonantissima repromisit : Cuius uera promissio apud me tenetur : et nullus poterit meam præfixam mentem ab eius amore conuellere . Aliud enim est cum deo : Aliud cum hominibus fabulari . Sed si qua tibi sunt exquisita tormenta : in Christi ancilla exercere festina . Quid moraris ? Cupio enim ad illum migrare dominum meum Iesum christum : qui me dignatus est ab ipsis cunabulis consecrare . Maximianus imperator dixit : Aut sacrifica : et euades tormenta : aut gladio te scias peri | mendam . Beata Iustina respondit : Deo meo gratias ago : qui me indignam famulam suam hostiam dignatur accipere : et non dæmoniis uestris sacrificare : nec consentio blandimentis tuis uanis . Sed hoc ego rogo domiuum† meum Iesum christum : ut me famulam suam in numero ancillarum suarum dignetur ascribere . Illud autem quæso : ut impleas : quæ in me disponis tormenta . Nam et ego parata sum pro nomine domini mei Iesu christi omnia sustinere . hoc autem certamen cur formidem : cum dominus meus Iesus christus pro toto mundo suum sanguinem noscitur profudisse ? Tunc iratus crudelissimus Imperator sacrilego ore tulit sententiam dicens : Iustinam quæ diu latuit : et christianæ religionis se asserit obligatam : et nostris iussionibus obtemperare noluit : gladio iubemus extingui . Hæc cum audisset beata Iustina : iteratis uocibus ad dominum clamauit dicens : Gratias tibi ago domine Iesu christe : qui me famulam tuam et martyrem in libro tuo ascribere dignatus es . Iam si placet : et uera est sententia quam protulit impiissimus Imperator : in loco hoc sacramentum dispositum confessionis meæ : quod deuota sum celeriter compleatur et in gremio residentis ancillam tuam suscipe Christe lumen meum : Margarita preciosa : quem amaui : quem concupiui : quem desydero uidere regem omnium sæculorum : qui regnas cum patre et spiritu sancto . Et expleta oratione fixis in terra genibus eius lateri gladium spiculator immersit : Et posteaquam telo infixa est : per unam uigiter† horam eleuatis oculis in cælum : tendensque ad sydera palmas uniuersis astantibus sic orauit ad dominum : Domine Iesu christe suscipe animam meam in requiem tuam : quia te dilexi : te concupiui et tui iuris esse desydero : teque solum amaui dominum meum Iesum christum saluatorem mundi : et nullum præter te amatorem quæsiui . te solum inueniam . nihil mihi præter te occurrat : Et signans se uexilio† crucis : atque totum corpus suum manu sua diuinis signauit crucibus : beatumque emisit spiritum : Quam christiani ardore fidei : et dignæ martyris passione || uenerantes : eius uenerabile corpusculum aromatibus condierunt : et intra deo condignum cymiterium posuerunt : quasi plus mille passuum de ciuitate Patauii : ubi usque in hodiernum diem in eius nomine mysteria celebrantnr† . Ad hæc beatæ martyris limina humili pietate catholica ac dignissima conuenit turba : atque in laudem dei et Coronæ beatæ martyris Iustinæ alachriter excitatur : et omipotentem† deum ueneratur . Hæc dicta sunt a nobis pauciora de multis : rariora de densis : notiora de certis : quæ ualuit stilus noster omnibus patefacere : de eius beata passione et legenda magis cum desyderio quam cum fastidio religiosis pectoribus commendare : Cuius memorabilem natalem colimus sub die nonarum octobrium : quem suæ martyri consecrauit dominus noster Iesus christus : Cui est honor gloria et potestas sine fine per omnia sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTE IVLIANAE MARTYRIS .

Martyrum perseuerantia comprobanda eousque processit : ut ex fide amicos conaretur restituere : et inimicos ex ipsis inferni claustris eruere . Temporibus nanque Maximiani Imperatoris persecutoris christianæ religionis : erat quidam senator in ciuitate Nicomedia nomine Eleusius amicus Imperatoris . hic desponsauerat quandam puellam nobili genere ortam Iulianam nomine : cuius pater Africanus cognominabatur : qui et ipse persecutor Christianorum erat : uxor uero eius dum intentione animi sacrilegia Martis perhorresceret : neque christianis neque paganis miscebatur†. Iuliana autem habens animum ratione plenum : prudentique consilio et digna conuersatione et ueritate plenissima hoc cogitabat apud se : quoniam uerus est deus : qui fecit cælum et terram . Et per singulos dies uacans orationibus currebat ad ecclesiam dei : ut scripturas diuinas intelligeret . Eleusius uero sponsus eius nuptiarum complere festinabat celebritatem . | Illa autem dicebat : nisi dignitatem præfecturæ administraueris in nullo modo tibi possum iungi . Hæc audiens Eleusius dedit munera Imperatori Maximiano et successit . alii præfecto ad ministrandi sedens in carruca agens officium præfecturæ . Transactis paucis diebus denuo misit ad eam . Tunc Iuliana pertractans consilium : dixit ad eos : Euntes dicite Eleusio : Si credideris deo meo : et adoraueris patrem et filium et spiritum sanctum accipiam te maritum . quod si nolueris : quære tibi aliam uxorem . Audiens hoc Eleusius uocauit patrem eius : et dixit ei omnia uerba : quæ ei mandauerat Iuliana . Pater uero eius hoc audiens dixit : per misericordes et amatores hominum deos : quod si hæc uerba uera sunt tradam eum† tibi . Prædictis his uerbis perrexit ad filiam suam cum magno furore uocauitque eam dicens : Dic mihi filia mea dulcissima lux oculorum meorum quare non uis accipere præfectum sponsum tuum ? Ego uero complere uolo nuptias uestras . Itaque Iuliana confidens in Christum dixit : Si coluerit patrem et filium et spiritum sanctum : nubam illi . Quod si noluerit : non potest me accipere in coniugium . Hoc audiens pater eius dixit : Per misericordes deos Apolinem et Dianam si permanseris in hiis uerbis : feris te tradam : cui Iuliana . Noli ergo credere pater : ut te timere habeam per filium dei uiui : quod si me uiuam incensurus sis nunquam tibi consentio . Tunc denuo rogabat eam pater eius : ut ei consentiret ne tale perderet decus : Ad hæc Iuliana respondit : De his pater non intelligis : quæ a me tibi dicuntur : Verum dico : et non mentior : quia omnem quæstionem et omne iudicium gratanter substineo : ne recedam a domini mei Iesu christi præceptis . Statim pater eius iussit eam expoliari : et cædi : dicens ad eam : Quare non adoras deos ? Illa autem clamans dicebat : Non credo . non sacrifico . non adoro idola surda et muta : sed adoro dominum meum Iesum christum : qui uiuit in cælis semper et regnat . Tunc pater eius cruciatam eam tradidit præfecto sponso eius . Præfectus autem iussit eam diliculo† adduci intra tribunal suum : || uidensque pulchritudinem eius blandis sermonibus loquitur ad eam dicens : Dulcissima mea Iuliana quare me tanto tempore delusisti . Quis te persuasit colere deum alienum ? Conuertere ad me : et declina omnes cruciatus : qui tibi parati sunt : si sacrificare nolueris . ad quem Beata Iuliana respondit : Et tu si consenseris mihi : et adoraueris mecum patrem cum filio suo et spiritumsanctum : acquiescam tibi . Si uero nolueris : non mihi donaberis . Præfectus dixit : Domina mea Iuliana consenti mihi : et credo deum tuum . Beata Iuliana respondit : Accipe spiritum dei : et nubam tibi . cui Præfectus : Non possum domina mea : quia si hoc fecero : Imperator aut successorem dat mihi : aut certe caput meum gladio amputari faciet . Sancta Iuliana respondit . Et si tu times istum imperatorem mortalem et in stercore sedentem : quomodo cogere me potes immortalem imperatorem negare ? Quid mihi multum blandiris ? Non me potes decipere : Quæ tibi uidentur exerce tormenta . ego autem credo in quem credidit Abraam Isaac et Iacob : et non sunt confusi : quia potens est liberare me a tormentis tuis . Audiens hoc præfectus commotus iracundia iussit eam cædi : extensa uero in terra sancta Iuliana a quatuor uiris nuda cœpit cædi : ita ut in ipsa sex milites uicissim cædentes mutarentur post hæc iussit cessari ab ea : Et dixit præfectus : Ecce principium quæstionis . accede : et sacrifica magnæ Dianæ : et libera te

de his tormentis . Quod si nolueris per magnum deum Apollinem non tibi parcam . Sancta Iuliana respondit : noli credere : quod persuasionibus tuis me reuocare possis a domini mei Iesu christi præceptis . Ego enim credo per maiora et fortiora tormenta fidei omnibus approbari . Tunc præfectus iussit eam capillis appendi . Appensa uero per sex horas clamabat dicens : Christe fili dei uiui adiuua me . Tunc præfectus iussit eam deponi dicens ad eam : Iuliana accede : et sacrifica : ne in tormentis deficias . Non enim poterit te liberare : quem putas deum colere . Iuliana respondit : uincere me non poteris per tormenta | tua . Ego in nomine domini Iesu christi uincam mentem tuam : et erubescere faciam patrem tuum diabolum . Præfectus itaque ira commotus : iussit æramentum conflari : et a capite perfundi . quod dum factum fuisset : nihil ei nocuit . Item iussit ligamenta ferrea per femora eius mitti : et sic eam in carcerem recipi . Posita autem cœpit dicere : Domine deus omnipotens anima mea in exitu posita est . Confirma me : et exaudi me : et miserere mei : et ueniat mihi misericordia tua sicut omnibus : qui tibi placuerunt . Domine deus meus suscipe me : et ne derelinquas me : neque despicias me domine deus meus : ne proiicias me a facie tua : et ne deseras me in tempore doloris mei : sed libera me de his tormentis : sicut liberasti Danielem de lacu leonis : et sicut liberasti Ananiam Azariam Misael de camino ignis ardentis : et custodisti : ita me custodi . deduc me in portum uoluntatis tuæ : sicut deduxisti filios Israel fugientes regem ex ægypto . Exaudi me domine : et extingue tyranni minas : qui contra me surrexit : et fac erubescere diabolum : et esse me resistentem : quoniam tu domine scis naturam humanam : quia captiuitatem non potest pati . Esto mihi deus præsens auxiliator : et adiuua me in tormentis : quæ inducturus est in me ille : qui ueri iudicii præceptum non seruat : Et dum finisset orationem : apparuit ei dæmon in figura angeli nomine Belial : et dicit ad eam : Iuliana mala et pessima tormenta tibi præparat præfectus . Modo audi me : et salua eris . Et dum te de carcere foris iusserit eiici ; accede : et sacrifica : et effugies tormenta : Putabat autem Iuliana : quia angelus esset : et dicit illi : Quis es tu . Dicit ad eam diabolus : Angelus sum domini . misit me ad te : ut sacrifices : et non moriaris . Iuliana autem ingemiscens amarissime exclamauit ad dominum : Et oculos suos eleuans ad cælum flæuit dicens : Domine deus cæli et terræ ne deseras me : neque despicias me : neque permittas perire ancillam tuam : sed confirma me in uirtute tua : et in nomine tuo confitenti demonstra mihi : quis est iste : qui mihi talia suadet . Et statim || facta est uox de cælo : Confide Iuliana : quia ego sum tecum : qui glorifico te . Tene autem istum : qui tecum loquitur : ut scias : quis est ille . Exurgens autem Iuliana de doloribus suis : in quibus erat constricta : tenuit dæmonem Belial nomine : et dixit ei : Dic mihi : quis es tu : et unde es : et quis te misit ad me . Tunc dæmon dixit ei : Dimite me : et dicam tibi . Beata Iuliana dixit : Dic mihi omnia et sic te dimittam . Cœpit dæmon loqui : et dicere Ego sum Belial dæmon : quem aliqui Iopher nigrum portant : De malis malignus : manuum obtruncator : homicidii oblectator . Ego sum : qui feci Adam et Euam præuaricari de paradiso . Ego sum : qui feci : ut Caim interficeret Abel fratrem suum . Ego sum : qui feci ut Iob omnem substantiam suam perderet . Ego sum : qui feci populum in deserto Idola adorare . Ego sum : qui feci Isaiam prophetam in lignea serra secari . Ego sum : qui feci tres pueros in camino ignis mitti . Ego sum : qui feci Nabucodonosor regem imaginem facere . Ego sum : qui feci Ierusalem inflamari . Ego sum : qui feci : ut Herodes rex infantes interficeret . Ego sum qui feci Stephanum lapidari . Ego sum qui feci latus filii dei lancea percuti . Ego sum : qui sermonem locutus sum : quia magi essent Petrus et Paulus . Ego sum : qui ad Neronem ingressus sum : ut Petrum crucifigeret : et Paulum capite plecteret . Ego ista omnia et alia deteriora feci cum fratribus meis . cui Beata Iuliana dixit : Et quis te ad me misit . respondit dæmon Sathanas pater meus . Sancta Iuliana dixit : Quod nomen est patris tui ? et ille . Beelzebub . ad quem Iuliana : Quod est opus ipsius ? Dæmon respondit : Totius mali assidens statim dirigit nos . respondit Iuliana : Et qui repulsus fuerit a christianis : quid patitur ? Dæmon respondit : Mala et pessima tormenta patimur : si missi fuerimus ad Iustum : ut subuertamus eum : et intuebimur : et non uidebimur ab illo : a quo mittimur . Quando enim quæsiti fuerimus inuenti : demandamur aliis dæmonibus : ut ubi inuenti fuerimus : tractemur ab aliis male . Deinde fugimus : ubi non possu | mus inueniri . Ergo nobis est facere : ut gratis apud mentem eius placeamus . Sancta Iuliana dixit :

Ad quæ opera iustum inducitis . Dæmon respondit : Audi domina mea : ut omnia tibi dicam : et agnoscas a me ueritatem . Quomodo malo meo ego huc ad te introiui : et putabam te introducere : ut sacrificares et negares deum tuum : sic ingredimur ad omnes homines tam ego quam fratres mei : Et ubi inuenerimus hominem prudentem ad opus dei facimus eum desyderia mala appetere conuertentes animam eius ad ea : quæ ostendimus ei facientes errorem in cogitationibus uanis : et non dimittimus illum uel in oratione se adiuuare . Et iterum si uiderimus aliquos concurrere ad ecclesiam : et pro peccatis suis se affligentes : et scripturas diuinas cupientes audire : ut aliquam partem ex ipsis custodiant : ingredimur domus ipsorum : et non dimittimus illos aliquid boni agere ; et multas cogitationes immitimus in cor ipsorum . Qui. autem potuerit superare : et discedere potuerit a cogitationibus uanis : et ire : et orare : et diuinas scripturas audire : et communicare diuino mysterio ille perfugat nos . Quando enim christiani communicant diuino mysterio intendentes sumus : nos in illa hora ab hominibus : in nullis curam gerentes : nisi solum subuertere hominem bene uiuentem . Si autem uiderimus aliquem uolentem se bene tractare : amaras cogitationes inferimus illi ut nostras cogitationes agat . Sancta Iuliana dixit Immunde spiritus quomodo præsumis te christiano applicare . Dæmon respondit : Et tu dic mihi : quomodo me ausa es tenere ; nisi quia confidens es in Christo . Sic et ego confido in patre meo : qui malarum actionum est inuentor : quod uult : hoc facimus : Sed multa cogitaui aduersum te ut aliquaudo† consentires desyderiis meis : et repulsus sum : Sed quomodo denuo malo meo huc missus sum ad te : utinam te nunquam audissem . heu me heu me miserum quanta patior . Quomodo intellexit pater meus : quid mihi futurum esset . Dimitte me : uel ad alium mihi ire liceat : nam accusabo te patri meo : et non expedit tibi . Sancta Iu || liana ligauit eum manibus retrorsum : et posuit eum super terram . Appræhendens unam partem ferri : de quo ipsa ligata fuerat : cædebat ipsum . Dæmon autem clamans rogabat eum† : Domina mea Iuliana apostolorum comes : martyrum particeps : patriarcharum socia : angelorum consors : archangelorum amica : per crucem patris tui tremendi miserere mei : per orationem domimini† Iesu Christi te coniuro parcas infelicitati meæ . Ad quem Iuliana dixit : confitere mihi : cui hominum iniurias fecisti . Dæmon respondit : Multorum hominum occulos extinxi : Aliorum pedes confregi : Alios in ignem misi : alios sanguinem uomere feci : alios laqueo uitam finire feci : alios in suo furore manibus sibi perniciem inferre feci : alios per alias pœnas interire feci : ut breuiter dicam omnia mala : quæ in mundo sunt facta : Ego ipse feci cum fratribus meis . Et alios quos inueni non habentes signum Christi decepi : ut cum tanta mala fecissem et peccata : nullus me ausus fuit cædere sicut tu . Nemo apostolorum manum meam tenuit : tu autem et ligasti . Nemo martyrum cæcidit me : nemo prophetarum iniurias mihi fecit : nemo patriarcharum in me manum misit . Necnon et ipsius filii dei uiui expedimentum† temptaui in deserto : et posui illum in montem excelsum : et nihil mihi fecit . Et ostendi ei omnia regna mundi : et tu me sic tormentis consumis . O uirginitas quæ contra nos armatur : o Iohannes qui nobis uirginitatem ostendis . Et hoc dicente dæmone misit præfectus : ut adduceretur Iuliana . Et dum duceretur : trahebat secum dæmonem . Dæmon autem rogabat eam : Domina mea Iuliana non iam amplius de me ridiculum facias : non possum postea aliquem seducere . Patrem meum superasti . me tenuisti . quid aliud amplius facere uis ? Dicunt christianos misericordes esse . tu autem ferocissima in me facta es . Et dum talia diceret dæmon : sancta Iuliana trahebat eum per forum . Et post eum proiicit in locum stercoris . dum uero uenisset in prætorium : facies eius gloriosa uisa est omnibus : quam respiciens præ | fectus admiratus eam dixit : Iuliana dic mihi : quis te docuit talia mala agere : Quomodo tanta et talia tormenta superasti ? Iuliana respondit : Audi me impiissime præfecte dominus meus Iesus christus . uicit patrem tuum Sathanam : et dæmones eius : et misit de sanctis sedibus suis angelum suum : qui me confortauit : te erubescere fecit . O pessima hora natus : nec te pœniteat infelix : quia dominus meus Iesus christus misericors et pius est : et uult omnes homines saluos facere . Præfectus iratus : iussit uenire rotam ferream : et figi in ea gladios acutos : et super ipsam rotam in medio duarum columnarum : Et quatuor milites hinc atque illinc trahebant et tenebant rotam : ut sanctam Iulianam contererent . Trahentibus militibus machinam : erat corpus eius immobile : et custodiebatur famula Christi immaculata . Angelus autem domini descendit : et commi-

nuit catastam : et omnia uincula resoluta sunt : quare sancta Iuliana glorificabat dominum : et extendens manus suas ad cælum cum lachrimis cœpit dicere : Deus omnipotens salus immortalis uita omnium credentium in te : qui cælum extendisti : et terram fundasti : et hominem quem tuis manibus fecisti non deseruisti . Paradisi plantator et uiuentium arborum inuentor . Humani generis gubernator : salus pereuntium : demonstrator innocentium . deficientium confortator . Vnde principium solus deus : quem nullus claudere potest . Sed iuste gratias et laudes tibi ago . Domine deus qui indignæ mihi auxilium donare dignatus es : Esto mecum : et libera me ab omni malicia istius tyramni . Præfectus autem erubescat cum patre suo sathana . Et hoc ea orante clamauerunt carnifices dicentes : Potens est deus Iulianæ : et non est alius deus præter ipsum . Pœnitet nos præfecte : quod usque nunc introducti sumus . Fac quod uis . præfecte infer nobis supplicia : ignes ac ferrum para : malas insidias et cogitationes patris tui sathanæ perfice in nos : quia nos eligimus bonam partem domini nostri Iesu christi . Audiens hæc præfectus renunciauit Maximiano Impe || ratori . Imperator iussit omnes qui confessi sunt : gladio puniri . Decollati autem sunt uiri et mulieres centum uiginti . Tunc præfectus iussit sanctam Iulianam incendi . Audiens hoc beata Iuliana extendit manus suas ad cælum et dixit : Domine deus omnipotens ne deseras me : neque despicias me : et ne proiicias faciem tuam me . esto mihi adiutor et libera me de his tormentis : et obliuiscere peccata mea . Et si quid peccaui uerbo : tu quia pius es deus parce mihi : ne dicat inimicus meus Eleusius : ubi est deus eius : cito miserere mei : quia tu es benedictus in sæcula . Et ecce subito uenit angelus domini : et seperauit ignem : et flammam ignis extinxit . Sancta Iuliana in medio ignis illæsa stans glorificabat dominum . Præfectus autem fremebat uidens eam quasi feram malignam : et cogitabat : quale supplicium inferret in eam . iussitque : ut olla cum plumbo adduceretur : et de super sanctam Iulianam ponerent : Dum uero imposita staret : facta est olla quasi balneum bene temperatum . Eadem enim hora resilierunt guttæ : et incenderunt de astantibus numero septuaginta quinque . hoc præfectus uidens iratus scidit uestimenta sua et cum gemitu uituperabat deos suos : quare non potuerunt sanctam dei cremare : quia et ipsis iniuriam fecit : iussit itaque eam gladio animaduerti . Audiens autem hæc sancta Iuliana glorificabat dominum : et dum appropinquaret finis eius : dæmon qui cruciatus fuerat uidens eam subito currens uenit : et clamans dicebat : Nolite parcere ei : Deos uestros uituperauit : et omnibus iniuriam fecit . Nam et mihi multa mala ostendit in nocte una : cumque non potuissem perferre plagas eius : quæcumque egi : illi confessus sum . Reddite ei : sicut et digna est . Sancta Iuliana eleuans oculos suos : ut uideret : quis esset : qui talia loquebatur : timuit dæmon : et clamauit dicens : Heu me miserum : forsitan tenere me uult . Et orauit sancta Iuliana dicens : Benedictus dominus : qui non dedit nos in obprobrium inimicis nostris . Miserere mei : et auxiliare mihi : et in pace suscipe spiritum meum . Et dum hæc diceret : in oratione decollata est : et cum | pace reddidit spiritum . Post paruum uero tempus mulier quædam nomine Sophonia senatrix transiens per ciuitatem Nicomediam : cupiensque uenire romam tulit corpus beatæ Iulianæ : illudque condiuit aromatibus in locello : ut ueniret Romam : exurgens autem tempestas perduxit ipsam nauim in fines Campaniæ . Posita est autem sancta Iuliana prope territorium puteolanum : uno milliario a mari . Eleusius uero dum nauigaret in suburbanum uenit tempestas ualida : et demersit nauim ipsius : et mortuus est : Passa est autem sancta Iuliana septimo idus februarias sub imperatore Maximiano : regnante domino nostro Iesu christo : qui uiuit : et regnat cum patre et spirtusancto† in sæcula sæculorum .

DE SANCTO INVENTIO CONFESSORE .

Sanctus Inuentius quondam iuuenis samaritanus de paganis parentibus ortus in Christum credidit ad prædicationem beati Gregorii : cum apud Antiochiam prædicaret . Postea uero per gradus ordinis ascendens usque ad sacerdotium reuersus ad parentes suos conuertit eos ad fidem Christi et baptizauit : relictisque eis recessit . Cui in itinere dormienti apparuit angelus iubens : ut reuerteretur Besilonicam : et

idola Daciani signo crucis ibi contereret : eiusque filiam Cleopatroniam a dæmonio liberaret : Quod et factum est : baptizauitque eam cum ducentis fere hominibus . Illa uero de suo patrimonio misit duo candelebra† beato petro . et allia utensilia per beatum Benedictum episcopum : et per sanctum Inuentium : Quibus Romam euntibus cum deficeret uictus : exiuit de mari piscis magnus : et in littore stetit : qui captus ab eis per totam hebdomada ad uictum suffecit . Huic sancto Inuentio abstulit aliquando quidam miles raptor cum sociis suis uestimentum : de quo tale miraculum uisum est : Nunquam uænundari potuit : et ubicunque noctu erat : ibi de claritate ipsius magna lux emi || cabat . Cum autem in asia rex quidam Rhictionarus surgens contra christianos exardesceret : et secum deferens Nazareth deum suum romanas partes uastaret . deinde cum esset in Longobardia longobardis nimis timentibus tulit miles ipse uestimentum illnd† ad ecclesiam beati petri : Quo cum uenisset Rhictionarus facto de cælo magno tonitru et ignitis cathapultis uolantibus interfectus est cum omni exercitu suo . Et hoc factum est post triginta annos postquam idem uestimentum sancto fuerat ablatum . Abstulerat autem idem miles eidem sancto cum uestimento quasdam reliquias sanctæ crucis et sancti Bartholomæi . Vixitque beatus Inuentius usque ad tempus beati Hilarii pictauiensis : Cui de exilio reuertenti obuiam pictauis iuit : a quo etiam castellum Grauionem petiit : ut ibi habitaret cum sociis : quod et factum est . Hic aliquando in sex latrones incidit : quorum primus arrepto gladio ut eum perimeret semetipsum transuerberauit . secundus ad quercum se suspendit . tertius a dæmonio arreptus est . quartus oculos amisit . quintus rabie plenus manus suas et brachia dentibus lacerauit . sextus ad mare currens in illud se præcipitauit . Mortuus est autem annorum centumuiginti . Idus ianuarii apud Grauionem castellum . In martyrologio tamen dicitur uernaco sancti Inuentii confessoris . forte illuc de Grauione translatus est . Sepeliuitque eum beatus Maxencius abbas : Cui etiam reuelatum est : quod dum sanctus Michael animam eius deferret in cælum : occurrerunt dæmones dicentes : Hic homo noster est : quia per fugam timidus martyrii coronam amisit : cum scriptum sit beatus uir : qui sufferet temptationem .

SANCTI IONII MARTYRIS PASSIO .

Sanctus quoque Ionius cum beato Dyonysio de partibus atheniensium aduenit : Deinde sancto Caranno consociatus urbe Roma cum beato dionysio presbyterii officium sumpsit : et ci | stercium pagum properans euangelium prædicauit . Alius enim cibus non erat magis assiduus quam esus hærbarum uirentium : et aquæ frigidæ calicem pro potu fesso corpori tribuebat . Quadragesimæ uero diebus bis in septimana cibum corpori ministrabat . Tres autem lictores a Iuliano præfecto missi ut eum perquirerent . prope Parrhysios peruenerunt : cui uicinior est pagus cisterciensium : qui dicitur mons sancti Ionis : eumque ibi repererunt nonis augusti docentem populum . In quo loco populi catherua plurima per eum ad Christum conuersa gaudebat . cum autem persecutores eminus uenire conspexit : a prædicatione non destitit : sed salubribus monitis populum adhortatus est : et puras manus inferens cælo : totis uiribus dixit : Gratias ago tibi domine Iesu christe : qui me ad titulum dignitatis tuæ uocare dignatus es : et beatorum martyrum tuorum consortem efficere . Egressus igitur ab urbe perrhysiaca† intrepidus peruenit ad montem Ionius aduenientes impii sanctumque uirum appræhendentes cum indignatione allocuti sunt eum : quem cum non possent a fide Christi auertere : uinctis manibus occiderunt . Sanctus uir nec terrore concutitur : nec dolore corporis superatur : sed confisus in domino imbecilla senectutis membra iuuenili uigore sustentans : Christi nomen confiteri non metuit . Tunc unus e militibus euaginato gladio sancti uiri pretiosum abcidit caput : Cumque sancti uiri Cadauer iaceret exanime : uidentibus militibus : lux de cælo super sanctum corpus emissa est : et uox pariter cum luce uenit dicens : Euge famule meus Ioni : qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti in terris : Cum sanctis gratulare in astris . Dei autem sancto consilio : qui sanctos suos cum mensura probat et sine mensura glorificat recedentibus a loco ministris : urgens se sancti uiri corpus exanime appræhendensque manu propria caput abscisum : stabili gressu iter suum carpere plantis

firmissimis cœpit : portansque illud a monte quasi miliario uno peruenit ad locum : quem uir sanctus funeri || tradendum elegaret† : ubi cum palma uictoriæ sanctus rerqieuit† in pace : Cumque sanctum corpus uiri misericordiæ reconderent : apertæ sunt nares eorum : senseruntque aromata angellorum : qui a domino ob sancti uiri exequias fuerant destinati .

PASSIO SANCTI IVLII SENATORIS .

Iulius senator audiens monita salutari† facultates suas operis distribuit . Accersito igitur quodam presbytero Rufino baptismum cum omni domo sua suscepit : Cœpitque ipse publice confiteri Christum : et pro eo mortem concupiscenti animo desyderare : Quod cum audisset cæsar : amaritudinis felle exagitatus iussit eum ad se reduci : et eum sic cœpit affari : Iuli quo pacto amens efectus es : ut deserens Iouem et Herculem sequaris nescioquam amentiam uanam : Cui uiriliter respondit Iulius dicens : Tu simul peribis cum diis tuis : quos uano errore deos esse temerario ore asseris . Confusus itaque cæsar de his et aliis uerbis accersiuit quendam uirum nomine Vitelium magistrum peditum animo ferum : opere crudelem omnibusque uiciis obsessum : præcepitque ei dicens : Exquire diligenter facultates huius sacrilegi : et compelle eum ad sacrificandum inuictissimo Herculi : Qui nisi acquieuerit : non protrahas ipsum diutius uiuere . Suscipiens eum Vitellius uicarius fecit eum coarctari in custodia : Post triduum iussit sibi tribunal præparari in Tellude : Et sanctum Iulium cathenis astrictum exhiberi ante se . Erat enim corpore nudus sed ex integro fide munitus : quem sic aloquitur Vitelius : Audisti quid dixit princeps ? Depone iam pertinaciam : et adora deos : per quos uniuersus substitit orbis romanus : Nam si non feceris : diuersis afflictus pœnis punieris . Cui sanctus constanter respondit : O miser et miserande simul cum tuo principe perfido peribis . Ad hæc Vitellius dixit : O Iuli in quem confidis : cum iam damnatus sis ? Iulius respondit : Fiducia mea æterna | est . spes mea Christus est : qui te cum principe tuo damnet in æternum . Hæc audiens Vitellius iracundiæ stimulis instigatus iussit eum fustibus cædi : Qui dum cæderetur emittens spiritum cælestia petiit : Cuius corpus præcepit Vitellius ante amphiteatrum iactari : quod audientes Eusebius Vincentius Peregrinus atque Potentianus collegerunt corpus sanctissimi Christi martyris : et sepelierunt in cymiterio Calepodii .

DEPOSITIO BEATI SACERDOTIS ET CONFESSORIS IVLII .

Beatus confessor Iulius sæculi huius pompas et mundana bona calcans spiritu feruenti itinere properans uellut anxius uiator ad cælestem patriam tendens nobis normam rectitudinis reliquit . atque enixe luetantibus† firmum ostendit exemplum . Omnia enim uirtutum per eum facta signa longe lateque declarant . Porro inter mundanas degens infulas soli placere deo studuit : more egregii prædicatoris Pauli apostoli : qui ait mihi uiuere Christus est : et mori lucrum : Et rursus mihi mundus crucifixus est : et ego mundo . Factus est errantibus uia : cæcis uisus : titubantibus credulitas . Iam dudum quod in lachrimis sæminauit : nunc metit in gaudiis : Nos quidem signa eius uirtutum uidentes hymnum laudis et miraculorum eius pñs auribus narramus : Quam ob rem nullus ambigat suas uirtutes et his maiora dominum in suis sanctis implere posse . Vnde et Tobias ammonens filium Opera inquit dei honorificanda sunt . Hinc per semetipsam ueritas inquit : quæ apud homines impossibilia sunt : apud deum omnia possibilia sunt . Sanctus hic et uir dei perfectus Iulius cum Iuliano sibi germano : ut legimus : Mirmidonia ortus est a cunnabulis nanque suscepta baptismi gratia ac salutaribus sacramentis liberalibusque eruditi litteris : atque egregia se se industria imbuti in sacerdotium Christo domino preparabant : quod opitulante diuina gratia sunt adepti et in sacris ministeriis deo sua cor || pora dedicauerunt . Iste presbyteri ille diaconi fungentes munere pollent . Hi uiri duo diuino freti auxilio quasi

duo lucentia candelabra ante dominum fulgent : et ut duæ stantes oliuæ fructifere ante ipsum quottidie . Hos uero deus prædestinabat quasi peritissimos medicos longe lateque per mundum dirigens : ut uarias populorum clades et mortiferas lætalesque curarent pestes . Eo nanque tempore omnis mundi densitas uniuersarum hæresum sæmine pullulabat : Accepto itaque magno a deo consilio et dispensatione cælesti pontiuaga freta transmearunt . Ignota carpserunt itinera intrepidi : et ouantes ad gloriosissimum imperatorem Theodosium perrexerunt : quo uiso ut talem decet principem salutauerunt . Ipse autem eos intuens ait : Isti uiri ut reor omnipotentis dei serui sunt : et christiani . et illi confessi sunt dicentes : Ita domine christiani sumus . Imperator ait : Vt puto peregrini estis : et persecutionem aduersum uos agitatam fugistis : aut quod est negocium indicate mihi : ut sciam quid faciam . Existimante autem imperatore aurum uel argentum aut aliqua eos pro necessitate petituros : ipsi dixerunt : Quæsumus pie domine clæmentiam tuam et magnificum apicem : ut sacræ a te nobis pro animarum salute dentur epistolæ quo in omni dicione regni tui omnia profana et improba idola destruamus : aras exterminemus : et delubra eorum succendamus . Fabricemus Christo sacraria . dedicemus altaria . baptizemus populum : coadiuuemus ecclesiam . Tum demum sanctam et inseperabilem trinitatem fidem catholicam firmemus : et præparemus christo plebem perfectam : quatenus te duce et principe collegii remunerationem aliquam a domino recipere mereamur : et uelut qui plus habebat talentum : alii libram : alii pondus . Illa uero paupercula uidua ut habuit duo minuta in gazophilatium misit . tu quoque princeps centies multiplicatum talentum recipias . et utinam ut est possibilitas uel in denariorum minuta tecum in regno dei participes esse mereamur . Tunc Imperator ut audiuit huiuscemodi sermonem uehementer gauisus est : et dixit eis : Et sacras | ut petistis a me accipite litteras : et omnibus patriciis magistris militum tribunis atque centurionibus per uicos uel in ciuitatibus omnibus : qui sunt in potestatibus constituti : per uos sacra dirigo . manu mea subscribo : et præcipio fieri : ita ut ubicumque uos uenerabiles perrexeritis : meo præcepto uestra sit ordinatio perfectionis : Et omnes uoluntati et ordinationi uestræ debeant obedire : et ille qui hunc apicem in aliquo breui contemnere præsumpserit : non effugiet manum meam . Nam et iubeo eum capitalem subire sententiam . Hæc uobis scribo : et sanitas et pax in uobis multiplicetur . Valete : et manu sua ipse scripsit : ita iubemus : Suscepta itaque epistola abierunt . Tunc festinantes aduenerunt Romam milliario ab urbe quinto uia hostiensi : loco qui dicitur ad Aquamsaluiam bona agentes opera : Ibique demorati sunt plures dies effugando dæmones et uarios langores auferendo : et restituendo pristinas sanitates . Deinde longo ductu itineris Italiam attigerunt Fabricando basilicas : erigendo altaria : baptizando populum : et omnia idola destruendo : prædicando Christum : quod ipse sit testis et iudex de resurrectione mortuorum et de remissione peccatorum . de spe uitæ sæculi futuri : et quod ipse dominus Iesus christus unicuique secundam† facta sua sit redditurus . Hæc et hiis similia adhortantes multos populos et innumeram multitudinem sancto Charismate lumen clarum edentes Christo domino rude renatos homines reddiderunt . Nam huc atque illuc per orbem deo centum ecclesias catholicas dedicauerunt : quas omnes in sanctæ trinitatis osculo uni uiro sponso Christo desponderunt : ut sine crimine et inuiolabiliter per eum essent conseruatæ : Nec illud sileam : quod in omnibus locis ubi hæc gesta sunt per eos semper dominus uirtutes ostendebat . Quod si per singula uoluerimus reccurrere : longius est Nobis uero magis expedire non credimus : ut de domini mirabilibus taceamus : ut psalmigraphus ait : Narrabo omnia mirabilia tua . Cum deuenissent locum qui dicitur Gaudianum ut ibidem ecclesiam fabricarent : omnes || phalanges pariter quo allatæ erant laborabant . Itaque contigit : ut aliquot homines cum carro pro suis utilitatibus carperent iter . Videntes omnes laborantes pariter unus alteri his colloquiis sibi inuicem dixerunt : Venite : proiiciamus ex nobis supinum in plaustro : et cohoperiamus eum pannis et dicamus : quod hominem mortuum in uehiculo hic habeamus : et transiemus securi : Nam si ita non fecerimus : hic nos detinent : et cum eis pariter laborabimus : donec consumetur fabrica tota . Accepto consilio fecerunt sicut dixerunt . Proiecerunt unum in plaustro hominem : et præcipiendo ei dixerunt : Tu sile et oculos claude : et iace quasi mortuus : dum usque potuerimus pertransire : et cohoperuerunt eum . stimulauerunt boues suos existimantes feliciter pertransire : qui dum uenissent ad locum :

uir domini ad eos dixit : Filioli parum præfigite gradus . state hic modicum : et in aliquo adiuuate nos . At illi responderunt dicentes : Non possumus stare hic : quoniam mortuum hominem habemus in carro . Sanctus uir Iulius dixit : Et ut quid uobis ita mentimini filioli ? Et illi dixerunt : Non mentimur domine uir dei . Tunc sanctus Iulius dixit eis : Secundum ueritatem dicti uestri uobis ita contingat : et illi pulsantes boues pertransierunt : cumque pertransissent procul accedentes ad carrum cœperunt collegam suum nomine uocare : Vt quid deliras ? Surge : et stimula boues : ut celerius eamus : Ille uero mortuus iacebat in plaustro . Tunc qui putabant dei hominem illusisse : cum magno flætu hominem mortuum deducebant : quod uidentibus cunctis ita sunt perterriti : ut ne quispiam ab illa die in aliquo eorum auderet mentiri . Etiam illud miraculum quod in loco Grebla accidit indicabo . Dum fabricaretur ecclesia : unus ex ipsis lignarius fabri ferramento quod uulgo dextralis dicitur : uno ictu percutiens pollicem sibi amputauit : collectum itaque pollicem subterrauerunt : et tantus effluxit cruor : ut caderet : quod factum sancto Iulio nunciatum est . Tunc uir domini Iulius dixit : Afferte mihi ipsum pollicem huc : qui statim allatus est : Ac | cipieus† itaque eum super locum suum reposuit : signaculo Christi facto carnem sanauit resolidauit pellem : et restituta est manus eius : Mox uir dei accipiens ferramentum dedit in manu eius : dixitque ei : Labora : et confortare in nomine patris et filii et spiritussancti . Omnis uero plebs ut uidit : dedit laudem deo : quia mirabilis est deus in sanctis suis . Postea uenerunt ad insulam modicam : quæ sita est in lacu : qui subiacet ciuitati : quæ dicitur Stationa . Tunc uir dei Iulianus ad sanctum Iulium dixit : Intremus insulam paruulam : et faciamus in circuitu munitiones : et ædificemus basilicam : faciamusque nobis hic sepulchra : ut cum uenerit nobis tempus dormitionis : a domino : requiescamus . Respondens sanctus Iulius dixit : Sine contumelia tua sile modo frater . adhuc uenient dies quando hic intus lupus capiet sibi suillam in prædam : et Vulpes rapiet sibi hinc gallum in escam . Surgamus hinc : et transeamus . hic iam aliquot lapides ibi in gyro in maceria posuerant . Sanctus uir Iulius ipsi insule quod futurum esset per diuinam prouidentiam spiritalibus oculis intuebatur . statim abierunt . Tunc reuersi sunt ad locum qui dicitur Gaudianum : cœperunt ibi fabricare ecclesiam : prædicare plebi : et animas in Christi fidem firmare . Dixit autem sanctus uir dei Iulius ad sanctum Iulianum germanum : Tu frater sta hic : et labora ad istam basilicam : quæ nonagesima et nona est . Ego quidem uadam : et prouidebo locum : ubi centesimam fabricem : Quare abiit ad locum : qui est proximum Gaudiano duobus fere millibus distans : Venitque ad locum : qui dicitur Mugurum . Prospiciens quidem et uidens a longe insulam modicam et inhabitatam cogitansque diutius : quomodo possit illuc introire defingensque in terra genua orauit dominum dicens : Domine pro cuius amore et fide sic dego longa peregrinatione : da mihi in tua fide operimentum meum pro naui : et me illæsum in hanc insulam introire permitte : Et si tua domine est permissio : possim ibidem ad laudem tui nominis et apostolorum tuorum duodecim || basilicam construere atque consecrare : quoniam in hoc littore nauis nusquam inuenitur : Exuensque uestimentum suum quod uulgus coriolum nominat : extendit eum super aquas . Arrepto itaque bapterio quod gestabat in manu in quo consueuerat sustentari : signaculo Christi facto super undarum glauca uada : profundum transiens gurgitem sospes ad insulam transmeauit . Ipsa uero insula erat magnis multisque serpentibus plena : Saxum asperrimum et ruborum cespite fultum ita erat execrabile : ut ampliusquam ad sagittæ iactum præ multitudine serpentium nullus cum naui propinquare auderet . Sanctus uir Iulius signum Christi ante se faciens in cacumen petræ saluus ascendit : Modicum de rubo accipiens surculum crucisque signum de eo faciens in fixuram lapidis fixit : aduocatisque ad sê serpentibus dixit : Serpentes audite uerbum in nomine patris et filii et spiritussancti : iam quidem per longum est quod uos istum lapidem possedistis . Nunc uero exite et date locum : quoniam amodo mihi dedit dominus locum istum ad possidendum : et in hoc loco duodecim apostolorum suorum dominus aulam egregiam præparabit . Habete commeatum : et sine mora exite . Audientes huiuscemodi sermonem serpentes omnes ad montem pariter cumicinum qui dicitur : exierunt . A dei autem homine inclinato capite discesserunt : Et quia ad iussionem tanti uiri stare nequiuerunt : continuo se in lacum præcipitauerunt . Sanctus uir dei Iulius coepit postea ibidem apostolorum duodecim basilicam fabricare . Iulius uero in insula Iulianus autem in gaudiano : quis

eorum prius consumaret fabricam : in zelo pariter laborabant . Sanctus domini Iulianus completa fabrica inchoauit sibi sepulchrum sanctique Iulii ordinare . Contigit autem uno ex diebus inde illum in insulam proficisci : ut uideret : quidnam sanctus Iulius fabricaret : Quibus inuicem salutatis in alio colloquio sanctus Iulianus dixit : Domine pater ueni et uide . consumatum est templum : sicut præcepisti . Nunc uero sepulchrum tibi pulcherrimum incipio fabricare : Cui sanctus Iulius ait : Bone frater fac celerius : | quo tu ibi babes† quiescere . dispensante deo : quod et factum est : et uerbum dei hominis completum est . Consumata sunt omnia : quæ ad utilitatem uidebantur pertinere . His expletis sanctus Iulianus dormiuit in pace . Sanctus uero Iulius in insula quod sacri templi exigebat utilitas præparabat instanter : perfectoque opere : ut ipse uoluit omne opus ita est consumatum . Tunc temporis erat quidam senator Audentius nomine diues ualde : habebatque possessiones multas : Eratque uir magnificus : et super multos in circuitu populos ab imperiali ordinatione in potestate constitutus : et hic erat christianus . Audiensque famam beati Iulii ait : Ascendam et ego nauim et introibo in insulam : quæ fuerat olim serpentium plena perlustraboque totam diligentius : et uideo : quid ibi uir domini Iulius ordinauit . Qui profectus ascendit nauem : et abiit : Iamque uir sanctus uniuersa compleuerat lætus suæ præstolans tempus dormitionis : ut migret ad dominum : ibique sibi sepulchrum iam præparauerat . Profectus uero Audentius peruenit in insulam . Ingressus templum domini pro suis acommodis dominum deprecatus est . uirum autem dei Iulium ut decet dei hominem salutauit : uidensque totam templi fabricam perlustransque cuncta : omnia optime complacuerunt . Inter mellitlua colloquia mutuis uerbis cœpit ipse Audentius fari : Domine pater si est in opere aliquod utilitatis negocium : quæso te : ut dicas mihi et ut uires sunt adiuuabo . Hæc ut audiuit sanctus Iulius gratias egit et dixit : Veni fili faciamus tibi sepulchrum hic iuxta me . Audentius respondit : Tu tibi fac pater : nam ego meum Mediolani intra urbem habeo : ubi cum tempus aduenerit locabor . Adhuc illi Iulius inquit : Crede mihi fili : quia sic mihi complacet : ut tu huc reuertaris : et iuxta me in sepulchro ponaris : et requiescas : Resalutatisque mutuo mox Audentius discessit . Abiit in uillam suam : Cui nomen Peltinasco : deinde ad urbem Mediolanum perrexit . Sanctus Iulius ut apostolus domini Paulus cupiebat dissolui : ut esset cum Christo : || quod et factum est : patrando crebrius innumera miracula eius tempus dormitionis aduenit in pace : Atque in insula in basilica quam ipse in duodecim apostolorum fundauerat nomine positus est in sepulchro . Celebratur natalis dormitionis eius in domino pridie calendas februarias . Post uero tempus eius Helias extitit : qui eius locum adeptus est dignitate presbyterii fungens Contigit deinde ut Audentius eodem tempore in Mediolano moreretur . Nam ut uir domini Iulius dixerat : nulla eum sepultura ausa est suscipere . quo uiso eius domestici recordati sunt : quod sanctus uir dei Iulius dixerat . Tunc cum magna ordinatione suæ eum familiæ sustulerunt uectantes eum dum usque ad insulam peruenerunt : quo tempore Helias presbyter cum crucibus et cerostandis atque clericorum choro psallentium ad portam descendit : deferentesque eum iuxta sepulchrum ipsius sancti uiri collocauerunt : et completum est : quod sanctus Iulius ei antea prophetauit : Vixit ipse Audentius in sæculo triginta duos annos . depositus est sexto calendas decembres . Nunc ad horum sanctorum commemorationem uirorum redeamus . Nam ipse sanctus Iulius sacra ministeria in quibus missas facere consueuerat et euangelia uel alia sancta Pignora nobis pro sua benedictione reliquit : per quæ ipse ad laudem Iesu christi domini multas uirtutes ostendit . Loca autem in quibus requiescunt : Iulius in insula Iulianus in Gaudiano : quia inter sacerdotem et ministrum medius decet numerus : tribus a se distant millibus . Non tantum uero in locis eisdem sed ubicumque eorum sunt reliquiarum Pignora uel basilicæ dedicatæ crebris magnis et innumeris coruscant miraculis : quottidie ab obsessis corporibus hominum excluduntur dæmonia . cæci recipiunt uisum . purgantur lepræ . claudi ambulant . eriguntur curui . fluxus restat sanguinis : surdorumque aures patescunt . phrenetici recuperantur mente : et lunatici ad propriam redeunt sanitatem . Omnis obligatio malignorum spirituum soluitur : balborumque linguæ uelociter loquuntur et plane . In regno autem Christi uel dei | uelut flantes uenti ab ortu irradiant . lucent . splendent . fulgent . coruscant . rutilant . micant . Præstititque hæc illis omnipotens : cui dedicanda sua corpora dedicarunt . Et quia unam dilexerunt in terra matrem sanctam ecclesiam : adipisci unum meruerunt deum patrem in cælis :

qua de re ipse dominus dicit : Qui me confessus fuerit coram hominibus : confitebor et ego eum coram patre meo : qui est in cælis . Quamquam sanguinis cruorem roseum non effuderint : crucem tamen domini semper portauerunt : eo quod nostras compassiones iugiter in mente tollerabant . In nouissimo annorum uenient ante tribunal æterni iudicis : stabuntque in sorte : cui a Christo dicetur : Venite benedicti patris mei possidete regnum quod paratum est uobis a patre meo qui est in cælis : quod ipse nobis præstare dignetur : qui cum patre et spiritu uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI IVLIANI ET SANCTAE BASILISSE CONIVGIS EIVS ET ALIORVM CONSOCIORVM MARTYRVM

Beatus Iulianus ab infantia castitatem diligens et mundi oblectamenta spernens : cum esset annorum circiter decemocto : parentibus eius instanter eum exhortantibus : ut sibi coniugem sociaret : per quam et genus suum conseruaret : et adolescentiæ lapsus euaderet : hoc dedit responsum : Hoc quod hortamini in potestate est dei mei : cui me commisi : pro qua re septem diebus inducias peto : et prout mihi dominus aspirauerit respondebo . Tunc die noctuque in orationibus et ieiuniis perseuerans postulauit a domino : ne uirginitatem promissam aliqua occasione uiolaret . Septime autem diei nocte cum corpus maceratum uigiliis et ieiunio sopori dedisset : Affuit angelus domini dicens : Iulianæ surge : ne timeas : nec uoluntatem parentum horrescas . Accipies quidem coniugem quæ te non polluendo a domino seperet . sed per te uirgo tecum perseueret : Teti || gitque eum Angelus dicens : uiriliter age et confortetur cor tuum . His uerbis roboratus egressus de cubiculo et læto uultu parentum tristicias auferens ait : Ecce sicut desyderatis faciam . Quæritur ergo puella : quæ et locuplex esset : et nobilitate generis coæqualis nomine Basilissa : quæ et ipsa erat parentibus unica filia . Venit dies statutus : quo uicini inuitantur . plateæ sericis ornantur et aures omnium sonis musicorum et cantilenis uirginum oblectabantur : ita ut si homo ferreus esset : luxuria resolueretur : producitur inter hæc onerata gemmis et auro sponsa de thalamo .

Qualiter Basilissa ad amorem uirginitatis conuersa est .

Porro autem ingreditur ipse iuuenis cum uirgine lætus cubiculum : factaque ab ea oratione tali odore cella repleta est : ut uideretur sibi uirgo in tali loco posita esse : in quo uernant lilia et rosæ : et ait ad iuuenem : miram rem sentio : cum enim hyemis sit tempus : ita mihi in hoc cubiculo omnium rosarum et liliorum odor famulatur : ut his sociata iam horream thori coniunctionem : Cui Iulianus ait : odor qui tibi apparuit dominus noster Iesus christus est amator castitatis : qui integritatem corporis custodientibus uitam æternam reddit : et tunc illa respondit : quæ melior salus est : quam uirginitatem custodiendo uitam æternam acquirere : et quia ita credo esse : ut dicis : opto tibi consentiens esse : ut sponsum æternum possideam : Tunc Iulianus in orationem procidens pauimento adhærebat clamans : Confirma hoc deus : quod operatus es in nobis . Hoc uidens uirgo similiter fecit . Et ecce subito fundamenta cubiculi commota sunt et lux inenarrabilis emicuit . Fitque ibi spectaculum magnum : et ex una parte sedebat rex eternus cum multitudine candidatorum et ex altera multitudines uirginum : quarum gloriosa uirgo Maria tenebat principatum . A parte regis clamabatur : uicisti Iuliane . uicisti : A parte uirginis : beata es Basilissa : quæ salutaribus monitis consensisti . Et ostensus est Iuliano liber aureis litteris scriptus : dictumque est ei : Accede : et lege : et cœpit legere sic : Iulianus qui pro | amore meo mundum contempsit deputetur in eorum numero : qui cum mulieribus non sunt coinquinati . Basilissa uero quæ ei integro corde sociata est : deputetur in numero uirginum : quarum uirgo Maria tenet principatum . Et dixerunt milia milium : Amen . Post hæc uisione sublata exultantes in domino reliquum noctis uigiles in hymnis et canticis peregerunt . Quid multa ? cœperunt spiritu non carne fructificare : ut super candelabrum

excelsum fundantur duæ lucernæ : quibus rex æternus oleum læticiæ subministrans per eos igniferi uerbi doctrinam ignaris infundebat : Nec quisquam dinumerare poterat animarum multitudines : quæ per sanctum Iulianum migrauerunt ad dominum . Similiter et Basilissa agmina uirginum et mulierum castas animas præmittebat ad cælum .

De transitu sanctæ Basilissæ cum suis uirginibus .

Temporibus autem Dioclitiani et Maximiani furore persecutionis incumbente : ieiunio et flætui studentes tales in conspectu domini effuderunt preces : Domine deus qui occultorum es cognitor ne patiaris a lupo insatiabili gregis tui integritatem uiolari . Præsta domine : ut omnes quos tibi per nos militare fecisti : integros in conspectu tuo constituas : ut exultantes Dicamus : Ecce nos et pueros quos dedisti nobis : nemo periit ex eis . Sequenti nocte Basilissam sic alloquitur per uisum dominus : Basilissa nominis tui digna : quæ orasti : hæc me implere delectat : ut omnia uasa quæ per te mihi mundaui : dum adhuc uiuunt ad cælestia regna præmittas : habebis autem dimidium temporis : quo ex omni loco quod sæminasti triticum colligere possis : et recondita messe tu ipsa sequaris . Iulianus uero ut bonus athleta pugnabit : et uincet : His auditis Basilissa euigilans lætabatur in domino : et ex ordine omnia narrauit Iuliano . conuocans quoque multitudinem uirginum eis terminum sibi reuelatum exposuit : et eas ad proficiendum sollicite commonuit : et cum multa loquens prosequeretur : locus in quo erant commotus est et columna lucis eis apparuit titulum super || se aureum habens scriptum : et uox de columina† cum splendore et odore processit : signum quoque crucis emicuit dicens : Basilissa quod uides scriptum lege . Titulus autem scripturæ sic erat : Omnes hæ uirgines quibus tu ducatum præbes uasa munda et accepta sunt oculis meis : Venite ad præmia uobis parata . Tunc uisione sublata domino gratias agebant omnes : eo quod deus testimonio sue maiestatis animas sanctas declarasset : Sicque diuinam prouidentiam adimpleuit : ut intra tempus promissum omnes migrarent ad dominum . Beata autem Basilissa de reposito fructu secura hora diei sexta in oratione dei constituta soporata est : et uidit omnem chorum sanctorum† uirginum numero circiter Mille niueis cycladibus indutas crucem dominicam gestantes una uoce dicentes ei : Hoc responsum accepimus : ut tecum regem dominum adoremus : Et ecce expectamus te : ut nos offeras deo : cui nos acquisisti . Euigilans ergo hæc cum læticia rettulit sancto Iuliano : Dei uero misericordia sic adimplent : quod illis in oratione constitutis ipsa ad dominum migrauit : Quam beatus Iulianus sepeliuit . Ipse uero cum choro sanctorum floruit . Hæc agebantur Antiochiæ : quæ est Metropolis Mesopothaniæ† .

Reliquum historiæ uidelicet de passione sancti Iuliani et consortum eius : quæratur in Celso romano et consortibus .

PASSIO SANCTI IANVARII BENEVENTANI EPISCOPI ET MARTYRIS

Regnante Dioclitiano passus est sanctus Ianuarius Beneuentanæ ciuitatis episcopus . Huius enim fammam cum audisset præses Thimoteus : iussit eum in ciuitate Nola ante tribunal suum præsentari dicens : Accedens sacrifica diis : aut si nolueris : tormentis horrificis laniaberis : quæ etiam deus tuus cum uiderit pertimescet : Qui respondit : obmutesce infelix : et noli in auribus meis creatori om | nium iniuriam facere : ne blasphemiam tantam audiat : teque interficiat . Tunc iratus iussit eum in carcerem recipi : et caminum uehementer per triduum succendi : et illic eum proiici . At ille oratione fusa : cœpit in medio fornacis deambulare cum sanctis angelis simulque deum benedicere . Qnem† audieutes† milites qui circa erant territi : cursu rapidissimo properantes nunciauerunt præsidi . Qui cum caminum aperire fecisset : flamma eructauit : et gentem incredulam quæ circa erat deuorauit . Sanctus autem in medio

ignis glorificans deum apparuit : ita ut nec uestimentis eius nec capillis : ignis dominare potuerit . Post hæc inquit præses ab eius corpore neruos excludi . deinde ipsum una cum Festo diacono suo et Desiderio lectore : et quisbusdam aliis ante currum suum in ciuitatem Puteolanam uinctos pertrahi ibique eos in custodia recipi . Et sedens in spectaculum : iussit eis feras exhiberi : quæ dimissæ quasi oues demisso capite occurrunt ad pedes sancti Ianuarii . Tunc iudex amotis feris iussit sanctos de amphiteatro tolli et in forum adduci . Ibique sedens pro tribunali iussit eos capite cædi . Sanctus autem Ianuarius in cælum aspiciens orauit : cecideruntque nebule in oculis præsidis : et subito factus est cæcus . Cumque inualidis oculis cruciaretur clamare cœpit : ut Ianuarium ad se reuocarent . Quo facto cum ingenti gemitu clamans ait : Ianuari serue dei cæli : ora dominum deum tuum : ut possim lumen recipere quod amisi . Tunc sanctus erigens oculos in cælum ait : Domine iube restitui oculos huic indigno . Nos enim non reddimus malum pro malo . tunc aperti sunt oculi eius et multi crediderunt ex circumstantibus fere quinque millia . Tunc uidens præses tantam turbam conuersam turbatus est . Sed ne famulus dei corona frauderetur† : timens iussa principum iussit militibus : ut eum celeriter tractum decollarent . Qui cum ad martyrium cum cæteris duceretur : senex quidam pauperrimus eius beneficia sperans opposuit se pedibus eius prouolutus rogans : ut aliquid de uestimentis eius accipere mereretur : Qui ait || ei post depositonem† corporis mei : orarium meum quo mihi oculos meos ligauero : scias me ipsum daturum tibi . Cumque peruenisset ad locum sanctus Ianuarius genu flectens orauit dicens . In manus tuas domine comendo spiritum meum . Tunc erigens se accepto orario sibi oculos ligauit : et spiculator caput eius abscidit . Qui post decollationem seni illi apparuit : et orarium ei sicut promiserat attulit . Eodem uero die quo beatus Ianuarius cum cæteris martiribus decollatus est : thimotheus torqueri cœpit crudeliter : et clamabat uoce magna dicens : propter Ianuarium seruum dei se miserum ab angelis cruciari : et dum diu loqueretur emisit spiritum : tertiodecimo chalendas octubres .

PASSIO SANCTI IVSTI MARTYRIS .

Temporibus Dioclitiani et Maximiani sub præfecto Rictionaro passus est quidam nomine Iustus adhuc puerulus qui apud urbem antisiodorum clara satis prosapia in tenera ætate uirtutum maturitate floruit . Inter alia etiam plerumque futurorum præscientiam obtinere meruit . Huius pater Iustinus mater Felicia dicebatur : digni qui talem generassent ut Iustus nuncupari mereretur . Huius Iustini frater Iustinianus furtim de ciuitate illa puer iam dudum fuerat sublatus et Ambianis deductus . ibi cuidam negociatori nomine Lupus in seruum est uenundatus . Cum ergo puer Iustus nouem esset annorum : hoc ei de patruo suo diuinitus per uisionem reuelatum est : quod Ambianis homo bonus nomine Lupus eum ad seruicium suum detineret : quod cum patri suo retulisset : et ille uollens illuc pergere : sociumque itineris quæreret : Iustus ait ego tecum uadam . Cumque pater simul cum matre obsisteret : et puer apud patrem insisteret animaduertens rem diuinitus agi : tandem filio suo non inuitus consensit . Perrexerunt ergo simul et cum ad militonense castrum peruenissent : cæci et claudi in introitu porte ab eis alimoniam | uociferando petebant : Quibus esca refocillatis benignus puer sibi tunicam detraxit : et unum eorum quem ueste carentem aspexit eius inopie compatiens induit . quamobrem cum argueretur a patre : quod alteram non habens uestem suam tribuisset : eius indignationem prophetico testimonio mitigauit dicens : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem et cætera . Cum autem Ambianis peruenissent : accesserunt ad Lupum negociatorem christianum quidem : sed propter Rictionari metum occultum . Cui cum peccuniam obtulissent ut fratrem suum captiuum reciperent : Lupus cognito quod christiani essent : præcepit ut ad eius hospitium illa nocte declinarent : pollicitus se eis totam domus sue familiam ostensurum : ut si interesset quem querebant : annumerato precio reducendi eum copiam haberent . Introgressis ergo domum : omnes famulos suos exhibuit : et quis eorum propinquus esset intueri concessit . Cunque puer sanctus oculos circunferret : uidit assistentem cum accensa lampade quendam puerum et hunc esse quem quere-

bat recognouit germanum . Vnde uehemens stupor omnes qui aderant inuasit : qualiter illi reuelatum fuisset : Cum etiam pater eius qui perfecte esset etatis hoc ignoraret . Interea qui forte aderant exploratores : nunciauerunt præfecto uenisse in domum lupi peregrinos uiuentes ritu christiano . Quo audlto† tirannus ille cuius crudelitas nihil magis quam christianorum sanguinem sitiebat : obseruate inquit ne ab urbe discedant : donec obtutibus meis puniendi offerantur At Lupus de salute hospitum sollicitus : nocte excitatos secreto ut fugam maturarent admonuit : et propinquum quem poscebant absque redemptione cum eis repatriare concessit . Mane autem milites obseruationes Lupi domum irrumpentes : eos iam non inuenerunt et confusi hoc præsidi rettulerunt . Tunc missi sunt pueri quatuor in equis uelocibus ut fugientes redire facerent : aut nolentes occiderent . Illi uero dum iuxta quendam fontem pranderent et quiescereut† : puer sanctus sacro spiramine afflatus quid sibi immineret præsensit . nec eum insectatio || carnificum latere poterat : qui cuncta uidentem corde gerebat : totusque iam in cælestibus membra mox interitura corporali uoluit reficere esca : dixitque parentibus ut cito comederent : eo quod tortores eos sequeretur† et ipse interim in eminentiori loco quasi in specula stans aspiceret contra eos qui ueniebant : Cunque iuuenes propinquarent : et parentes ad nutum pueri in nemore se celarent : puerum interrogatum et respondentem se esse christianum ociderunt . Amputato autem eius capite : truncum corpus sumens illud manibus immobile perdurabat : et lingua palpitans ac si integro uigeret in corpore deo supplicans : ut se respiceret eloquebatur . Quod miraculum persecutores ut uiderunt cum timore magno reuersi præfecto retulerunt . Comites etiam absconditos et ultra quam dici possit admirantes : lingua pueri sic palpitans : postquam horrore miraculi persecutores abegerat : ubi eum sepelirent edocuit : et ut caput matri pro consolatione deferrent monuit : eique dicerent : ut si filium cernere cuperet : eum sequi ad supernam Hierusalem studeret : Confestim autem lux eum circunfulsit : et cum ea pariter ad celos migrauit . Sepulto igitur corpore in territorio beluacensi in quodam spelunce edificio edera cooperto : sicut eos docuerat antisiodorum reuersi sunt : quibus et mater pueri felicia gaudens obuia procedit : et filium quem non uidit requirit : Cumque rem ei gestam enarrassent uix se præ gaudio ferens sumpto reuerenter capite lacrimarum inundacione perfusa Christo gratias agebat : et filium suum ut sui memor esset exorabat : Tunc sacrum pignus sindone obuolutum et teca repositum : a laquearibus domus interioris suspenderunt : et accensis nocte luminaribus : sacris insistebant uigiliis : tunc repente fulgor nimius de celo lapsus domum illam perlustrauit : et insuper totius ambitum urbis : Vnde sanctus amator episcopus tres presbiteros illuc mittens : audita passione sancti iusti cum processione caput eius in ecclesiam detulit : et in secretario ubi ipse sepeliri decreuerat collocauit . Ipsa autem hora puella sede | cim annorum ceca nata ad tumbam eius accessit et orans lumen oculorum accipit . In loco autem sepulture eius in territorio beluacensi basilica nominis eius extructa est : et longo post tempore : ut maiore populi frequentia celebraretur : ossa eius Beluacum deportata sunt . et in sacrario beati Petri honorifice reposita . huius passio celebratur quintodecimo calendas nouembres .

PASSIO SANCTARVM IVSTAE ET RVFINAE VIRGINVM ET MARTYRVM .

In ciuitate Hispali regionis Hispaniæ : Passio sanctarum uirgnium† Iustæ et Rufinæ . Hæ cum essent mediocri paupertate tenues : Erat illis usus mercandi fictilium uasculorum : ex quo quæstu indigentium inopiam saturabant : sibique tantum quod ad uictum et uestitum necessarium esset procurabant : orationi quotidie insistebant : caste religioseque uiuentes : bene patientes : et domus sue curam agentes . Cumque distrahendorum uasculorum curam gererent : accurrit nescio quod execrabile monstrum et immane portentum : quod perditorum turba gentilium Salambonem uocant : postulans ab eis aliquid utensilium sibi dari Quæ cum resisterent ac dare nollent dicentes se dominum Iesum christum colere et credere : non idolum iilud† quod nec

uiueret nec sentiret : mulieres nobiles quæ portabant idolum illud in humeris suis deiecerunt illud a se turbulenter : ita ut omnia sanctarum uirginum uascula confringeret penitus et contereret . At illæ non damno paupertatis commotæ : sed ad destruendum tantum dedecoris malum reppulerunt idolum . Quod statim ad terram prostratum corruit comminutnm† . Tunc quasi sacrilegium commisissent : gentiles eas morti obnoxias exclamabant : Igitur a diogeniano compræhense primo equlei† extensione : et ungularum laniacione uexate sunt : Postea carcere inedia et doloribus afflictæ : post aliquantos uero dies cum ad Momentoniariam lucum præses ire disposuisset : iussit eas per aspera et confragosa loca post || iter suum pedibus properare . At illis nihil durum nihil asperum uidebatur . Sed quasi totum iter peractum subtus se puluerem conculcabant . Tandem Iusta in carcere exhalauit spiritum : cuius corpus præses in puteum iussit præcipitari . Sed religiosus antistes Sabinus e puteo sublatum honorifice sepeliuit . Rufina uero quæ in carcere remanserat . iussu præsidis fractis ceruicibus : deuotum deo spiritum emisit . Cuius corpus igne combustum : digna honorificentia sepultum est . Harum passio celebratur . quartodecimo chalendas augustas .

VITA SANCTI INVENTII CONFESSORIS .

Eo tempore floruit sanctus Inuentius : qui quondam iuuenis samaritanus : paganis parentibus ortus : in Christum credidit ad prædicationem beati Gregorii cum apud Antiociham† prædicaret . Postea uero per gradus ordinis ascendens usque ad sacerdotium : reuersus ad parentes suos : conuertit eos ad fidem Christi et baptizauit : relictisque eis recessit . Cui in itinere dormienti apparuit angelus dicens : ut reuerteretur Thessalonicam : et idola Daciani signo crucis ibi contereret : eiusque filiam Cleopatroniam a demonio liberaret . Quod et factum est . baptizauitque eam cum ducentis fere hominibus . Illa uero de suo patrimonio misit duo candelabra beato Petro : et alia utensilia per beatum Benedictum episcopum : et per sanctum Inuentium . Quibus romam euntibus cum deficeret uictus : exiuit de mari piscis magnus et in littore stetit : qui captus ab eis . per totam ebdomada ad uictum suffeçit . Huic sancto Inuentio abstulit aliquando quidam miles raptor cum sociis suis uestimentum suum : de quo factum est tale miraculum . Nunquam uenundari potuit : et ubicunque in nocte erat : ibi de claritate ipsius magna lux erat . Cum autem in asia rex quidam rictionarus surgens contra christianos exardesceret : et secum deferens Nazareth deum suum romanas partes uastaret : dum es | set in Longobardia : longobardis nimis timentibus tulit præfatus miles uestimentum illud ad ecclesiam beati Petri . Quo cum uenisset Rictionarus facto de cælo magno tonitruo : et ignitis cathapultis uolantibus interfectus est cum omni exercitu suo . Et hoc factum est post triginta annos postquam idem uestimentum sancto fuerat ablatum . Abstulerat autem idem miles eidem sancto cum illo uestimento quasdam reliquias de sancta cruce : et de sancto Bartholomeo . Vixitque beatus Inuentius usque ad tempus sancti Hilarii pictauiensis . Cui de exilio reuerenti† obuiam pictauis iuit : a quo etiam castelum Grauionem petiit : ad manendum cum sociis et accepit . Hic aliquando in sex latrones incidit : quorum primus arrepto gladio ut eum perimeret : semetipsum transuerberauit . secundus ad quercum se suspendit . tertius a dæmonio arreptus expirauit . quartus oculos amisit . quintus rabie plenus manus suas et brachia dentibus lacerauit . sextus ad mare currens in mare se præcipitauit . Morttuus† est autem annorum centumuiginti idus ianuarii apud Grauionem castrum : In martirilogio tamen dicitur Vernaco sancti Inuentii confessoris : forte illuc de Grauione translatus est . Sepeliuitque eum beatus Maxencius abbas : Cui etiam reuelatum est : quod dum sanctus Michael animam eius deferret in cælum : occurrerunt dæmones dicentes Hic homo noster est : quia per fugam timidus martirii coronam amisit : cum scriptum sit beatus uir qui suffert temptationem .

PASSIO SANCTI IACOBI NISIBENI EPISCOPI ET MARTYRIS .

Iacobus quoque cognomento sapiens : Nisibene ciuitatis persarum episcopus : fuit unus ex numero sub Maximino persecutore confessorum : et eorum qui in Nichena sinodo arrianam peruersitatem Omousion oppositione damnarunt . Ex historia tripartita . Nisibis qui dicitur Antiochia migdoniæ posita || est in termino persidis : et romanorum partium Hanc obsidens Sapor iam per dies septuaginta impetum Migdonii retinuit : utrasque ripas faciens celsiores : quas cum impleri uidisset : subito dimisit contra murum . Qui pondus aquæ non ferens cecidit . Illa uero die Sapor quieuit ut fluuius purgaretur et posset ambulari per eum . Iacobus uero episcopus oratione milites coarmauit et populum : qui subito murum cum propugnaculis restituerunt : quod Saporem ualde terruit . Qui etiam cum uidisset quendam sub scemate imperatoris stantem supra murum : putauit esse imperatorem Constantinum . Quem cum audisset Antiochiæ commorari : dixit deúm pugnare pro romanis . Et iratus sagittam iecit in aerem : quasi deum percussurus . Effrem uero diaconus supplicabat episcopo : ut ueniret ad murum et persis malediceret . Qui ascendens turrem orauit super eos uenire ciniphes et culices : et statim impleuerunt elephantorum cauas promuscides et aures et nares equorum et iumentorum : quæ sessores suos excusserunt : et disruptas acies confuderunt : exercitumque relinquentes summo impetu fugerunt . Quo uiso confusus Sapor recessit . Actor . Hunc quoque Hieronimus commendat dicens : Iacobus nisibenus agnoscitur : ad cuius preces sæpe urbs discrimine liberata est . Scripsit quidem libros multos : id est de fide contra omnes hereses . De caritate generali . De oratione . De dilectione erga proximum spetiali . De resurrectione . De uita post mortem . De humilitate . De pœnitentia . De satisfactione . De uirginitate . De censu anime . De circuncisione . De anni benedictione pro quo in Isaia legitur . Non exterminabitur botrus . De Christo quod filius dei sit et consubstantialis patri . De castitate aduersus gentes . De eonstructione† tabernaculi . De gentium conuersatione . De regno persarum . De persecutione christianorum . Et cronicon minoris quidem curiositatis sed maioris fiduciæ : quia diuinarum tantum scripturarum auctoritate firmatum comprimens ora eorum : qui præsumptuosa suspicione de aduentu Antichristi : | uel domini nostri Iesu christi inaniter prophetant . Moritur hic uir Constantii temporibus : et iuxta præceptum patris eius Constantini intra muros Nisibenæ sepelitur : ob custodiam ciuitatis .

PASSIO SANCTORVM IVLIANI ET FERREOLI MARTYRVM .

Iulianus in Aluerna natus : genere et religione nobilis Ferreoli tribuni comes erat : et uterque deo in militari habitu seruiebant . Cum ergo gentilium furor christianos ubique persequens ad Viennam ueniret . Iulianus amore martyrii flagrans cum se gladio furentium expositione præoptaret : precibus sancti Ferreoli coactus est : ut apud Aluerniam fugiens : ad christianorum superstitum solamen paululum persecutionis impetum declinaret . Tunc Crispinus consularis audito quod illic Iulianus lateret : misso persecutore præcepit : et inuentum constanter occideret . Sentiens hoc iulianus quod eum persecutor inquireret : sponte fores exiliens : querenti in trepidus† se opposuit : et protinus ictum ferientis excepit . Cuius caput in proximo fonte lauantes : ad sanctum Ferreolum deferunt : ut ipse similem mortem exciperet : nisi sacrificiis consentiret . Quod et factum est : et caput sancti Iuliani cum solo corpore sancti Ferreoli in uno tumulo collocatum est . Post multos annos cum sanctus Maueritus uiennensis episcopus eos releuaret : inuenit caput sancti Iuliani inter manus sancti Ferreoli : ita utrumque illæsum et integrum : ac si eadem die fuisset sepultum .

. FINIS . ||

VITA SANCTI LAMBERTI EPISCOPI .

Lambertus nobilis genere nobilior uero uitæ sanctitate ab ineunte ætate litteris eruditus adeo pro sui sanctitate ab omnibus amabatur .: ut post Theodardum magistrum suum treiecensi ecclesiæ in episcopum meruit promoueri : quem Childericus rex plurimum diligebat : et præ omnibus episcopis carum habebat . Sed crescente inuidorum malicia sine causa impii eum expellentes honore debito priuauerunt : et Ferramedum in eius cathedra statuerunt . At Lambertus monasterium ingressus septem annos ibidem conuersatus est . Quadam nocte ad orationem surgens in pauimento per ignorantiam fecit sonum : quod abbas audiens dixit : quisquis hunc sonum fecit : statim uadat ad crucem . quare Lambertus nudis pedibus in cylicio ad crucem cucurrit : ibique tamdiu in niue et glacie fixus stetit : donec fratribus post matutinas se calefacientibus abbas eum deesse cognouit : Et audiens a quodam e fratribus quod ille esset : qui iuisset ad crucem : eum introduci fecit : et ab eo cum monachis ueniam postulauit . Ille uero non solum clæmenter indulsit : sed et de bono patientiæ ei sublimiter prædicauit . Post septem annos Ferramedus expulsus est : et sanctus Lambertus iubente Pipino ad sedem propriam est reductus . Cum autem sicut prius uerbo et exemplo polleret : insurgentes in eum duo maligni eum grauiter insectari cœperunt : quos amici pontificis ipsos sicut meruerunt occiderunt . Eodem tempore Lambertus Pipinum de quadam meretrice quam tenebat increpauit plurimum . Dodo autem quidam consanguineus eorum qui occisi fuerant : et frater ipsius meretricis : domesticus aulæ regiæ congregato exercitu domum episcopi circumquaque obsedit : uolens occisorum necem in sanctum uendicare Lambertum . At cum puer Lamberto in oratione posito nunciasset : ille confisus in domino : ut eos expugnaret : mucronem arripuit : sed ad se rediens : gladium de manu proiecit : melius iudicans : ut persistendo et moriendo uinceret : quam ut sacras manus de impiorum sanguine macularet . | Tunc uir dei suos ammonuit : ut peccata sua confiterentur : et mortem patienter sustinerent : Statimque impii irruentes sanctum Lambertum in oratione prostratum peremerunt circa annos domini sexcentos octaginta : quibus discedentibus quidam ex eius famulis euadentes corpus eius oculte ad cathedralem ecclesiam nauigio perduxerunt : et cum multa ciuitatis mæstitia sepulturæ dederunt .

SANCTI LAVRENTII LEVITAE ET MARTYRIS PASSIO·.

In tempore illo postquam beatus Syxtus migrauit ad Christum : tunc milites Decii tenuerunt beatum Laurentium archidiaconum : et duxerunt et tradiderunt eum Parthenio tribuno : Eadem hora Parthenius tribunus nunciauit Decio quod Laurentius qui habet thesauros absconditos archidiaconus Systi in custodia teneretur : Gauisus est Decius : et fecit sibi beatum Laurentium præsentari : quem ita aggreditur Decius Cæsar dicens : Vbi sunt thesauri ecclesiæ quos apud te cognouimus esse reconditos ? Beatus Laurentius non respondit ei uerbum . Eodem die Decius Cæsar tradidit eum Valeriano præfecto dicens : quære thesauros ecclesiæ diligenter et sacrificet : quod si non sacrificauerit : diuersis penis eum et cruciatibus interfice . Tunc Valerianus dedit eum cuidam uicario in custodiam nomine Hippolito : Et cum accepisset Hippolitus beatum Laurentium : reclusit eum cum multis . Erat autem ibi homo in custodia multo tempore gentilis : qui plorando amissis oculis cæcus factus fuerat : Dixit ad eum beatus Laurentius : Crede in filium dei dominum nostrum Iesum Christum : et baptizare : et illuminabit te : Respondit Lucillus : Ego semper desideraui baptizari in nomine domini nostri Iesu Christi : Beatus Laurentius dixit : Ex toto corde credis ? Respondit Lucillus cum fletu dicens : Ego credo dominum Iesum Christum : et idola uana et falsa respuo : Hippolitus patienter ascultabat uerba eorum : Tunc beatus Laurentius cathetizauit eum et acepta aqua dixit ad eum : Omnia in confssione† lauan || tur : tu autem me annunciante : responde credo : et benedixit aquam : et

cum expoliasset eum : fudit eam super caput eius dicens : credis in deum patrem omnipotentem Lucille ? At ille respondit credo : Et in Iesum Christum filium eius ? At ille respondit credo : Qui passus est sub pontio pilato ? At ille respondit credo : Ipse qui mortuus est et sepultus et tertia die resurrexit a mortuis ? At ille respondit credo : Et qui ascendit in cælum : unde uenturus est iudicare uiuos et mortuos et sæculum per ignem : ipse te in corpore et in anima illuminet ? At ille respondit cum flætu credo : Et cohoperuit eum linteamine : Tunc aperti sunt oculi eius : et cœpit clamare dicens : Benedictus dominus Iesus Christus : deus æternus : qui me illuminauit per beatum Laurentium : qui semper cæcus fui : et modo uideo : Tunc audientes multi cæci ueuiebant† ad beatum Laurentium : cum lachrymis . Et beatus Laurentius in custodia positus Hippoliti ponebat manum super cæcorum oculos et illuminabantur . Videns autem hoc Hippolitus dixit ad beatum Laurentium : Ostende mihi thesauros ecclesiæ : Dicit ei beatus Laurentius : o Hippolite : si credis in deum patrem omnipotentem et in filium eius dominum Iesum Christum : et thesauros tibi ostendo : et uitam æternam promitto : Dicit ei Hippolitus : Si dictis facta compenses : faciam quod hortaris : Dicit ei beatus Laurentius : audi me : et quæ hortatus sum citius fac : quia idola muta surda et uana sunt : tantummodo baptizare : et more solito cathetizauit eum : Et accepta aqua benedixit et baptizauit eum : et extersus ex aqua cœpit dicere Hippolitus : uidi animas innocentium lætas gaudere : Et dixit ad beatum Laurentium cum lachrymis : Adiuro te per dominum Iesum Christum : ut omnis domus mea baptizetur . Et baptizati sunt promiscui sexus in domo Hippoliti numero decem et nouem cum gloria . Tunc mandauit Valerianus ad Hippolitum : Adduc ad palatium Laurentium : Dixit autem Hippolitus ad beatum Laurentium : Valerianus ex præcepto Decii : iussit ut te ad eum perducam : beatus Laurentius dixit : Ambulemus : quia mihi et tibi gloria paratur . Et cum uenissent ambo simul ante conspectum | Valeriani : Valerianus dixit ad beatum Laurentium : Iam depone pertinaciam : et thesauros ecclesiæ : quos apud te cognouimus esse reconditos manifesta : beatus Laurentius dixit : Da mihi inducias biduo aut triduo : et profero tibi thesauros : Respondit Valerianus : et dixit ad Hippolitum : In tua pollicitatione habeat triduo inducias : Ab eadem die collegit cæcos . claudos . pauperes . et debiles : et abcondit eos in domo Hippoliti : Valerianus autem nunciauit Decio : quia beatus Laurentius dans sibi triduo induciis thesaurum promisisset declarare : Completis autem tribus diebus : præsentauit se ipse in palatio salustiano : Cui dixit Decius Cæsar præsente Valeriano præfecto : Vbi sunt thesauri : quos pollicitus es præsentare ? beatus Laurentius collecta multitudine introduxit in palatium pauperes : et uoce clara dixit beatus Laurentius : Ecce isti sunt thesauri æterni : qui nunquam minuuntur : sed crescunt : qui in singulis asperguntur : et in ominibus† inueniuntur . Velerianus† præfectus dixit præsente Decio Cæsare : quid uariaris per multa sacrifica diis : et iam obliuiscere tuas artes magicas in quibus confidis . beatus Laurentius dixit : quare uos coartat diabolus : ut christianis dicatis sacrificate dæmonibus ? Et si iustum est : ut dæmonibus inclinemur : magis quam deo creatori omnium uisibilium et inuisibilium uos ipsi iudicate : quis debeat adorari : qui factus est : an qui fecit ? Decius Cæsar dixit : et quis est qui factus est uel qui fecit ? beatus Laurentius dixit : Deus pater domini nostri Iesu Christi creator est omnis creaturæ : et hominum et uolucrum : et peccorum et bestiarum et iumentornm† et piscium et cæli et terræ : Et tu dicis mihi : sacrifica lapidibus et aeri et adora facturam surdam et mutam ? Decius Cæsar iratus iussit in conspectu tuo eum expoliari et cædi cum scorpionibus : ipso Decio clamante deos blasphemare noli : beatus Laurentius inter ipsa tormenta dicebat : Ego quidem gratias ago deo meo : qui me dignatus est coniungere inter seruos suos . Tu miser torqueris in insania tua et in furore tuo : Decius Cæsar dixit : Leuate eum et date ante conspectum eius omne genus tormentorum : Et allatæ laminæ sunt || ferreæ et lectus et plumbatæ et cardus ferreus : et dixit ei Decius Cæsar : Sacrifica diis : Nam omne genus hoc tormentorum in corpore tuo uectabitur : beatus Laurentius dixit : Infelix has epulas ego semper desideraui : Nam tormenta ista tibi sunt præparata : nobis enim gloria sempiterna . Decius Cæsar dixit : Ergo si gloria est uobis : dic nobis ubi sunt profani similes tui absconsi : ut simul epulemini : beatus Laurentius respondit : De quibus interrogas : iam illi semel dederunt nomina sua in cælo . Tu enim non es dignus aspectibus eorum præsentari . Tunc Decius Cæsar fecit beatum Laurentium

uinctum cathenis duci in palatium thyberii : et ibi eum gestis audiri : Et iussit sibi tribunal in templo Iouis parari : qui cum ingressus fuisset et sederet : præcepit sibi beatum Laurentium offerri : Cui ita dixit : Declara nobis omnes profanos : ut mundetur ciuitas : et tu ipse sacrifica diis : et noli confidere in thesauris : quos habes absconditos . beatus Laurentius dixit : uere et confido et securus sum de thesauris meis : Decius Cæsar dixit : An putas te a thesauris liberari : aut redimi de tormentis ? beatus Laurentius ait : Ego famulus Christi . securus sum de thesauris cælestibus : Decius iracundia plenus iussit eum nudum fustibus cædi : At ipse Laurentius cum cæderetur : clamabat dicens ad Decium : Ecce miser uel modo cognosce : quia triumpho de thesauris Christi : et non sentio tormenta tua . Decius Cæsar dixit : Fustes augete : et date ad latera eius laminas ferreas ardentes . beatus Laurentius tunc ait : Domine . Iesu Christe deus de deo miserere mihi seruo tuo : quia accusatus non negaui : interrogatus te Christum† dominum Iesum confessus sum . Tunc Decius Cesar iussit eum leuari a terra et dicit ei : Video in te artem magicam : imo magis sacrifica : Scio quia tormenta per artem magicam deludis . tamen me non deludes : Testor deos deasque : quia aut sacrificabis : aut diuersis pœnis te interficiam : Beatus Laurentius dixit : Ego in nomine domini nostri Iesu Christi non pauesco tormenta tua . fac quod facis ad tempus noli cessare . Decius cæsar nimio furore arreptus iussit ut eum plum | batis durissime cæderetur . beatus Laurentius dixit : domine Iesu Christe : qui pro nostra salute dignatus es formam serui suscipere : ut nos a seruitio dæmonum liberares : accipe spiritum meum : Eadem hora audita est uox de cælo : ipso Decio audiente : Adhuc multa certamina tibi debentur . Tunc Decius Cæsar furore plenus dicebat uoce clara : Viri romani et cœtus reipublice : audistis consolationem dæmonum in sacrilegum istum : qui nec deos nec principes pauescit iratos : nec tormenta metuit exquisita : Et dixit iterum Decius Cæsar : Extendite eum et scorpiones cædentes affigite . Tunc beatus Laurentius prostratus in catasta subridens et gratias agens dicebat : Benedictus es domine deus pater domini nostri Iesu Christi : qui donasti misericordiam quam meriti non sumus . Sed tu domine propter tuam pietatem dona nobis gratiam tuam : ut cognoscant omnes circumstantes : quia tu consolaris seruos tuos . Eadem hora unus de militibus nomine Romanus credidit domino Iesu Christo per uerba beati Laurentii : et cepit dicere ad beatum Laurentium : Video in te hominem pulcherrimum stantem . et cum linteo extergentem membra tua : De qua re adiuro te per Christum : qui tibi misit angelum suum : ne me derelinquas : Tunc Decius furore plenus et dolo dixit ad Valerianum . Victi sumus per artem magicam : Et iussit solui eum de catasta et leuari : Eadem hora Romanus afferrens urceum cum aqua cœpit quærere horam : ut eum offerret beato Laurentio . Tunc Decius cœpit æstuare : et iussit ut Hipolito redderetur ibi tantum in palatio : Veniens autem Romanus et offerens aquam : misit se ad pedes beati Laurentii : et rogabat eum cum lachrymis : ut baptizaretur Et accepta aqua benedixit et baptizauit eum . Audiens Decius hoc factum dixit : Exhibete eum cum fustibus : Et adductus Romanus ante conspectum Decii Cæsaris non interrogatus cœpit clamare uoce magna dicens : christianus sum . Et iussit Decius Cesar : ut in ipsa hora capitis subiret sententiam : Et ductus foras muros portæ salariæ decollatus est quinto idus augustas . Tunc uenit noctu Iustinus præsbyter . et collegit corpus eius : et sepelliuit eum in cripta in agro Ve || rano . Eadem nocte iussit Decius Cæsar una cum Valeriano præfecto in termis olimpiadis parari sibi tribunal : et pergit noctu ad termas iuxta palatium Salustii : et iussit sibi beatum Laurentium offerri . Tunc Hippolitus cœpit tristis esse : et plorare : Cui beatus Laurentius ita dixit : noli flære : sed magis tace : et gaude quia uado ad gloriam dei . Dicit ei Hippolitus : quare et ego non uociferor : quia christianus sum : et tecum incumbo ? beatus Laurentius dicit ei : Ora magis in absconditis : et in homine interiore absconde Christum : Et postmodum cum clamauero audi : et ueni : Et cum hoc dixisset : iussit Decius Cæsar omne genus tormentorum ante tribunal suum parari : plumbatos . fustes . laminas . uugues† . lectos . baculos . et sedit in thermis pro tribunali . Adducitur noctu ante Decium Cæsarem et Valerianum præfectum beatus Laurentius : Cui ita dixit Decius : Iam depone perfidiam artis magicæ : et dic nobis generositatem tuam : beatus Laurentius dixit : quantum ad genus Hispanus sum : Eruditus uel nutritus Romanus : et a cunnabulis christianus eruditus† omnem legem sanctam diuinam . Decius cæsar dixit : Vere diuinam : quia nec deos

times : nec tormenta pauescis . beatus Laurentius ait : In nomine domini nostri Iesu Christi tormenta tua non pauesco : nec metuo . Decius Cæsar dixit : Sacrifica diis : Nam nox ista . in te expendetur cum suppliciis . beatus Laurentius dixit : mea nox obscurum non habet : sed omnia in luce clarescunt . Tunc iussit ut os sancti cum lapidibus cæderetur . Ille autem ridebat : et confortabatur : et dicebat : Gratias ago tibi domine Iesu Christe : quia tu es deus omnium rerum . Decius cæsar dixit : Date lectum ferreum : et requiescat Laurentius contumax : Allatus est autem lectus cum costis tribus in conspectu Decii Cæsaris : in modum craticulæ : Et allatus est beatus Laurentius : et expoliatus est uestimentis suis in conspectu Decii et Valeriani : extensus est in crate ferrea : Et allati sunt baculi cum prunis : et miserunt sub cratem ferream : Et cum furcis ferreis coartari fecit beatum Laurentium : Et dixit Decius cæsar ad beatum Laurentium : Sacrifica diis . Respondit beatus Laurentius : |. Ego me obtuli sacrificium deo in odorem suauitatis : quia sacrificium deo est spiritus contribulatus : Carnifices tamen urgentes : ministrabant carbones mittentes sub crate : et desuper comprimentes : cum furcis ferreis . beatus Laurentius dixit : Disce miser Valeriane : quanta est uirtus domini mei : Nam carbones tui mihi refrigeriumerium† præstant : tibi enim æternum supplicium : quia ipse dominus nouit : quia acusatus non negaui : interrogatus Christum confessus sum : assatus gratias ago : Valerianus præfectus dixit : Vbi sunt ignes quos tu diis promittebas ? In ipsa hora dicebat beatus Laurentius : O insaniam uestram : Infelices non cognoscitis : quia carbones uestri : non ardorem sed refrigerium mihi præstant ? et cœperunt omnes qui aderant mirari : quomodo præceperat Decius uiuum eum assari : Ille autem uultu pulcherrimo dicebat : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : quia me confortare dignaris : Eleuans oculum contra Decium : sic dixit beatus Laurentius : Ecce miser assasti me parte una . regira aliam et manduca . Tunc gratias agens domino cum gloria dixit : Gratias ago tibi domine Iesu Christe quia ianuas tuas ingredi merui : Et misit spritum : Eadem nocte Decius una cum Valeriano ambulauit exinde ad palatium thyberianum . relicto corpore super craticulam et ignem beati Laurentii : Mane autem primo adhuc crepusculo : rapuit corpus euis† Hippolitus et condiuit cum linteis et aromatibus de proprio suo : Et man dauit hoc factum Iustino præsbytero : quomodo super carbones corpus beati Laurentii emisisset spiritum : et qualiter Decius Cæsar et Valerianus confusi exinde exissent : et recepissent se in palatium thyberii : et quomodo crudeles iam corpus sanctum sic super craticulam et carbones reliquissent . Tunc beatus Iustinus præsbyter et Hippolitus plorantes et multum tristes tulerunt corpus beati Laurentii archidiaconi et martyris : et uenerunt in uiam tiburtinam in prædium matrone uiduæ quiriacæ : ad quam ipse beatus martyr fuerat noctu : cui et linteum dedit : unde pedes sanctorum ipse exterserat : et ibi facta munditia posuerunt eum usque ad uesperum . Iam hora uespertina : sepellierunt eum in cripta in uia tyburtina in prædio || quiriacæ uiduæ in agro uerano quarto idus augustas : Et ieiunauerunt : et agentes uigilias noctis triduo cum multitudine christianorum non cessabant mugitum lachrymarum dantes : beatus autem Iustinus præsbyter obtulit sacrificium laudis : et participati sunt omnes .

PASSIO SANCTORVM LEONIS ET MARINI MARTYRVM .

Temporibus Dioclytiani et Maximiani Imperatorum cum persecutionis tempestatibus catholica christianorum ecclesia per totum orbem terrarum dispersa tyramnica rabie et hostilibus gladiis deuastaretur : et sancta uniuersalis sponsa Christi omnium uiuentium immolata genitrix ueluti nuptialibus stolis cruore sanctorum martyrum thalamum Christi quasi sponsa monilibus ornata decoraret : Vbique ferro et flamma athletæ christianæ religionis diuersis tormentorum generibus afficiebantur . quid plura refero ? ignis : bostis† : gladius omnibus in Christo uiuentibus ubique comminabatur : ubique luctus : ubique pauor : ubique strepitus et plurima mortis imago decurrebat . Sacerdotes in ipso sacrificiorum tempore circa altaria trucidabantur et sanctorum in delubrorum postibus antistitum et innocentium sanguine rorantia spolia pendebant . Alii latebrosis montium cauernis latitabant : alii sub antrorum specubus occultabantur et fame et siti in frigore in nuditate . Multi spontanea uirtute impio-

rum mucronibus : ceruice recisa mortem temnentes sese hostiam deo pro Christi nomine offerebant . Cum antiquus sanguis colla tumida contra electos dei cruentis dentibus frendens subleuaret : et lætale uirus tartareis faucibus in gremium sanctæ christianorum ecclesiæ spargere conaretur . Tunc exiit edictum a Dioclytiano et Maximiano Imperatoribus : ut menia ariminensis ciuitatis restaurarentur : et ad pristinum statum arces iam dudum dirutæ reuocarentur : quæ mœnia sicut uetusta retulit fama a Demosthene liburnorum rege classa pontico olim excisa fuerunt . Igitur ab incarnatione domini | nostri Iesu Christi decursis annorum curriculis plus minus ue ducentis quinquaginta septem ex tempore quo scelestissimus nefandæ recordationis bybliothanatus Dioclytianus rapido flammarum incendio diuinos libros comburi præceperat : Data est iussio per omnes prouincias Europæ : ut omnes populi tribus et liuguæ† ex diuersis regionibus diuersarum artium magistri architecti figuli et dolandorum lapidum incisores Imperialibus præceptis obtemperantes conuenirent in unum ad ædificandum scilicet Ariminum ciuitatem in honorem nominis et memoriam uirtutis triumphatorum principum Dioclytiani et Maximiani . Confluentes itaque hinc inde ex uniuersis Europæ partibus Galliarum et Germaniæ populi Italiæ et Dalmatiæ incolæ Romani et barbari : et qui inhabitabant Macedoniam fauore regio compulsi undique relictis urbibus dulcibusque natis terra marique delati conuenerunt : et castra metati snnt† apud Ariminum : Inter quos uiri dei ex diuina prouidentia de finibus Dalmatiæ per Illirici fluctus æquora in littus Hesperiæ nauigio delati sunt . Conuenientes itaque apparuerunt : unus cui nomen erat Leo : alter uero qui Marinus uocabatur . ob hoc enim relictis parentibus et dulcibus aruis patriæ uenerunt : ut peregre calcatis mundi facultatibus cælesti regi magis quam terrestibus† tyramnis deseruiirent† . Erant ambo in dei timore perseuerantes unius uoluntatis affectu diebus et noctibus orationibus et ieiuniis indesinenter dediti : nihil in præsenti sæculo ambientes : nisi quatenus in lege et in diuinis præceptis sine offendiculo cuiuslibet rei graderentur . mens eorum in spiritalibus desyderiis erat defixa : ita ut gaudia præsentis uitæ et fugientis sæculi diuitias uelut labefacta et uagabunda ludibria esse arbitrarentur . tantum suauitatis et humilitatis gratiæ in ipsis florebat : ut in famulatum omnium tanquam seruulos et cunctorum minimos subditos se ipsos subiugarent . Igitur in sancto Marino omnium artium gratia et ualitudo pullulabat : Nam qualiter apis prudentissima de omnibus floribus nectareis dapes colligit : et in gazophilatium cereale redolentia mella distillat : Non aliter sanctus re || colendæ uirtutis . Marinus bonarum artium redolentiam in archinium sui segregatissimi pectoris inspirante sanctispiritus gratia ac non sine alacri diuinorum sacramentorum desyderio recondebat . Inerat ipsi facundiæ tanta sollertia . ut eloquentiæ floribus decorata uerba eius uelut claui in internis cordibus audientium defigerentur . uernabat in eo omnium uirtutum genitrix sapientia : quatenus cunctorum animos ad admirandum micantis ex ore eius diuinæ gratiæ fulgorem prouocaret . Erat primatibus subditus : sodalibus blandus : consequentibus fraterna caritate communis . omnibus beniuolus . seniores quasi patres : minores sicut filios amabat . pauperibus et proselitis hominibus famulans indefessus obtemperabat . Nulli se præferens omnium minimum se esse existimabat . Suscipiebat grauiter senes : et prudenter iuuenes communiter increpando : cohercebat nefandos audacter . In quottidianis laboribus instabat in orationibus sine intermissione perseuerans . corpore in terris posito anima in cælestibus deliciis pascebatur . Erat caritatis et humilitatis exemplar . patientiæ et longanimitatis magister . doctrinæ et caritatis mirabilis doctor . In pratis diuinarum scripturarum luminaria sui corporis pascebat . obtutum uero mentis suæ in ætheriis olympi sedibus defixum tenebat . nitida cælestis uitæ eloquia cunctis inhianter impartiebatur . tantum religionis eius studiosa sollicitudo fuerat ita : ut nec unius momenti prætermissum spatium absque benegerendi officio præteriret . aut enim orationibus aut lectionibus seu actualibus manuum operibus uacabat : ut et ipse mereretur dicere : Nullum diem perdidi : in quo nihil boni fecerim : et dum ore et spiritu diuina carmina psallebat : manibus indesinenter utilia unde indigentibus crebro præsidium adhibebat operabatur : ut de fructibus manuum suarum petentibus alimoniam uitæ non abnueret . Itaque posteaquam peruenit sanctus Marinus ad supra dictam Ariminensem ciuitatem : et sub præfectis et præpositis diuersorum operum singula sui laboris sortiti sunt partem : Videns uir dei plenus gratiæ et pietatis prouinciales sui itineris comites iniustis laborum pon-

deribus ag | grauari : compatiebatur eis : et pro illorum iniuriis grauiter anxiabatur instar apostoli dicentis : quis infirmatur : et ego non infirmor? quis scandalizatur : et ego non uror? Et sic fraternæ caritatis amore feruens prisca sanctorum uirorum exempla Ioseph et Moysi recordabatur : qualiter pro salute suorum fratrum usque ad mortis periculum animas suas impenderunt : et quod amplius erat in internalibus mentis suæ præcordiis cum tremulo metuendi intentu reminiscebatur : qualiter omnium creaturarum lumen mirabilis genitor Christus deus dei filius qui quasi in pugillo digitali molem terræ et gyrum cæli appendit ab arcibus ætheriis paterna radiantis olympi regna non ommittens fragilem creaturam creator induens pro salute humani generis ad terrena mortalium habitaculo† dignatus est descendere : Vel quanta et qualia pro redemptione terrigenarum aduersus antiqui hostis insidias dimicando perpessus est . his duabus fluctuationibus æstuans non immemor erat euangelicæ uocis loquentis : maiorem caritatem nemo habet : quam ut quis animam suam ponat pro amicis suis . his omnibus admonitus uir dei beatissimus Marinus instar propheticæ religionis emit sibi subiugalem unum : quatenus cum illius aminiculo absque aliorum molestia suis fratribus in diuersorum laborum oppressura positis subueniret . Igitur non multum post aliquod temporis interuallum : cum hæc et alia gerebantur data est iussio supradictis Imperatoribus Dioclytiano et Maximiano : ut omnes magistri incisorum lapidum ad saxosas montium crepidines proficiscerentur ad excidendas etiam de montibus diuersorum marmorum species : quod et factum est† . Ibant ergo sanctus Leo et beatissimus Marinus cum multitudine incisorum ad cacumina Diuexi montis : qui lingua ethrusca uocatur Titanus : qui mons ut accolæ ferunt iugis asperrimus et scabris rupibus scopulisque ad æthera tendentibus ab occasu in boream tenditur . Peruenerunt itaque ad locum desyderatum : et operati sunt ibi per annos tres . Completis uero trium annorum uoluminibus profectus est sanctus Leo paucis comitantibus ad iugum montis Filitimani : quod uulgari sermone || mons Feretrius nuncupatur : et ibidem collum constituit : et tabernaculum deo dedicauit : Sanctus autem et recolendæ uirtutis uir domini Marinus plenus gratia et benignitate : uidens afflictionem fratrum suorum non contentus est deserere eos . Memor dominicæ uocis misericordiam uolo et non sacrificium . Sed expleto triennio in duris excidendorum lapidum laboribus reuersus est cum eis ad ciuitatem : et ibidem fraterna dilectione retentus : formam aquæ ductilem duorum mensium spatio et ter quinis diebus fabricando monuit . tantæ enim ualitudinis erat : ut cum alii defessi requiescerent : et nocturnis temporibus deficientia membra quieti concedebant : Ille per silentia sublustrium noctum non cessabat laborare : nec requiem corpori suo dabat : nisi cum in dominicorum dierum missarum solemniis uacaret . Sed et spatium mensurarum laboris quod uix cæteri cum binis boum paribus operabantur . Ille aminiculo unius aselli adiutus cohoperante diuina uirtute sine querela complebat . Assignatis itaque omnibus laboribus et digestis seriatim præfecti oderum† et præpositi magistrorum tanta admiratione in sancto Marino commoti sunt : ut ad eius uestigia prouoluiti† ingratulantes et deum per ipsum magnificantes : omnia transacta opera per illius auxilium diuina gratia suffragante completa perfecisse profiterentur . Ibant ergo uniuersi perfectis et completis omnibus operibus et cunctis fabricis consumatis : Dispersi quinque regredientes ad suas regiones Galli Germani Romani et Barbari quicumque de quattuor finibus Europæ undique conuenerunt et demu† cæli sancti Marini uirtutibus magnificantes exaltabant : et tantæ gratiæ uel tantæ benignitatis : alium talem se nunquam uidisse declarabant . oppressis enim leuamentum uirtutis erat : Tribulatis consolatio : tristibus gaudium : deficientibus ualitudo : ægris medicus : discordantibus pax : æstuantibus refrigerium : algentibus et rigidis fomentum sanitatis erat : omnibus compatiebatur . proprias iniurias in se ipso conuertebat : singulorum doloribus cum omnibus gemens succurrebat . urebatur incendio feruentis caritatis : et pro cunctorum salute libenter se ipsum quasi hostiam deo placabilem | offerebat . Interea dum hæc apud Ariminum agebantur : peractis omnibus operibus et regredientibus singulis in loca sua peruenit uir domiui† sanctus Marinus ad Ariminum desyderans aliam ciuitatem in æthera uiuis ex lapidibus constructam ædificare cælesti regi : Aduenit et habitauit in snpradicta† ciuitate Ariminense annis quattuordecim et tribns† mensibus prædicans euangelicas uirtutes : uias uitæ et tramitem perpetuæ salutis ignorantibus demonstrans . Ita et enim ex ore eius uerbum dei inflammabat corda audientium : ut et ipsos

simul errorum sacerdotes ad contemnendam uanæ superstitionis religionem excitaret : Nam per duodecim annorum uolumina : quibus uir dei Arimino permanserat : fere uniuersaliter tota ipsa urbs conuersa credidit : ut uerum deum dei filium Christum esse in cordibus suis profitebantur : Nam tam prædicando quam suggerendo sæmina ueritatis et germania uitæ in aruis mentium serebat : et crebro uelut gnarus agricola messem dominicam rore cælestisigratiæ† irrigabat i† Ita ut cum post aliquod tempus sanctus Gaudentius episcopus ab sedibus romanis Ariminum ad prædicandum gentibus dirrectus esset : repperiret rura quondam sterilia : et spinarum aggeribus inculta sata rorantia graniferis spicarum frugibus in bratteam segetem concreuisse : Non aliter etenim uir domini Marinus uiam uitæ et semitam æternæ beatitudinis in cordibus ignaræ plebis præparabat : quam ut tuba ueritatis sanctus quondam Iohannes uelut leo in heremo rugiens clangorem pœnitentiæ altisono clamore uociferans totum mundum iam tunc in heremo redactum intonuit . Igitur dum hæc uirtus diuina per sanctum Marinum administrabat : hostis antiquus humanæ propaginis insidiator grauiter ferens : quæ a sancto Marino circa salutem animarum gerebantur nouas artes uirulento pectore uersans : cruentis dentibus fremens uelut anguis uenenatus trisulco gutture atri ueneni spiramina contra atheltam† cælestis militiæ spargere conabatur : Inuentis namque nocendi artibus mille formis millenas insidias et diuersis tellorum speciebus iaculare uirum dei nitebatur anxius fremitans et sese lacerans ze || lo inuidiæ uulneratus . Sanguineas etiam fauces ostentans sua malignitate consumptus torquebatur : et demum aptum sibi ad insidiandum argumentum quoddam uasto teterrimum ueneni contagio uiolatum repperit : per quod introitum quondam ad prothoplaustum adeptus est : et lætiferum telum quo massam humanæ stirpis mortis uoragine demerserat et arcu perfracto dimissum arripuit . Ingressus namque in fatuum et uacuum pectusculum cuiusdam mulierculæ impleuit eam ueneni teterrimi fluore et per falsas rerum imaginationes extra suæ mentis tramitem fecit alienari . Ad tantam enim dementiæ hebitudinem perduxit miseram : ut sancti Marini legitimam coniugem se esse denuntiaret . Quoniam uidelicet fama et opinio sanctitatis eius per totam Europam diuulgata percurrebat : cuius rei causa inuidus diabolus per malignitatem muliebrem crescentia uirtutis diuinæ miracula per uirum dei Marinum extinguere nitebatur : Verum quidem ad talia ludicra illudendo fefellit miseram : ut de finibus Dalmatiæ per illyrici fluctus æquora ad ignotum hesperiæ littus urbisque ariminensis portum delata perueniret . Ingressa itaque urbem scisitabatur curiose de sancto Marino : quam cum uidissent ciues arbitrati illam propter medendi causam aut deuotionis gratia eum requisisse : locum indicant : mores uirtutes habitumque uiri dei Marini designant . at illa diligentissime requirens : inuenit† eum forte in quodam loco solito more in oratione stantem : quo uiso stupore mentis perculsa imo de pectore longa suspiria trahens impudico ore simulatisque uerbis : sic demum præfata est . Heu heu me Marine super uitam desyderantissime sola spes et lux uitæ meæ quanta maris et terræ pericula propter tuam dilectionem passa sum . Vniuersa uitæ contraria paruipendens pro tui amoris ardore pertuli . hoc ait : et alacres palmas utrasque tetendit : effusæ lachrymis male et uox excidit ore : ut uideo te . O expectate carissime coniunx da præcor da ueniam da pia ora tueri . Suscipe me miseram uastis huc fluctibus actam : extemplo perterritus uir dei post se respiciens agnouit luridam faciem et hostilia colloquia lubrici serpentis . Et placido ore propheti | cum uerbum arripiens exorsus est dicendo : et exurgat deus : et dissipentur inimici eius : et respuens eam repulit a se . At illa non ferens uenerabilem tanti uiri grauitatem recessit ab eo hululans et crebris singultibus imo de pectore miserabilem gemitum producens : et implens questibus totam urbem : tandem ad præsidem peruenit : et æstuans ante eius tribunal improbo ore : et scelestissimi aspidis uirulentis haustibus infecta sic demum præfata est : adiuro te piissime præses per immortalia deorum facta et per inuictam uirtutem Imperatorum : ut mihi fandi facultatem unius horæ spatio concedas : et ut auribus pietatis tuæ uarias dolorum meorum ambages tranquilla miseratione suscipias*. Ego enim factorum meorum indignatione ponti tellurisque inextricabilibus periculis miserabiliter fatigata : de longinquis Dalmatiæ finibus ad hæc uestra surgentia mœnia tandem defessa perueni . Propter uidelicet uirum meum Marinum magistrum : qui mihi ritu gentis nostræ et legibus patriæ in legitimum coniugium copulari debet : et notum sit præcellentiæ tuæ : quia et ipse contemptor deorum est : et christianæ sectæ

probabilis doctor et cultor : et non tantum ipse : sed et plurimos nobiles et sagaces reipublicæ uiros ad colendum deum : qui dicitur Christus seducit . Dum hæc nefandissima pio fauore alloquebatur : contigit ex euentu Ticyum quemdam nomine christianæ relligionis amicum superuenisse : qui cum audisset tantum nefas ante præsidem prolatum . Subducens se de medio eorum concitoque cursu festinans deuenit ad locum : ubi fuerat uir domini Marinus in orationibus persistens : et prouolutus ad eius uestigia : fandique ueniam petens retulit ei omnia qualiter ante tribunal præsidis ex infandæ narrationis fœmina audierat . Quæ cum audisset et cognouisset uir domini Marinus relatu Ticyii hæc ita fieri : confestim eadem hora percepit calidas inuidi hostis aduersum se uersutias : Et dum infra se athleta cælestis militiæ conferret : quomodo contra diabolicas resisteret insidias : repente ex diuino oraculo quærelæ medicinam repperit . reminiscebatur autem euangelici mandata dicentis : cum uos persecuti fuerint in una ciuitate . || fugite in alteram . Verum quidem deum dei filium dominum Iesum recordabatur sæpe in heremum refugium fecisse : quandocumque a turbis grauiter opprimeretur . Tunc surgens beatus Marinus urbem et nanimes† contubernalis amicitiæ sodales relinquens per opacæ noctis silentium exiit de ciuitate : et carpens intrepidus iter ignotum commitante et auxiliante deo peruenit ad radices asperrimi montis : qui dicitur Atitanus : ubi ipse pridem cum incisoribus lapidum operabatur : Et cum uidisset inculti agri speciem : et uastissima remotioris heremi opaca nemora ferarumque syluestria lustra per tacita saltus silentia peragrabat . Conspiciens inter cætera gelida sub rupe imminentis montis ingens et uetustissimum saxum undique clausum arboribus et horrentibus umbris . Repletus gaudio dum singula curiose requirit : cernit sub aduersa rupe scopulis pendentibus antrum abditissimum ualde : et aquæ dulces erant intus . capitur itaque uir dei nimio loci amore : et ex diuina prouidentia sibi præparatum fuisse cognouit . Igitur sanctus et memorandæ relligionis miles Ghristi† Marinus abdidit se ibidem a facie sceleratæ mulieris fugiens a facie Iezabel : et duodecim mensibus cum omni genere ferarum et monstris heremi solus habitauit . faciem hominis non uidit post horam nonam agrestia olera ad refocilandum uitæ spiritum comedebat . Parum aquæ de petra rupis ad extinguendum sitis ardorem sumebat . quando corpusculum requiei concedebat : glareis frigidis telluri incumbens lapidem ad caput reuoluebat . tegminis amictu artus rigidos induens unguenti et lauacri expers erat : prolyxis hyemis noctibus in orationibus persistens tapetibus marmoreis algida membra uix rare replicabat . Omni genum ferarum specimen et diuersorum monstrorum uana portenta : ut solet uastæ solitudinis largitas producere : apros ursos elephantos et lupos hululare per umbras ad terrificandum Christi militem diabolus instigabat . Sed uir dei Marinus immobilis defixusque in idipsum persistebat : paruipendens aduersarii inertis ludicra certamina propheticum carmen ore placido promebat . Qui confidit in domino sicut mons syon non commouebitur . | in hymnis et canticis spiritalibus pernoctans matutinis uolucrum cantibus prophetica carmina inserebat : et sic ueniente die sic recedente faciebat . Igitur decursis duodenis mensium circulis ex quo uitam solitariam sanctus Marinus incohauerat antiquus hostis inuidens beatitudinem sancti uiri torquebatur suæ malignitatis zelo : Et querebat anxius infrendens : quomodo per quaslibet suæ uersutiæ insidias sancti uiri angelicam conuersationem deturbaret . sed quanto altius se contra electos dei erigit : tanto magis ad infernale præcipitium damnatus ruit . Interea dum hæc ita gerebantur : ueniebant de ariminense ciuitate hyemis tempore subulci ad saginandos porcorum greges : Et dum per uastitatem solitudinis singula loca et auia ferarum lustra saginandi :† gratia peragrarent ad occultum et abditissimum heremi locum ubi erat Marinus nouissime peruenerunt : quos ubi uir dei uidisset stupore mentis illico perculsus ab oculis eorum effugiens abdidit se in interiore specu : quod sub rupe latebat . Subulci uero nouitatem rei mirantes : quod hominem inter ferarum lustra uiderent : pauore mentis coterriti† proni uestigia sancti uiri petentes ante illum prouoluti sunt : Sanctus uero Marinus grauiter hoc ferens data uenia nutu manus annuit illis : ut egrederentur : ipsi autem post aliquot dies reuertentes ad ciuitatem uidisse se sanctum Marinum in secretis heremi locis solitariam ducere uitam diuulgabant dicentes : inuenimus Marinum magistrum in cauernis montium angelicam uitam in terris agentem . Vidimus uerum heremitam . uidimus hominem homines fugientem : et ferarum cateruis sociatum . Audiens ergo hæc a pastoribus mulier illa nefandæ recordationis stimulis dia-

bolicæ malignitatis agitata anhelans festinanter ad ipsos subulcos cucurrit : diligenterque ab eis scisitabatur ubi uel qualiter Marinum uidissent . At illi dixerunt in abditis et secretis ulterioris heremi locis uidimus eum solitariam uitam degere . Mulier iterum dixit : ducite me ad eum locum : ubi illum uidistis : et dabo uobis propter uestrum fatigium nummos argenteos duodecim . Pastores autem accepto pretio altera† die aurora luciscente cum muliere Viani† || quæ ducit ad solitudinem perrexerunt . Denique carpentes iter heremi : deuenerunt ubi sanctus Marinus erat . fortuitu autem eadem hora qua aduenerant olera agrestia in hortulo serebat suo : quem cum uidisset profana et scelestissima mulier repentina uoce procaciter clamitans dixit illi : Bene ualeas magister . quid agis ? quid operaris ? Nunquid ad plumentarium† nobis præparandum hæc olera congregas ? Beatus itaque Marinus cum hæc audisset attonitus fœminea uoce uoluit attendere contra eam : sed uexillum crucis fronti imprimens : illico a conspectibus eorum recessit in speluncam : quam sibi ipse sub gelida rupe de latere montis exciderat : et introgressus clausit ianuam : et sex diebus totidemque noctibus in ieiuniis et orationibus persistens preces cum lachrymis et gemitibus ad deum cæli contra diabolicas infestationes indesinenter fundebat . Mulier itaque a pastoribus derelicta cum se delusam esse a diabolo cognouisset : flætibus et crebris singultibus deplorans nimioque pauore perterrita tandem tremefacta et confusa a facie uiri dei recessit : et conuertens regessa† est ad ciuitatem ariminensem : et cum deuenisset domum suam professa est palam omnibus contra dei famulum Marinum se stimulis delusam diabolicis inique egisse : et statim eadem hora defuncta est . Ex illa die incubuit timor magnus super plurimos eorum : qui erant in ciuitate ariminensi : et magnificabant nomen dei uiui : qui ostendit mirabilia in sanctis suis et iniurias sperantium in se non obliuiscitur . Dicit enim scriptura : mihi uindictam : et ego retribuam . Oh quantas insidias quantas artes contra dei famulos et in Christo pie uiuentes teterrime hostis diabole concitasti ? quid sæuis ? quid furis ? quid rabiosis dentibus acriter infrendis ? ubi sunt iacula tua ? ubi fallaciæ tuæ aculeus ? ubi sunt arma tua ? collapsa sunt et confracta . in uertice tuo ceciderunt . gladius tuus et sagittæ tuæ in præcordiis .† tuis infixæ sunt : et qui te dudum deo similem esse putabas : modo ab uno dei famulo Marino. deuictus et prostratus iaces . Igitur non multum post hæc per interuallum aliquot dierum uidens beatus Marinus : quia in eo loco exploratus frequentabatur ab hominibus : mi | grauit inde : et deuenit ad iugum montis Titani ibique primitus sub tegmine paruo habitauit : Ac deinde posuit terminum inter se et incolas illius loci : ut non esset ad eum amplius concursus populi aut accessus muliebris . Deinde exurgens cœpit laboribus operam dare . primum enim sibi ad habitandum cellulam struxit : ac deinde ædificauit ecclesiam in honorem beati Petri apostolorum principis . Itaque cum hæc et alia uirtute diuina per manus sancti Marini gerebantur Verissimus quidam nomine unus ex accolis solitudinis erat filius cuiusdam insignis uiduæ : cui nomen Felicissima . Ille cum audisset sanctum Marinum terminos designasse ædesque in monte construxisse : cœpit tumore superbiæ et elationis furiis contra uirum dei insurgere . Quare cum aliquando sanctus Marinus in agro laboraret : ira repletus . ad locum ubi homo dei operabatur accessit : aliquam uolens controuersiam illi facere . Beatus uero Marinus contra eum respiciens irato illum uultu ad se uenire uidit : quo cognito statim uir dei eleuans ad cælum oculos dixit : domine Iesu Christe nequaquam permittas illum propius uenire : aut quicquam inique agere . Et uix compleuerat uerbum : eadem hora brachia eius arefacta sunt Crura :† et omnes membrorum eius compages contractæ subito tabuerunt : uox faucibus hæsit : et lingua obmutuit . Dehinc in se talia sentiens prouolutus genibus sancti uiri in terram corruit . porro subleuatus ab aliis ad matrem suam deductus est : quæ cum eum uidisset reuulsis compagibus et collapsis membris attractum uexari ait : hæu me fili mi quid tibi aut quo casu hoc conuenit ? Ille autem obmutuit : et quicquam loqui non poterat . hoc uiso conuersa mulier ad eum dixit : Forsitan hæremitam illum sanctum dei famulum Marinum offendisti : at ipse capite annuens hoc ita fuisse indicauit . Ipsa ergo cognoscens peractæ rei causam surrexit : peruenitque ad locum : ubi sanctus Marinus orando laborabat : et statim procidens ad eius uestigia obortis lachrymis precabatur eum dicens : Pater mi misere : ueniam largire : misericordiam super filium meum Verissimum habeto . Absolue in uirtute dei tui altissimi et quodcumque præceperis et petieris a nobis || dabimus

tibi . Ad hæc beatus Marinus respondens dixit : Nihil de uestris facultatibus indigeo nisi : ut in deum uiuum et uerum ad salutem animarum uestrarum credatis : et ut simulacra muta et mortua dæmoniorum expellatis : quæ sub uana relligione collitis : et conuertamini ad ueram relligionem : et baptizemini in nomine patris et filii et spiritussancti in remissionem peccatorum et ad salutem animarum uestrarum : partem uero huius montis ad sepulturam meam si mihi concesseritis recipio : cui mulier respondens inquit : Non solum montem tibi dabimus sed et omnia confinia et promontoria quæ sub montibus sunt tibi et successoribus tuis perpetua possessione concedimus . exurgens itaque beatus Marinus uenit ad locum : ubi adolescens ille iacebat : Et accedens eum tetigit : dixitque ei : In nomine patris et filii et spiritus sancti surge : et ambula . loquere : et conualesce : et protinus his auditis ad pristinam ualitudinem redditus est . Et ambulans exclamauit clara uoce : Gratias ago tibi Iesu Christe : quia dignatus es me uisitare in salutari tuo per famulum tuum Marinum : et nuuc† cognosco : quia non est alius deus præter te in cælo sursum et in terra dehorsum . Tu conteris : et sanas . mortificas : et uiuificas . Et postquam hæc dixit corruens ad terram prostratus cum genitrice sua ad uestigia sancti uiri abrenunciauerunt simulacris et omnibus idolis : quibus deseruiebant : conuersique cum omni domo et familia sua crediderunt in Christo nomina plus minusue quinquaginta tres . Eodem tempore quo hæc gerebantur uirtute dei per sanctum Marinum directus est sanctus Gaudentius episcopus ab urbe Roma ut gentibus et his qui erant in cinitate† ariminense cunctisque suburbanis et finibus eius prædicaret . Verum urbem ingressus a christianis : qui ibi erant famam uirtutesque sanctorum uirorum Leonis et Marini audiuit. Repleta namque erat fere tota urbs illa miraculis et magnalibus : quæ per eos diuina potentia operabatur : quibus diuulgatis sanctus Gaudentius direxit ad illos litteras : ut ad eum sancti uiri uenirent reciperentque honores : et ut irent et prædicarent gentibus baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti . Igitur receptis et | perlectis litteris pontificalibus sancti uiri Leo et Marinus unanimes et in spiritali militia concordes confestim sine dillatione Ariminum uenerunt : uisoque Gaudentio† gaudio repleti sunt magno . Permanserunt itaque cum ipso diebus aliquot prædicantes et roborantes uerbum dei in populo : et rogati a pontifice Gaudentio ut acciperent ministerium sacerdotale : beatus Leo gradum præsbyterii sortitus est : Sanctus uero Marinus leuiticum suscepit honorem . Sic in illis lætificatus est antistes Gaudentius : ac si qui cælestes nuncii sydereis a sedibus ad eum peruenissent . his peractis : uale dicentes uiri dei præsuli Gaudentio ad loca sua reuersi sunt . Contigit autem reuertente sancto Marino ad cellulam suam in hortulo suo conspicit immanem ursum atrocissimum uisu cruentisque dentibus et horrentibus setis impexum unicum asinum suum manducantem : quem solum in solatium cuiuslibet laboris habebat . Et respiciens super eum uir dei indignatus dixit : præcipio tibi in nomine patris et filii et spiritussancti : ut non de hoc loco exeas : usque dum compleueris ministerium eius : quem illicite deuorasti : arripiensque capistrum quo asinum solitus erat domum conducere obligauit ex eo ursum : et innexum nodis strictissimis adduxit ad pistrinum suum ibique illum ligatum dimisit . Miranda res . erat et memoriæ commendanda : ursus indomitus et agresti ferocitate rabidus ad tantam peruenit mansuetudinem ut paruulorum manibus teretem ceruicem reflectens deposita omni sæuitia humiliter se inclinaret . Et qui antea per uastitatem heremi quasi sanguinem sitiens crudeliter ferarum carnibus uescebatur nunc modico pabulo practisiæ contentus ad pistrinum uelut asinus pascitur : Nec mirum est : ut ille qui regem quondam Babyloniæ subita inflatione superbiæ eleuatum deposuit inter bestias agri et onagros solitudinis fœnum ut bouem per septena annorum uolumina comedere fecit . Ipse nunc potuit per humilitatem famuli sui Marini sæuitiam indomitæ et truculentæ feræ mansuescere . Et si sanctus Mariuns† per humilitatis uirtntem† sæuitiam diaboli qua omnis malitia et ferocitatis uenena exorta sunt superauit : quid mirum est si cohoperante deo || feralem fecit sæuitiam mansuescere . hinc Iohannes dicit : Certum est quod quicumque mandatis diuinis se subdiderit : uniuersa ei a domino mansuete subdita erunt : iisdem temporibus quibus uir dei Marinus aduersus callidi hostis insidias talia bella gerebat : beatissimus Leo de præsentis sæculi ærumnis liberatus ad desyderata cælestis regni gaudia triumphaturus migrauit . Non multo post exitum eius ut ipse prænunciauit : exorta est scismatica hæresis a Mar-

tiano ariminense præsbytero : qui ueluti atrox anguis fecida uenena uomens christianæ relligionis inuiolabilem gloriam uiolare conabatur . Aduersus quem sanctus Gaudentius uniuersalem christianorum ecclesiam congregauit : palamque omni populo prostratum diuino iudicio superauit . Et anathema ei dedit præsentibus cunctis catholicis : et sicut uas confractum de gremio sanctæ inuiolateque ecclesiæ turpiter proiectus est . præses autem qui tunc præerat ciuitati ariminensi consanguineus Martiani hæretici erat : qui cum audisset quoniam Martianus damnatus : et turpiter ab ecclesia deiectus esset : christianos omnes iussit interfici : in qua tempestatis persecutione alii in montibus alii in speluncis latitabant . sanctus autem Gaudentius ad maiora certamina se reseruans abdidit se tribus diebus totidemque noctibus in antro sancti Mercualis liuensis episcopi . beatus uero Marinus imperterritus firmiter perseuerabat in cellula laboribus et orationibus sine intermissione insistens : et usque ad consumationem uitæ in ipsa permansit . Defunctus est autem Marinus heremita leuitaque de hac luce ad paradisi desyderata gaudia uictor et triumphator migrauit die tertio nonas septembres . Sepultus est in monte Titano in ecclesia : quam ipse sibi ædificauerat : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

DE SANCTO LEONE PAPA .

Leo papa ut in miraculis beatæ uirginis legitur : Romæ in ecclesia sanctæ Mariæ maioris in die resurrectionis dominicæ missam celebrabat : et | dum fideles per ordinem communicaret : et quædam uenerabilis matrona eius manum osculata fuisset : ex hoc in eo uehæmens carnis temptatio insurrexit . At uir dei in semetipsum seuerissimus ultor eadem die manum se scandalizantem occulte penitus amputauit : et a se reiecit . Interea murmur oriebatur in populo cum summus pontifex diuina more solito non celebraret . Tunc Leo ad beatam uirginem se deuotissime conuertit : et eius prouidentiæ totum se commisit . Porro illa continuo ei astitit : et manum suis sanctissimis manibus eidem restituit atque reformauit : iubens : ut procederet : et filio suo sacrificium immolaret . Leo igitur omni populo quod sibi contigerat prædicauit : et manum restitutam omnibus euidenter ostendit . Hic calcedonense concilium celebrauit . solas uirgines ibidem uelari instituit . ibi etiam statutum fuit : ut uirgo Maria mater dei appellaretur . Ea quoque tempore Attila Italiam deuastabat . Sanctus igitur Leo in ecclesia apostolorum tribus diebus et noctibus orationi uacans : post hæc dixit ad suos : Qui uult me sequi sequatur . Cum igitur ad Attilam appropinquasset : ille ut beatum Leonem uidit : de equo descendit : eiusque pedibus prouolutus rogauit : ut peteret : quicquid uellet : qui petiit ut ab Italia discederet et captiuos relaxaret . Et dum a suis argueretur : quod triumphator orbis a sacerdote uictus esset : Respondit : prouidi mihi et uobis : uidi enim in dextris eius fortissimum militem euaginato gladio stantem mihique dicentem : Nisi huic parueris : cum tuis omnibus interibis. Cum deinde beatus Leo epistolam ad Fabianum episcopum Constantinopolytanum aduersus Euticium et Nestorium scripsisset : ad sepulchrum beati Petri apostoli ipsam posuit : et ieiuniis et orationibus insistens dixit : quidquid in hac epistola ut homo erraui : tu cui ecclesiæ cura commissa est : corrige : et emenda . et post dies . xl . oranti illi Petrus apparuit dicens : legi et emendaui . Accipiensque Leo epistolam : inuenit eam manibus apostoli correctam et emendatam . Aliis etiam xl . diebus ieiuniis et orationibus sepulchro beati Petri sanctus Leo astitit obsecrans : ut suorum peccatorum ueniam impetraret : Cui Petrus apparens dixit : || precatus sum pro te dominum : et omnia tua peccata tibi dimisit . Solummodo de manuum impositione debes inquiri id est si bene sine† aliter alicui manus imposueris : exigeris . Obiit autem circa aanos† domini ducentos quadraginta : et de terrenis miseriis ad cælestia gaudia feliciter aduolauit . largiente domino nostro Iesu Christo : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

DE SANCTO LEODEGARIO .

Leodegarius dum omni uirtute polleret eduensi ecclesiæ meruit in pontificem promoueri : qui dum dotario rege decedente cura regni grauius premeretur : uoluntate dei et principum consilio Childericum fratrem Dotarii adolescentem ualde idoneum præfecit in regem . Sed Ebronius Theodoricum ipsius Childerici germanum præficere nitebatur : non propter regni commodum : sed quia de potestate eiectus et omnibus odio habitus iram regis et principum uerebatur . Timens ergo Ebronius ueniam a rege petiit : et monasterium introiuit : Quo concedente et fratrem suum Theodoricum ne contra regnum aliquid moliretur in custodia detinente : sanctitate et prouidentia episcopi pace mirabili omnes gaudebant . Post aliquod tempus rex malignorum consilio deprauatus in tantum uiri dei odium incitatur ut oportunitatem et modum mortis eius attentius requireret . Sed episcopus blande ferens et omnes inimicos suos ut amicos amplectens egit cum rege : ut diem pascæ in urbe cui præerat celebraret . Et ecce illa die nunciatum est ei : regem in illa nocte quidquid de morte eius tractauerat perficere decreuisse . At ille nihil trepidans sed illa die cum rege in mensa comunicans persecutorem sic fugit : ut in Luxuriensi monasterio domino seruiens etiam Ebronio qui ibi in monastico habitu latitabat sedula caritate seruiret . Post modicum rex moritur : et Theodoricus in regnum sublimatur : qua propter Leodegarius populi sui lachrymis et precibus motus et abbatis imperio compulsus ad sedem suam rediit . At Ebro | nius protinus apostatauit : regisque architiclynus ordinatus est : qui licet prius malus fuerit : tamen postea peior toto studio Leodegarium occidere nitebatur . missis igitur militibus qui eum caperent : cum hæc Leodegarius comperisset eorum furori cedens dum in habitu pontificali de urbe egrederetur : a militibus capitur : statimque ei oculos eruerunt . Post biennium uero sanctus Leodegarius cum fratre suo Garino quem Ebronius in exilium miserat in palatium regis adductus cum ad irrisiones Ebronii sapienter et pacifice responderet : nequiter ille iussit Garinum lapidibus obrui : sanctumque episcopum toda die nudis pedibus per quendam fluuium super acutissimos lapides decurrentem deduci : audiensque in his eum tormentis deum laudare : linguam ei præcidi fecit : quem postmodum custodi tradidit : ut ipsum nouis suppliciis reseruaret . Ille autem usum loquendi non perdidit : sed prædicationi et exhortationi prout poterat uacabat : Prædixitque : quando et qualiter ipse et Ebronius ex hac uita migrarent . Lux autem immensa in modum coronæ caput eius circumdedit : quam cum uidissent multi : quid hoc esset : ab ipso episcopo quæsierunt . At ille se in oratione prosternens gratias deo retulit : et omnes astantes ut in melius uitam mutarent ammonuit : quod† Ebronius audiens : et inuidens missis quattuor spiculatoribus ipsum decollari mandauit : Cumque ipsum ducerent : ait eis : non est inquit opus fratres uos diutius fatigari ; sed hic implete desyderium eius : qui uos misit . Ad hæc tres illorum adeo sunt compuncti : ut ad eius pedes procidentes ueniam precarentur . quartus uero cum eum decollasset : protinus a dæmone arreptus et in ignem proiectus uitam miserabiliter terminauit . Biennio expleto audiens Ebronius corpus sancti uiri multis miraculis illustrari : miserabili cruciatus inuidia militem illuc misit : ut an sic se haberet ueritas intimaret : Miles autem superbus et arrogans cum illuc uenisset calce tumbam sancti percutiens exclamauit : Moriatur qui mortuum miracula facere posse credit . Mox ille arreptus a dæmonio et subito moriens morte sua sanctum longe amplius commendauit : hiis auditis Ebronoius magis torquebatur in || uidia : et famam sancti extinguere† moliebatur : Sed iuxta prædictionem sancti gladio nequiter nequam ipse occiditur . Passus est autem circa annos domini quingentos Lxxx . tempore Constantini quarti .

VITA SANCTI LEONARDI CONFESSORIS .

Leonardus fuisse dicitur circa annum domini quingentessimum . hic a sancto Remigio remensi archiepiscopo de sacro fonte leuatus ab ipso salutaribus disciplinis instructus est : cuius parentes primi in palatio regis Franciæ habebantur . hic tantam gratiam a rege obtinuit : ut omnes incarcerati quos uisitabat protinus absoluerentur . Cum igitur fama sanctitatis eius excresceret : rex multo tempore eum secum manere coegit : donec oportuno tempore ei episcopatum donaret : quod ille renuit : et solitudinem desyderans relictis omnibus Aurelianum prædicando cum fratre suo Lifardo deuenit : ubi postquam in quodam Cœnobio aliquandiu uixerunt : dum ipse Lifardus super ripam Ligeris solitarius manere uellet et Leonardus per sanctispiritus ammonitionem in Aquitania prædicare disponeret : osculantes se ab inuicem discesserunt . Leonardus igitur ubique prædicans : et multa miracula exercens : in quadam sylua ciuitati Lemonicæ uicina habitauit : in ea erat aula regia causa uenationis constructa . Accidit autem ut quadam die rex ibi uenaretur : et regina illuc causa dilectionis egressa partu periclitaretur . Cum ergo rex et familia propter reginæ periclitationem lugerent : et Leonardus per nemus transiret : gementiumque uoces audiret : pietate commotus illuc properauit : et a rege uocatus protinus introiuit . Cum ergo a rege interrogatus : quis esset : et ille se sancti Remigii discipulum fuisse narraret : a bono magistro ipsum bene instructum existimans : ipsum ad reginam induxit rogans : ut precibns† suis de recuperata coniuge et edita prole dupliciter gaudium obtineret . Tunc ille oratione fusa quod petebat protinus impetrauit : Cum autem rex multum de auro et argento illi offerret : ille penitus recusauit am | monens : ut hoc pauperibus daret dicens : Ego nullius horum indigeo : sed tantum in aliqua syluarum contemptis huius mundi diuitiis soli Christo famulari desydero . Cum uero rex totum illud nemus ei tradere uellet : ille ait : Non totum illud accipio sed quantum nocte cum meo asello circuire potero : tantum mihi concedi exopto . Quod rex libentissime adimpleuit . Constructo itaque ibidem monasterio diu ibi cum adiunctis sibi duobus monachis in abstinentia multa degebat . Cum autem aqua uno ab eis milliario distaret : puteum ibidem siccum penitus fodi iussit : quem aqua suis orationibus impleuit . Locum autem illum Nobiliacum appellauit : eo quod a rege nobili sibi traditus fuisset : Ibique tantis miraculis corruscauit : quod quicumque eius nomen in carcere inuocasset : mox ruptis uinculis nullo contradicente liber abiret : et suas eidem cathenas uel compedes præsentaret . horum plures cum eo manebant : et ibidem domino seruiebant . Septem quoque famulæ de eius nobili stirpe uenditis omnibus ad eum uenerunt : et distributo singulis nemore : ibi cum Christo manentes exemplo suo plurimos attraxerunt . Denique uir sanctus Leonardus multis clarus uirtutibus ad deum feliciter migrauit : ubi postquam multa fecisset miracula : clericis illius ecclesiæ reuelatum est : ut quia locus ille propter multitudines frequentiam arctus erat : alibi ecclesiam fabricarent : et illuc corpus sancti Leonardi honorifice transportarent . At illi cum populo triduano ieiuuio† et orationibus insistentes respicientesque uiderunt totam prouinciam niue cohopertam . Locum autem illum in quo sanctus Leonardus quiescere uolebat omnino uacuum conspexerunt . Eo itaque tnanslatus† quanta miracula præcipue circa carceratos dominus per eum faciat immensa ferri uarietas ante eius tumulum dependentis testis existit . Vicecomes lemonicensis ad terrorem malorum quandam grauissimam cathenam fecerat : quam in cypo suæ turris affigi mandauerat : qua cathena quicumque collo cingebatur : cuilibet aeris intemperie expositus non una sed quasi mille mortibus angebatur . Accidit autem : ut quidam seruus sancti Leonardi : illa cathena sine culpa ligaretur : qui cum iam fere ultimum spiritum || efflaret intra se quo potuit uoto sanctum Leonardum rogauit : ut qui alios liberaret : sibi quoque seruo suo subueniret : Statimque sanctus Leonardus in ueste candida sibi apparens dixit : Noli timere : quia non morieris . Surge et hanc cathenam tecum ad eclesiam deferas . Sequere me : quia ego præcedam te : qui consurgens : et cathenam accipiens sanctum Leonardum præcedentem usque ad ecclesiam suam secutus est : Statimque ut ante fores fuit : beatus Leonardus ipsum dimisit : et ecclesiam intrans

quæ sanctus Leonardus sibi fecerat omnibus enarrauit : cathenamque illam maximam ante tumulum eius suspendit : Vir quidam in loco sancti Leonardi nobiliaco habitans et eidem sancto ualde fidelis existens a quodam tyramno captus est : qui quidem tyramnus intra cogitans dicebat se Leonardus iste omnes compeditos absoluit : et omnis uis ferri ante ipsum uelut cera ante ignem liquefit . Si hunc igitur ligauero uinculis protinus Leonardus aderit : et ipsum liberabit : Si autem ipsum custodire possem : mille solidis ipsum redimere facerem. Scio igitur : quid faciam. In turri mea profundam foueam faciam : et hominem hunc compedibus aggrauatum ibidem submergam . Deinde super os foueæ ligneam arcam construam : in qua armatos milites faciam accubare . Licet enim Leonardus ferrum confringat : tamen nondum sub terram intrauit : quod cum totum ut cogitauerat compleuisset : et ille homo sanctum Leonardum sæpius inclamaret : Leonardus noctu adueniens arcam in qua iacebant milites reuoluit : et tanquam mortuos in sepulchro ita eos sub ipsa conclusit . Deinde cum multa luce foueam ingressus manum fidelis sui tenuit : ac dixit : dormis : an uigilas ? Ecce Leonardus : quem tu desyderas . At ille ammirans ait : Domine adiuua me . Confractis cathenis appræhensum propriis ulnis extra turrim portauit . Deinde sicut amicus cum amico confabulans usque ad locum suum et domum ipsum deduxit . Peregrinus quidam cum a uisitatione sancti Leonardi redisset : et in Aluernia a quibusdam captus in cauea inclusus esset : eos plurimum deprecabatur : ut amore sancti Leonardi : cum nihil eos unquam offendisset : eum relaxare deberent : qui responderunt : quod nisi se copiose redimeret : non exiret . Et | ille : Sit inter uos et sanctum Leonardum cui me sciatis recommendatum . Sequenti igitur nocte sanctus Leonardus domino illius castri apparuit : et ut peregrinum suum dimitteret imperauit . Ille uero mane euigilans : et uisionem quasi somnum paruipendens : nullatenus dimittere uoluit . Altera nocte eadem imperans sibi apparuit . Sed ille iterum obedire contempsit . Tertia uero nocte sanctus Leonardus peregrinnm† accipiens extra oppidum deduxit : Statimque turris cum media parte castri corruens oppressis pluribus solum principem ad sui confusionem fractis cruribus reseruauit . miles quidam in Britannia carceri mancipatus sanctum Leonardum inuocabat : qui statim cunctis uidentibus et cognoscentibus et stupentibus in media domo apparuit : et carcerem intrans uinculaque frangens : hominis manus ad cathenas posuit : et per medium illorum deducens omnes stupore perterruit .

Fuit et alius Leonardus eiusdem professionis et uirtutis : Cuius corpus apud Corbiatum requiescit . Hic cum in monasterio esset prælatus tanta se humilitate detinebat : ut omnibus inferior uideretur . Sed cum omnis pene populus ad eum conflueret : quidam inuidi regi Dotario suaserunt : quod nisi sibi præuideret per Leonardum qui multos sub obtentu religionis colligebat : regnum Franciæ detrimentum non modicum substineret : quibus rex nimis credulus eum expelli iussit : Venientes autem milites adeo eius uerbis compuncti sunt : quod se suos discipulos futuros spoponderunt . Rex quoque pœnitens ueniam petiit : et detractores rebus et honoribus priuauit . sanctum Leonardum ualde dilexit : et uix ad sancti preces detractores dignitati suæ restituit : qui a deo similiter impetrauit ut quicumque in carcere teneretur mox inuocato suo nomine solueretur . Dum autem quadam die orationi incumberet : serpens maximus a parte pedum usque in eius sinum tetendit : qui propter hoc nullatenus ab oratione surrexit . Completa uero oratione dixit ei : scio quia ab initio creationis tuæ homines quantum præuales inquietas : sed nunc si in me tibi data est potestas : fac in me quidquid merui : quo dicto serpens per caputium eius exiliens ad pedes eius mortuus corruit . Post hæc autem cum duo episco || pos discordantes sedasset in crastinum se finiendum prædixit circa annum domini quingentessimum septuagessimum.

VITA SANCTI LVCAE EVANGELISTAE .

Lucas medicus qui fuit natione syrus antiochensis discipulus apostolorum postea Paulum consecutus : ut eius scripta indicant : græci sermonis non ignarus sectator Pauli apostoli et comes peregrinationis eius scripsit euangelium : de quo idem Paulus inquit : Misimus ad uos fratrem nostrum : cuius laus in euangelio per omnes ecclesias :

qui : cum iam scripta essent euangelia per Matheum quidem in Iudæam : per Marcum autem in Italia : sancto instigante spiritu in Achaiæ partibus scripsit euangelium : significans etiam ipse alia esse descripta . Cui extra quæ ordo euangelicæ dispositionis exposcit iam maxima necessitas laboris fuit : ut primum græcis fidelibus omni prophetatione uenturi in carne domini nostri Iesu Christi manifestaretur humanitas : ne iudaicis fabulis attenti in solo legis desyderio tenerentur : ne uel hæreticis fabulis et stultis sollicitudinibus seducti exciderent† a ueritate . Nam Lucas non ab apostolo Paulo didicit euangelium : qui cum domino in carne non fuerat : sed a cæteris apostolis qui eum in carne uiderunt : quod ipse quoque Lucas in principio uoluminis sui declarat dicens : Et sicut tradiderunt nobis qui in principio eum uiderunt et ministri fuerant sermonis . Igitur euangelium Christi sicut audierat scripsit . Aliud quoque uolumen scripsit egregium : qui liber titulo apostolorum actuum prænotatur : Cuius historia usque ad biennium Romæ commemorationis Pauli peruenit id est ad decimum annum Neronis ex quo intelligimus in eadem urbe librum fuisse compositum : et sicut ipse uidit scripsit : De quo Luca in argumentis euangelii ita dictum est : seruiens domino sine crimine . Nam neque uxorem unquam habuit neque filios procreauit : et septuagesimo quinto anno obiit in bythima plenus spiritusancto . sepultus est : et postea ad Constan | tinopolim urbem centessimo Constantini anno ossa eius cum reliquiis sancti Andreæ apostoli translata sunt . Item unde supra . Beatissimus euangelista Lucas de omnibus quæ cepit Iesus facere et docere sermonem facturus : primo eorum qui de illo falsa scripserunt redarguere curauit audaciam : lectorem uidelicet tacitæ ammonens : ut non solum quæ prædicat ipse subsequenda : uerum quæ aliter sonuerint nouerit penitus esse detestanda . insuper etiam ne forte erroris occasio infirmis oriretur : superfluam passim scribentium lectionem prorsus docuit esse auersandam . Igitur sic cœpit ipse beatus : quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem : quæ in nobis completæ sunt rerum : sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi uiderunt et ministri fuerunt sermonis : quo manifestissime prohemio significat eam sibi maxime causam euangelii fuisse scribendi : ne pseudoeuangelistis facultas esset falsa prædicandi . Denique nonnulli Thomæ : alii Bartholomei : quidam Mathiæ alii : qui etiam duodecim apostolorum titulo reperiuntur falso sua scripta prænotasse . Falsa uero euangelia beatus Lucas prima mox præfatione refellit dicens : quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem et cætera : multos uidelicet eos non tam numerositate quam hæreseos multifaria diuersitate commemorans : qui non spiritussancti munere donati : sed uacuo labore conati : magis ordinauerint narrationem : quam historiæ tenuerunt ueritatem : Ideoque aliis complendum opus in quo frustra sudauere reliquerunt . Illis nimirum qui cum sint quattuor euangelistæ : tamen unum quattuor librorum ueritate pulcherrima consonum ediderunt . Denique sicut tradiderunt illi : qui ab initio ipsi uoluerunt : et ministri fuerunt sermonis : ita scripsisse feruntur : Qua sententia non solum Lucas sed et Maricus† qui præsentem in carne dominum non uiderunt atque ideo quæ scriberent ab his qui infantiam eius pueritiamque fere et gestis interesse poterant audire opus habebant . Quod autem beatus Lucas uisum etiam sibi scribere dicit non quasi a se sibi uisum sed spiritusancto instigante sibi quoque uisum significat : sicut in actibus apostolorum legitur . Visum || est enim spiritui sancto et nobis : Cuius nimirum gratia geritur : ut id quod bonum est ei : nobis etiam bonum uideatur . Inter cætera quippe animalia quæ ostensa sunt Ezechieli prophetæ et in Apocalypsi beato Iohanni euangelistæ : rectissime per uitulum Lucas intelligitur : Vitulus enim sacerdotalis erat hostia : et ipse semper circa sacerdotium et templum uersatus est : cœpit enim sacerdotalem stirpem et personam describere : atque in eadem intentione perseuerauit usque ad finem . Ipse beatus Lucas in primordio sui euangelii sic cœpit . Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos et cætera . Deinde ipsum sacerdotem sistit ad aram . Post hæc beatam Mariam intromittit domum sacerdotis . Deinde quadragessimo die dominum cum muneribus ad templum narrat delatum : Post duodennem in templo doctorum inserit choris . In finem uero euangelii sui ita conclusit dicens : Ipsi autem adorantes regressi sunt Hierusalem : et erant semper in templo laudantes et benedicentes deum . Fuit denique beatus Lucas natione syrus : arte medicus : apostolorum discipulus : postea Paulum apostolum secutus usque ad confessionem eius seruiens domino sine crimine : qui cum iam scripta essent euangelia : per Matheum

quidem in Iudæa : per Marchum autem in Italia sancto instigante spiritu rogatus a Theophilo in Achaiæ partibus suum scripsit euangelium . De hoc quippe Luca beatus Paulus apostolus mentionem faciens ita scripsit . Misimus ad uos fratrem Lucam : cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias . Diuinitus quippe procuratum est : ut idem beatus Lucas medicinali arte fuisset imbutus : ut qui prius ægris corporibus medicamina carnalia adhibebat : postmodum antidotha spiritualia ægris mentibus adhiberet : Nam quotquot salutaria monita in eius dictis reperimus : quasi tot emplastra spiritualia ab ipso accipimus . Lucas quippe interpretatur ipse consurgens siue eleuans . Pulchræ consurgens dicitur : quia ipse consurrexit de infidelitate ad fidem : de imis ad superiora : de uitiis ad uirtutes . Bene etiam eleuans uocatur : quia gratia dei eleuatus est a deo quando scripsit : Cui Lucæ non immerito etiam scriben | dorum apostolicorum actuum potestas in ministerio datur : de quo Luca in argumentis euangelii ita scriptum est : seruiens domino sine crimine . Nam neque uxorem unquam habuit neque filios . cum esset annorum septuaginta quinque . Obiit in bythima plenus spiritusancto . Postea uero ad Constantinopolim ossa eius cum reliquiis sancti Andreæ apostoli translata sunt . Regnante domino nostro Iesu Christo cum patre et spiritusancto in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE LVCIAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Cum per uniuersam prouinciam Siciliam beatissime uirginis Agathæ fama circuisset : et syracusanus populus per millia prope quadraginta ad urbem catinensium sitienter pergeret ad sepulchrum sanctæ Agathæ uirginis uenerandum : contigit Luciam uenerabilem uirginem nobilissimam syracusanorum simul festiuitatis gloria in unitate uenire : cuius mater Euticia per annos quattuor a fluxu sanguinis fatigata nullo modo poterat medicamentorum remedio liberari . Igitur dum processionis mysteria agerentur : hæc euangelii lectio fuit : quod legitur : fimbria uestimenti domini mulier a fluxu sanguinis saluata est . Dum hæc lectio recitatur : dixit sancta Lucia matri suæ : Si credis mater iis quæ leguntur : credo Agathen passam pro Christi nomine et hoc meruisse : ut semper in præsenti habeat eum : pro cuius nomine passa est . Continge ergo sepulchrum eius credens : et liberaberis . Igitur dum peractis omnibus turba abscessisset : prostrauerunt se ante sepulchrum uirginis mater et filia : et cœperunt lachrymis flagitare suffragium . Interea dum orationis prolyxitas extenditur : somnum Lucia uirgo arripuit : uiditque in somno beatam Agathen in medio angelorum gemmis ornatam stantem et dicentem : Soror mea Lucia uirgo deo deuota quid a me petis : quod tu poteris præstare continuo ? Nam et matri tuæ fides tua subuenit : et ecce saluata est . Et sicut per me ciuitas catinensium sublimatur || a Christo ita per te Siracusana ciuitas decorabitur : quia iucundum deo in tua uirginitate habitaculum præparasti : Et his auditis expergefacta tremens : ait matri suæ : Mater mea ecce salua facta es per ipsam . te precor per eam quæ te saluauit suis orationibus : ne tu mihi aliquando sponsum nomines : ne tu uelis de corporis mei posteritate fructum mortalitatis inquirere : de quibus mihi criminantur aduersarii : Sed omnia quæ mihi datura es eunti ad corruptionis meæ mortalem hominem : da mihi eunti ad integritatis meæ factorem dominum nostrum Iesum Christum : Cui mater Euticia ait : Omnia quæ sunt patris tui defuncti ante nouem annos incontaminanter custodiens ampliaui potius quam minui patrimonium tuum . Mea uero omnia quæ sunt uel esse possunt ipsa melius nosti . Tege prius oculos meos : et quodcumque tibi placuerit de facultatibus facito . Sancta Lucia dixit : Audi mater consilium meum : Non satis deo carus est : qui illi hoc dat : quo ipse perfrui non potest . Sed si tibi uis gratum esse : hoc illi da : quo poteris uti . Moriens enim nihil poteris tecum deferre : Et quodcumque das ideo das : quia tecum deferre non præuales . Veniens ergo et salutem tui corporis tenens da Christo : quæ possides . quidquid mihi te daturam spoponderas uel cogitabas largiri : incipe Christo tradere . Igitur cum reuersæ fuissent Syracusas : et de his quottidie sermocinaretur uirgo cum sua matre : fiebat rerum distractio : et quottidie necessitatibus pauperum impendebant . Interea dum distrahuntur prædia et gemmæ : res ad sponsi noticiam peruenit : quare sollicitus cœpit inquirere a nutrice sanctæ

Luciæ : quid hoc esset : quod distractione repentina possessiones prædiorum et gemmarum uendisset . Cui nutrix caute confinxit dicens : Sponsa tua inuenit possessionem in uænalibus : quæ mille solidos et eo amplius præstet . Hanc ergo in tuo nomine cupiens comparare uidetur aliquanta distrahere . Credidit stultus carnale mercimonium : et animum ab indignatione reuocans etiam ipse cœpit esse auctor uendentium . At ubi pene omnia sunt distracta et pauperibus erogata uiduis et orphanis et peregrinis et deo seruientibus . his | uisis sponsus proponit litem in iudicio Paschasii consularis dicens : sponsam suam christianissimam esse : et secundum leges non uiuere augustorum : quam Paschasius compræhensam corripiens : cœpit ad sacrificium dæmoniorum inuitare : Cui beata Lucia ait : Sacrificium uerum et immaculatum apud deum et patrem hoc est : uisitare uiduas et orphanos in tribulatione eorum. Ego uero per istos tres annos nihil aliud egi : nisi sacrificaui deo uiuo . Iam enim quia nihil est : quod sacrificem : me ipsam offero in sacrificium summo deo hostiam uiuentem : quod ipsi placet de hostia sua faciat . Paschasius dixit : hæc uerba simili tuo narrare poteris christiano : mihi autem qui principum dirrecta custodio ista frustra prosequeris : Cui Lucia dixit : Tu principum tuorum gesta custodies : et ego legem dei mei die noctuque seruabo . Tu principes tuos formidas : et ego deum meum timeo . Tu illis offendere non uis : et ego deo meo offendere non queo . Tu illis placere desyderas : et ego ut soli Christo placeam concupisco . Ergo facito quidquid tibi uidetur utile et ego agam quæ prosint mihi ad salutem animæ meæ . Tum Paschasius ad eam : patrimonium tuum cum corruptoribus expendisti : et ideo quasi meretrix loqueris . Respondit Lucia : patrimonium meum tuto loco constitui : corruptores autem mentis meæ et corporis mei aliquando non suscepi . Paschasius dixit : Qui sunt et corruptores mentis et corporis ? Et illa : corruptores mentis uos estis : de quibus dicit apostolus : Corrumpunt mores bonos colloquia mala : Suadetis enim animas hominum meretricari : et discedere a suo creatore : et sequi dæmonia surda et cæca : uanissimos lapides colentes . Corruptores uero corporis sunt ēii† : qui temporalem delectationem præponunt epulis sempiternis : et abeuntem læticiam æternis gaudiis anteponunt . Cui Paschasius dixit : cessabunt uerba : cum fuerit peruentum ad uerbera . At sancta Lucia : Dei uerba cessare non possunt : Pashcasius† dixit : Tu ergo deus es . Respondit Lucia : dei summi ancilla sum : quia ipse dixit : Cum steteritis ante reges et præsides propter nomen meum : nolite cogitare quomodo aut quid loquamini . Dabitur || enim uobis in illa hora : quid loquamini. Non enim uos estis qui loquimini : sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis. Paschasius dixit : In te ergo spiritus sanctus est ? Et Lucia . Apostolus dei Paulus dicit : Qui caste et pie uixerint in hoc sæculo : templum dei sunt : et spiritussanctus habitat in eis . Paschasius dixit : Ego te faciam ad lupanar duci : et dum fueris scortata : fugiet a te spiritussanctus . ad quem beata Lucia : Nunquam inquinatur corpus nisi de consensu mentis . Nam si in manu mea tura ponantur : et per manum meam faciam sacrificium : deus hoc attendit et irridet . Nam sic de sensibus et uoluntatibus iudicat . Nam sic patitur uiolatorem castitatis sicut serpentem et barbarum . Nam si me inuitam uiolari feceris : castitas mihi duplicabitur ad coronam . Paschasius dixit : Ibi te faciam sub omni turpitudine deficere : nisi modo cerimoniis consenseris augustorum . Sancta Lucia dixit : Tu nunquam poteris uoluntatem meam ad consensum peccati prouocare . Ecce corpus meum paratum est ad omne supplicium . quid moraris ? Incipe desyderia pœnarum tuarum in me exercere fili diaboli . Tunc Paschasius iussit leones uenire ad prouocationem uirginis dei dicens eis : Ecce nunc inuitate ad castitatem eius populos : et tamdiu eam illudi facite : quandiu mihi nuncietur mortua . At ubi cœperunt eam uelle retrahere ad lupanar tanto pondere eam fixit spiritussanctus : ut penitus moueri non posset . Accedentes autem multitudo ex officio impellentes deficiebant uiribus : et uirgo Christi immobilis persistebat . Tunc miserunt funes in manibus pedibusque eius : et cœperunt trahere . Illa uero fixa et immobilis permanebat . Tunc angustiari cœpit Paschasius consularis : et mærore deficere . Et uocauit magos et haruspices templorumque omnium sacerdotes : quique omnes agebant superstitiones suas contra eam ut moueretur : et nec sic poterant . Tunc consularis lotio eam perfundi iussit : credens asserentibus : quod maleficiis staret immobilis . Item præcepit : et adducta sunt multa paria boum : ut ab eis traheretur : et nec sic præualuerunt uirginem Christi mouere . quam enim spiritussanctus stabilierat : quomodo

manus | peccatorum mouere poterant ? Paschasius dixit : quæ sunt ista maleficia tua ? ad quem Lucia respondit : Ista maleficia non sunt : sed est beneficium dei . Paschasius dixit : quæ est ratio : quoniam puella delicata a mille uiris tracta penitns† non est mota ? et ad eum Lucia dixit : Et si alia decem millia adhibueris audient per me dicentem spiritumsanctum : Cadent a latere meo mille : et decem millia a dextris meis . Hoc audito plus torquebatur iudex insanus præ cogitatione tormentorum quali pœna eam perderet : Cui sancta uirgo clamabat : Paschasi miserrime quid crutiaris ? Quid palloribus trepidas ? quid per diuersa mentis tuæ animo torqueris ? Templum dei me esse si probasti : crede . Si uero diffidis : discede . Eo magis Paschasius anhelabat : et præcepit ministris : ignem copiosum circa eam accendi : picemque resinam et thedas oleo adiuncto cumulo lignorum ut celerius consumeretur : quia uoce eum publica confundebat . At illa in nomine domini Iesu Christi stetit immobilis dicens : Ego rogaui dominum meum Iesum Christum : ut ignis iste non dominetur mei : ut credentibus in domino timorem aufferam passionis : et non credentibus uocem insultationis aufferam . Tunc uidentes angustiantem Paschasium amici eius : iusserunt gladium mergi in gutture eius . Et confestim percussa quandiu uoluit orauit : quandiu uoluit allocuta est ad turbas : dicens : Annuncio uobis pacem datam ecclesiæ dei : Dioclitiano de regno suo ciecto et Maximiano hodie mortuo . Et sicut habet catenensium urbs interuentionis sanctæ sororis meæ Agathæ : ita me sciatis huic ciuitati Syracusanæ a domino datam : si uoluntatem domini feceritis ex toto corde uestro . Hæc uero prosequente sancta Lucia : ut diximus : gladio uisceribus transforata est . ante oculos eorum repente ducitur uinctus Paschasius . Relatio enim occurrit siculorum ad Cæsarem : eo quod prædatus esset omnem prouinciam . et confestim rediit relatio : ut uinctus ferro præsentaretur incomitatus . Tunc Paschasius ductus Romam auditus a senatu et obiurgatus accepit capitalem sententiam . Dei uero sacra uirgo Lucia de loco in quo percussa est penitus non || est mota : sed neque emisit spiritum nisi prius uenientibus sacerdotibus et sacramentorum mysteria ei dantibus : et omni plebe respondente amen : sic exhallauit spirttum† . Et sic fabricata est in eodem loco basilica : in qua orationes eius florent et beneficia largiuntur omnibus contingentibus sepulchrum eius per Christum dominum nostrum : cui est honor et gloria uirtus et potestas in sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO SANCTORVM LVCIAE ET GEMINIANI MARTYRVM .

Imperante Dioclytiano octies et Maximiano septies in urbe Roma anno tertiodecimo imperii eorum sæua persecutio aduenit : ita ut non ciuitas : non uicus : non habitatio remaneret : ubi non idolum Iouis erigeretur edicto proposito : ut qui inuentus esset nominare Christum diuersis pœnis interficeretur . Erat ergo beatissima martyr Lucia permanens in ciuitate sua per annos triginta sex . Erant autem omnes anni uitæ eius septuagintaquinque . Audiens autem beata Lucia impium edictum procidit in orationem dicens : Eripe me de inimicis meis domine deus meus : et ab insurgentibus in me libera me . Eripe me de operantibus iniquitatem : et de uiris sanguinum salua me . Et dum compleret orationem cœpit cogitare de deo . Erant enim Imperatores sedentes in soliis suis agentes ea : quæ dei non sunt pœnasque proponentes aduersus eos : qui Christum diligunt . Tunc beatissima martyr Lucia ad filium suum Euprepium ait : Fili ecce tempus paratum ad palmam : ecce lux data ad uitam . Derelinquamus simulacra dæmonum : qui perdere possunt : liberare autem non ualent : et adoremus Christum Iesum dominum nostrum : qui potest et animam et corpus liberare . Euprepius respondit : Mater delyras : ut illum Christum confitearis : qui dicitur flagellis cæsus : spinis coronatus : felle cibatus : aceto potatus : cum latronibus crucifixus : et a ministris suis de sepulchro furatus : Cni† sancta Lucia dixit : Fili fiat tibi se | cundum prophetam dicentem : Obscurentur oculi eorum ne uideant et dorsum eorum semper incurua : qui hanc loqueris aduersus deum iniquitatem qui te fecit . Tunc Euprepius filius eius cursum arripuit per plateam ciuitatis quoadusque ueniret ad palatium Dioclitiani et Maximiani Imperatorum : et sic cœpit dicere : piissimi Imperatores uos posuistis decreta uestra ut omnis homo habitans

urbem : offerat tura diis omnipotentibus : qui subueniunt uniuerso mundo : per quos mundus floret . Hos ergo omnipotentes mater mea abnegat : et seductorem illum Christum confitetur . Tunc Dioclytianus imperator iubet eum ingredi in cubiculum suum : et a dextris suis sedere præcepit dicens : Fili nos credimus matrem uestram cultricem deorum ueram esse . Nunc ergo quomodo cognoscimus : si uerum est hoc quod dicis ? Euprepius respondit : Piissime Imperator credis quia mentior : dum loquor ad te ? Absit a me : ut ego mentiar aspectibus tuis . Tunc Dioclytianus imperator iubet Gebal assessorum suum ad sanctam dei Luciam abire : ut inuenta ante imperatorem adduceretur . Veniens autem Gebal ad eam dixit : Tu es cultrix illius crucifixi ? Sancta Lucia respondit : Ego sum . Gebal dixit : imperatori necessaria es . Et illa : Eamus : Et posuit in domo eins† simulacrum Iouis . Exiens autem beata Lucia a domo sua dixit : Fundamenta domus meæ et limina ingressionis pro simulacro Iouis qui in uobis ab Imperatore constitutus est corruatis cum eo et omnia simulacra dæmonum : quæ erecta sunt in omnem ciuitatem pereant a facie dei . pereant et cultores eorum : ut sciant omnes : quia tu es Christus solus : qui facis mirabilia magna in cælo et in terra . Fundamenta domus meæ et limina non me suscipiatis ab hodierno die . sed sim digna conscribi in choro sanctorum : qui pro Christo passi sunt . Et cum hæc dixisset abiit : Cumque peruenisset ante Imperatorem : prorupit Imperator dicens : Audio quia reum illum crucifixum confiteris et deos nostros derides . Nunc ergo si parata es uiuere : parati sunt et dii omnipotentes ut eis offeras tura : qualiter possint esse tibi propicii et uiuas . ad quem || sancta Lucia . Nec tibi sint propicii nec cultoribus suis . Nam mihi propiciabitur dominus meus Iesus Christus : pro cuius amore ego me ipsam trado ad passionem . Ipsum inuoco dominum meum Iesum Christum : ut me dignetur ancillam suam ueram uocare . Dioclitianus autem dixit . Abnega Christum tuum : et Iouem incipe colere : ut uitæ tuæ possit tibi esse consultum : cui Lucia respondit : Si recte uelis deum nosse : citius scire poteris nihil esse deos tuos : quos colis . Nunquid Iupiter cælos fecit aut terram super aquas fundauit ? Nunquid† Iupiter mari terminum posuit : aut hominem de limo terræ formauit ? Dioclitianus dixit . Et nunc Iupiter omnia hæc operatus est . ad quem Lucia- : Absit : ut sapientes hoc credant : Deus enim omnipotens pater domini nostri Iesu Christi uerbo† sua omnia constituit : qui et hominem de limo terræ formauit : quem diabolus decepit per inobedientiam . Ita mendaciis et uanitatibus corda hominum seduxit : ut lucos et lapides sibi deos faciant : nec quærant deum uerum sicut dicit propheta : Vani filii hominum . mendaces filii hominum : testante pariter et Salamone† qui ait : In maliuolam animam non introibit sapientia . Dioclitianus ad eam dixit . Non te adduxi de prophetis loqui mecum : sed ut diis immoles . Nam residentibus nobis una cum patre Maximiano uenit ad nos uenerabilis filius noster Euprepius : et dixit nobis : quod te cognouisset Christum nominare : et hoc elegimus : ut moneremus te ad sacrificandum diis omnipotentibus : ne pereas . respondit Lucia : uerum dicis : quia Euprepius filius uester est : qui hæc uobis innotuit : quoniam filius tenebrarum est . Ego autem credo in deum meum Iesum Christum amatorem castitatis dilectorem pudiciciæ : in quo permanens ero : quia non delebit de libro uitæ ancillam suam : nec peribo a mandatis eius . Nunc autem parata sum ad ignem ad uincula ire : et ad quales uolueris pœnas me mittere : non expauesco . Hæc audiens Dioclitianus iniquus iussit eam celerius trahi ad carcerem : quæ dum deducta esset : statim ianua carceris clausa est . Et ecce fundamenta eius commota sunt . Sancta uero Lu | cia procidit in orationem clamans et dicens : proba me domine : et tempta me . ure renes meos et cor meum . si est in me uia iniquitatis : et perduc me in uitam æternam . Et cum complesset orationem : ecce subito odor suauissimus fragrauit : et uox in carcere sonuit dicens : gaude in domino semper . iterum dico gaude quia nunc impletæ sunt orationes tuæ : et meruisti accipere illud : quod oculis† non uidit : nec auris audiuit : nec in cor hominis ascendit : et quæ promisit deus gloriosæ uirgini Mariæ matri domini nostri Iesu Christi . Hæc audiens beatissima martyr Lucia genua flectens in oratione Christum ita deprecabatur : Gratias tibi refero Iesu Christe : quia priusquam inuoceris : exaudis : et confirmas misericordiam tuam super timentes te . Et nunc domine deus omnipotens tu es occultorum cognitor : qui scis omnia antequam fiant . ne me derelinquas usque quaque . neque repellas me a mandatis tuis : sed doce me iustificationes tuas . Et postquam finiuit orationem suam : cœpit orationem dauid dicere . Exaudi deus orationem meam

cum tribulor . a timore inimici eripe animam meam . Protexisti me a conuentu malignantium a multitudine operantium iniquitatem . Et postquam finita est uox psalmi : sopor aduenit . Et adest dominus consolans ancillam suam fidelem : in qua beneplacitum est ei dicens : Eo quod propter amorem meum dereliquisti simulacra dæmonum : faciam te columnam in templo dei : et foris non egredieris . sed faciam tenere portam uitæ æternæ . ut quicumque te imitabitur : per manus tuas offeratur ad patrem nostrum : qui est in cælis . hæc audiens euigilauit cum magno gaudio : gratiasque egit domino Iesu Christo . post dies uerò quattuor subito fluuius inundauit de fundamento carceris . et ecce interiit media pars ciuitatis : Domus uero Dioclytiani a fundamentis periit ita ut nec lapis in eodem loco remaneret . Dioclytianus autem præsens non fuit : dum hæc fierent : sed post quattuor dies aduenit : et audiuit omnia : quæ contigerant : et iratus est : abiitque ad carcerem . Et dum uenisset ante hostium carceris : carcerem patentem inuenit . Et lux dei exhuberauit in carcere . Sancta autem dei Lucia in oratione sua permanebat . Tunc ‖ Dioclitianus sub uoce terribili exclamauit dicens : Malefica ubi est palatium meum . ubi aurum et argentum ? ubi est deus Iupiter ? ubi deus Hercules ? ubi est et dea Minerua . Oh patientiam deorum laudabilem : qui ex hoc tibi pœnam non infligunt : cui Lucia : Laudabiles essent : si et te post se uocarent : Dioclitianus dixit : Ergo et me uis perire sicut deorum simulacra perierunt . Et illa : Si dii fuerunt : perire non debuerunt . Dioclitianus ait : Ego te hodie male perdam . Tunc iussit fustes nodosos adduci : eamque educi foras ciuitatem : ut ibi eam acrioribus pœnis interficerent . Et sedens Imperator pro tribunali iussit eam extendi ad uerbera : ut fustibus mactaretur : Et ecce qui eam cædebat : factus est lapideus : manus autem eius cornea remansit usque nunc . Propter hoc uocatur nomen loci illius ad manum corneam usque in præsentem diem . Ipse autem Imperator pene ad mortem aridus factus est : et clamabat uoce magna : Deus Iupiter adiuua me . Iupiter autem cecidit de loco suo : et comminutus est : et nihil ei præstitit . Sancta uero Lucia surridens dixit : Faciat te deus tuus Iupiter sanum . Dixit ad eum† Dioclitianus : Tu facis ? Sancta Lucia respondit : Si credideris in Christo facio . Dioclitianus dixt† : Si me saluauerit . credam : sicut tu dicis : ad quem Lucia : Si credideris in Christum : facio statim : et saluus eris : cui Dioclitianus : Quomodo credam . et illa : Abrenuncia simulacris ? ait Dioclitianus : prius me salua : et sic abrenunciabo . Sancta Lucia respondit : Non tibi credam persecutor domini mei Iesu Christi et animarum seductor : quia semper mendax fuisti : et fidem non habes . Dioclitianus dixit : Per ipsum crucifixum quia si me saluaueris : credam : sicut tu dicis . Sancta Lucia respondit† : Scio fallaciam tuam : sed quia crucifixum nominasti : faciam tecum misericordiam : et saluabat† te dominus meus secundum fidem ancillæ suæ . Et statim saluus factus est : et exclamauit uoce magna dicens : Gratias ago deo Ioui : qui saluum me fecit : et cum celeritate cœpit ire ad Iouis templum . Et ecce subito terremotus factus est magnus : et terra excussa est : et diuersum est templum ita : ut nec lapis remaneret in eodem loco . | Erat ergo templum septuaginta quinque centenariorum auri . Et cum hæc uidisset Imperator : clamauit ministris suis : Periit deus Iouis et omnes dii simul interierunt . Tunc ueniens ad carcerem : iussit ollam æneam adduci : præcepitque impleri pice plumbo et resina : et copiam lignorum aggregari in circuitum ollæ : sanctamque Luciam nudam in eandem ollam deponi : et tribus diebus et tribus noctibus ignem adhiberi . Quarta uero die finitus est ignis : Sancta autem Lucia nihil sensit : sed magis sicut lilium fructificans in odorem suauitatis : ita eam dominus decore et alacritate circundedit psallentem domino : et dicentem : Probasti me deus : igne me examinasti : sicut examinatur argentum : Et ecce transimus per ignem et aquam : et induxisti nos in refrigerium . Dioclitianus autem nesciens neque intelligens deum : dicebat ministris suis : Ite : et purgate locum : in quo arsit illa malefica : ne quid de cremato corpore eius pulueris remanserit : et transiens quis calcet in eodem loco : et fiat ei similis . Exeuntibus igitur ministris ecce sancta dei Lucia obuia facta est eis dicens : Ite : et dicite Imperatori uestro : Nolite uacare : tempus est laborandi . Tunc redeuntes ministri intimauerunt Imperatori omnia uerba eius : quibus auditis Dioclitianus alapis percutiebat pectus suum dicens : Væ mihi : quanta maleficia hæc egit . Carcerem in fluuium conuertit : et ipsa nihil sensit : In uerbera cædentem eam lapideum fecit . quid amplius ? me ipsum ad mortem perduxerat : nisi Iupiter me

saluum fecisset . Templum deorum ex gemmis et auro ruere a fundamentis fecit . Ignem exuperauit . picem et plumbum in aquam conuertit . Deum mihi iam non dimisit . quid faciam et habitatores hnius† ciuitatis ? Tunc iussit eam ferro onerari : præcepitque ut omnes ciuitatis plateas circuiret : Quæ dum duceretur : uenit domum hominis : qui dicebatur Geminianus : et ipse habebat in domo sua plus quam tria millia ducenta simulacra . Et dum inde sancta Lucia concite pertransisset : ecce columba alba ut nix de cælo descendens super caput Geminiani tertio figuram crucis fecit : quare Geminianus respiciens in cælum : uidit cataractas cæli patentes : et sedem dei ex ordine . Tunc relinquens || domum : aurum et argentum : familiasque utriusque sexus : cursum arripuit per plateam ciuitatis : quoadusque ueniret ad locum : ubi sancta dei Lucia torquebatur : moxque pedibus illius sese prostrauit clamans : et dicens : te cognoui matrem sempiternæ gratiæ quam mihi dominus demonstrauit : Dum enim ante ianuas domus meæ transires : subito oculi mei aperti snnt† : et uidi angelum dei descendentem de cælo sicut columbam niueam : respiciensque in cælum uidi : in quo me oporteat credere . Nunc autem precor te per æternum et immortalem cui credis deum : ut mihi dicas : qui sit Christus . Ad quem Lucia respondit : Christus est lux . Christus est uita . Christus est resurrectio . qui in eum credit : habet uitam æternam . Geminianus dixit : ita credo esse : sicut tuo ore testaris . Tamen dic mihi : quid est Christus . sancta Lucia respondit : Viro prudenti nudis oculis integer sermo esse dicitur . Geminianus dixit : Vnde mihi cor paratum ad intelligendum deum ? Vnde mihi intellectus bonus : aut scientia ? et Lucia : Si uis cognoscere : quid est Christus : ieiuna hodie et crastino : et diriget deus : qui te purificet : et celebrauerunt ieiunium triduo sociantes ea : quæ deitatis sunt . Erat quidem sacerdos nomine Prothasius : qui baptizabat omnes : qui pro Christo patiebantur . Et ecce circa mediam noctem angelus domini aduenit : habens coronam in manu sua tetigitque eum dicens : Prothasi surge : et uade in carcerem capitollii : et purifica eum : qui ex toto corde quærit me . Hæc audiens sanctus Prothasius euigilauit cum gaudio magno . Gratia enim sanctitatis florebat : et cum celeritate abiit ad carcerem : Et ecce ueniens ante hostium : claustra carceris comminuta sunt : et lux dei cœpit ante eum procedere : Et ecce factus est odor aromatum pretiosorum : et omnia fundamenta carceris commota sunt : et fons aquæ inundauit . Sanctus dei Prothasius celebrauit ea : quæ sanctitatis sunt : quem cum baptizaret : sancta Lucia mater eidem in baptismo effecta est : Et cœperunt esse anima et spiritu unum : unnm† agonem pro domino tolerantes . Post tertium uero diem Dioclitianus iubet sibi in medio foro sedem præparari : Et sedens super sedem diaboli : fecit sanctam dei | Luciam aspectibus suis astare : quæ cum adducta fuisset obcæcatus a diabolo sub uoce terribili dixit : quid per tanti temporis spatium circa salutem tuam cogitasti ? Sancta uero Lucia tacuit : nihilque ei respondit : Ad quam iterum Dioclitianus Imperator dixit : Duritia obstinata quid cogitasti circa salutem tuam ? Sanctus autem Geminianus qui cum ea de carcere fuerat eiectus signaculo Christi facto et lorica fidei accinctus aperiensque os suum dixit : Insidiis diaboli inflamate et in tenebris et umbra mortis inhabitans dum salutem non habes : cur eorum qui deum saluatorem habent salutem inquiris ? Hinc insipientia et obcæcatio cordis tui cognoscitur . Nam si corde uideres : cognosceres utique eum : quem nos uidemus : et adoramus saluatorem : qui circa nos semper est : a te uero longius fugit . Non enim potest lux dei in tenebris ire : nec dæmonum cultores possunt cum christicola commorari . Dioclitianus Imperator dixit : quis te separauit a caritate deorum fili ? cui Geminianus : Noli dicere deorum : sed dæmoniorum : Dæmonia enim sunt dii uestri : qui perdere possunt . liberare autem non possunt . Nam dum essem tibi similis ac perditus sculptilihus† seruiens : sum illuminatus orationibus spiritualis matris meæ : quam mihi dominus Iesus Christus donauit : Cuius hæc erat oratio : ut non sola de hac uita ad cælorum pergeret deum : sed fructum laboris sui acquisiuit : dum alterius animam in manu sua deo offerret : per quam cognoui dominum meum Iesum Christum esse deum uerum : quod dum Dioclitianus audisset fremuit ut leo : et iubet eos omnibus pœnis affligi . quare Geminianus ad Luciam ait : Sanctissima mater ne expauescas in his pœnis : ut intelligant dæmonum cultores : quia seruus dei nihil pœnarum timet . Hæc audiens sancta Lucia gratias egit domino dicens : Gloria in excelsis tibi deus et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis : qui paruis das scientiam boni consilii . quoniam qui imprudentes esse uidebantur : sapientes sunt . Nunc

ergo tu esto auxiliator noster . et dirige angelum tuum domine deus cæli et terræ : qui confortet nos . Et dum complesset orationem : ecce angelus domini apparuit in medio eorum ponens eis coronas ex gem || mis et auro dicens : Iam paratæ sunt uobis portæ cæli : ut ingrediamini paradisum : quem dominus promisit uobis . post hæc autem homo quidam perditionis cui nomen erat Pyrrhopogon ueniens ab urbe Pamphiliæ in urbem Romam iubet sibi in medio foro sedem præparari : sedensque præcepit : ut præco fortiter clamaret : Omnes populi cunctæque gentes uenite et adorate deos omnipotentes : qui subueniunt omni mundo : per quos uniuersus orbis floret . Tnnc† sancta Lucia una cum uenerabili filio suo Geminiano : quem de baptismo susceperat desyderantes ad palmam uenire martyrii : dum hæc audissent cursum arripuerunt per plateam ciuitatis usque ad locum : qui appellatur Lateranis non longe a loco : in quo requiescunt corpora sanctorum Iohannis et Pauli : quo^r^um doctrinam sancta Lucia tenebat : Et dum peruenissent in eundem locum cœperunt deambulare per plateam ciuitatis clamantes et dicentes : Simulacra gentium argentum et aurum' . opera manuum hominum . os habent : et non loquentur : oculos habent : et non uidebunt : aures habent : et non audient . nares habent : et non odorabunt . Manus habent : et non palpabunt : pedes habent : et non ambulabunt . Similes illis fiant : qui faciunt ea et omnes : qui confidunt in eis . Hæc audiens pyrrhopogon : iussit ceruices eorum contundi dicens eis : quid blasphemastis deos omnipotentes : qui uobis ministrant uitam ? sanctus Geminianus respondit : Dixisti : quia dii tui omnipotentes sunt : faciant ergo te : sicut et ipsi sunt : ut tu cum illis lapideus efficiaris : ut dominus noster Iesus Christus cognoscatur . Dum tu et dii tui damnati manseritis in tenebris : quia deus christianorum potens est : et non est alius præter ipsum : quam ob rem Pyrrhopogon iussit sibi foris sedem præparari : et sedens sanctos dei iussit adduci : qui dum aspectibus eius assisterent : sub uoce terribili dixit : Fili diaboli aduersus hæc quid persequeris ? Et dum hæc dixisset : subito terremotus factus est magnus : et contremuit pars ciuitatis et camera fori sub qua iudicium diaboli exercebatur subito corruit : et oppressit Pyrrhopogonem cum quadraginta pœnarum ministris : Sancti autem domini illæsi | permanserunt . Factum est autem post anni circulum aduenerunt quattuor angeli : et appræhendentes sanctam Luciam et sanctum Geminianum : deposuerunt eos in prouinciam Siciliam in monte Taurominicano . Et cum huc depositi essent sancti dei : uiam nesciebant in qua dirigerent gressum . Erat ergo mons tauromenitanus asper : et lapides eius nimis acuti . Videntes autem sancti dei exclamauerunt ad dominum : Domine deus omnipotens esto liberator et auxiliare nobis propter nomen tuum : ne quando dicant gentes : ubi est deus eorum . Et ecce multis uidentibus : angelus domini descedens† de cælo deduxit eos dicens : Via iustorum recta facta est . Iter sanctorum præparatum est . Et postquam deducti sunt ab angelica potestate : uenerunt in prædium : quod dicitur Elismus : et excepti sunt a uiro nomine Eucarpione cum summo honore et nimia celeritate . Filia uero eius uexabatur a spiritu immundo ab annis decem et nouem . Cum autem sancti dei Lucia et Geminianus domum introissent : diabolus clamabat : O incendium æternum quid me persequeris Lucia martyr Christi ? et continuo salua facta est filia eius . Alia uero die profecti sunt de Elismis : ueneruntque iuxta fluuium : qui appellatur Spinitus idibus ianuariis . Et inuenerunt fluuium plenum : et redeuntes ad mare et quo fit : ut non possent transire : Et exclamauerunt ad dominum : qui liberasti uirgam hæreditatis tuæ : quam dedisti Moysi seruo tuo : ut per eius potentiam disrumperet mare rubrum : et liberaret filios Israel de terra Aegyptiorum et de manu seruitutis : et nos libera seruos tuos : et deduc in locum : qui tibi placitus est inuocetur nomen sanctum tuum super eum . Et continuo aqua quæ rugiens descendebat ad mare : stetit ab ira sua : Et transierunt sancti dei calcantes super aquam tanquam super lapidem . Et ecce peruenerunt ad locum : qui appellatur Mindullas . Erat ergo teritorium mindularum repletus spiritibus immundis' : clamabantque dæmonia a finibus illis dicentia : Finis noster aduenit descendamus a facie sanctorum qui hic a deo dirrecti sunt . Hæc audientes sancti dei uno consensu uno spiritu orauerunt ad dominum : si placitus esset locus domino deo : et uox a deo audita est || dicens : Hic est sedes uestra . hic habitabitis in sæculum sæculi : et confirmati a deo steterunt in eodem loco . Et cœperunt operari mirabilia : sicut a deo consecuti erant : Infirmos curabant . cæcos illuminabant . Omnem iniquitatem per orationem effugabant : Hæc audiens Apropha-

sius incredulo animo perrexit ab urhe† cathiacnsium† ad Mindulas ut uideret : qua arte hæc operabantur sancti . Veniens ergo requisiuit : qualis esset conuersatio eorum . Tunc uninersi† qui saluati fuerant una uoce clamauerunt dicentes : Paganorum impietas non licet ut sanctorum scrutetur pietatem : quod cum audisset Aprophasius præcepit ministris suis : ut eorum uitam ferro finirent : dum uero decollati essent : subito uisus est angelus domini fundens super eos phyalam plenam aromatum . Fuerunt ergo uiri atque mulieres quos martyrio trucidauerunt numero septuaginta nouem . Igitur natalis eorum idus septembris celebratur . Sancta uero Lucia gratias egit domino Iesu Christo . redeunte autem Aprophasio equus eius a diabolo arreptus est eumque proiecit per lapidem : et nec corpus eius uisum est usque in hodiernum diem . Et ecce exiit fama hæc per totam prouinciam et in omne diuersorium : Hæc audiens Megasius pater Paschasii consularis ira repletus iter arripuit ab urbe Syracusana in Mindullas : ueniensque cœpit pœnas præparare sanctis . Videntes autem sancta Lucia et sanctus Geminianus fremitus pœnarum : expauit sancta Lucia : et fugit non habuitque ubi se absconderet : et suspirauit ad dominum : Et ecce subito medius mons crepuit : et abscondit sanctos dei tribus diebus et tribus noctibus : tertia uero die æstus factus est magnus in sole : et sitiens orauit et de medio inferni crepidinis fluuius factus aquæ processit : unde sancti potati sunt . Erat ergo locus aridus : ubi aqua non inueniebatur . cum autem sancti potati essent : orauit sancta Lucia ad dominum dicens : Qui in principio cælum et terram uerbo constituisti : qui hominem de limo terræ formasti et spiritum uitæ ei inspirasti : deprecor te domine Iesu Christe fili dei uiui accipe spiritum meum in hac uita periclitantem : et perduc me ad portum uitæ æternæ . Et dum complesset orationem in gloriam do | mini emisit spiritum . Videns autem sanctus Geminianus ammonuit eam de loco : et non potuit sepelire corpus eius . Custodiuit autem sanctum funus usque in tertium diem . Tertia uero die ascendens de crepidine in ipso ore crepidinis ab inimico exceptus : gladio uitam finiuit et deborsum unde ascenderat corruit . Descendentes igitur percussores eius abierunt . Transiens quædam mulier nomine Maxima christiana ualde : quæ erat de territorio pynthitano odore suauitatis accepto cœpit inquirere : unde hic odor manaret . Quæ dum cognouisset : et descenderet in crepidinem : inuenit ibi sancta corpora et aperuit partitorium uestimenti sui et omnia uestimenta sua preitosa† et sanctorum corpora sepulturæ tradidit . Et ecce angeli descenderunt de cælo : et uenerunt trahentes tabulas marmoreas : unde sanctorum sepulchra fabricarent : eorumque in ipsis sepulta sunt corpora . Sed in superioribus ipsius basilica eorum ædificata est : De aqua uero quam dominus condonauit orationibus sanctæ Luciæ : si quis potatus fuerit qualicumque infirmitate possessus sanus abscedit . Agitur autem natalis sanctorum Luciæ et Geminiani sextodecimo calendarum octubris In nomine patris et filii spiritus sancti per infinita sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM LVCIANI ET MARTIANI MARTYRVM .

Martyrium uobis fratres enarrabo Luciani et Marciani quod audientes ædificationem habeatis : hi enim cum errore gentilitatis tenerentur a dæmonibus : quibus tunc seruiebant : erant dediti : ut pene omnem animam ad suam sectam persuadentes adducerent magicis artibus et maleficiis omnes : quos inquinabant adulteriis : erant primi in subuersione auctores in magicis et beneficiis subuersores . Ita ut omnes quærentes uoluptates suas perficere uel quosquam† nocere ad eos concurrerent . Sed deus qui ingratis tribuit gratiam : et non cognoscentibus eum ad agnitionem nominis sui perducere dignatur : in istis sic ostendit eos esse conuersos : Famula quædam erat dei casta ‖ et fidelis nuptum contemnens : uirginitatem custodiens forma speciosa animo tamen melior non aliud nisi deum diligebat . Petebat aut eu nullo persuadente sed perseuerante : ut custodire dignaretur . Lucianus et Marcianus hanc concupierant . Et cum non haberent : quo genere cupiditatis obtinerent impudicitiam conuersi non aliter nisi magicis dæmoniis uincentes hanc et maleficiis iudicauere obtinere . Cum ergo omnia artibus suis ostendissent : nihilque aliud sibi prodesse uidissent : conuersi in furias fremebant : quod in nullo præualerent . Illa

uero seruiens deo pernoctabat in uigiliis et orationibus . At illi quandam magicam facientes affligebant deos suos : ut eis responderunt : quascumque animas non cognoscentes deum qui est in cælo uoluistis subuertere : inuocantes nos : facillimum fuit nos uobis præstare . quoniam quidem ad hanc castissimam animam nobis est certamen : multa quidem fecimus et nunquam proficere potuimus aduersus eam . Hæc uero uirginitatem illibatam seruat Iesu Christo domino omnium : qui fuit crucifixus pro salute omnium . Ipse eam custodit : et nos affligit : ideo nihil contra eam facere possumus nec superare . Cum hæc publicæ gererentur : stupore et timore perculsi ceciderunt in faciem uelut mortui : post paululum reuersi ad se facientes alias magicas ad se dæmones dimiserunt . Conquerebantur uero inuicem dicentes : quoniam multum hic potest Iesus Christus crucifixus : qui omnium dominatur : et dæmones atque omnes artes nostras magicasque et ueneficas superat . ad ipsum ergo nos oportet conuerti : et ipsum timere : et colere : quoniam plus nobis poterit præstare quam illi : quos sine causa coluimus . Sed ubi abundauit peccatum : superabundauit gratia . Sic statim codices suos publice in media ciuitate efferentes igni tradiderunt . Stupebant uero omnes hæc uidentes . At illi ad turbas dixerunt : quoniam aperuit dominus sensum nostrum : ut de tenebris et umbra mortis quibus nunc usque detinebamur nos liberatos ad salutem ueram perduceret. Hæc autem uana et inania sunt a dæmonibus inuenta : quæ gerebamus . Nos autem illum cognoscimus uerum esse deum : et in illo spem nostram ponimus : Cumque facti fuissent christiani : et postea baptizati : perculsi lumi | ne omnibus derelictis loca secreta petierunt : hinc per omne tempus macerantes se et castigantes corpora sua : euntesque ad ecclesiam confessi sunt omnia quæ gesserant . Ita uero ieiuniis affligebant : tertio quoque die nihil quam panem et aquam accipiebant . Post hæc autem prædicabant nomen domini cum fiducia : et obiurgabant omnes gentes : quod in uanis erroribus detinerentur . Audiens eos turba mirabatur dicens : Ecce qui nos docebant : et desyderia nostra implebant : nunc illum crucifixum prædicant : quem ante expugnabant . At illi dicebant ad eos : credite nobis fratres : quod si hoc melius non cognouissemus : nunquam conuersi fuissemus ad eum : quare et uos conuertimini ad eum : ut saluemini . Illi uero repleti furore compræhensos eos duxerunt ad proconsulem Sabinum : Nam et ipso tempore persecutio christianorum fuerat data a Decio imperatore : Cumque oblati fuissent proconsuli dixerunt : Ecce quæ ante prædicabant : nunc impugnant : et quem impugnabant nunc prædicant . Sabinus proconsul dixit ad Lucianum : quis diceris ? respondit : Lucianus . et ad eum proconsul : Cuius genus es ? Lucianus dixit : Aliquando persecutor uenerandæ legis : nunc autem licet idignus† eius tamen sum prædicator : cui proconsul dixit : quid enim officii fungeris : ut sis prædicator ? Lucianus respondit : Omni animæ consuetudo est lucrari fratrem suum de errore : quo et sibi conferat : et illum liberet de laqueis diabolicis . Proconsul dixit : quis uobis persuasit : ut relinquentes uenerandos deos uerosque a quibus multa estis consecuti : atque amorem in populo habebatis : et ad mortuum crucifixum uos transtulistis : qui nec se ipsum saluum facere potuit ? Martianus respondit : Ille nobis donauit sicut et sancto Paulo : qui cum esset ecclesiarum persecutor : postea diuina præstante gratia eius factus est prædicator . proconsul dixit : Consulite uobis : et redite ad pristinam uitam : ut et uenerandos deos et inuictissimos principes habeatis propicios : et uitam lucremini . Ad quem Lucianus : Loqueris quasi unus de insipientibus . Nos enim deo gratias agimus : qui nos erutos de tenebris et umbra mortis ad hanc gloriam perducere dignatus est . respondit proconsul : quomodo uos defendit : ut modo uos ad manus meas traderet ? Qua || re uobis non adest : ne mortem incurratis ? Nam præterea scio uos cum recte intelligeretis plurima plurimis præstitisse . Martianus respondit : christianorum gloria hæc est : ut quam tu putas esse uitam ueram et perpetuam : perseuerantes in fide domini consequamur . Nam optamus uitalem gratiam et intellectum tibi ille dare dignetur : quo cognoscas qualis sit uel quantus : et quantum præstat credentibus in se : Ait proconsul : Sic patet : quantum uobis præstitit : ut nunc sicut dixi in manus meas uos traderet . Tum Lucianus . Iam diximus : quia gloria christianorum talis est et domini promissio : ut qui fideliter certauerit contra diaboli minas : et præsentia quæ sunt caduca contempserit : perpetuam et futuram uitam consequatur . hic proconsul inquit : Inania sunt quæ loquimini . Audite me : et sacrificate diis implentes regia præcepta : ne excitatus furia nouis uos et exquisitis tormentis

impendam . ad quem Martianus respondit : In hoc nos parati sumus : ut quibus uolueris tormentis impendas : quam denegantes uerum et unum deum in tenebra exteriores et in ignem inextinguibilem quem præparauit deus diabolo et angelis eius ac ministris ingrediamur . Videns uero eorum perseuerantiam : Sabinus proconsul dedit aduersus eos sententiam dicens : quoniam Lucianus et Martianus transgressores sunt diuinarum legum nostrarum : qui se ad christianorum uanissimam legem transtulerunt : hortati prius a nobis atque conuenti ut adimplentes inuictissimorum principum præcepta sacrificarent : ut saluarentur et contemnentes audire noluerunt : flammis exuri præcipio : Cumque perducti fuissent ad locum tanquam ex uno ore gratias agentes deo dixerunt : Tibi domine Iesu insufficientes laudes dicimus : qui nos miseros et indignos de errore gentilitatis erutos ad hanc summam et uenerabilem passionem propter nomen tuum perducere dignatus es : atque omnium sanctorum tuorum participes efficere . Tibi laus . tibi gloria : tibi etiam animam et spiritum nostrum commendamus : Et cum complessent orationem : statim quæstionarii in suppositum ignem eos iactauerunt . Sic conplentes uenerabilies† martyres agonem suum passi sunt septimo calendas nouembres sub Decio imperatore agente Sabino proconsule : Regnante uero domi | no nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO SANCTI LVXORII MARTYRIS .

Temporibus suis Dioclitianus et Maximianus Imperatores a diabolo tanta sæuitia accensi sunt in christianos : ut basilicas euerterent et libros incenderent . Nam et multos credentes in fide Christi diuersis pœnis affligebant : sperantes sua crudelitate eos deuincere : quos dominus sua misericordia ad palmam martyrii euocauit . Igitur cum rabies eorum mentis idolothithæ in loco quo degebant non sufficeret in christianum sæuire : sed per totum orbem iudices cum suis præceptis miserunt ad persequendos christianos : ut ad culturam deorum suorum conuerterentur : aut diuersis pœnis interficerentur . Eodem tempore Delphium quendem præsidem ad Sardiniam miserant : ut eadem præcepta impleret in prouincia sibi commissa . cumque hic diuersis locis perscrutaretur : si posset aliquos infideles inuenire : qui ei consentire posset : Contigit ut Luxorius paganissimus apparitor ad dominum uocaretur : et ex ipsius aspiratione animum haberet . Ipse autem apud se psalterium retinebat : cum uellet legere . Et dum ordinem psalmorum legendo percurreret : uenit ad octuagessimum quintum psalmum : ubi dicit Dauid propheta : omnes gentes quascumque fecisti uenient : et adorabunt coram te domine : et honorificabunt nomen tuum : quoniam magnus es tu et faciens mirabilia tu es solus deus : quo psalmo ualde perscrutato : apertus est sensus Luxorii . festinauit esse christianus : Cumque cruce Christi signaretur : factus est catecuminus . Ingressus deinde ecclesiam audiuit psallentes : retribue seruo tuo . uiuam et custodiam sermones tuos . Quo audito confortatus est in fide Christi animo gaudens et eum laudans : quare cœpit execrari iam uana et innania simulacra : cœpitque intermissis diebus iudicem obseruare : et sine intermissione scripturis animum impendere : intra paucum tempus psalterium et aliquot ex prophetis memoriæ commendauit || Perletcis† itaque scripturis diuinis experte scrutatus est legem diuinam : et cum toto desyderio percepit sanctum baptismum . Deinde apostolum et sancta euangelia commendauit . Animo uiuens factus est et dum militiam sæculi negligenter sectaretur : hæc latenter ageret : rem proferre nolebat : quod ad innocentiam Christi peruenisset : subito ille aduersarius et inimicus animarum innocentium per satellites præsidi insinuauit Luxorium apparitorem contemptui habere iudicii tui potestatem : et illam nescio quam superstitionem christianorum uelle sequi : quo audito præses iracundia motus iussit aliis appparitoribus† Luxorium sibi uinctum præsentari : ut haberet in quem fræna malitiæ suæ laxaret . Quem conspiciens ita ad eum locutus est : Luxori quæ te dementia a bono cursu uitæ tuæ deduxit ? Ego te summa dilectione habui : et cogitaueram inter primates officii mei tibi honorem dare . tu uero in contemptum Imperatorum et iniuriam deorum putasti latenter de potestate iudicii mei te subtrahere . ad quem Luxorius ait : Si adhuc in

illo errore idolorum uersatus essem nunquam bonum honorem adeptus essem . Sed nunc per deum uiuum Iesum Christum præclarum honorem credo me accepturum esse . cui præses . Ergo melior est ille : quem dicis : quam Imperatores nostri aut dii immortales ? ait Luxorius Illi Imperatores terreni sunt . dominus meus Iesus Christus rex est cælestis . qui passus et mortuus est : et resurrexit : et nunc uiuit et in æternum permanet . Dii autem uestri nunquam uixerunt . Præses dixit : Si uis potestatem gladii mei effugere : diis sacrifica . et Luxorius : Ego didici sacrificare sacrificium iustitiæ hoc est orare dominum Iesum Christum : et non dæmoniis uanis obsequi : quoniam qui his consentiunt cum eisdem peribunt in æternum . præses dixit : Reducatur Luxorius in carcerem grauissimis uinculis cathenarum constrictus : et cogitet secum : quid ei expediat : Cumque reclusus fuisset : oblati sunt ei duo paruuli Cissillus et Camerinus neophiti . Tunc præses qui eos obtulerant : interrogauit quid in eis cognouissent . At illi dixerunt christianos esse audiuimus . Et quia non erat ætas eorum ad dandum responsum interrogationis : iussit eos sub officii custodia esse . Post aliquot | dies iussit Luxorium suis tribunalibus repræsentari : Cumque affuisset sic ad eum truculenta uoce inquit : quandiu te Luxori in his tormentis lacerabis ? Consule saluti tuæ . nega deum tuum : et sacrifica diis : respondit Luxorius : Ego negare deum meum Iesum Christum non possum : quem anima christiana confitetur sicut et ego . præses dixit : Adora potestatem deorum : ut tibi uita concedi possit . dixit Luxorius : quomodo ego figmenta lapidea aut aurea aut argentea uenerari aut adorare possum : qui nec palpebras suas ad me cernendum mouere possunt : aut os suum ad loquendum mihi non ualent aperire ? His commotus in iram præses iussit sanctum Luxorium quattuor quaternionibus flagellari : famulus autem dei securus in Christo inter uerbera stabat ut diceretur alius quam ipse perpetim cædi . iussit deinde eum contundi fustibus : Et electus dei inter ictus fustium fortis et constans laudes domino decantabat : ut intelligeres nullum tormentum corporis illius contingere . Sed cum uideret præses iniquissimus sæuissimis pœnis non posse sanctum Lnxorium† deficere : sed impatientiam suam patientia magis illius superari : tulit sententiam dudecimo calendas septembres in illos paruulos Cissillum et Camerinum et sanctum Luxorium : paruulos tamen iussit extra ciuitatem Calaritanam gladio animaduerti atque inhumata relinqui : quorum impius ille corpora æstimabat proiicienda : dominus Iesus Christus eorum innocentiæ fidem prætiosam in se suscepit . Nam christiani nocte tulerunt ea : et ubi nunc est sedes sancti Luciferi confessoris sepelierunt illos. Sanctum uero Luxorium iussit ubicumque abditum et deserto loco capite plecti : ut non eum christiani colligerent : et sibi martyrem facerent . proinde duxerunt eum in territorium Foritraiensis et extra municipium decollauerunt eum : et cum homines iniquissimi putauerint in heremo sanctum Luxorium perdere posse : Christus pro suo nomine paradisum illi ibidem ostendit . tanta enim multitudo christianorum ad famam martyris huius ex diuersis locis ibidem conuenit : ut eam dinumerare nemo posset : eum cum hymnis et diuersis luminaribus conditum suauibus odoramentis extra oppidum in crypta sepelierunt : cuius fidem passionis prout ne || cesse est si qui habeant et eum inuocauerint : salutaria consequentur beneficia : agentes gratias Iesu Christo domino nostro qui tam dignum martyrem sibi coronauit : Cuius est honor et et† gloria in sæcula sæculorum . Amen .

VITA SANCTI LODOVICI REGIS FRANCIAE .

Bonefacius episcopus seruns† seruorum dei uenerabilibus fratribus uniuersis patriarchis : archiepiscopis et episcopis exemptis et non exemptis per Lombardiam et Tusciam constitutis salutem et apostolicam benedictionem . Gloria laus et honor patri luminum a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum a cunctis fidei orthodoxæ cultoribus : quorum spes tendit ad superos summis et sedulis deuotionis et reuerentiæ studiis referantur . Ipse namque in misericordia copiosus : liberalis in gratiis et retributione munificus : de summis cælorum ad ima mundi oculos suæ maiestatis inflectens et benigna consyderatione discutiens beati Lodouici regis Franciæ inclyti suique gloriosissimi confessoris gaudia operaque mirifica : quibus ipse consti-

tutus in sæculo cum lucerna luminosa resplenduit intendens eum tanquam emeritum et retributione dignissimum æthereis sedibus collocauit : ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat felicitatis æternæ dulcoribus potiturus . Exultet igitur mater ecclesia : et sollemnia festa concelebret gaudiorum : quod tantum et talem filium genuit : produxit natum : educauit allumnum : iam inter regum gloriosa cælestium agmina rutilantem . Letetur inquam : ac in laudes altissimi uoces promat : quod sobolis tam præcelsæ tantisque illustrata fulgoribus conspicitur : Gaudeant incolarum turbæ cælestium de tam sublimis tamque lucidi habitatoris aduentu : quodque expertus probatusque fidei christianæ colonus cultorque præcipuus inter sanctorum cœtus floreat et exultet . Porro quis quantolibet eloquentiæ nitore coruscans exprimere satis possit præclara sanctitatis insignia multipliciumque excellentiam meritorum : quibus beatus Lodouicus in terris constitutus effulsit : cum | eo plura de ipsius laudabilibus actibus refferenda se offerant : quo plura exprimat calamus : Sed ne ipsorum actuum claritas omnino lateat dignum duximus : ut ex illis aliqua pro nostri ingenii in medium afferamus . Hic profecto clarissimus genere : sublimis potentia : facultatibus opulentus : præcelsus uirtutibus : moribus elegans : conspicuus extitit honestate : turpibus quibusque a se penitus relegatis . Nam pudiciciæ adhæsit operibus : et carnis studuit euitare contagia : quod sicut habet credulitas plurimorum : nisi ei nexus accessisset uxorius : candore uirgineo rutilasset . Longo quippe tempore regni regimini præfuit : eiusque gubernacula plena curis prouida circumspectione direxit nulli noxius : non iniuriosus cuipiam nemini uiolentus . iusticiæ limites summopere seruauit coluitque : æquitatis tramitem relinquens . malorum hominum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit : ipsorum uiolentiam illicitosque ausus frænans et conterens : Pacis zelator eximius : feruidus amator concordiæ promotor sollicitus extitit unitatis : dissidia fugiens : uitans scandala : dissentiones abhorrens . Propter quod felicis sui regiminis tempore sedatis undique turbinibus aurora dulcifluæ tranquillitatis illuxit : lætaque serenitas uotiue prosperitatis arrisit . Et ut de ipsius uita aliqua in specie referamus : quanquam illa quo maiori expositione discutitur : eo referenti afferat gustui plus dulcoris mentesque delectet obnixius auditorum : Ab ineuntis ætatis primordiis dei filium tenera mentis affectione dilexit : nec diligere desiit : dum uitæ sibi commoditas affuit temporalis . Sed et quanto maiori profecit ætate ac in tempora prolixiora prosiliit : tanto in eius exarsit amore feruore spiritus ampliore . Hic quidem cum esset annorum duodecim paterno destitutus auxilio sub claræ memoriæ Blancæ reginæ Franciæ matris suæ custodia et gubernatione relictus est : Ea quidem erga diuina obsequia feruenter intenta filium summa prudentia dirigere ac diligenter instruere satagebat : ut ad regni regimen dignus fieret ac idoneus haberetur : Cumque per incrementa temporum idem rex ætatis annum quartumdecimum attigisset mater illi præceptorem deputauit proprium : qui eum || litteris imbueret : ac bonis moribus informaret . Ipseque rex sub eiusdem magistri ferula positus ita obedire et eum uereri curauit : Vt et illius reciperet disciplinam et superna præuentus gratia laudabiliter in utrisque proficeret . diuina uero et secreta adeo intendebat officia : ut nequaquam ipsorum auditione contentus esset : nisi et ea quæ coram se die noctuque a suis fiebant clericis ab ipso etiam cum eorum aliquo celebrari attentius dicerentur . Demum annum uicessimum nactus et quadam ægritudine grauaretur a parrhysiensi meldensisque episcopis tunc eidem assistentibus uiuificæ crucis signaculum in terræ sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi . Et licet ei rationabili causa moti id episcopi dissuaderent : ipse tamen ut pote feruens spiritu erga deum eique uotis ardentibus famulari desyderans : illorum salubriter dissuasionibus non admissis signum de manu parrhysiensis episcopi multa læticia et exultatione recepit nobilibus pontificibus et militibus plurimis signum ipsum pariter cum illo assumentibus . Et tandem amplo præparato nauigio cæterisque in talibus opportunis cum tricessimum quartum annum attigisset ætatis in prædictum subsidium transfretauit : consortes habens Roberthum attrebatensem : Alphonsum pictauiæ et claræ memoriæ Carolum regem Siciliæ tunc Andegauiæ comites fratres suos dum adhuc uiuerent : secum ducens : multa grauiaque pericula quæ solent æquorei fluctus ingerere sustinendo : Cumque ad oras illas ingenti circumfultus potentia peruenisset : et habito de ciuitatis Damiatæ captione triumpho processisset ulterius generali quasi totius eiusdem exercitus : sicut domino placuit ægritudine subsecuta

et aliis aduersis urgentibus : rex cum toto fere exercitu in Soldanei et Sarracenorum manus ac potentiam incidit . multa obprobria multasque iniurias quæ inferentium fæda condicio adaugebat patienter et humiliter tolerans . Ipso Roberto comite pro fide Christi immaniter interempto . Postmodum autem cum Soldaneo conuenit de se exercituque liberandis : maxima interueniente pecuniæ quantitate : ipsoque Soldaneo occasione huiusmodi a suis† propriis interfecto : Sarraceni qui eius dominium usurparant ad pecuniam anhelantes eandem cum multa | instantia postulabant : ut in conuentionibus ordinatis concorditer inter partes iureiurando firmandis penitus adderetur : quod nisi pacta seruarent omnino Mahumetum quem colunt denegarent : ac idem rex in suo similiter addiceret iuramento : et quod ipse dei negaret filium : ac extra fidem eius fieret : si conuenta ab eo minime seruarentur : quod prefatus rex prorsus abominatus id efficere constantissime recusauit : quin potius quadam indignatione commotus coram asseruit : quod talia nefanda suis labiis aliquatenus neque proferret neque in tam uæsanam et reprobam prorumperet negatiuam : quanquam id etiam dicti pictauiæ et Andegauiæ comites alii quoque multi tunc circunstantes instantissime suaderent : cum exinde sibi cæterisque christicolis mortis periculum uerisimiliter imminere conspicerent : Præsertim ubi hæc agerentur cum illis qui ut diximus Soldaneum occiderant : eiusque sibi dominium usurparent : ipsique regi apertius diceretur : quod nisi in actum perduceret quod petebatur : ipsum et suos crucifigere non differrent : ipsius regis ad hoc intrepida firmaque responsio est secuta : quod si Sarraceni eius corpus occiderent : ipsius animam non haberent . Sane cum iam post conflictus diuersos et uarios ualidæ famis inediam graues penurias diraque uulnera quæ fideles Christi pertulerant : eodem rege tunc temporis dysenteriam aliasque ægritudines patiente christianus reuerteretur exercitus Damiatam : rex ipse nolens illum omnino deserere sed eius potius clæmenter intendens communicare laboribus et periculis quæ ex uerisimili poterant coniectura timeri : cum eodem contra sarracenorum rabiem truculentam insultusque nefarios rediit efficax defensionis pro uiribus impendens præsidium : ut ab huiusmodi hostium scelestis insidiis seruaretur . Et tandem cum Sarracenorum astuta nequitia dolosaque calliditas maxima bellatorum copia christianum circumdedisset exercitum ualida tunc sicut præmittitur infirmitate detentum : ipsumque usque adeo grauiter inuasit : ut necesse fuerit regem cum exercitu Sarracenis sese dedere : ac idem rex nisi factæ uoluntatis libitum obstitisset : per nauis tunc promptæ potuisset euasisse suffragium : sibique hoc plurimi magnique præsen || tes inibi suaderent . ipse tamen propter nimiæ caritatis ardorem quo uæhementius extuabat : noluit† potius periculis corpus exponere : ut christianus populus seruaretur illæsus : Et licet Sarracenorum noticiam ipsius debilitas non lateret exercitus : nec Sarracenorum existeret ignota potentia christianis euadere uoluit remanentibus cæteris uinculo captionis strictis apertius asserendo quod militiam quam secum duxerat : secum si posset reducere intendebat : uel capi seu mori pariter cum eadem . Cumque inter regem et christianos ac Sarracenos prædictos de ipsorum regis et christianorum sicut superius est expressum liberatione tractatus habitus : et conuentionum subsecuta ordinatio extitissent : Sarraceni pro quadam parte pretii redemptionis huiusmodi quæ soluenda restabat securitatem habere plenariam intendentes : in electionem ipsius regis penitus posuerunt : ut uel ipse liberaretur a carcere remanentibus cæteris christianis in uinculis : donec huiusmodi solutio perfecta succederet : uel idem in carcere remaneret christianis ipsis omnimode liberatis . Ipse uero rex super hoc promptum nec dillatum responsum præbuit : quod ipse quousque solutionis huiusmodi proueniret integritas : remanere in carcere intendebat christianis eisdem libertati pristinæ restitutis : quanquam Alphonsus et Carolus ac alii uiri nobiles tunc astantes expresse dicerent et profiterentur apertius : quod in hoc nullatenus consentirent supplici adiicientes instantia : quod potius rex ipse recederet aliis minime absolutis : rege ipso firmissime replicante contrarium : nec assentiente sermonibus eorundem . Et tandem rege cæterisque captiuis eisdem plene redditis libertati dictoque Alphonso pro eiusdem solutionis perfectione obside facienda dimisso : rex de naue in qua erat egredi noluit : donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus : dictusque Alphonsus ad eius præsentiam rediit : ac omnes etiam christiani quos in propinquo carcer detinebat inclusos : quosque in Babyloniam manus inimica non traxerat liberati a uinculis : ac illi etiam qui tunc in Damiata similiter

tenebantur fuerunt in nanibus† collocati . Demum rex cum eodem liberatus exercitu ad ciuitatem rediens acconen | sem moramque ibi fere per contrahens : et tanquam feruidus humanæ salutis amator multorum Agarenorum mente duras quantumlibet non solum salubris eloquii suadelis sed etiam exemplo uitæ laudabilis conuertit ad dominum ipsos faciens ad laudem diuini nominis et exaltationem catholicæ fidei honorifice baptizari eos amplis donis prosequendo et gratiosis fauoribus confouendo : multosque milites et alios christianos redimens : eis de munificentia regia tam uestes quam cætera necessaria uictui prout singulorum suadebat conditio ministrabat . Muros quoque seu mœnia ciuitatum et castrorum complurium : quæ in illis partibus a fidelibus tenebantur : fecit reparari sollemniter eaque alias muniri plenarie prout necessitas exigebat : Verum rex processu temporis intellecto : quod matrem eius mors amara subtraxerat : et eiusdem regno graue periculum immineret : procerum suorum consilio ad partes Franciæ remeauit . Nunc sanctitatis insistens operibus : nunc monasteria et hospitalia pauperum : nunc domos alias diuinis obsequiis dedicandas : quæ longum esset enarrare per singula construi faciendo : eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis . Nunc etiam infirmos et debiles in diuersis monasteriis et xenodochiis decumbentes uisitans ipsos uerbis consolatoriis confouebat : eis propriis manibus flexo genu potus et cibaria ministrando : Cumque in monasterio regalis montis beluacensis diocesis quod idem rex opere plurimum sumptuoso construxit ac dotibus decorauit eximiis monachus quidam Leodegarius nomine moraretur : quem adeo lepræ morbus inuaserat : ut abhominabilis longe despectus esset segregatus ab aliis in quadam camera positus memorati monasterii : cuiusque oculi ob grauis infirmitatis pondus seu maliciam iam consumpti nihil omnino uidebant eorum foraminibus siue locis rubeis et horridis iam effectis quique nasum perdiderat eius tūc factis† non modicum labiis et profunda fixura destructis† : ac idem rex eum præsente dumtaxat monasterii abbate uisitaret : ipsumque sumentem cibum† ut poterat inuenisset rex præmisso benigne salutationis eloquio fixit genua coram ipso : scindens manbius† propriis carnes eidem appositas bollos in os eius studiosissime immi || tebat : Et huiusmodi non contentus obsequio allatis dapibus eius iussione regalibus de ipsis eidem monacho ministrabat : loci aut ægri qualitatem horribilem non euitans . eodem abbate uæhementi stupore concusso : quod tanti sublimitas principis talibus quantumcunque salubribus inuolui studiis ac seruitiis poterat occupari . Præterea cum rex hospitale Compendiense ingressus ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus et iam fessus non modicum ex labore infirmum quendam iuxta se positum conspexisset morbum qui sancti Eligii dicitur patientem : et flexis genibus coram ipso morselum pyri remoto cortice poneret in os eius : sanies de illius naribus defluens regis turpiter manus fædauit : Qui pie benigneque id tollerans nec in aliquo exinde immutatus : Lotis illico manibus salubre quod inchoauerat obsequium diligenter affuit prosecutus . hic re uera circa seruos Christi ac pauperes aliasque miserabiles et deiectas personas ualde compatiens : se ipsis in eleimosynarum :† largitione munificum exhibebat . uirginibus insuper quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat : ne illas in carnis lubricum labi contingeret de dotibus congruis prouidebat : illud de bonis regalibus laudabiliter et salubriter expensum reputans : quod in eleimosynas et alios pios usus conuerti pro tempore noscebatur . Hic prædicationibus et aliis propositionibus uerbi dei attentum accomodabat auditum : non auditor obliuiosus sed factor operis studiosus . Abhorrebat etiam hæreticæ prauitatis infectos : et ne fidei christianæ cultores labe huiusmodi contagionis inficerent : de regni finibus efficacibus studiis expellebat : ac alias circa studium eius prouidebat sollicite ab ipso fermentis talibus prorsus exclusis : in eo fidei sinceritatis rutilaret . cum uero aliquibus partibus regni ob sterilitatem seu maliciam temporis uictualium caristia immineebat : statim de ipsa rumoribus intellectis certam illuc summam pecuniæ prout ipsarum exigebat qualitas partium per fidelem mittebat nuncium inter pauperes diuidendam . Hic profecto humilitate sublimis sublimitate humilis : in ipso apparatu et uestibus quas frequenter pauperibus errogabat post primum potissime de ultramarinis partibus | reditum : summe humilitatis insignia demonstrauit : Non enim aureis uel argenteis ornamentis non regalibus uestibus non uariis sed aliis humilibus pellibus usus fuit : sæcularibus pompis a se penitus abdicatis . Et ne feruorem spiritus sotiæ carnis ardor extingueret : sed mortifica-

tione ac repressione ipsius illum potius accendi contingeret : altiusque substoli carnem ipsam quasi assidui asperitate cylitii prout asseritur edomans : effrenæ ipsius libitum arte abstinentiæ frænoque cohercuit : eiusque nexibus alligauit : ut non uoti proprii ducta libidine non sui desyderii directa remigio : sed salubri moderamine spiritus tute ad licita pergeret : proinde ab illicitis abstineret . Districtis et enim corpus atterebat ieiuniis : priscorum obseruantiæ a sanctis patribus ordinatæ nouorum austeritatem adiiciens : sibi motu propriæ uoluntatis indictam . Nam per totum quadragessimale tempus et quadraginta dies festum natalis domini præcedentes ac omnium festiuitatum uigilias necnon et quattuor tempora quæ catholica indicit ecclesia in ieiuniis et orationibus existebat : deliciosis et curiosis cibariis usui proprio penitus interdictis . In festiuitatum uero uirginis gloriosæ ac natalis domini memorati uigiliis et sexta feria maioris hebdomadis ieiunium obseruabat panis et aquæ duntaxat modica sustentatione contentus . Qualibet etiam die ueneris quadragesimæ supradictæ ac totius aduentus ab esu piscium abstinebat . Multis præterea se uigiliis occupans ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret : post eius reditum supradictum non in pluma uel paleis iacuit sed super ligneum uilem lectum portatilem simplici supericcto stramine nullo supposito decumbebat . Hic insuper uitæ puritate perlucidus sincerus puritatis amicus extitit . Hostisque durissimus falsitatis . Cuncta quoque ipsius eloquia salutis augmentum operaque salubria hortabantur : demulcebant auditorum præcordia : et in eorum ædificationem multiplicem redundabant : Cumque ad incrementa catholicæ fidei et liberationem celerem terræ sanctæ uotis ardentibus anhelaret : in ipsius terræ subsidium assumpsit denuo signum crucis : Et deinde potenti ac ualido congregato nauigio copiosa et strenua comitiua suffultus cum || ipso pictauiæ comite suisque liberis et claræ memoriæ regina Nauariæ ipsius regis filia : quæ in reditu debitum naturæ persoluit ad :† partes se transtulit transmarinas : Carolo qui tunc moram in Italiæ partibus contrahebat : regis uestigia subsequente . Ac tandem partes Tunicii felici gressu perueniens ibidem magnatum suorum consilio castra fixit : et aduersus Sarracenorum incursus exercens potentiæ suæ uires grauissimas ob labores innumeros quibus premebatur assidue infirmitates incurrit : qui diebus lapsis aliquibus infirmitatum ipsarum uiolentia superatus : sacramenta ecclesiastica summa deuotione suscepit . Ac instante sibi uerisimiliter hora mortis oratione exercitu christiano præmissa suam domino deuotis precibus animam commendans ac litteraliter exprimens uerba sequentia uidelicet : pater in manus tuas commendo spiritum meum : feliciter migrauit ad Christum supernis deliciis fruiturus . uerum cum uitæ huius functus curriculis uerius uiueret quam uixisset : noluit altissimi filius quem idem tota mentis affectione dilexerat tam deuoti principis tantique propugnatoris fidei orthodoxæ mundo supprimi sanctitatem : ut quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat : sic miraculorum diuersitate claresceret : et qui eum plenissima deuotione coluerat : iam secum in cælesti palatio collocatus uenerabiliter coleretur : Nam contractis artuum extensione subuenit : curuis terram ferme tangentibus facie plenam restituit eorum sursum erectis uultibus sanitatem . Strumosis beneficium liberationis impendit . Mulierem quandam cuius brachium aridum et omnino impotens existebat ab infirmitate huiusmodi liberauit . Quidam quoque cuius uelut emortuum pendebat brachium : per eiusdem sancti uirtutem gratiam curationis obtinuit : compluribus paralytico morbo percussis et aliis qui diuersis langnoribus† tenebantur plena reddita sospitate cæcisque uisu : surdis auditu claudis gressu : illius inuocato nomine restitutis . hiis et compluribus aliis sanctus ipse corruscauit miraculis gloriosis : quorum seriem præsentibus non duximus inserendam . Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ : quæ talem ac tantum principem genuit : per cuius merita sublimiter illustratur . Lætetur deuotissimus Franciæ populus : quod tam electum | dominum miraculis subsequentibus meruit obtinere : Cæterum quos superni regis clæmentia corona gloriæ in cælo magnificat : deuote a fidelibus in hac terrestri patria conuenit uenerari . Nos de sanctitate uitæ ac miraculorum qualitate ipsius beatissimi Lodouici curiosa diligentia plenariam certitudinem obtinentes ipsum de communi fratrum nostrorum et prælatorum omnium tunc apud sedem apostolicam existentium consilio et assensu : die dominico tertio idus augusti sanctorum cathalogo duximus ascribendum : Ideoque uniuersitatem nostram monemus et hortamur attente per apostolica uobis scripta mandantes : quatenus in crasti-

num beati Bartholamei apostoli cum felix ipsius anima tunc de carnis eruta uinculis astra petens cælestem aulam adiuerit æternis gaudiis potitura festum ipsius sancti deuote ac sollemniter celebretis : et faciatis per uestras ciuitates et dioceses a Christi fidelibus ueneratione congrua celebrari : ut eius interuenientibus precibus et hic ab imminentibus possitis liberari periculis : et in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere . Vt autem ad uenerabile sepulchrum ipsius feruentius et copiosius fidelium confluat multitudo : ac celebrius eiusdem sollemnitas peragatur : omnibus uere penitentibus et confessis qui reuerenter illuc in eodem annuo festo accesserint eius suffragia petituri : de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate fræti unum annum et quadraginta dies . accedentibus uero annis singulis sepulchrum infra eiusdem festi octauas quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus . Data apud Vrbemueterem tertio idus augustas : pontificatus nostri anno tertio .

DE SANCTO LVCIANO BELVACENSI .

Lucianus beati Petri apostoli discipulus beato Dionysio a beato Clæmente socius et coadiutor traditus est : quem euangelizandi gratia Beluacum misit : quo custodia romanorum et militaris exercitus residebat : quia gens beluacensium semper bellicosa fuerat : ideo propter insolentiam || eorum seu propter custodias cæterarum ciuitatum his in partibus tunc romanus uersabatur exercitus . Hic igitur Lucianus a beato Dionysio missus a quo præsbyterii sumpsit officium Christum prædicare cœpit multosque ad fidem eius a cultu dæmonum conuertit . Erat autem uir miræ patientiæ : summæ abstinentiæ : et omni copia gratiarum exornatus : nec alius erat ei cibus assiduus quam hærbarum uirentium esus . Potum aquæ frigidæ corpori fesso tribuebat : quadraginta diebus bis in septimana cibum corpori ministrabat . Sustentabat enim eum cælestis alimoniæ uictus : et membra debilia diuina gratia roborabat Cum autem Iulianus præfectus impiissimus qui decreta principum receperat : ut in christianos sæuiret : audisset Lucianum ab urbe Roma egressum : ut aliis prouinciis euangelium ueritatis inferret : et idola conterenda doceret furibundus præcepit tribus pueris suis fortissimis Iacino : Lario et Antio : ut sanctum dei ubicumque possent perquirerent : eumque si reperirent audientiæ suæ præsentarent : uel gladio feriendum traderent : qui cum eum per diuersas prouincias quærerent : audito quod in Gallia prædicaret ira magis accensi Gallias penetrarunt : eumque sexto idus ianuarias Beluaci populum docentem repererunt : qui cum eos eminus uenire perspiceret a prædicatione non destitit : sed populum exhortans ait : Ecce fratres et filii carissimi iam mihi dominus laborum meorum retributor adesse dignatus est . Et iam corpus quidem nimia senectute lassatum est : sed anima cum fructu martyrii ad palmam perueniet . Vos ergo in accepta prædicatione firmissime state : nec terror principum aut mala suasio uos a uitæ monitis reuocet : ut ibi sequantur merita gregis : ubi præcessit fortitudo pastoralis . His dictis oculis et manibus in cælum directis totis uiribus cœpit Christo gratias agere : quod sancti martyris Dionysii dignabatur eum consortem efficere .

De martyrio eius et exequiis .

Tunc egressus ab urbe cum duobus pueris Maximiano et Iuliano : peruenit ad montem | tribus fere milliaribus ab urbe distantem super fluuium thare . Tunc appræhendentes impii a Iuliano directi duos præfatos pueros gladio interfecerunt . Sanctum uero Lucianum cum indignatione allocuti sunt dicentes : Tu ne es : qui maleficiis tuis populum seducis : ut sacratissimis diis non immolent : sed inuictissimorum principum decreta contemnant ? Qui respondit : Ego maleficus non sum sed beneficiis eruditus supernis : populo uiam ueritatis ostendo : et dominum Iesum Christum quomodo in ofenso pede sequantur innotesco : quare eum appræhendentes uinctis manibus cæciderunt . Illoque constanter perseuerante : unus ex militibus euaginato gladio caput eius abscidit . Cumque cadauer sancti iaceret exanime uiden-

tibus militibus et uulgi multitudine lux de cælo super sanctum corpus emissa est : et uox cum luce pariter uenit dicens : Euge bone famule Luciane qui pro me sanguinem tuum fundere non dubitasti in terris : Veni ad præparatam tibi mansionem in cælis : Recedentibus autem a loco ministris nequam : erigens se sancti uiri corpus exanime appræhendensque manu propria caput sanctum abscissum : stabili gressu quasi tribus milliaribus Thare uado transposito : peruenit ad locum : in quo se funeri tradendum uir sanctus elegerat uno ab urbe milliario : ibique requieuit. Viri autem eiusdem loci qui eius fuerant admonitione conuersi uenerunt deuotissime cum aromatibus et sepelierunt sacrum corpus . Cumque illud reconderent : aperte sunt nares eorum : et senserunt odorem : qualem nunquam antea senserant : aromata scilicet angelorum qui ob sancti uiri exequias a domino destinati fuerant : Et conuersi sunt eadem hora quasi quingenti uiri gratias agentes deo . Iam autem per eum conuersi fuerant in Galliis plus quam trigintamillia uirorum præter mulieres et paruulos .

DE SANCTO LVPO . ||

Lupus apud Aurelianum ex genere regali ortus dum cunctis uirtutibus eniteret senonensis archiepiscopus est electus : qui cum omnia fere pauperibus errogaret : et quadam die plurimos inuitasset ad conuiuia : cum uinum ad medium non haberet : sic respondit ministro : Credo quod deus qui uolatilia pascit nostram perficiet caritatem : Et statim nuncius affuit : qui centum uini modios adesse præ foribus nunciauit. Cum omnes de curia sibi uæhementer detraherent : quod dei uirginem filiam prædecessoris sui nimis immoderate amaret : coram detrahentibus ipsam uirginem appræhendens osculatus est dicens : Nihil nocent homini uerba aliena : quem propria non maculat conscientia : quia enim ipsam deum ardenter amare cognouerat : eam mente purissima diligebat . Cum rex Francorum Dotarius Burgundiam intrans architriclynum suum contra Senones direxisset : ut ciuitatem obsideret : Sanctus Lupus ecclesiam sancti Stephani ingressus campanam pulsari fecit : quam hostes audientes tantus terror inuasit : ut nisi fugerent : mortem se euadere non putarent . Tandem obtento regno Burgundiæ cum rex alium architriclynum ad Senonas misisset : et beatus Lupus ei cum muneribus non occurrisset : indignatus nimis adeo eum apud regem infamauit : ut rex beatum Lupum in exilium destinaret : qui in doctrina et miraculis ualde emicuit . Interea Senonici quendam episcopum qui locum sancti Lupi inuaserat occidentes : ut sanctus Lupus de exilio rediret a rege impetrauerunt : quem rex uidens exilio tabefactum : ita diuinitus est mutatus : ut coram illo prostratus ueniam peteret : multisque auctum muneribus suæ restituit ciuitati : qui dum per parrhysios remearet : ei multa carceratorum turba apertis hostiis solutisque uinculis obuiauit . Quadam die dominica dum missam celebraret : lapsa est celitus gemma in eius sancto calice : quam rex inter suas relliquias collocauit . Rex Dotarius audiens : quod campana sancti Stephani in sono miram | haberet dulcedinem : misit ut parrhysios deferretur : ut ab ipso sæpius audiretur . Sed cum hoc sancto Lupo displicuisset : mox ut de urbe Senonica delata est : sonus sui dulcedinem perdidit : quod rex audiens statim restitui eam iussit : Statimque sono reddito insonuit septimo ab urbe milliario : ita quod sanctus Lupus obuiam perrexit : et quod dolens perdiderat : cum honore recepit . Nocte quadam cum oraret : instinctu diaboli uæhementer sitiens iussit sibi aquam frigidam deportari . Dolos autem inteligens inimici puluinar suum super uas posuit : et ibi diabolum intus inclusit : qui tota nocte uociferando hululare cœpit . Facto autem mane qui clam temptare uenerat : in die confusus abscessit . Quadam nocte dum more solito ecclesias ciuitatis circuisset rediens domum : audiuit clericos suos rixatos : eo quod cum mulieribus fornicari uellent : qui ecclesiam intrans pro eis orauit : et mox ab eis omnis stimulus temptationis abscessit . Venientesque ante illum ueniam postulauerunt . Tandem multis clarus uirtutibus in pace quieuit . Claruit circa annum domini sexcentessimumdecimum .

FINIS

PASSIO SANCTORVM MACHABEORVM .

Contigit autem septem fratres cum matre appræhensos compelli rege contra fas contingere carnes porcinas flagris et tauris cruciatos . Primus autem eorum sic ait : Quid quæris ? Quid uis scire a nobis ? parati sumus mori magis : quam patrias et dei leges præuaricare . Iratus itaque Rex iussit sartagines et ollas æneas succendi : Quibus statim succensis iussit ei : qui prior locutus . fuerat amputari linguam : et cute capitis abstracta summa quoque manuum et pedum eius præcidi : cæteris eius fratribus et matre inspicientibus : Et cum iam per omnia inutilis factus esset : iussit ignem admoueri : et adhuc spirantem torreri in sartagine : In qua cum diu cruciaretur : Cæteri uero fortiter se hortabantur mori inuicem una cum matre dicentes : Dominus deus aspiciet ueritatem : et consolabitur in nobis : quemadmodum protestatione cantici declarauit Moyses : et in seruis suis consolabitur . Mortuo itaque primo eorum hoc modo : sequentem ducebant ad illudendum : et cute capitis eius cum capillis detracta interrogabant : si manducaret priusquam toto corpore per membra singula puniretur . At ille respondens patria uoce dixit : Non faciam : Ideo quia frater meus crudelem consecutus est pœnam non negabo dominum : propter quod et iste sequenti loco primi tormenta suscepit : et in ultimo spiritu constitutus ait : Tu quidem scelestissime in præsenti uita nos perdis . Sed rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ uitæ resurrectione suscitabit . Post hunc tertius illudebatur : et linguam postulatus cito protulit : et manus constanter extendit : et cum fiducia ait : E cælo ista possideo : Sed propter dei leges nunc hæc ipsa despicio : quoniam ab ipso me ea recepturum spero ait : Ita ut rex : et qui cum eo erant mirarentur adolescentis animum : tanquam qui nihil duceret cruciatus . Et hoc ita defuncto : quartum similiter uexabant torquentes : Et cum esset iam proximus ad mortem sic ait : Potius est ab hominibus morti datos : et spem expectare a deo iterum ab .† ipso resuscitandos . Tibi autem resurrectio ad uitam non | erit . Et cum eum ammouissent : quintum uexabant : et ille respiciens in eum dixit : Potestatem inter homines exerces : cum sis corruptibilis : facis : quod uis . Noli putare genus nostrum a deo esse derelictum . Patienter substine : et uidebis magnam potestatem ipsius : qualiter te et semen tuum torquebit . Post hunc ducebant : et sextum : et is mori incipiens sic ait : Noli frustra errare . nos enim propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in deum nostrum . et digna remuneratione facta sunt in nobis . Tu autem ne existimes tibi impune futurum : quod contra deum pugnare temptaueris . Supra modum autem mater mirabilis et bonorum memoria digna : quæ pereuntes septem filios sub unius diei tempore conspiciens bono animo ferebat . propter spem : quam in deo habebat singulos illorum hortabatur patria uoce fortiter repleta sapientia et fœmine cogitationi masculinum animum inserens ait ad eos : Nescio qualiter in utero meo apparuistis : neque enim ego spiritum et animam donaui uobis et uitam : singulorum membra non ego pepigi ipsa : sed creator mundi : qui formauit hominis natiuitatem : quique omnium inuenit originem : et spiritum uobis iterum cum misericordia reddet et uitam sicut nunc uosmetipsos despicitis propter legem eius . Antiochus autem contemni se arbitratus simul et exprobrantis uoce despectus : cum adhuc adolescentior superesset : non solum uerbis hortabatur : sed etiam cum iuramento affirmabat diuitem se esse et beatum facturum et translatum a patriis legibus amicum sibi habiturum : et res necessarias crediturum . Sed ad ista cum adolescens nequaquam inclinaretur : uocauit rex matrem : et suadebat : ut adolescenti fieret in salutem . Cum autem multis eam uerbis esset hortatus promisit suasuram se filio suo ·. Itaque inclinata ad illum irridens crudelem tyramnum ait patria uoce : fili mi miserere mei : quæ te in utero portaui decem mensibus : et lac triennium dedi : et alui : et ad ætatem istam produxi . Peto te nate . aspice in cælum et in terram et ad omnia : quæ in eis sunt : et intelliges : quia ex nihilo fecit illa deus : et genus hominum . Ita faciet : ut non timeas carnificem istum . Sed dignus fratribus tuis effectus† suscipe mortem : ut in illa miseratione cum fratribus tuis te rex recipiat . Cum adhuc illa diceret : ait adolescens : || Quem substinetis ? Non obaudio præcepto regis : Sed

præcepto legis obedio : quæ data est nobis per Moysen . Tu autem qui inuentor omnis maliciæ : factus es in hebreos non effugies manus domini . Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur . Et si nobis propter increpationem et correptionem dominus noster modicum iratus est : iterum reconciliabitur seruis suis . Tu autem o scelestissime et omnium hominum flagitiosissime noli frustra extolli uanis spebus in seruos eius inflammatus . Nondum enim omnipotentis dei et omnia inspicientis iudicium effugisti . Nam fratres mei modico nunc dolore sustentato sub testamento dei æternæ uitæ participes effecti sunt : tu uero iudicio dei iustas superbiæ pœnas solues . Ego autem sicut et fratres mei animam et corpus meum trado pro patriis legibus : inuocans deum maturius gentis nostre propicium fieri : teque cum tormentis et uerberibus confiteri : quod ipse est deus solus . In me uero et in fratribus meis desinet omnipotentis ira : quæ super omne genus nostrum iuste superducta est . Tunc rex accensus ira in hunc super omnes crudelius desæuit : indigne ferens derisum se : et hic itaque mundus obiit in domino per omnia confidens . Nouissime autem et post filios mater consumpta est . Igitur de sacrificiis et de nimiis crudelitatibus satis sit dictum . Iudas uero Machabeus et qui cum eo erant introibant latenter in castella : et Conuocantes cognatos et eos : qui permanserant in iudaismo assumentes eduxerunt ad se decem millia uirorum : et rogabant dominum : ut respicere dignaretur in populo : qui ab omnibus calcabatur . misereretur autem templo : quod contaminabatur ab impiis . misereretur etiam exterminio ciuitatis : quæ esset illico contemplanda : et uocem sanguinis ad se clamantis audiret . Memoraretur quoque iniquissimas mortes innocentium paruulorum : et blasphemias nomini suo illatas : et indignaretur super his . At Machabeus congregata multitudine intolerabilis gentibus efficiebatur . Ita enim domini misericordia conuersa est : et superueniens castellis et ciuitatibus improuisis suspendebat eas : et opportuna loca occupans : non paucas hostium strages dabat . maxime autem noctibus huiuscemodi excursus ferebatur et fama uirtutis eius ubique diffundebatur .

PASSIO SANCTAE MACRAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Rictionarus ueniens in ciuitatem Augustanam Macram uirginem Christum incredulis prædicantem repperit : quam sibi exhiberi iubens ait : Consule tibi ne florem iuuentutis tuæ amittas : si autem consiliis meis acquieueris : et diis inuictissimis immolaueris multis præmiis ab imperatoribus ditaberis : Quæ respondit pecunia mea Christus est : pecunia autem tua tecum sit in perditionem : ex quo furore accensus iussit eam torqueri : eiusque mammillas amputari : et post hoc eam in carcere omni luce exclusa mancipari . panem quoque et aquam ei denegari : circa noctis uero medium subito lux magna carcerem totum repleuit : Et ecce uir canicie aspersus attulit ei unguentum miro odore refertum dicens : Ego missus a domino Iesu Christo hoc unguentum attuli : ut pectori tuo mamillæ redintegrentur : quæ respondit : absit a me : ut per mammillarum restitutionem coronam mihi a deo præparatam amittere negligam . Creator tamen omnis carnis et restitutor sanitatis si uult mihi incolumitatem geminam exhibere exhibeat . Potens est enim utraque salute sperantes in se saluare . Tunc orationi incumbens cum diu lachrymis terram madefaciens orasset : restitutæ sunt mammillæ eius ut prius . In crastino uero præses eam præsentatam uidit et sanitati redditam dixitque ei : Quis te incolumitati reddidit ? quæ respondit : dominus meus omnipotens Christus Iesus : At ille : adhuc insanis : quia non times Christum nominare ? Tunc iussit acutissimas testas expandi : et prunas immitti : corpusque uirginis desuper uolutari . Quod cum fieret : ignis suæ uirtutis oblitus est : et cum illa gratias ageret : et oraret anima cælum petiit octauo Idus Ianuarias : in territorio remensi : et haud procul a loco illo corpus eius sepultum est . Post multos annos apparuit eadem uirgo per uisionem cuidam bubulco nomine Lendulpho : ostenditque et ei locum : ubi condita erat iuxta quandam beati martini ecclesiam . et corpus eius : quod ille narrauit incolæ honorifice leuauerunt . Postea uero uir quidam uenerabilis Dangulphus nomine tempore Caroli ecclesiam ei miro decore construxit : et || corpus eius in ea collocauit quarto calendas iunias .

PASSIO SANCTI MAMMETIS MARTYRIS .

Cum primitus ab Aureliano persecutore christianorum per uniuersum mundum missum esset : ut quicumque simulacrorum comtempnerent cultum uariis tormentorum generibus necarentur . Erat in Cæsarea capadociæ : puer annorum duodecim nomine . Mammes . huius parentes iusti colentes deum docuerunt ab initio filium suum domini legem : Post quorum mortem ualde custodiens uitam suam . beatissimus puer ambulabat in præceptis : et iusticiis domini Iesu Christi : sine querella amabatur ab hominibus : a quibus uidebatur propter uerecundiam suam . Hic cum in ea ciuitate imperatoris Aureliani uideret impleri præcepta : et templis uictimas fieri : ferre non potuit . derelictis enim bonis suis cum peccoribus tantum secessit in montem : Cuius sylua erat densissima : et uiuebat illic orationibus et lectionibus uacans : pascebaturque tantum lacte gregis sui . Cum hæc eius esset uita : audita est uox dicentis sibi : Mammes descende ad campum : et statim descendit in campum : et inuenit illic uirgam positam et euangelium : quod cum legisset dixit : Domine cui me iubes annunciare euangelium tuum : et uox ad illum : Aedifica tibi domum in monte : et ostendam tibi : quibus annunties . Et ascendens beatissimus Mammes in montem præcisis arboribus fecit domum . Aedificauit altare : et sedens legebat librum : quem inueneral in campo . Et factum est : legente illo conuenere innumerabilia animalia sylvestria ab omnibus pene feris : genere diuersa : quæ prostrata adorabant eum . Post fixa genua respiciebant ad dominum sursum : et ut erat tempus egrediebantur ferarum genera masculina : et remanebant fœminæ agrestes simul cum mansuetis lacte huberibus plenis : et intellexit ea a se simul cum grege suo mulgeri debere : et mulgens coagulansque caseum faciebat : quod cum abunde esset : Orauit ad dominum dicens : Domine quid faciam de hoc fructu : quem dedisti mihi : et dixit | ad eum in uisu dominus : descende ad portas cæsareæ : et inuenies ibi pauperes : uiduas et orphanos : distribue illis . Hæc mirabilia uidentes quidam nunciauerunt Alexandro præsuli : qui erat missus ab Aureliano tyramno dicentes ei : quod magus esset : et maleficaret omnes feras syluarum . Audiens hæc iudex statim misit ad eum equites duos in montem : in quo habitabat . Ipse autem obuius factus est eis : interrogantes eum dixerunt : ubi habitat hic puerulus nomine Mammes : uel ubi manent peccora eius ? Respondit ad eos : Non noui : neque scio hic aliquem Mammen nomine ubi habitet . Iterum dixit eis : Quid eum uultis . Dicite mihi : et demonstrabo eum uobis . Audientes autem illi : dixerunt ei . Proditio facta est de eo ad præsidem : eo quod maleficiis detineat animalia syluarum : Et ob hoc quærit eum . Tunc Mammes plenus spiritu sancto respondit eis : edamus primum et gustemus . Venientibus autem in domum posuit eis caseum et aquam . Manducantibus autem eis facta est congregatio multa animalium ferarum eo sedente et legente euangelium quod ei dederat dominus cum uirga . Cum uidissent autem hæc uiri qui missi fuerant confugerunt ad eum . Videns autem Mammes timorem eorum . Dicit ad eos : Ne timueritis : ego enim sum : qui dicor Mammes seruus dei . Tunc illi timore repleti dixerunt ad eum : si uis uenire nobiscum ad iudicem : tu scis . Si autem non uis : nos ibibimus† . Tunc respondit eis : Ite uos et ego ueniam comittante spiritusancto . Illi uero cum timore : profecti sunt inde . Tunc dixit ad eum spiritussanctus uoca leonem : qui deuoret paganorum et Iudeorum pueros : qui in risu te habere uoluerint . Tunc Mammes dixit ad dominum : Domine deus patrum nostrorum respice seruum tuum peccatorem Mammetem ne derelinquas me neque despicias : quoniam propter te multa habeo pati . hæc eo orante uenit leo de heremo rugiens : et conuertens se beatissimus puer ad leonem dixit : Ego ambulo in nomine domini : tu autem uade cum spiritusancto : et cum in amphiteatrum introductus fuero : tunc descendes : et insurges in eos : qui me persecuntur . Et perrexit ad ciuitatem Cæsaream Capadociæ . Erant autem expectantes ad portam : qui missi fuerant ad ipsum . Videntes autem eum uenientem stupefacti sunt : et ceciderunt in faciem || ad pedes eius : et dixerunt : Saluus uenias serue dei : et exurgentes cucurrerunt ad præsidem dicentes : Iste non est magus neque falax neque aliquid horum in quibus accusatus est : sed

est uere seruus dei fidelissimus : Quibus iudex dixit : Vos argentum accepistis ab eo : quod ita pro eo estis solliciti ? Illi dixerunt : Nihil de his quibus suspicaris præses accepimus . solum audiuimus eum inuocantem nomen domini Iesu christi : et ad uocem eius statim conuenerunt animalia syluarum diuersa innumerabilia ualde : et mansueta simul erant quasi orantia cum eo : Quomodo est magus ? Sed si non credis : præsto est iudicio tuo : quemadmodum uis : require . Tunc aliqui de fratribus christiani audientes hæc ab illis duobus : qui a præside fuerant missi : cucurrerunt ad Mammem quærentes colloqui cum eo . Tunc interogauit eum præses Alexander dicens : Tu es qui diceris Mammes . respondit : ego sum seruus dei . Præses dixit : Dic mihi : Quomodo maleficaueris animalia syluestria in monte . Mammes ad præsidem dixit : Ego sum seruus Iesu christi filii dei regnantis in cælo . Tu autem de quibus mihi dicis : nihil scio . Præses dixit : Dic mihi quemdamodum† ad te animalia syluarum colligebantur : et quibus maleficiis ea circumueniebas . Dic priusquam incidas in pœnas et tormenta . Mammes dixit : Christum inuoco : magiam autem non didici . Corpus meum concedo tibi : quemadmodum uis exerucia illud . animæ autem potestatem non habes tu : sed dominus : qui in cælis est : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt . Præses dixit : Confidens magiis tuis contempnis me . Maleficare me non potes . Mammes dixit : Genus magorum et maleficorum odit deus . Quomodo ego maleficus esse possum : qui deum uiuum timeo . Audi ergo me dicentem : quoniam neque metu terreor neque timeo minas tuas . Habeo enim dominum adiutorem : qui est in cælis : qui fecit omnes : et mandauit nobis ipsum solum adorare . Præses dixit : Non apud me diuersis artibus utaris : sed celeriter confitere miserias : quas in monte fecisti : Et Mammes : quid tibi habeo confiteri ? Præses dixit : iura per Cæsaris fortunam : quia nihil maleficorum nosti : et ego te dimittam . Mammes dixit : Ego non iuro nisi per dominum omnipotentem et filium eius unigenitum . Per natiuitatem autem hominum et dæmoniorum non | possum iurare : cui præses : Nega deum tuum : et immola diis : ut† præceptum est ab Augusto nostro Aureliano . Mammes dixit : Ego didici sacrificium a deo : quod est adorare deum uiuum non dæmones . Et Præses : O puerule uane contristor propter ætatem tuam : uidens pulchritudinem et infantiam tuam : propter hoc doleo super te . Nega ergo deum tuum : et sacrifica iuxta præceptum domini et imperatoris nostri Aureliani : ne incidas in tormenta . Ad quem Mammes : ob tuam infelicitatem tu tristare : et plora pro tua ætate . Pro me autem tu qui es qui tristiciam habeas ? Dominus est autem stans pro me Præses dixit : Mammes nega deum tuum : et sa-rifica† : quemadmodum præceptum est ab Imperatore nostro . Cui Mammes : Non nego deum meum : qui fecit mirabilia magna . Iratus præses uehementer iussit eum suspendi : et torqueri . Dum autem torquæretur nullus sermo factus est ab eo . Præses dixit : Nondum sensisti tormenta ? Mammes autem aspiciens in cælum dixit : Gratias tibi domine : quoniam sicut tu sedens non sensisti : sic nec dolor peruenit ad animam meam . Præses dixit quæstionariis . Tangite interiora eius . Erat autem ille intendens in cælum : et audita est uox a deo de cælo Confortare Mammes : et uiriliter age . Multi autem ex fratribus audientes de cælo uocem . gauisi sunt uæhementer . Tunc iussit præses deponi eum : et mitti in caminum ignis . Cum autem milites pararent caminum : extulit præsidem dominus de sensu suo : et mutans sententiam : iussit eum in carcerem recipi . Inuenit autem in eoden† carcere inclusos homines amplius quam quadraginta . Ipse autem inclinans genua orabat dominum Iesum Christum dicens : Deus patrum nostorum† exaudi me peccatorem Mammen : et non derelinquas me . Ili autem qui erant in carcere proiecerunt se ad eius pedes : quibus dixit : Quid uultis ? Responderunt illi : Fame morimur . Illis hæc dicentibus ingressus est per fenestram spiritus in habitu columbæ portans mel et lac . Dixitque uox ad illum : Accipe istam margaritam missam tibi a domino Iesu christo . Accipiens autem Mammes manducauit simul cum illis : qui erant in carcere : et remansit illic : et satiati sunt omnes . Medio autem noctis apertus est carcer : et exierunt omnes : qui erant in carcere et remansit ibi solus Mammes . Audiens autem præses de || fuga eorum dixit ad custodes : Sistat Mammes : et cum astaret : Præses dixit : Sacrifica Mammes . At ille dixit : semel tibi dixi : quia christianus sum . Præses dixit : Igni tradi te iubeo . Cui Mammes : Quod uis fac . Præses dixit : Scis quia magiæ tuæ conualescuut† : ideo ignes contemnis : et adiecit : Immola diis . Cui Mammes : quibus

diis Immolare me iubes ? Præses ait : Soli : Herculi et Apollini . Mammes dixit : Bene dicis : immola Apollini : quoniam qui illi immolat : perdet animam suam . Apollo enim interpretatur latine perditio . Audiens hæc præses iussit eum mitti in caminum ignis ardentis : et dixit ad Alexandrum et Iosuum qui erant sacerdotes dæmoniorum : Tollite eum ipsi : et mittite in caminum : ut consumat eum ignis . Tunc illi accipientes eum perduxerunt ad locum camini . Respiciens sanctus Mammes in cælum dixit : Deus patrum nostrorum exaudi me peccatorem Mammen : quia propter te hæc patior . Præsta me integrum in conspectu tuo permanere : et conserua me de igne : quem parauerunt mihi : ut cognoscant hi : qui te non nouerunt : quoniam tu es dominus : et signans se signo Christi intrauit in caminum . Intrante autem eo statim extincta est flamma : et erat glorificans nomen domini in camino dicens : Gratias tibi ago deus pater domini nostri Iesu Christi : quoniam sicut uisitasti Ananiam Azariam et Misahel misso spiritu sancto : et liberasti eos a camino ignis : ita fecisti et mihi peccatori et non dereliquisti me . Post tres autem dies cum adhuc esset in camino : iterum iiussit† præses succendi ignem amplius : et statim spiritus ut columba descendit de cælo : et dispertiuit ignem : et erat quasi camera facta flamma . post quintum autem diem misit præses aperiri caminum : ut colligerentur ossa eius : Et conuenit ibi militum multitudo : et audiuerunt eum colloquentem : et in camino laudes deo agentem . Audientes autem stupefacti sunt : et redeuntes uenerunt ad præsidem : et dicunt . Domine præses : hic homo non est magus sed deus eius magnus est . Audiens autem miratus est præses : et quoniam tanta flamma ignis non læserit eum nec aliquam partem corporis et ait : forsitan magiæ eius inualescunt : et adiecit : Adducite eum ad me : Aperientes autem milites caminum uiderunt quasi militum adstantem multitudinem angelorum . Erant autem ibi | angeli multi cum gloria multa : quod multi ex fratribus christianis uiderunt . Erat autem Mammes sedens in medio camini . glorificans deum patrem et filium eius unigenitum Iesum Christum cum sancto spiritu . Dixerunt itaque ad eum milites : Egredere . Vocat te Præses . Egrediente autem eo recesserunt angeli . Cum uenisset autem Mammes ad præsidem : Dixit ei præses . Quid est Mammes quod sic præualuerunt magiæ tuæ : ut non te læderet ignis ? Quemadmodum maleficiis extinxisti ignem ? dic mihi : et quid faciebas in monte : ubi eras : et nihil te noceo . Sed absoluo te . Mammes dixit : Ego feci uirtutem magnam secundum iussionem Christi . Paui syluestria animalia in spiritusancto . Secuta me sunt animalia ferarum : et glorificabant deum meum secundum propriam uocem suam . Hoc est : quod feci . Præses dixit : Verum mihi edicito : quemadmodum maleficaueris feras syluarum : et quibus maleficiis tantum extinxeris ignem . Mammes dixit : Gratias ago deo meo : quoniam magus non sum ut tu dicis : sed christianus . Et præses : feras ingentes habeo : ad ipsas te impono . Mammes dixit : quemadmodum uis . Præses ad præpositos uenatorum dixit : Adducite feras ingentes diuersas : ut eum consummant . Fecerunt itaque uenatores secundum præceptum præsidis . Introduxerunt autem Mamen in amphiteatrum . et dimiserunt ei . ursam sæuissimam . Illa autem statim cucurrit : et adorauit eum . Iterum dimiserunt ei pardam . quæ amplexa est collum eius : et lingua sua extergebat sudorem eius . Videns autem præses : quia non lacerarent eius corpus feræ : præcepit uenatoribus : ut per uiginti dies caperent leones ferocissimos : uel sic consumerent martyrem dei . Hæc eo iubente impletum est : et compræhensus est a uenatoribus leo miræ magnitudinis et adductus est ciuitatem . Nuncialum est præsidi : quod ualde leo immanissimus haberetur in cauea . Præses nimia læticia exultans : amphiteatrum parari præcepit : Quo facto post diem tertium præcepit leonem illum beato martyri dimitti : ut præ timore talis feræ moriatur . Leo autem ille qui martyri fuerat missus descendens de monte uocatus a sancto spiritu ingressus est ciuitatem rugiens . Nullum autem in ciuitate læsit sed festinans ad amphiteatrum patentibus portis in || gressus est . Et respiciens sanctus Mammes dixit : O natura hominis sancto spiritu cohoperata . Ecce enim ab angelis propter te cogor contra naturam loqui . hæc eo dicente hostia amphiteatri ab angelis clausa sunt : ut nullus exinde posset effugere : et ascendens leo laniauit multitudinem paganorum et iudeorum . solus autem præses cum officio suo remansit illæsus . Qui tamen dimissus est secundum iussionem Mammetis : qui præceperat illi : ne eum læderet : ut eius passio compleretur . De laceratione autem illorum in similitudine fluuii factus est sanguis : nec sic quoque

contristatus est crudelissimus iudex : Dominus enim indurauerat cor eius . Tunc Mammes iussit leoni ad proprium reuerti locum . Iterum autem præses beatissimum Mammen uocari præcepit : et dixit ad eum : Mammes immola diis : ut ab Imperatore præceptum est : ne deficias uariis cruciatibus . Mammes dixit : Sacrilege hypochrita communicator dæmoniorum non temptes seruum dei licet peccatorem : quoniam dominum meum agnosco : et non relinquet me dominus : cui credo . Venient autem flammæ magnæ et gladii ancipites percutientes et perdentes omnes negantes dominum uiuum : qui collitis idola surda et sculptos lapides et ligna . Præses iratus uæhementer dixit ad eum : leonem habeo immanissimum . Hunc ad te laniandum dimitti iubeo : ut ab illo confringantur ossa tua . Leo autem ille erat : qui a uenatoribus fuerat compræhensus . Mammes dixit : fac quod uis tantum celeriter . Statim furor surrexit præsidi : et iussit ad stadium illum uenire : et uenatoribus suis præcepit : ut statim leonem illum dimitterent . Mammes dixit : Tyramne odibilis deo et hominibus inimicæ ueritatis fac iussionem patris tui : qui dicitur sathanas . Tunc uenatores dimiserunt leonem . Mammes autem deambulabat in medio stadii glorificans deum : et aspiciens in cælum . Dimissus uero leo cum iuxta eum uenisset : proiecit se in uentrem cum silentio grandi : et lambebat eius pedes . Videns hæc populus sibilabat ad iudicem : Tolle magum et maleficum istum de medio : et collectis lapidibus lapidauerunt beatissimum martyrem : et abierunt . Cum iam esset lapidibus cohopertus : existimantes eum esse mortuum : et nec sic quoque læserunt eum . Post modum autem facto silentio inde secessit illæsus benedicens deum : Et uox ad | eum facta est angeli de cælo ueni : aperti sunt tibi cæli . Congaude pariter nobiscum in paradiso : deuictis omnibus colluctationibus tuis . Stat dei filius portans coronam tibi : ad primam portam suscipiet te . Tunc Mammes benedixit dominum : et dixit : Domine ne restituas eis secundum ea : quæ intulerunt mihi : sed recipe animam meam in pace . His dictis beatissimus martyr deposuit spiritum . Christiani uero collegerunt corpus eius : et sepelierunt illud oculte . Passus est beatissimus Mammes in ciuitate Cæsarea capadociæ die decimo sexto calendas septembres . Regnante domino nostro Iesu christo : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum amen .

DE .† SNNCTO† MAMERTINO .

Mamertinus prius paganus cum idola quadam uice coleret : unum oculum perdidit : et unius manus ariditatem incurrit . Qui dum se deos offendisse putaret : et ad templum ad adorandum idola pergeret : Obuiauit ei uir quidam religiosus nomine Sauinus : qui eum unde tanta sibi acciderit infirmitas requisiuit . Ille uero ait deos meos offendi : et ideo eos adorare uado : ut quæ mihi abstulerunt irati : reddant propicii . Quit† ait : erras frater : erras : si dæmones deos putes : Sed uade ad sanctum germanum antisiodorensem episcopum : et si eius consilio acquieueris : continuo sanus eris . Qui statim iter arripiens : Venit ad sepulchrum sancti Amatoris episcopi et plurimorum sanctorum : secessitque per pluuiam nocte illa ad quandam cellulam super tumbam sancti Concordii collocatam . Cum autem obdormisset : apparuit ei uisio quædam mirabilis : quod quidam uir uenit ad hostium cellæ eius Vocauitque sanctum Concordium : ut ueniret ad festum : quod sanctus peregrinus et sanctus Amator cum aliis episcopis faciebant : cui ille de tumulo respondit : non possum modo uenire : quia hospitem quendam me custodire opportet : ne a serpentibus qui hic habitant occidatur . abiens ille qui audiuerat nunciauit : reuersusque ait : Sanctæ Concordi surge : et || ueni et adduc tecum Viuianum subdiaconem : et Viuiaaum† acolitum : ut officium suum faciant . Alexander autem hospitem tuum custodiet . uisum est igitur Mamertino : quod sanctus Concordius aprehensa manu duceret eum secum . Cumque ad eos uenissent : dixit eis sanctus Amator : quis est iste : qui tecum . ingressus est ? qui ait : hospes meus est . Et ille : expelle eum : quia polutns† est : et nobiscum esse non potest : qui cum expelleretur : prostratus coram eis sancti Amatoris gratiam impetrauit : qui iussit ei : ut ad sanctum Germanum pergere festinaret . Euigilans igitur ad sanctum Germanum uenit : et coram eo prostratus

ueniam postulabat qui cum ea quæ sibi contigerant enarraret : perrexerunt ambo ad tumbam sancti Concordii : et remoto lapide uiderunt plures serpentes : qui decem pedum longitudinem excedebant . Cumque omnes diffugerent : Beatus Germanus eis imperauit : ut ad talem locum pergant : ubi de cætero nemini nocere præsumant : Sicque Mamertinus baptizatus est et sanatus : factusque est monachus monasterii sancti Germani : ubi post sanctum Alodium abbas huius †prære† in ipso monasterio sanctus Marianus fuit : Qui obedientiam sancti Mamertini probare uolens uilius officium monasterii ei commisit pastorem scilicet eum faciens bubalorum . Cum igitur in sylua quadam boues et uacas libenter custodiret : tanta sanctitate pollebat : quod etiam aues syluestres ad se uenientes manu propria nutriebat : Nam et aprum qui ad cellam eius confugerat a canibus eripuit : et abire fecit . latrones quidam cum eum expoliassent : et uestem eius secum ferentes abirent : solum ei palliolum dimiserunt : qui statim post eos clamauit dicens : Reuertimini domini mei . Ecce denarium in meo palliolo collocatum inueni : qui uobis forsitan necessarius erit : qui protinus reuertentes palliolum cum denario abstulerunt : et nudum penitus dimiserunt . Sed cum festinanter ad suas latebras properarent : tota nocte euntes in ipso crepusculo ad eius cellulam sunt reperti : quos ille salutans in cellula sua benigne recepit : pedesque eorum lauans necessaria in quantum potuit ministrauit : qui stupefacti de eo quod fecerunt : doluerunt . unusque eorum ad fidem conuersus est . Aliquando dum quidam iuniores monachi secum manentes ursæ cuidam quæ ouibus insi | diabatur laqueos tetendissent : illa in laqueos noctu irruens capta tenebatur : quod sanctus Mamertinus præsciens de lecto surrexit : et eam inueniens Dixit illi : Quid facis Oursa fuge cito : ne capiaris : eamque absoluens dimisit . Verum cum mortuus fuisset : et corpus eius Antisiodorum deportarent : ubi fuerunt in quadam uilla : nullo modo inde illud mouere potuerunt : quoadusque quidam carceratus subito fractis uinculis liber exiliens uenit ad corpus . et cum aliis usque ad urbem eum portauit . ubi in ecclesia sancti Germani honorifice est sepultus .

VITA BEATI MARCELINI CONFESSORIS .

Inter illustrium martyrum gloriosa certamina : et beatorum confessorum clara præconia ita totus pene mundus christo est largiente repletus : ut singulæ quæque urbes peculiarium se gaudeant martyrum patrociniis defensari : Ita fit : ut quanto illis inestimabile scribitur uirtutum præmium : tanto magis acrescat fidelium gratia populorum : unde et ego dum singulas delector perquirere testium palmas : ad ciuitatem usque Ebredimensium ueni : Ibique Inuenio uirum multis iam temporibus dormisse in domino : nunc insignia uirtutum digerere miracula ita : ut quantum fides deuota postulat : opera desyderata proficiant . Sed quia hæc singula suis deputanda sunt locis : ad sollicitudinem angoris mei sermonem conuertam . Cumque curiosius sciscitarer quænam fuisset in pueritia huius sancti hominis conuersatio : quæ ue patria quantisque signis ac uirtutum miraculis ad sublime illud pontificatus officium peruenisset : omnes quæ postea scripta reliqui una uoce mihi declararunt . Marcellinus igitur aphricanæ prouinciæ ciuis primus sanctæ Ebredimensis ecclesiæ constituitur Antistes : nec infimis ut fertur oriundus parentibus : qualiter autem ad culmen pontificatus ascenderit : lectio succedens demonstrabit . Is ergo cum in adolescentia sacris diuinisque insisteret disciplinis : diuino ammonente spiritu ut Gallias : quas tunc dæmonum cultura fædauerat : sancta sollicitudine uisitaret . Is sibi la || boris a domino iniungi : ut quoscumque gentilitatis errore depræhenderet sordidatos : per gratiam prædicationum ad uitam uirtutis et luminis reuocaret : cumque hoc præceptum diuino spiritu concepisset : soli deo notus et antiquo serpenti non incognitus repugnator inconsultis parentibus . contubernii sodalem beatum sibi tantum elegit Vincentium : ad cuius nunc sanctissimos cineres non minimas domino dignatur operari uirtutes . Itaque cum Aphricæ portu uterque nauim soluisset : prosperis successibus . ad castellum nicensem usque perueniunt : Et exinde iam uerbo salutis imbuti diuina sæmina aratro dominicæ crucis in diuersas mundi partes excolebant : atque inter uniuersas alpium rupes humilitas celsa percurrens : ueluti

in rota mundi tonitruo oris eorum uox euangelica persultabat : Erantque : ut scriptum est : exultationes dei in faucibus eorum : et gladii ancipites in manibus eorum : ut alios gratia uirtutum : alios adoratione patientiæ : multosque etiam sanctispiritus gladio ab idolorum culturis abscinderent : et in uiridi Christi campo nouella infatigabiles operarii excitarent : Qui cum alpinam illam : quæ uocatur maritima crederent expetendam : tandem locum in hunc qui nunc orationibus nunc inquam ritibus frequentatur perueniunt . Iam hic quales se quantosque præbuerint : non est nostræ facultats† euoluere . Sed ea tantum sufficit explicare : quæ aut recens patrum mandauit memoria : aut uera loquuntur opera uirtutum . Primum igitur omnium : orationis locum iuxta urbis muros condendum statuunt : Vbi cum die noctuque in sacris orationibus persisterent : Ac non in solo pane sed in omni uerbo quod procedebat ex ore dei : uitam beatam transigerent ieiuniis macerati fide refecti florebant . Exhinc confusio paganis : et non paruus quottidie liuor nascebatur . Cum illi diuitiis ac delitiis opimi ipso quidem corporis uultu se esse turpioris aspicerent : et illorum lucere aspectum diuina gratia mirarentur : Sicque per omnem mundum odor bonæ huius suauitatis inoleuit : ut sicut Dauid de apostolis cecinit : in omnem terram exiuit sonus eorum : et in fines orbis terræ uerba eorum : Itaque uniuersa choros idolatriæ ad diuinum consilium confugiens multi se ab eis effici christianos deuota mente postulabant : qui | consecrationem loci quem constituerant cum per se implere minime auderent . Sed quid non esset sanctum : quod a talibus sanctis fuerat collocatum ? Tamen ad uenerabilem Eusebium uercellensis ecclesie eggregium confessorem peculiaris beati Marcellini fama quæ latere non poterat rumore est currente prolata : Et cum raro adhuc fide pullulante sacerdotes ecclesias domini ac singulæ ciuitates possiderent : missis epistolis suis a prædicta Lygurum ciuitate in solatium sibi beatum Hemylianum ualentinæ urbis asciuit episcopum : Iudicans ea de homine dei quem iam opera uirtutum assidue publicabant . Adiiciens etiam dignæ illum pontificatus gratiæ copulandum . Tunc per ipsos ad episcopatus officium prouectus est : Cui impositioni cum ille indignum se esse omnino reclamaret : ab omnibus magis magisque dignior clamabatur : et post hæc sic egit suscepti pontificatus officium : ut diuino quottidie participaretur alloquio . Nam ille beatus Vuncentius† cuius supra fecimus mentionem tanto collega dignus una cum uiro uenerabili discipulo suo Domnino : quem superius pro quadam obliuione mentis pene omisimus : Climentium ciuitati eligentes partes plures suo saluauerunt exemplo . Nam et ipse non immerito Domnius† scripturæ commemoratur eloquio : quem parem fecit beata deuotio . Denique usque in hodiernum ad uenerabiles sepulturas eorum et dæmonia eiiciuntur : et multi sanantur infirmi . Nec enim fas erat : ut in tribus personis non trina unaque dominaretur potestas : et inseparabilis trinitas : dum tribus in unum connectit affectum sanctitatis inde effecerit caput . Memoratum quidem antistitem Ebredum relinquentes sese minoris meriti iudicantes : tamen nec posse unum absque alio comitari : nisi forsitan illum in quo Christi perfecta ad integrum manebat plenitudo quam suo nisi sibi præsumere ausu . Denique uir beatissimus his eos uerbis alloqui non desinebat : Ite filii dei custodientes præceptum : quo ipse misit discipulos suos binos prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorum . Vos uno utimini commeatu . Ego et si corpore absens : spiritu semper usque ad diem resolutionis meæ præsens uobiscum manebo . De cætero domini ut confido nos nullatenus dispensatio seperabit . Cum huic præcepto contradicere omnino || non possent : uestigia eius osculantes uale dicto profecti sunt : et cum eos non sine lachrymarum imbre prosecutus fuisset in ciuitatem quam elegerat regressus est . Iam ibi factus est uelut Christi mitissimus agnus : ac inter semetipsum euangelicum illud assidue domini præceptum commemorans : quia ecce ego mitto uos sicut oues in medio luporum : Sed hanc similitudinem de præda dicta sufficiat paganorum : quoniam uniuersa cinitas† illa idolorum referta ferebatur cerimoniis . Ipse tamen tanta erat simplicitate columbæ præditus : ut astutiam serpentis per omnia præcaueret : Cumque omnibus omnia esset ut omnes lucrifaceret : uenit dies : ut inter conuiuas qui ad sancti sacerdotis conuiuium fuerant euocati : unus interesset paganus : quem ille allocutione prouocans blanda nec fastidiret dæmonum cultorem : sancto participari conuiuio cæterisque agregaret fidelibus peroptabat : ac primum inter reliqua eum uoce monuit dicens : Licet fili nos in mandatis acceperimus : mensam cum gentilibus non habere communem : tamen

mirum mihi est : ut cum tota deo inspirante saluata sit ciuitas : ipse solus mente lupina in .† magno grege ouium dura ceruice audeas permanere . Ad hanc ille uocem ueluti fatigatus immo confusus id dicitur dedisse responsi : Multa quidem quæ te audio operari sunt si me coram posito tale aliquid feceris : adhuc minime æquari poteris maximo deo nostro Appolini : Quod cum ille spiritu urgente diaboli balbutiens prompsisset : casu puer cui pincernæ officium erat : dum calicem plenum gentilli illi ad medium fere conuiuium obtulisset : de manu eius corruens totum comminuit . Cuius fragmenta dum pallens studet colligere minister : ille inquiens paganus ait : hic tuæ si possunt Marcelline appareant artes : si fractum resolidare potueris uitrum : credimus : quod ea quæ de te fabula fert etiam opera signent . Ad hæc beatissimus pastor : licet non tua hoc mereatur pagane perfidia : tamen non defuturam in hac parte christi credo uirtutem : Et ecce confestim fragmenta minister sancto obtullit Marcellino . Ille clara uoce audientibus cunctis porrectis ad cælum oculis Ait : domine Iesu christe : Cui subiecta sunt omnia : Cui uniuersa famulantur : Cui et sensibilia deseruiunt et insensibilia obediunt : fac hoc uas solidum sicut fuerat | prius . Mox ad eius uocem omnes ille particulæ solidatæ sunt : Ita ut per totum conuiuium ac deinceps calix ille usui quottidiano deseruiret . Sed nec paganus ille moram faciens respondit : Fateor tibi beatissime papa : quod hoc noster non faceret si ab inferis rediret Appollo . Sed ecce cognosco nullam esse salutem in his diis : quos aut faber conflauit in ære aut certe sculpsit in lapide . Nunc quoque precor te : quia uana sunt : quæ hucusque colui non patiaris me a grege sanctorum diutius effici alienum : Cumque uir beatissimus professionem hanc auribus accepisset : crastina inquit die si fidem operibus adoraueris : faciam quæ te desyderare uideo : et ecce die dominico maturius lucescente ille gratia baptismatis consecratus inter domesticos apostolici uiri se annumerari congaudens : postea discipulus eius dicitur fuisse perfectus . In uiro tamen beato uirtus indeficiens permanebat : ita per ipsum immense florebant uirtutes : ut maturatæ per uniuersum discurrerent orbem : et enim dabat uerbum euangelizantibus uirtutes multas . In illum tamen nullam iactantiam nullum stimulum uanitatis sæminare antiquus ille ualuit serpens : sed hæc omnia per gloriam dei a domino fieri iudicans nihil propriis uiribus ascribebat . Non in illius ore nisi modulatio psalmorum non in illius corde nisi Christus per omnia quiescebat . Inter ea dum secum aliquid psalmorum uolueret : et passuum cursu extensiore paululum a ciuitate fuisset progressus : subito per aggerem publicum legatio uelox superueniebat : et ecce ob nimiam festinationem dum mulio Veredo amplius quam poterat imperare certat : ipsa defecit euectio : nec longe uir beatus aberat . Ille quidem cuius iumentum deperierat arreptum pondus : quod ante se deferebat in ceruicibus beati ad ciuitatem deferendum imposuit : quem ille laborem benigne suscipiens ferre incuntanter tulit : ac illi per quem iniuria illata fuerat sermonem facere hoc modo cœpit : Si enim dominus et saluator noster o filii in humilitate carnis suæ uulnera nostra alligare dignatus est : et uino conpunctionis ac oleo misericordiæ adhibuit : curamdque† ut pius et peritissimus instituit medicus ac doctor gentium uelut stabulario sollicitudinem gerendam mandauit : cur ego honera uehiculi tui non deferam ?|| et inter hæc similia simul responsorium domino canens dicebat ut iumentum factus sum apud te : et ego semper tecum . Sed ut iam ad ciuitatem progressi adhuc impositum onus famulum dei : deferre cogebant : simul et insanire incipientes : cum iuxta domum ipsius . ubi eos opportunitas itineris adduxerat : præterirent : uuus† ex instantibus causa humanæ fragilitatis accitus ad parietes domus beato uiro aquam fundere superbia instingante præsumpsit . Tunc memoratis parietibus factus euolauit flammæ globus : qui protinus puerum absorbere potuisset : nisi ille se uelut ad sanctum refugium ante pedes sancti quem onerauerat proiecisset : Nec prius spiritualis flamma discesserat : nisi onus quod indigne tanto uiro impositum fuergt† a comparibus iacentibus fuisset ablatum . Tunc uniuersi ante uestigia eius proruentes ad modum precabantur : ut eos non iniuriarum causas rememorans illesos pateretur abire : Et ille oratione data respondit : Abite inquit filii securi domino pro ignorantia uestri erroris supplicate : et hortor : ut talia repetatis : et talia patiamini . Multe ab eis beato uiro dicuntur allate peccuniæ : quas ille uelut de preda diaboli respuens dixit : Multos esse per aggerem publicum pauperes : quibus omnia eorum largius errogari deberent sibi gratia saluatoris in eo collata satis abundeque sufficere . Sed nec multo post alia

sequens superbior aduenit missa ab :† Imperatore legatio : qui . cum beatum memoratum uirum subito in platea domino uacantem repperissent stantem : mox unus consignatis ei ueredis custodire mandauit . Insuper adiecit ubi flagello quod manu gerebat beatum percutere minime dubitaret : unde factum est : ut citius percussor caderet : quam miles domini ictum ferientis exceperit . Nam et dæmone cuius hunc instinctum presumpserat arreptus tremere ac stridere non mediocriter cœpit . Tunc curiosius sotii sui requirentes quisnam fuisset ille : qui hanc pertulisset iniuriam didicerunt a cunctis christianorum hunc esse pontificem . At illi non se placare sua humilitate nitentes : omnes qui præerant ciuitati ad antistitem summum cum grandi deuotione miserunt : Quod cum eorum precibus reniti nec potuisse magis Sed | nec uoluisset uoluntate sancta cum iam forte domum fuerat progressus : ad corpus pene exanime regressus est : Cumque iam ipsa ex his torpentibus uita lassasset intonare diabolus his uocibus cœpit : Nunquid non suffecerat Marcelline : quod nos ab Aphricæ finibus excluseris : ut uel in Galiis nobis quietem habere liceret . Ille cum paululum diaboli irrisisset dementiam : percutiens pectus ac tota mente commotus ait : Tibi dico spiritus immunde : qui superbia elatus super ceruices hominis huius residere præsumis : ut in nomine domini nostri Iesu discedas a famulo dei : et alienus efficiaris ab eo : quem ad imaginem suam plasmare dignatus est . Et adhuc uix fere eloquium : ut ex ore proruperat : iam ille sermonem sancti eloquii non ferens : cum ingenti fætore discesserat : Sicque homo ille redditus sanitati statim se christianum effici postulauit : Tunc cum inspiratione dei omnes omnino ad fontem salutis properarent : cœpit ecclesia Christi undis fœtantibus parturire : et ad unum ouile multi catholici greges concurrere : Ita factum est : ut omnes proiectis ante pedes sancti Marcellini secundum formam apostolicam pecuniis maiorem ecclesiam : quæ uniuersam fidelium multitudinem recipere possit : desyderio ardenti fieri postularent : Cui adiunctum baptisterium paruo quidem opere sed diuino late effulget miraculo . hic fons precibus beati immo ut ueridico ore referam de domini pietate securus : quæ quæcumque fides postulat impetrasse gaudeat : irriguus ac indeficiens assidue manat : ac in perpetuum deo ordinante manauit . Talis enim : in argento non fulget gratia : qualis in manantibus aquis : tum ad sacram illam dominicæ resurrectionis noctem conueniendum est : domino largiente ipse quoque ad mensuram certissimi loci profluit : et septem illis sanctissimis pascæ diebus in plenitudine sua manens octauo die paulatim minui perspicitur : Non quod ipse unquam deficiat : sed ut superueniente anno nouitatem sui miraculi recrescens ostendat : Ex cuius sacratissimo latice si quis qualibet infirmitate detentus potaturus sitierit : omnium suorum statim consequatur sanitatem membrorum . hæc quoque non solum uetus narrat historia : sed præsens dat testimonium ueritati : quod cum inter primitiuorum greges æcclesia fœ || cunda gauderet : iam a uicinis locis multitudo fidelium concurreret : In sextodecimo itaque a ciuitate lapide : propteri† longinquitatem populorum : ecclesiam domini propriis rebus credidit instruendam : ad cuius sancta sollemnia celebranda ipse cum multitudine populi ad ciuitatem properans : ad quendam fluuium : cui Sanctio nomen est perueniunt : qui enormitate pluuiæ ac niuis resolutione tumescens deuotam deo plebem ad opus desyderatum accedere minime permittebat . Tunc beatissimus pastor et cum omni ueneratione colendus conuersus ad populum hæc consolationis uerba depromsit : Aequo animo estote filioli : quoniam dominus noster hodie fidei uestræ patefaciet uias : et cum uos ad desyderata perduxerit loca : paganis confusionem non minimam generabit . Aut quando illa inclyta diuinitatis dextera sine uirtutibus ac mirabilibus consistere potest : in qua uniuersæ uirtutes manere noscuntur ? Si enim indissolubiles marini fluctus Moyse duce aberant : ut pedes sanctorum puluerulentam uiam ac lucis peregrinam calcarent : saxa perfundi . e contra inimicam pelago gentem demersam . populum iustitiæ parem : ac æquitatis consortem cum dignia laudibus suis et præconio liberauerit . Cur nostris non propicietur meritis : et ignoscat peccatis : et nobis mare istius sæculi gradientibus fluminis huius impedimentum aperiat ? Cum hæc fuisset affatus eleuata dextra uexillum crucis extendens audientibus cunctis his uocibus aures diuinas : nota iam sibi securitate pulsare non desinit : Domine Iesu christe fili dei uiui qui super creaturam aquam planetis non diffidentibus ambulasti : quique apostolum tuum appræhensa dextra super solidos latices sustentans : ne quid posse fidem sustentare persuades : ad cuius imperium aquæ originem propriam oblite

in uini se saporem conuerterunt : aperiat nunc nobis : quis de inuicta tua dextera uiam atque fluminis huius post nos reuocans cursum siccum nobis iter adire concede : quia tibi inquit soli deo est honor et gloria uirtus et imperium in sæcula sæculorum : Cumque respondissent amen . ecce tumidi æquoris fluctus resupinatus omnis post tergum eorum refluere cœpit : quia non prius uir beatissimus a supplicatione discesserat : ni | si omnis illa multitudo in ulteriores ripæ partes aqua cedente se peruenisse gauderet . Hæc iam stirps illa paruissima quæ remanserat paganorum audiens ipsum iterum remeantem : cum laudibus atque deuotione plenissima excipientes : omnes uno momento uniuersa ætas et sexus gratia baptismatis consecrati sunt . Nam et diuersæ infirmitates ab eo sanari dicuntur : ita ut claudi recipiant gressum : Cæci uisum : surdi auditum : et hi qui a spiritibus immundis uexabantur omnes fuerint absoluti . his itaque per ordinem atque in ueritate compertis festiuitatem eius duplici gaudiorum remuneratione locupletatam cognoui ita : ut cum transitus eius die iduum aprilium pro transmigratione ueraciter excolatur : post octo quidem dies id est duodecimo calendas maias dispositio uenerabilius adimpletur : quod si quando minime in pasca esse contigerit : in his octo diebus pascalis læticia non deerit . Sed hæc non alia res fecit : nisi quod episcopi qui ad sancti confessoris exequias interessent longe positi uidebantur . hæc interim breuiter ut potuimus tenui sermone perstrinximus .

VITA SANCTAE MARIAE AEGIPTIACAE .

Fuit quidam senex in palestinæ monasteriis uirtute et uerbo decoratus : qui ex ipsis cunabulis monasticis nutritus est moribus Zosimas nomine. Nullus enim existimet cognominationis nomine Zosime me illum dicere Zosimam : qui inter mathematicos aliquandiu detinebatur : ut pote hæreticus : Nam hic alius atque ille alius . Multum enim inter utrumque licet uno appelati sunt uocabulo interfuit . Hic enim Zosimas Orthodoxus monasticam elegit uitam in quibusdam Palestinæ ut dictum est monasteriis : totamque percurrens patriam conuersatione omnique uerbo abstinentia præcipuus repertus est : simul regulam sibi traditam iuxta eorum certamina infans dum esset seruauit . Plura enim adinuenit ex propria natura qualiter subditam spiritui carnem faceret . Nam ita fuerat certaminibus idem senex insignis : ut plerique multotiens in propinquis mona || steriis aliquando : et in longinquis degentibus ad eius occurrerent doctrinam : eiusque imitarentur abstinentiam : et ab eo informari atque erudiri festinarent . Talis enim fuit senis huius operatio uirtutum : ut mediatorem dei aliquando sacris uerbis nunquam neglexerit . Reficiendo autem : uel a refectione surgendo opera ab eius manibus non desunt . Dicebat ergo hic Zosimas : quod ex ipsis matris sinibus in eodem monasterio traditus esset : quinquaginta : et tres ibidem gessit annos monasticum cursum perficiens . Post hæc ut retulit insidias patiebatur a quibusdam cogitationibus dicens intra se : perfectus sum in omnibus : aliena doctrina minus egeo : putans ne inueniatur in terra quisquam monachus : qui possit quicquam nouum tradere : aut ædificare me : quod nescio : aut quæ ego operatus non sim monastica opera ? uel inueniri potest disertus philosophus : qui sensu uel opere me præcellat ? Hæc secum cogitans pater quidam astitit : et ait ad eum : Zosima bene quidem in omnibus certus es . optime monasticum cursum perfecisti : ueruntamen nullus hominum habet perfectionem . Nam sunt et aliæ salutis uiæ quas suis† apræhendere : egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui : ut Habraam ille inter patriarchas opinatissimus et sequere in quoddam monasterium iuxta Iordanem flumen positum mea uestigia . Ergo senex sequens præcipientem egressus est a monasterio : in quo pusillus creuerat : Cumque peruenisset ad Iordanem sacratissimum flumen deductus est uoce clamantis in illud monasterium : in quo deus iusserat eum uenire : namque atrii regiam pulsauit . Mox ut locutus est : quidam monachus regias custodiens : nunciauit eum abbati . Susceptus ergo ab eo conuersationem atque habitum reuerentiæ eius respiciens humi prostratus : ut monachis consuetudo est eum adorauit : Factaque oratione interrogatus ab abbate ita : unde coniunxisti frater : et pro qua occasione ad pauperes uenisti senex ? Zosimas respondit : unde quidem dicere non mihi uidetur esse necessarium : ædificationis causa

aduenio pater. Audiui enim signa laudabilia per quæ possunt animæ deo apropinquare. Dixit ad eum abbas : Deus frater qui solus fragilitatem humanam curare nouit : ille te atque nos doceat suam diuinam | adimplere uoluntatem : et ea peragere : quæ optima sunt. Nam homo hominem ædificare minime potest : nisi unus quisque se recipiendo et operando quæ bona sunt : deum sibi propinquum faciat suis bonis operibus sociando. Tamen quia Christi caritas te uidere nostram senum paupertatem inuitauit : commane nobiscum : si per hoc ad nos coniungere festinasti : simulque nos satiabit Christi dei gratia idem pastor bonus : qui tradidit animam suam pro nostra redemptione uocauitque oues suas nominatim. Hoc dum audiret Zosimas rursus homo faciem inclinauit. Orantes pariter celebrata oratione dixerunt amen. Dum autem in eodem monasterio habitaret. Vidit illic patres uirtutibus et operibus coruscantes et spiritu feruentes incessabiliter psallentes stantes per totam noctem ad uigilias manu operantes : ex ore eorum psalmi non desinebant : stultum uerbum ab eis non procedebat : sæcularia negotia : uel causarum curæ ad eos minime pertinebant. Annuos redditus uel nomen eorum nec cognitum hebebant† : sed unum tantum erat eis omnibus arduum uotum : ut singuli se ipsos mortuos facerent corpore : ut possent sæcularia euadere. Cibus uero illis erant spiritalia eloquia. Ministrabant autem corpori : quæ necessaria erant panem tantum uel aquam : ut absisteret deo referre gloriam inuicem per caritatem. Hæc diuina opera dum uideret Zosimas ædificatus est ualde proficiens in deitatis diuinitate semper augumenti proprii cursus sibi cooperantis in uera diuina potentia. Plurimis autem transactis diebus appropinquauit tempus dierum sanctorum ieiuniorum præparantes se purificationi dominicæ passionis saluatoris nostri. Ianua autem monasterii nullomodo patefiebat. Sed semper clausa manens ad diuinitatis opera monachis quietam præstabat uitam. Nec licebat eam patefieri : nisi forsitan aliquis monachorum pro aliqua re necessaria aduenisset. Desertus enim erat locus : et non solum uiam transeuntibus sed et propinquis incognitus : quia talis regula ab initio custodiebatur : et propterea deus Zosimam ad hoc perduxit monasterium. Dominico die prima ieiunii hebdomade omnes iusta consuetudinem monachi uocabantur. sancta dei mysteria secundum morem celebrare christianorum : et unus || quisque eorum sanctissimum atque uiuificans corpus domini suscipiebat : paruumque sumentes cibum congregabantur omnes ad orationem solemnem studiose. Dum autem complerent orationem flectentes genua senes se inuicem osculabantur. Deinde omnes amplexantes et pacem dantes abbati. Rogabant sibi ab eo orationem futuri certaminis eorum auxiliatricem fieri. his peractis monasterii aperiuntur regiæ : simulque psalentes et dicentes : Dominus defensor uitæ meæ a quo trepidabo : et cætera ipsius psalmi. egredientes omnes unus forsitan tantum uel duo custodes in monasterio remanebant : qui infra reposita custodirent : quia nec erat : quod a furibus eriperetur. Sed ob hoc maxime prædicti custodes ibidem relinquæbantur : ne oratorium absque celebratione solemni postponeretur. Singuli autem eorum secum deferebant uitæ tantum necessaria quæque poterant : aliqui panis parum ad fragilitatem corporis sustentandam : alii autem caricas : alii uero dactylos : cæteri autem legumina aquis infusa : alii autem nihil nisi proprium corpus et pallium quo uestiebantur : nutriebantur uero quotiens natura compellebat hærbis : quæ per desertum nascebantur. Igitur regula propria sibi nouiter : quisque eorum certabat : taleque habebant immutabile ignorare alium : quale alius operaretur certamen : eo quod Iordanem mox derelinquentes seorsum ab inuicem longe descendentes ciuitatem et habitationem haberent desertum : nullusque alii iungebatur. Sed si forsitan unus eorum alium esse longe uenientem respiceret : euestigio discedens de proposita itineris uia ad aliam se declinabat partem. Ita solitariam peragebant uitam semper psalendo et deo gratias agendo opportunum gustantes cibum. Ita omnes dies ieiunii complentes remeabant in monasterium dominico die præcedente hebdomodam† resurrectionis domini et saluatoris nostri : quam diem festum palmarum sancta consueuit celebrare ecclesia : ferens unusquisque eorum fructum laboris propriæ conscientiæ ad cognoscendum se ipsum qualiter operatus esset : qnalesque† seminauerit fructus. Nulli uero erat solitum interrogare proximum suum : quomodo : uel qualiter præsens certamen exercuerit : quia huiusmodi in monasterio regula tradita fuerat : Vt unusquisque eorum habitando desertum : deo tantummodo certaminis sui cursum demon | straret : a nullo hominum glorificari desyderans

nullam quærens transitoriam et uanam gloriam aut humanos fauores. Sed spiritalia operando : Carnalia atque terrena dereliquendo cælestia obtineret . Nam in monasterio hominum fructuosis operibus damnum acquiritur . Tunc uero Zosimas iuxta consuetam monasterii regulam pertransiuit Iordanem parum secum deferens cibi ad sustentationem corporis et pannum quod induebatur : et quidem regulam adimplebat pertransiendo heremum. Tempore autem reffectionis edebat cibum necessarium pro natura corporis . Soporem uero parum in terra iacens capiebat modicum gustando : ubi eum diei finis occupabat : atque iterum diluculo iter suum perambulabat incessanter augumentando cursum habens desyderium suum pertransire heremum : sperans aliquem tandem reperire patrem in deserto : qui eum posset ædificare iuxta eius desyderium . Currebat igitur securus optimam uiam : ut ei promissum fuerat : festinanterque currebat : uiginti ergo dierum peragens iter facta hora quasi sexta parum se abstinuit ab itineris labore : eleuatisque oculis ad orientem consuetam sibi celebrabat orationem . Solebat enim statutis diei temporibus : idest tertia sexta nonaque abstinere a sui itineris cursu orationis causa : Eleuatisque ad superna oculis respiciens a dexris† : uidit in quodam loco stare quasi umbraculum humani corporis . Stupefactus ac turbatus ualde existimabat phantasma esse : quod uiderat : Ft† ter signaculum sibi redemptionis sanctæ crucis faciens : et completa oratione uidit quandam in parte meridiana ambulantem nudo nigroque corpore ex incendio solis exustam . Capilli autem capitis eius ut lana candida atque parui usque ad colum descendentes . Hoc cum uideret Zosimas ammiratione repletus est : et cum magno gaudio cœpit currere ad eam partem : qua prædicta imago uidebatur : Nam et illa : quæ a Zosima uidebatur inefabili exultauit gaudio et læticia : quoniam uidebat : quod multo annorum spatio minime respexerat humanæ naturæ speciem : nec cuiuslibet animalis uel uolucris figuram . Mirabatur ergo Zosimas : quæ et qualis esset : quam uiderat : existimans quod magnam uiderat personam. Dum illa uideret Zosimam || de longe ad se appropinquantem : cœpit concite fugere in interiora deserti. Zosimas uero contemnens senectutis debilitatem fastigiumque itineris concito eam gradu sequæbatur . Illa magis magisque fugam petebat . Erat autem Zosimæ cursus uelocior : et paulatim appropinquabat se fugienti : proximus autem ei factus : ut etiam uox posset audiri : cœpit uociferans Zosimas tales emittere uoces cum lachrymis : ut quid me fugis hominem senem et peccatorem serue dei uiui ? Sustine me : quæcumque es . Coniuro te per deum : pro cuius amore hanc habitas heremum : et recipe me debilem atque senem indignum. Coniuro te per illum : in quo habes pro tantis laboribus bonam spem æternæ retributionis . colloquere mecum dulcedinis ac suauitatis uerba : et noli me derelinquære sine mutua collocutione : ut me denuo renoues per eum : qui tecum habitat . Hæc Zosima cum lachrymis rogante uenerunt utrique currentes in quendam locum : qui locus ita uidebatur : quasi aliquando torrens inde cursum habuisset . positio autem loci illius sic uidebatur : coniungentibus autem eis : ad prænominatum locum præcedens illa quæ fugiebat : ante faciem Zosimæ descendit : et rursus per aliam partem loci illius uidebatur quasi torrentis ascensus : Zosimas uero nimium fatigatus minime potuit currere . Sed magis astans ex una parte : augens suis lachrymis lachrymas et flætibus fletus rogabat ædificationis sibi impendi sermonem . Mox illa quæ fugam prius petierat : talem emisit uocem : abba Zosima quid me persequeris ? Ignosce mihi peto : quia minime possum conuertere faciem meam ad te : eo quod mulier sum nuda . Sed pallium quo indutus es porrige mihi : ut corporis mei uerecondiam contegat : ueniamque ad te : et accipiam tuas orationes . Tunc stupefactus atque turbatus est : eo quod audisset se uocari ex nomine. Sapientia autem repletus diuinaque refulgens gratia intellexit : quod non eum nominatim uocare potuisset : quem nunquam uiderat uel audierat : nisi quia superna prouidentia ei reuelauerat : Statimque expolians se pallio : quo induebatur uetustissimo iactauit illi auersa facie . Illa uero sumens illud cinxit se : ut potuit : et cohoperuit partem necessariam sui corporis . Respiciensque Zosimam ait ad eum : | Quid tibi fuit uisum abba peccatricem uidere mulierem : Aut quid quærens cognoscere tot tibi imposuisti labores ? Ille uero genua flectens obseruabat : ut benedictionem ab ea acciperet : Illaque humo prostrata adorabat eum . Erant uero utrique in terra prostrati inuicem se rogantes : ut alterutrum initium facerent benedictionis . Nullaque penitus audiebatur uox : Nisi tantum benedic me : benedic . Et cum diu in hoc per-

sisterent : Respondit mulier Zosimæ dicens : Abba Zosima tibi magis concessum est benedicere : atque orare : eo quod sacro præsbyterii fungaris officio . Plurimis enim annis sacris assistens altaribus mentem sanctis orationibus bene replesti . Hæc audiens Zosimas amplius territus atque stupens ait : Certe uideo o mater : quod omni spiritali gratia sis repleta : quoniam nomen et officium præsbyterii designasti in me : quem nunquam uidisti . Spiritalis enim gratia non propter ordinem uel dignitatem tribuitur sed magis ex bonis moribus actibusque acquiritur : per deum te coniuro : ut prius a te benedictionem accipiam : tuaque oratione perfrui merear : Dixitque mulier : Benedictus dominus redemptor animarum nostrarum. Zosimas respondit : amen : Moxque erectis ambobus a terra ait ad senem mulier : Rogo te pater : quid ad me peccatricem coniungere desyderasti : aut quid nudam et ab omni bono opere infirmam cernere uoluisti mulierem ? Zosimas respondit : Non hoc meæ uoluntatis fuit sed diuinæ dispensationis munus nos fecit utrosque uidere . Respondit mulier sicut asseris per dispensationem diuinam hoc actum est . Rogo te pater ait : mihi conuersationem humani generis dicas : et quomodo sint reges uel stabilitas Imperatorum aut pastores ecclesiarum ennarres mihi . Zosimas uero respondens ait ad eam : Multifaria relinquens : breui sermone dicam tibi mater : quod dominus Christus ac redemptor noster omni populo suo firmam pacem est dignatus concedere : Sed rogo te : ut præceris dominum : pro totius sæculi instabilitate : simulque pro meis peccatis . Respondit ad eum mulier : Opportunum est et ualde necessarium tibi abba Zosima : qui habitu : et mente et sacerdotali ornaris officio pro omnibus atque pro me peccatrice orare dominum : qui in hoc uocatus es : Tamen propter || præceptionem tuam obedio cum omni uirtute : et orabo deum licet pecatrix : et eleuans oculos ad orientem : et manus erigens ad cælos cœpit silenter orare ita : ut tantum labia eius mouerentur : et uox penitus non audiretur . unde zosimas nullum uerbum orationis potuit intelligere . Sed hoc deum sibi testem adhibens dicebat : quia dum prolixam . mulier faceret orationem : uidit eam in loco in quo stabat orans a terra suspensam in aere quasi unius cubiti mensura : qua uisione magno compræssus timore : cadensque in terram cœpit sudoribus inundari : stuporibus compræhendi : ammirationibus æstuare : nihilque aliud poterat dicere : nisi Kirieleyson . Dum hæc agerentur : Cœpit senex magna cum dubietate anhelare : ne forte spiritus esset phantasiæ : et fingendo orationem faceret . Mox conuersa mulier leuauit abbatem a terra : et ait ad eum : Abba quid te conturbant cogitationes tuæ in tantum : ut scandalizatus sis : existimans me esse immundum spiritum orationem simulantem . Satisfaciat tibi dominus : Peccatrix sum mulier : tamen sancto domini nostri Iesu Christi baptismo induta sum : et non sum spiritus : Sed magis terra et cinis : nullaque habeo maligni spiritus opera . Et hæc dicens signo redemptionis sanctæ crucis frontem oculos labiaque ac pectus sibi depingens dixit : Deus omnipotens abba Zosima eripiat nos ab iniquo atque maligno antiquo illo hoste : qui aduersatur humano generi : et subueniat nobis : quia multa aduersum nos commouet certamina . Audiens hæc senex proiecit se in terram : et compræhendens pedes eius dicebat cum lachrymis : Coniuro te per christum dominum et deum nostrum : qui nasci pro hominum redemptione de uirgine dignatus est : propter quem hanc nuditatem sustines : propter quem carnes tuas ita afflixisti : ne abscondas a seruo tuo : quæ sis : uel unde : aut quando uel quomodo habitandum hanc heremum aduenisti : Sed omnia mihi minutius enarrare digneris : ut manifesta facias dei magna : et mirabilia opera : quæ mundus non est dignus agnoscere : quia absconsa sapientia : et thesaurus ocultus : quæ utilitas in utrisque ? Dicito mihi igitur omnia per deum omnipotentem te deprecor : quia non pro humana gloria a me hoc fit : sed ut mihi peccatori et immerito ædificationis cau | sa omnia patefacias . Credo enim in christo : Cui animam obtulisti : quia ideo ad hanc peruenisti heremum : ut glorificentur per te opera dei : qua nullus nostrum perscrutari potest abyssum iudiciorum dei . Si ergo deo nostro minime placuisset te mihi fieri manifestam : tuosque labores quos in hanc heremum pertulisti reuelari : nequaquam te mihi demonstrari permitteret : nec me tantos pertulisse pateretur labores : Dum hæc et his similia diceret abbas Zosimas : mulier a terra eum eleuans dixit ei : Heu me turpe quidem et omnino pudendum mihi uidetur abba Zosima enarrare tibi uerecondias operum meorum . Sed peto : ut ueniam mihi concedas dicendi : Nudam me uidisti corpore . nudos tibi faciam actus meos : ut scias : quia

tanti operis obprobrium non gloriam aliquam quærens ocultabam. Ve mihi : nam per quæ mea opera habui gloriari : dum fuissem uas electionis diaboli ? Scio enim : quod si meorum initium narrationum fecero : fugam petiturus es : ac si fugiat quis a serpente : nec poteris auribus percipere : quanta uel qualia peregi facinora . Tamen dicam omnia : nec quicquam tibi occultum faciam . Sed peto : et precor te pater : ut indesmenter† pro mea orare miseria debeas : ut tuis intercessionibus merear inuenire misericordiam in illo examinis die . Tunc senex extensis manibus copiosius fundebat lachrymas . Mulier autem cœpit suam narrationem explanare dicens : Ego frater patriam habui egyptum : et dum mei adhuc superessent parentes : duodecimo anno ætatis relinquens eos : Alexandriam petii ciuitatem : ubi qualiter ab initio corpus meum corruptioni tradiderim : qualiter ue iugiter insatiabili libidinum fluxui deseruierim : sermonibus enarrare minime possum . Breuiter autem abba tibi dicam meæ fornicationis iniquitatem : Decem et septem et amplius fere annos publico astans loco pessimum mei corporis negotium exercebam : tradens uolentibns† irrecusabiliter carnis meæ pudorem : repellens a me omne acquisitionis lucrum . Vnum tantum mihi erat lucrum luxuriosam acquirere uitam. Nam ludus et ebrietatum insomnietates mihi pro thesauris uidebantur . Multotiens enim oblatum mihi lucrum recusabam : ut amplius requirerem pessimi mei desyderii amicos : et hoc non quasi ut locuples : sed ege || state prom† diuitiis reputabam . Vnus uero mihi : et magnus erat ardor desyderii . protellatis conuiuiis lusibus ac iocis insistere : et diebus ac noctibus pessimam corporalis naturæ iniuriam irrogare . huiusmodi enim obscenis ac maculosis operibus meæ iuuentutis expendi uitam . Aestiuo igitur tempore contigit uidere me turbam populi uirorum ægyptiorum et aliorum libye regionis currentium iuxta mamare† . Tunc interrogaui quendam proxime mihi astantem uirum : ubi omnes illi festinarent : aut quis illis esset itineris cursus . Ille autem respondens ait mihi : In hierosolymam hii omnes festinant ascendere crucis ac redemptionis et ascensionis festum : post paucos dies desyderantes uidere . Tunc respondi ego uiro illi hæc mihi narranti : per deum te coniuro frater : si maluero cum eis comitari . dabunt mihi licentiam simul itineris facere cursum ? Ille uero respondens ait : Si nabulum tuum dederis : et impensam habueris . nullus eorum prohibere poterit . Dixitque ad eum : uere pater nabulum : et impensam minime habeo . Ascendam autem in unam eorum nauiculam : et crede mihi nutrient me etiam si uoluerit . Nam corpus meum erit illis pro nabulo . Ideo autem cum eis comitari festinabam : peto ueniam abba : ut haberem amicos pessimos . et sordidissime uoluptatis . Ego quidem abba Zosima rogaueram te : ut non mihi imponeres : meos tibi ineffabiles dicerem pudores : quia undique tremore concutior . Viuit dominus quod polluuntur in eis sermonibus : non solum aures tuæ : sed ipse aer : Tunc Zosimas fortiter lachrymatus dixit : loquere per deum . Coniuro te : mecum loquere : ne prætermittas cœptam enarrationis edificationem . Illa uero cœpit explanare ita dicens : uir ille : qui a me interrogatus fuerat : quo turba illa progrederetur : Audiens meos sermones turpissimos surridens abiit . Ego uero uelociter ad mare cursum dirigens : uidi iuuenes in littore maris stances† numero decem lusum et motionem uanæ iuuentutis habentes : et expectabant sodales suos nauigatores : Nam plurimi iam in nauiculam ascenderant . Ego autem importune in medio eorum astiti dicens : Ducite : et me uobiscum : quo ambulaturi estis : et nequaquam uobis | uidebor inutillis . ducentes autem me secum ascendi cum eis in nauiculam : sustinebant autem comites : qui et festinanter coniunxerunt . Tunc nauclerus terræ funibus ligatam nauiculam solui præcepit : et eleuatis uellis exinde nostri nauigii fiebat initium . Tota itaque nauigatio erat mihi lusus et ebrietas et adulteria et ridicula ac turpia uerba uel his similia : quæ lingua tibi explanare minime potest : nec patiuntur aures audire eos quidem sermones : quos in eadem nauicula pessima locuta sum : a quibus maliciæ operibus nec terror maris nec procellarum fluctus me corrigebant . Sed magis ac si per terram iter agens : ita augumentum mihi uitæ prodigiosæ crescebat : ut non solum impudicos sed etiam honestos uiros ad meam miseriam inuitarem . Eratque animarum eorum perditio et lacus eorum erat mea crudelissima caro . Vnde semper ammirans stupeo : quomodo meas sustinuerit mare iniquitates : aut quomodo terra os suum non aperuit : et uiuam me infernus non absorbuit : Sed ut uideo misericors deus meam substinuit pœnitentiam : quia non delectatur super mortem peccatoris :

sed magis manet longanimis pœnitentiam expectando . Sic enim cum summo festinationis studio appulimus hierosolymæ . Et quantos dies ante festiuitatem crucis in ciuitatem fecimus similia operata sum : et ut uerius dicam præteritis faciebam deteriora amplius insaniens in multorum hierosolymorum uirorum perditionem . Cum appropinquasset autem sanctæ crucis et ascensionis festiuitas : ego ut mihi erat consuetudo gyrabam totam illam ciuitatem animas innocentium uenando . Videbam autem diluculo homines ad ecclesiam concurrentes et ego cum currentibus comitari cœpi : peruenique simul cum eis usque ad regias atrii : et cum appropinquasset hora ascensionis diuine et adorandæ crucis : ego repellebar iterum atque iterum . et non permittebar ingredi cum turba . Volens autem me iungere regiis per quas in sacrum templum ingressus erat per quas et salubris sanctæ crucis ascensio monstrabatur . uix cum magno flætu cum labore appropinquabam . Ego miserabilis quando lumina regiæ pedibus calcabam : alii omnes facilius || ingrediebantur me autem diuina quædam uirtus prohibens uetabat ingredi ianuas regias : et iterato repellebar atque minabar in tantum : ut sola in atriis astans inuenirer . Existimans igitur quod ex fœminea debilitate hoc mihi contingeret : iteraui cum aliis . Sed amplius ab ingressione repellebar cupiens introitum adipisci . Laborabam enim inanis : et uana mihi fiebat festinatio : dum quando pedem in limite ponerem : alios templum infra suscipiebat nullo impediente . me uero solam nullo modo recipiebat et tanquam militaris acies esse me insistens et ingredi non sinebat : sed iterata uice foras ad atrium repellebar . Dum hoc mihi frequenter contingeret defecta uiribus ac dissoluta membris ita ut nec standi mihi uirtus sustineret postpositis omnibus in quendam angulum templi seorsum recessi tractans mecum unde hoc mihi aduenisset : eo quod templum minime ingredi potuissem . Tandem aliquando intellexi : unde talis aduenerit contrarietas adorandi mihi lignum uiuificationis sanctæ crucis . Salutis enim uerbum patefecerat cordis mei oculos reuelans mihi ob sordes operum meorum ingressum templi non promereri . Tunc cœpi miserabilis flære pectusque manibus tundere : et ex alto cordis infinita grauiter dare suspiria : lachrymasque affluenter effundere . Respiciens autem de loco in quo stabam : uidi seorsum fixam imaginem uultum habentem sanctæ dei genitricis : ad quam ex toto cordis affectu dixi : Sancta dei genitrix uirgo : quæ dominum uerbo incarnatum genuisti : scio quod immerita sum tantis polluta sordibus et tantis luxuriis repleta respicere imaginem tuam sed certa sum : quod ideo dominus quem genuisti homo dignatus est fieri : ut peccatores uocaret ad pœnitentiam . Auxiliare ergo mihi sancta dei genitrix : quia nullum habeo solatium et præcipe me regias sanctæ introyre ecclesiæ . Obsecro te domina : Vt communicare me facias . Videntibus sanctæ crucis uenerabile lignum : in quo carne affixus est deus : quem tu sancta et immaculata genuisti uirgo : qui suum pro redemptione totius mundi effudit sanguinem . Iube itaque domina patefieri mihi clausas regias meum adimpleri desyderium adorandi sanctissimum lignum crucis . deduc me coram domino : quem genuisti : quod denuo carnem istam sordibus | et pessimis non maculabo operibus . sed mox ut me lignum sanctæ crucis adorare concesseris : renuntiabo sæculo et omnibus quæ sunt sæculi : et uadam quo mihi præceperis : ac demonstraueris salutis uiam : in quam tu deduxisti . Hæc dum dicerem satisfeci menti meæ : quod sancta dei genitrix posset pro me omnia obtinere . Derelinquens ergo statim locum : in quo orabam : miscui me inter eos : qui templum ingrediebantur : nullusque repertus est : qui me foris repelleret : sed magis ut unda maris ita me turba miro impellebat : ut apropinquarem sancto loco : quem prius nec pedibus calcare poteram . Tunc ex nimio gaudio appræhendit me pauor : dum me uiderem locis astare sanctis : quo prius iniquitas mea me ingredi prohibebat . Nam absque ullo labore adoraui lignum sanctæ crucis : et sensi ibi suauitatem odoris : et merui uidere omnia sancta dei misteria : Et regrediens ad illam quæ me fide deduxerat festinabam . appropinquans igitur ad locum in quo promissionem fide dictionis sanctæ dei genetrici feceram . Flectens genua his cœpi sermonibus loqui : Tu mihi domina miserta es : measque preces non repulisti : per te merui uidere gloriam dei : quam peccatores respicere non possunt . Per te glorificaui dominum peccatorum suscipientem pœnitentiam . Quid amplius quæram : quam quod merui uidere diuina mirabilia . Appropinquauit o domina tempus : in quo mea debeat suppleri promissio . Nunc ergo quo tibi placet : dirige me : et demonstra mihi pœnitenti uiam salutis .

Dum hæc dicerem : audita est uox dicentis : Si Iordanem transieris saluaberis : et bonam Inuenies requiem . Ergo dum talem audissem uocem : credens eam propter me illa dixisse : eleuaui uocem cum lachrymis : et ita dixi : sanctæ dei genitrici : domina mea ne me derelinquas : neque deseras : sed iugiter custodiens tuere : ubi tu uis me ire : Et hæc dicens egressa sum de terris templi : et uidens me quidam senex obtulit mihi pro eleimosyna tria minuta dicens : Suscipe mater : Ex quibus minutis comparaui tres panes : quos mecum pro benedictione in uia detuli : Interrogauique uirum illum a quo panes emeram : ubi uel quæ esset uia uolentibus ad flumen Iordanis ambulare : qui ostendit mihi portam ciuitatis : per quam itur ad || Iordanem : exinde uero egrediens initium uiæ cum lachrymis faciebam . Erat autem hora quasi tertia : quando lignum crucis adoraui : et ante solis occasum appropinquaui oraculum sancti Iohannisbaptistæ super ripam Iordanis positum . Mox faciem uel pedes ex ipsius aqua fluminis laui : et sacro sancta mysteria merui in eodem sancti Iohannisbaptistæ percipere monasterio : Ibique panem dimidium edens : bibensque aquam Iordanis terræ me collocaui . Alia uero die ascendens nauiculam transfretaui Iordanem enixius precata sanctam et immaculatam dei genitricem : ut mihi uiam salutis sicut ei placeret ostenderet : Peruenique in heremum et ex illo tempore usque nunc semper elongaui homines fugieudo† : habitans in deserto expectansque dominum meum : qui saluos facit se ad eum conuertentes . Zosimas autem ait ad eam : Quot anni sunt domina mea : ex quo hanc heremum habitas ? Respondit : quadraginta et septem ut existimo anni sunt : ex quo sanctam egressa sum ciuitatem . Dixit ei Zosimas : quid inueneras : aut inuenis ciborum : ex quo hoc desertum habitare cœpisti ? Mulier respondit : duos quidem panes et dimidium mecum ferebam : quando Iordanem transiui qui per tempora quasi lapides duri facti sunt . Ex his modicum comedendo aliquot transegi annos . Dixit ad eam Zosimas : Et sic absque ullo labore tot annorum spatia euasisti : uel subita conuersationis mutatio non tibi incussit labores ? Responditque mulier : Causam me nunc interrogasti abba Zosima habentem terrorem . Nam si uoluero recordari nunc pericula : que sustinui atque insidias cogitationum : timeo ne rursus mihi renouentur . Zosimas dixit ad eam : nihil derelinquas domina mea : quod non mihi patefacias : sed semel te suppliciter adiuraui : ut omnia me minutius doceas : Illaque respondit : Crede mihi abba Zosima : quod decem et septem annos in hoc deserto cum immansuetis cogitationum bestiis transegi carnalibus reluctans cogitationibus . Dum recordabar affluentiæ præteritorum ciborum : desyderabam carnes uel pisces quos antea in ægipto comederam . Delectabar potu uini insatiabiliter : multo enim uino utebar : dum fuissem in sæculo . Delectabant me nefaria cantica dæmonum : quæ antea didiceram : | sed mox lachrymas fundebam : et manibus pectus uulnerabam Reducebam ad memoriam illam quam mihi fide uictricem feceram : dum hanc ingrederer heremum : et quasi ante dei genitricis astarem imaginem : ita eam lachrymabiliter orabam : ut amoueret sordidas ac pessimas cogitationes mentis meæ : et dum plurimas funderem lachrymas : undique mihi refulgentem uidebam lucem : atque claritatis circundabar choro . Rursum mihi insidiabantur fornicationum mearum cogitationes : quæ quasi ignis uæhemens ita deuastabant uiscera cordis mei impellentes me ad perniciosa desyderia . Dum uero talia mihi certamina temptationum indesinenter insisterent : ad consueta orationis recurrebam arma terræ me proiiciens : eamque lachrymis inundans eam mihi orabam succurrere . Dicerem ne postmodum : ut præuaricatrix dampnationis extremæ lucrem pœnas . Non autem prius eleuabam faciem meam a terra : donec totum diei noctisque fuisset consumatum spatium : et dulcissimi illius splendoris fuissem lumine circundata : qui totam illam cogitationum temptationem fugaret : sicque sanctæ fide ductricis meæ protecta solatio transegi decem et septem annorum spatia : innumera euadens pericula : et ex illo tempore usque hactenus auxiliatrix mea præsto mihi inuenitur : quæ ubique et undique uigilans custodit me . Dixit ad eam Zosimas : Nunquid eguisti ulterius uictu atque uestimento ? Illa respondit : Illis ut dixeram expensis panibus per decem et septem annos comedebam hærbas : quæ in deserto inueniebantur . uestimenta autem mea cum quibus Iordanem transgressa sum diruta atque putrefacta sunt . Nam ualde pluinis hyemalibus uel æstiuis ardoribrs† tribulata sum . Ab illo enim tempore usque nunc diuina miseribordia† eripuit corpus et animam meam a cunctis periculis : Fitque mihi recordanti quanta mala quantaque pericula per diuinam euaserim gratiam magna læticia et

spes crescit salutis . Cibus potusque ac uestimentum mihi est uerbum dei : quoniam non in solo pane uiuit homo sed in omni uerbo : quod procedit ex ore dei . Nam dicit scriptura : non habentes indumentum induuntur lapide pro uestimento : qui se uestimento expoliauerunt iniquitatis . Hæc audiens Zosimas quod ex testimoniis diuinarum scripturarum || locuta esset ait ad eam : O domina psalmos aut alios diuinæ scripturæ libros legebas ? Ait ad eum mulier : Crede mihi homo dei : quia non uidi alium hominem ex eo tempore : quo transfretaui Iordanem nisi tantum tuam præsentiam : sed nūc† bestiam qualemcunque uel animal : litteras uero nunquam didici : neque aliquando psalentem aut legentem audiui : sed uerbum dei semper uiuens omnem me docuit scientiam . Ecce explanaui tibi mea opera o pater : sed sicut antea rogaui : et nunc rogo te : atque coniuro per dei uerbum incarnatum : incessabiliter digneris orare pro me peccatrice apud dominum . Dum hec dixisset mulier compleuit uniuersos sermones suos : flectens uero senex genua in terram : uocem cum lachrymis eleuauit dicens : Benedictus dominus : qui facit mirabilia magna gloriosa atque terribilia : quorum non est numerus . Benedictus es domine deus omnipotens : qui mihi peccatori reuelasti omnia bona : quæ donare dignatus es timentibus te : quia nunquam derelinquis quærentes te . Illa uero eleuans senem a terra dicebat : hæc omnia quæ audisti a me homo dei per saluatorem te coniuro Christum dominum : nulli ea loquaris : quousque deus me de terra assumi iusserit . Nunc igitur uade in pace : et iterum uenturo anno uidebis me : et uenies ad me dei gratia te comitante . Rogo autem te per dominum : ut in sanctis ieiuniis futuro anno minime transeas Iordanem iuxta consuetudinem monasterii . Audiens autem Zosimas : quod et solemnem regulam monasterii ei nuntiasset : ammirans nihil aliud dicebat : nisi gloria tibi domine : qui magis præstas diligentibus te . Illa autem ait ad eum : Habita : ut dixi in monasterio : et non egrediaris iuxta regulam quia non permitetur tibi : et sanctæ uesperæ cænæ dominicæ sacrosanctum corpus domini nostri Iesu Christi in uase mundissimo pone : afferque mihi expectans me in illa parte Iordanis iuxta locum : ubi me ueniente suscipiam uiuificationis mysteria : quia ab illa die qua ad oratorium sancti Iohannis ueniens priusquam transirem Iordanem communicaui usque nunc minime sacri corporis uel sanguinis domini nostri Iesu Christi percepi misterium . Sed me peccatricem deprecantem | te o pater ne despicias : mihi quoque sacra misteria per quæ dominus suos discipulos illius sacratissimæ cænæ participes fecit deferas . Abbatem autem Iohannem primum monasterii in quo habitare uideris commone dicens : Cautior esto frater mi : et sollicitus erga congregationem tuam : eo quod aliqui ibidem operantur : quæ necessaria sunt emendari . hæc dicens : adiecit : Ora pro me domine pater : petiitque interiora deserti . Abbas autem Zosimas flectens genua osculabatur terram : in qua sancta dei pedibus steterat : et glorificans dominum regressus est plenus animæ gaudio et læticia spiritus collaudans : et benedicens dominum Iesum christum remeansque de heremo eodem die ad proprium rediit monasterium : quo soliti erant monachi remeare : Et toto illo anno siluit : nullum alicui uerbum dicens de eis : quæ uiderat . delapso autem anni circulo superuenientibus diebus in ieiunii prima dominicorum die post sollemnem orationem alii omnes iuxta regulam egredientes psallebant . Zosimas autem leuibus tractus febribus egredi a monasterio minime potuit . Sicque recordatus est uerborum sanctæ mulieris : quibus dixerat : quia si egredi de monasterio uolueris : minime tibi licebit : Transactis autem paucis diebus confortatus ex egritudine degebat in monasterio . Appropinquante uero die sacratissimo cæne dominicæ festinans præceptis parere sanctæ mulieris : detulit secum in paruo calice sacramenta corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi : sumens et secum aliquot dactilos caricas lentemque aqua infusa : et facto uespere peruenit ad ripam Iordanis fluminis expectans præsentiam sanctæ mulieris : quæ quidem dum moram faceret : Zosimas respiciebat ad desertum expectans cernere : quam desyderabat dicens in semetipsum : forsitan mea peccata prohibuerunt eam ad me uenire : aut certe præcessit me in hunc locum : me autem non inueniens remeauit . Hæc dum cum summo cordis mærore diceret plorans : in cælumque eleuans oculos dominum his uerbis rogabat : Domine deus rex omnium creaturarum ne fraudes me uidere iterum eam : quam cernere desydero : neque uacuum me derelinquas : et his dictis cœpit cogitans dicere : Quid faciam si sancta uenerit mulier : eo quod nauicula minime reperitur : qualiter hunc Iordanem || possit transire : ut ad me ueniat peccatorem . Væ mihi indigno quomodo fraudatus

sum tanti desyderii bonitate ? Dum hæc tacitus diceret : ecce sancta affuit mulier : stantemque super ripa fluminis uidit eam Zosimas : et præ gaudio exultabat glorificans dominum : cogitansque quonam pacto posset mulier Iordanem transire respexit et uidit eam signaculum sanctæ crucis facientem super aquis Iordanis pedibusque super eas ambulare : et cœpit ipse sibi occurrere festinanter . Ipse autem ut uidit huiusmodi miraculum : pronus in terram adorare eam uolebat . Illa autem uociferando compescebat eum dicens : Vide ne facias abba Zosima : dum tu sis sacerdos et sancta portes mysteria : et hoc dicens transiit super aquas : peruenitque ad senem : et ait : Benedic me pater . Benedic me pater . Ille uero contremiscens ait : Certe scio : quod ueritas non fallit : quia sibi similes promisit quanta uirtus est eis : qui ad se mundo corde confugiunt . Gloria tibi Christe domine noster : qui me non fraudasti desyderio cordis mei : neque abstulisti misericordiam tuam a me : sed reuelasti mihi per hanc famulam tuam : quantum a me distant uiæ salutis uel integritatis . Hæc illo dicente petiit eum mulier sacratissimum sibi dicere simbolum seu dominicam orationem : Finitaque oratione dedit seni pacem : sicque sacrosancta mysteria sumpsit : Extendensque ad cælum manus dixit : Nunc dimittis famulam tuam domine secundum uerbum tuum in pace : quia uiderunt oculi mei salutare tuum : Dixitque ad senem : peto : ut aliud unum adimpleri facias desyderium meum : et nunc quidem perge ad monasterium cum pace . uenturo autem anno uenies in locum : ubi prius locuta sum : sed modis omnibus rogo te iterum et coniuro per dominum : ut uideas me : qualiter deo placuerit . ille uero respondens ait : precor te : ut concedas mihi : quod te in præsenti rogo : quatinus modicum gustare digneris de iis : quæ mecum attuli . Illa uero tria grana lentis aquæ infusa cum gratiarum actione percepit dicens : Suffitiat nobis spiritus sancti gratia : ut conseruare possimus dei præcepta inmaculate : Addensque ora pro me abba per dominum te coniuro : et mei memor esto . Ille uero iactans se eius pedibus dicebat : Ora inquit domina pro sanctis dei | ecclesiis uel christiani imperii incolumitate : atque pro me peccatore : et inuicem sibi uale dicentes signum sanctæ crucis faciens mulier Iordanem ut prius fecerat pedibus transiit . Senex uero regrediens repræhendebat se ipsum : quod nomen sanctæ mulieris minime requisisset . Transacto igitur anno ad heremum iuxta consuetudinem properare Zosimas studens ambulansque consueto numero dierum ad locum peruenit mirabilem sperans aliqua sui desyderii signa reperire : Vidensque nullum ad se uenientem cœpit faciem lachrymis rigare dicens : reuela mihi domine Iesu Christe thesaurum tuum : quem fures furari non possunt : quem in hac heremo occultasti . Demonstra mihi corporeum tuum angelum : quem hoc sæculum non est dignum cognoscere . Dum hæc orans diceret : peruenit ad locum : qui quasi torrens fuerat : Viditque in parte illius torrentis ueluti solem orientem : ubi corpus sanctæ mulieris iacebat exanime pedibus ac manibus ita dispositis : sicut oportet disponi mortuos : respiciensque in partem orientis uidit eam Zosimas : et currens gradu concito eius sanctissimos pedes lachrymis rigare cœpit nullam aliam partem corporis uel tangere præsumebat : cœpitque opportunum psallere canticum : et orationem offerre sollemnem : secumque cogitabat dicens : Ego quidem sepelire uolebam corpusculum sanctum . sed timeo : ne sanctæ mulieri hoc displiceat . Hæc eo cogitante uidit litteras iuxta caput eius in terra descriptas continentes ita : Sepeli abba Zosima in hoc loco miseræ Mariæ corpusculum : et redde terræ puluerem suum : et ora pro me ad dominum : cuius præcepto missus es mense aprili sum de hoc assumpta sæculo . Repletus autem senex gaudio magno : eo quod per scripturam cognoscere eius nomen potuit certus factus : quia postquam ad Iordanem sancta dei perceperat mysteria : mox in eundem cucurrit locum : in quo uitam finiuit : Illudque desertum quod Zosimas per uiginti dierum spatia uix ambulauit illa sancta mulier una hora peragrauit : et ad dominum migrauit . Tunc Zosimas intra se dicebat : Tempus est mihi adimplere præceptum sed quid faciam miserabilis : ignoro qualiter enim terram fodere possim omnino non || habeo et cum hæc diceret uidit paruum in terra iacens lignum quod accipiens cœpit cum eo terram fodere . Erat autem durissima et nullo modo fodiebatur . Laborabat Igitur senex perfusus sudoribus : et suspirans ex intimo cordis affectu : aspexit leonem magnum astantem iuxta pedes eius : et osculantem uestigia eius : quem ut uidit Zosimas tremefactus est recordatus sermonis Mariæ : quem dixerat : ut nunquam feram in eadem uidisset heremo : et signans se uenerabili crucis signaculo credidit quod non ei noceret leo propter uirtutem sancti illius corporis . Leo

autem cœpit innuere : ostendens se illi mansuetum . Zosimas uero ait ad eum : sancta hæc mulier præcepit hoc loco sepeliri suum corpus : et ego cum sim senex minime possum terram fodere : quia nec habeo ad hoc opus aptum ferramentum . Sed tu assume hanc operam : et fode terram : ut possimus sanctum sepelire corpus . Mox leo cœpit pedibus suis terram fodere ad suscipiendam corporis depositionem . Tunc deponens eam Zosimas : terra cohoperuit astante secum leone nudam : ut ante fuerat . nisi panno rupto quem ei Zosimas iactauerat ad corporis necessariam partem cohoperiendam . Descendente uero utroque : leo quidem ut agnus mansuetus desertum petiit : Zosimas autem regressus est unde uenerat benedicens et hymnum dicens deo : perueniensque ad monasterium omnia monachis narrauit : nihil eis abscondens de eis : quæ uiderat et audierat : quæ monachi audientes glorificauerunt deum cæli : qui tanta facit mirabilia . Magnoque cum honore anniuersariam celebrant depositionem sanctæ mulieris . Abbas autem Iohannes repperit aliquos in suo monasterio repræhensibiles necessariam habentes emendationem : quatinus uerba sanctæ mulieris adimplerentur . Habitauit autem abbas Zosimas in eodem monasterio uenerabilem ducens uitam glorificansque et collaudans dominum : qui se toto cordis desyderio quærentibus nunc ianuam aperire dignatur : et repletus desyderii uoluntate de hoc sæculo migrauit ad dominum.

PREFATIO SANCTI BERNARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS : IN VITAM SANCTI MALACHIAE EPISCOPI .

Semper quidem opere pretium fuit illustres sanctorum describere uitas : ut sint in speculum et exemplum ac quoddam ueluti condimentum uitæ hominum super terram . Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem uiuunt : multosque ex his qui uiuentes mortui sunt ad ueram prouocant et reuocant uitam . Verum nunc maximæ id requirit raritas sanctitatis : et nostra plane ætas inops uirorum . Quam sane inopiam super nos adeo inualuisse uidemus : ut nulli sit dubium illa sententia nos feriri : quoniam abundabit iniquitas refrigescet caritas multorum . Et ut suspicor ego : aut presto aut prope est : de quo scriptum est : faciem eius præcedit egestas . Ni fallor Antichristus est iste : quem fames ac sterilitas totius boni et præit et comitatur . Siue igitur nuntia iam præsentis siue iam iamque affuturi prænuncia egestas in euidenti est : Taceo uulgus . taceo uilem filiorum huius sæculi multitudinem : in ipsas ecclesiæ columnas uoluo oculos leues . Quem mihi ostendas uel de illorum numero qui uidentur elati in lucem gentium : non magis de sublimi fumantem quam flammantem ? Et si lumen quod in te est inquit tenebræ sunt : ipse quantæ sunt tenebræ ? Nisi tu illos forte quod non credo lucere dixeris : qui quæstum existimant pietatem : qui in hæreditate domini non quæ domini sed magis quæ sua sunt quæritant : Quid dico quæ sua sunt ? Perfectus sit et sanctus etiam sua quærens : suaque retinens : si ab alienis cor manusque contineat . Meminerit tantum qui sibi usque huc forte peruenisse uidetur : eundem exigi sanctitatis gradum et ab ethnico . An non milites suis iubentur contenti fore stipendiis : ut salui fiant ? Magnum uero ecclesiæ doctorem : si sit sicut unus militum : aut certe quod ad illorum improperium propheta loquitur : si ut populus ita et sacerdos fuerit . oh deformitatem . Ita summus merito reputandus erit : qui summo corruens gradu hærebit infimo : ne abysso absorbeatur ? Quam rarus tamen iste ipse in clero . Quem item das mihi contentum necessariis contemptorem superfluorum ? Lex est tamen prefixa ab apostolis apostolorum successoribus . Victum et uestitum habentes inquiunt his contenti sumus || Vbi forma hæc ? In libris cernimus eam : sed non in uiris . Habes uero de iusto : quia lex dei eius in corde ipsius : et non in codice . Nec perfectionis is gradus . Perfectus carere et necessariis paratus est . At gratis istud . Vtinam superfluis ponatur modus . utinam non cupiamus in infinitum . Sed quid forte reperias qui hoc possit ? Id quidem difficile . sed uide quid egimus . Quærebamus uirum optimum multorum liberatorem : et ecce laboramus in inueniendo : qui se ipsum saluum facere possit . Optimus hodie est : qui non est nimis malus . Vnde quoniam a terra defecit sanctus :

uideor mihi non superuacue ex iis qui empti sunt de terra reuocare ad medium episcopum Malachiam : uirum uere sanctum et nostrorum quidem temporum singularis sapientiæ et uirtutis . Iste erat lucerna ardens et lucens : nec extincta est tamen sed submota . Quis mihi iure succenseat : si readmouero eam ? Immo uero non est quod mihi ingrati esse mei sæculi homines debeant : et omnis deinceps generatio uentura : si quem conditio tulit : reuocem stilo : si mundo restituam : quo dignus non erat mundus : si seruem memoriæ hominum hominem : cuius memoria in benedictione sit omnibus qui legere dignabuntur : si me excitante amicum dormientem uox turturis audita fuit in terra nostra dicens : ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi . Deinde sepultus apud nos est . nobis specialiter hoc opus incumbit . Quid quod me inter speciales amicos sanctus ille habebat : et eo loci ut nulli in hac parte gloriæ secundum fuisse me credam ? Nec mercede uacat mihi tantæ familiaritas sanctitatis . Primicias iam accepi . In extremis positus erat : immo in principiis iuxta illud : cum consummatus fuerit homo : tunc incipit . Accurri ego : ut benedictio morituri super me ueniret . At ille cum iam membra alia mouere non posset : fortis ad dandam benedictionem eleuatis sanctis manibus super caput meum benedixit mihi : et benedictionem hereditate possideo : et quomodo ego illum silere queam ? Postremo tu id mihi abba Congane iniungis reuerendus frater et dulcis amicus meus : ac tecum pariter : ut ex hybernia scribis : uestra | illa omnis ecclesia sanctorum . Libens obedio : presertim quod non eloquium exigitis sed narrationem . Dabo uero operam : ut ea sit pura et luculenta : deuotos informans fastidiosos non onerans . Sane narrationis ueritas secura apud me est intimata a uobis : haud alia proculdubio protestantibus quam quæ certissime comperta sunt uobis .

Malachias noster ortus hybernia de populo barbaro : ibi educatus . ibi litteras edoctus est . Cæterum de natali barbarie traxit nihil : non magis quam pisces maris de sale materno. Quam uero suaue quod inculta nobis barbaries tam urbanum protulit ciuem sanctorum et domesticum dei . Qui producit mel de petra oleumque de saxo durissimo ipse fecit hoc . Parentes tamen illi fuere genere et potentia magni : iuxta nomen magnorum qui sunt in terra . At mater mente quam sanguine generosior satagebat in ipso initio uiarum suarum notas facere paruulo uias uitæ : hanc pluris illi existimans uentosa scientia litteraturæ sæcularis . Ad utramque tamen huic non defuit ingenium pro ætate . In scolis litteras : domi timorem domini docebatur : et quottidianis profectibus respondebat ambobus satis magistro et matri . Nempe a principio spiritum sortitus est bonum per quem erat puer docilis et amabilis ualde : mire admodum omnibus per omnia gratiosus . Bibebat autem pro lacte de pectore materno aquas sapientiæ salutaris : et fiebat in dies se ipso prudentior . Prudentior dicam : an sanctior ? Vtrumque si dixero non me pœnitebit : ueritatem enim dicam . Agebat senem moribus : annis puerum exspers lasciuie puerilis . Cumque ex hoc cunctis esset reuerentiæ et stupori : non tamen inde ut assolet insolentior inueniebatur : sed magis quietus et subditus in omni mansuetudine . Non impatiens magisterii : non fugitans disciplinæ : non lectionis fastidiens : non ludorum denique appetens : quod uel maxime illa ætas dulce ac familiare solet habere . Et proficiebat supra omnes coætaneos suos : in ea quidem litteratura quæ illi competebat ætati . Nam in disciplina morum profectuque uirtutum etiam super omnes docentes se in breui enituit : non tam matre tamen quam || unctione magistra . Hac sollicitante haud segniter et in diuinis exercebatur : petere secretum anticipare uigilias meditari in lege : refici parcius : orare frequentius : Et quia ecclesiam frequentare nec uacabat propter studium : et pro uerecondia non libebat : leuare puras manus in omni loco ubi tamen secrete id posset . Iam tunc siquidem cautus fuit declinare uirus uirtutum : inanem gloriam . Est uicus prope ciuitatem : in qua discebat puer : quo magister eius frequenter pergere solitus erat : ipso solo comite . Illo euntibus ambobus pariter . ipse ut postea referebat retrahebat pedem . sistebat gradum : et stans a tergo magistri : illo quidem non compariente† expansis ad cælum manibus raptim quodammodo ac ueluti iaculatam emittebat orationem : et sic dissimulans magistrum denuo sequebatur . Istiusmodi pro furto puer sæpius eludebat comitem : pariter et magistrum . Non est dicere omnia quæ eius principia colore bone indolis decorauere : ad maiora atque utiliora currendum est . Vnum tamen refero adhuc : quod hoc meo quidem iudicio non modo bonæ sed et magnæ in puero dederit insigne spei .

Excitatus aliquando opinione cuiusdam magistri : erat enim famosus in disciplinis quas dicunt liberales : adiuit illum discendi cupiditate . Quippe extrema iam pueritiæ captans ad eas litteras hanelabat . Intrans uero domum uidit uirum ludentem subula : crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem : Et solo uisu offensus puer serius quod leuitatem redoleret resiliuit ab eo : ac deinceps illum nec uidere curauit . Ita cum esset studiosissimus litterarum : præ honesto tamen spreuit eas uirtutis amator . Tali quodam præludio puer preparabatur ad eum qui se manebat in fortiori ætate conflictum : iamque ipse aduersarium prouocabat . Et Malachiæ quidem pueritia sic erat . Porro adolescentiam simili transiuit simplicitate et puritate : nisi quod crescente ætate crescebat simul illi sapientia et gratia apud deum et homines .

Hinc iam idest ab ineunte adolescentia eius cœpit manifestius apparere : quid esset in homine : et gratia dei in illo uacua non uideri . | Videns enim industrius adolescens quam in maligno positus sit mundus : et cogitans qualem spiritum accepisset : dicebat intra se : Non est spiritus huius mundi iste . Quid isti et illi ? Non est societas alteri ad alterum : non plus quam luci ad tenebras . Mens ex deo est : et scio quæ in illo donata sunt mihi . Inde mihi interim adhuc innocentia mea : inde continentiæ decus : inde iustitiæ fames : inde quoque illa eo securior quo secretior gloria est . testimonium conscientiæ meæ . Nil horum mihi tutum : sub principe mundi . Deinde habeo thesaurum hunc in fictili uase . Verendum ne inpingat et frangatur : et effundatur oleum leticiæ quod porto . Et quidem non inpingere inter saxa et scopulos distorte et anfractuose uiæ et uitæ huius : difficillimum . Ita ne in momento perdam simul omnes quibus ab initio preuentus sum benedictiones dulcedinis ? Resigno illi potius a quo sunt : et me pariter : Et ego enim ipsius . Perdo ipsam ad tempus animam meam : ne perdam in eternum . Et quod sum et quæ habeo : omnia ubi mihi æquæ salua uti in manu auctoris ? Quis ita ad seruandum sollicitus : ad retinendum potens : ad restituendum fidelis ? Seruabit tuto : restituet oportune Sine retractione me do ad seruiendum illi : de donis suis . Non potest mihi perire ex omnibus que in opus pietatis expendo . Forte et sperare plus aliquid licet . Solet reddere cum usura : qui dat gratis . Ita est : etiam cumulabit et multiplicabit in anima mea uirtutem . Hæc cogitauit et fecit : sciens absque facto uanas esse cogitationes hominum .

Erat homo in ciuitate Ardinacha ipsa est in qua alitus est Malachias : et homo ille sanctus et austeræ admodum uitæ : inexorabilis castigator corporis sui . Cellam habens iuxta ecclesiam : in ea manebat : ieiuniis et obsecrationibus seruiens die ac noctæ . Ad hunc se contulit Malachias : formam uitæ accepturus ab eo : qui uiuum se tali damnauerat sepultura . Et uide humilitatem : a primeua ætate in sancta arte magistrum quod dubium non est habuerat deum : et ecce factus est denuo discipulus hominis . homo mittis et humilis corde . Si nesciebamus hoc uel solo nobis ipse probauit . Legant hoc qui docere quæ non didicere co || nantur : discipulos sibi coaceruantes : qui nunquam discipuli extitere : cæci duces cæcorum . Malachias doctus a deo doctorem nihilominus quesiuit hominem : et quidem caute et sapienter . Quid simile quæso afferre quibat : in que æque daret caperet ue experimentum profectus sui ? Si Malachiæ exemplum eis pro minimo est : Pauli opus attendant . Nonne euangelium suum quod non ab homine acceperat sed a Christo : cum hominibus tamen censuit conferendum : ne forte in uacuum curreret aut cucurisset ? Vbi ille securus non est : nec ego . Si quis hoc scit : uiderit ne non tam securitas sit quam temeritas . Sed hæc alterius temporis . Nunc uero sonuit in ciuitate quod factum est : et commota est uniuersa ad inopinatam nouitatem . Stupebant autem omnes et mirabantur uirtutem : eoque amplius quo minus usitatam in gente fera . Videres tunc reuelari ex multorum cordibus cogitationes . Plerique humano affectu pensantes factum plangere et dolere quod dilectus omnibus delicatusque adolescens duris se adeo laboribus mancipasset . Alii suspicati leuitatem propter ætatem : diffidere de perseuerantia : timere de casu . Nonnulli temeritatem causantes indignari et fremere in eum : quod supra ætatem et uires inconsulte rem arduam fuisset aggressus . Verum ille egit sine consilio nihil . Nam habuit consilium a propheta : qui ait : Bonum est homini si portauerit iugum in adolescentia . Et addit : Sedebit solitarius : et tacebit : quia leuauit se supra se . Sedebat sibi iuuenculus secus pedes Imari . hoc enim nomen uiro : et aut discebat obedientiam : aut se didicisse docebat . Sedebat ut quietus . ut man-

suetus : ut humilis . Sedebat : et tacebat : sciens secundum prophetam cultum iustitie esse silentium . Sedebat ut perseuerans : tacebat ut uerecundus : nisi quod suo illo silentio in dei auribus loquebatur cum sancto Dauid : Adolescentulus sum et contemptus : iustificationes tuas non sum oblitus . Et sedebat interim solitarius : quia et sine socio et sine exemplo . Quis enim ante Malachiam districtissimum uiri propositum uel cogitaret attemptaret ? Nempe mirabile omnibus habebatur non imitabile . Malachias imitabile persuasit : sedendo duntaxat et ta | cendo . Infra paucos dies habuit imitatores non paucos : prouocatos exemplo sui . Ita qui primo solitarius sedit et unicus patris sui : fit iam unus ex multis . fit ex unigenito primogenitus in multis fratribus . Et ut prior in conuersione : ita in conuersatione sublimior : et qui ante omnes uenit : omnium iudicio supra omnes enituit in uirtute : Et dignus uisus est episcopo et magistro : qui ad diaconii gradum promoueretur : Et coegerunt eum . Huic iam leuita domini publice sed ad omne opus pietatis accinxit : plus uero ad eas res in quibus aliqua iniuria uideretur . Denique cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus : quod hoc sibi non minus humilitatem saperet quam humanitatem . Nec defuit nouo nostro Thobiæ rediuiua a muliere temptatio : immo a serpente per mulierem . Germana eius indignitatem : ut sibi uidebatur officii exhorrens : quid facis inquit o insane ? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos : Et hoc illi quottidie exprobrans ingerebat : sed respondebat mulieri stultæ iuxta stultitiam suam . Misera tu eloquii casti uocem tenes : sed uirtutem ignoras . Ita ministerium ad quod coactus accesserat deuotus tenuit : indeffessus exercuit . Vnde et censuerunt etiam sacerdotale officium imponendum illi . Et factum est ita . Erat autem cum sacerdos ordinatus est : annos natus quasi uiginti quinque : In qua eius utraque ordinatione si quid præter canonum formam processisse uidetur : ut uere uidetur : siquidem infra uicessimum quintum annum leuiticum ministerium : infra triginta adeptus est sacerdotii dignitatem : donandum sane tum zelo ordinatoris : tum meritis ordinati . Ego uero istud nec in sancto redarguendum : nec usurpandum consulo ei : qui sanctus non fuerit . Nec contentus episcopus etiam uices suas commisit ei seminare semen sanctum in gente non sancta : et dare rudi populo et sine lege uiuenti legem uitæ et discipline . Suscepit ille mandatum in omni alacritate sicut erat spiritu feruens : nec talentis incubans sed inhyans lucris . Et ecce linguæ sarculo cœpit euellere . destruere . dissipare : de die in diem factitans praua in directa et aspera in uias planas . Exultabat ut gigas ad discurrendum ubique . Diceres ignem urentem in consumendo || criminum uepres : diceres securim uel asciam in deiiciendo plantationes malas : extirpare barbaricos ritus : plantare ecclesiasticos . Veternosas omnes neque enim paucæ inueniebantur abolere supersticiones : seu quaslibet ubicumque depræhendisset malignitates immissas per angelos malos . Denique quidquid incompositum quidquid indecorum quidquid distortum obuium habuisset non parcebat oculus eius : sed uelut grando grossos e ficubus et sicut puluerem uentus a facie terræ : sic coram facie sua eiusmodi totum nitebatur pro uiribus extirpare ac delere de populo suo . Et pro his omnibus tradebat iura cælestia optimus legis lator : leges dabat plenas iusticiæ : plenas modestiæ et honesti . Sed et apostolicas sanctiones ac decreta sanctorum patrum præcipueque consuetudines sanctæ romanæ ecclesiæ in cunctis ecclesiis statuebat . Hinc est quod hodie in illis ad horas canonicas cantatur et psallitur iuxta morem uniuersæ terræ : nam minime id ante fiebat ne in ciuitate quidem . Ipse uero in adolescentia sua cantum didicerat : et in suo cœnobio mox cantari fecit : cum nec dum in ciuitate seu in episcopatu uniuerso cantare scirent uel uellent . Deinde usum saluberrimum confessionis : sacramentum confirmationis : contractum coniugiorum : quæ omnia aut ignorabant aut negligebant : Malachias de nouo instituit . Et de his ista pro exemplo sufficiant . Nam et per totum historiæ textum : breuitatis studio plurima præterimus . Cum esset illi studium et zelus maximus circa cultum diuinorum et uenerationem sacramentorum : ne forte de his aliquid constitueret uel doceret secus quam ritus haberet uniuersalis ecclesiæ : subiit animum adire episcopum Malcum : qui se plenius de omnibus informaret . Hic erat senex plenus dierum et uirtutum : et sapientia dei erat in illo . Natione quidem hybernus : sed in anglia conuersatus fuerat in habitu et proposito monachili Vitiloniensi monasterio . De quo assumptus est in episcopum in Lesmor ciuitate Mumunie : et ipsa nobilior inter cæteras regni illius . Ibi tanta ei desuper collata est gratia : ut non modo uita et

doctrina sed et signis clareret . Quorum duo pono exempli causa : ut omnibus innotescat qualem in scientia sanctorum | Malachias habuerit præceptorem . Puerum mente captum ex iis quos lunaticos uocant inter confirmandum sacra unctione sanauit . hoc ita notum certumque fuit : ut illum mox constituerit ostiarium domus suæ : uixeritque idem puer incolumis in eo officii usque ad uirilem ætatem . Surdo auditum restituit : in quo idem mirabile quiddam confessus est : quod cum sanctus utrique auriculæ hinc inde digitos immisisset : duos quasi porcellos ex ipsis exire senserit . Pro his huiusmodi fama crebrescente nomen grande adeptus est : ut ad eum scothi hybernique confluerent : et tanquam unus omnium pater ab omnibus coleretur . Ad hunc ergo Malachias accepta benedictione patris Imari : et ab episcopo missus cum prospere peruenisset : benigne a sene susceptus est : Qui annos aliquot cum eo mansit : ut per hanc temporis moram hauriret plenius de pectore ueterano : sciens scriptum : quia in antiquis est sapientia . Sed ne hoc quoque ad causam defuisse reor : quod magnus ille prouisor uniuersorum uoluit seruum suum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus : qui erat omnibus profuturus : Nec enim poterat non esse gratus : quibus notus fuisset . Denique unum interim accidit . per quod ex aliqua parte quod notum deo erat in illo manifestum fecit hominibus . Inter regem australis Mumuniæ quæ est hyberniæ pars et germanum eius orta simultate : et fratre superiori facto : rex pulsus regno confugit ad episcopum Malcum : non tamen ut ope illius regnum recuperaret : sed magis princeps deuotus dedit locum ire : et necessitatem in uirtutem conuertit : priuatam eligens ducere uitam : Cumque episcopus regem suscipere debito honore pararet : abnuit ille se malle inquiens tanquam unum ex illis esse pauperibus fratribus : qui illi adhærent : regium fastum deponere : et communi paupertate fore contentum : expectare potius domini uoluntatem quam per uim recipere regnum : nec uelle pro suo honore terreno sanguinem humanum effundere : qui contra se clamet ad deum de terra : Quo audito exultat episcopus : et ammiratus deuotionem satisfacit uoto . Quid plura ? Traditur regi paupercula domus ad habitandum : et Malachias in magistrum ad uictum panis cum sale et aqua . Porro ad delicias sufficiebat regi Malachiæ præsentia uita atque || doctrina : ita ut diceret ei : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel ori meo . Ad hæc per singulas noctes lachrymis suis stratum suum rigabat : sed et quottidiano aque frigide balneo male calentem extinguebat in carne libidinem : Et orans rex cum rege dicebat : Vide humilitatem meam et laborem meum : et dimitte uniuersa delicta mea . Et non ammouit deus orationem eius : et misericordiam suam ab eo. Et exaudita est oratio eius : et si secus quam intenderet ipse . Nam is quidem sollicitus erat pro anima sua : sed uindex innocentiæ deus hominibus ostendere uolens : quoniam sunt reliquiæ homini pacifico : parabat interim facere iuditium iniuriam patienti : quod ille penitus non sperabat . Et suscitauit deus spiritum uicini regis : neque enim unum est hibernia regnum : sed diuisa in plura . Hic itaque uidens quæ facta sunt : repletus est zelo : et hinc quidem indignans prædonum libertati et insolentiæ superborum : inde uero miserans regni desolationem et regis deiectionem : descendit ad cellulam pauperis . Suadet reditum : sed non persuadet . Instat tamen : spondet opem : de effectu non diffidere monet . deum affuturum promittit : cui non poterunt resistere omnes aduersarii eius . Proponit etiam oppressionem pauperum patriæque uastationem : et non proficit . Cæterum accedente mandato episcopi et Malachiæ consilio de quibus ille pendebat totus : uix tandem acquiescit . Sequitur rex regem : et iuxta uerbum regis sicut fuerat uoluntas in cælo tota facilitate pulsis predonibus reducitur homo in sua cum exultatione suorum : regnoque restituitur suo . Dilexit extunc rex ille et semper ueritus est . Malachiam : eoque propensius : quo plenius in sancto uiro digna ueneratione et amore compererat : Cuius enim tantam meruit in sua aduersitate familiaritatem : sactitatem† ignorare non potuit . Propterea magis in sua prosperitate præpetibus illum amiciciis deuotisque colebat obsequiis . Et libenter audiebat eum : et audito eo multa faciebat . Et de his satis . Veruntamen non fortuitu factum reor : quod ita iam tunc magnificauit eum dominus in conspectu regum : sed quia uas electionis sibi erat ille portaturus nomen suum coram regibus et principibus. | Mortua est interim soror eius illa quam præfati sumus : nec prætereunde uisiones : quas uidit de ea . Huius si quidem sanctus carnalem exhorruerat uitam et tanto zelo : ut se deuouerit non uisurum eam in carne uiuentem . At illa carne soluta

solutum est uotum : et cœpit uidere in spiritu : quam in corpore noluit . Quadam nocte audiuit per somnium uocem sibi dicentis : sororem eius stare foras in atrio : et ecce per totos triginta dies nihil gustasse . Qui euigilans cito intellexit cuius escæ inedia marceret : et diligenter discusso numero dierum quem audierat : ipsum esse reperit : ex quo pro ea panem de cælo uiuum non obtulisset . Tum ille qui sororis non animam oderat sed peccatum : beneficentiam quam intermiserat : rursum adoritur : Neque id frustra . Non multo post uisa est illi peruenisse ad limen ecclesiæ : nec dum tamen posse intrare : apparere etiam in ueste pulla . Cumque ille perseueraret curans ne qua die solita stipe frustraretur† : secundo uidit eam in ueste subcandida ad missam quidem intra ecclesiam : sed altare contingere non permitti . Tertio tandem uisa est aggregari cœtui candidatorum et ueste candida . Vides lector quantum ualeat deprecatio iusti assidua . Vere regnum cælorum uim patitur : et uiolenti rapiunt illud . Non ne tibi uidetur Malachiæ oratio uicem quodammodo effractoris exhibuisse celestibus portis : quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis : quod suis meritis negabatur ? Hanc uim Iesu bone tu qui pateris facis : ualidus et pius ad saluandum : faciens misericordiam et potentiam in brachio tuo : et in sacramento tuo seruans sanctis : qui in terra sunt usque in consumationem seculi . Hoc plane sacramentum potens peccata consumere : debellare obuias potestates : inferre cælis reuertentes de terra .

Et dominus quidem in regione illa sic præparabat dilectum suum Malachiam ad gloriam nominis sui . Verum qui miserant eum : minime iam ferentes absentiam eius : missis epistolis reuocant illum . Quo reddito suis et quidem instructore de omnibus quæ oportebat : en opus a deo paratum : et seruatum Malachiæ .

Vir diues et potens qui locum Benchorum et possessionis eius tenebat : inspiratus a || deo confestim in manu eius sua omnia dedit : et se quoque . Et is auunculus eius : sed Malachiæ spiritus quam carnis propinquitas pluris fuit . Ipsum quoque locum Benchor tradidit ei princeps : ut ædificaret ibi monasterium uel potius reædificaret . Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello : multa milia monachorum generans multorum monasteriorum caput . Locus uere sanctus fecundusque sanctorum copiosissime fructificans deo : ita ut unus ex filiis sanctæ illius congregationis nomine Lucanus centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur : Quod idcirco dixerim : ut ex hoc uno coniiciat lector : quam ingens fuerit reliqua multitudo . Denique ita Hiberniam Scotiamque repleuerunt genimina eius : ut ea potissimum tempora dauitici illi conuersiculi præcinisse uideantur : Visitasti terram : et inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam . Flumen dei repletum est aquis : parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio eius . Riuos eius in ebrians : multiplicans genimina eius : in stillicidiis eius lætabitur germinans . Et in hunc modum cæteri qui sequuntur . Nec modo in præfatas sed in exteras etiam regiones quasi inundatione facta se sanctorum examina effuderunt : E quibus ad has nostras gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens : luxouiense construxit monasterium factus ibi in gentem magnam . Aiunt tam magnam fuisse : ut succedentibus sibi uicissim choris continuarentur solemnia diuinorum : ita ut ne momentum quidem diei ac noctis uacaret a laudibus : Hæc de antiqua dicta sint benchorensis monasterii gloria . Hoc olim destructum a piratis ob insigne dignitatis antiquæ Malachias ueluti quandam replantaturus paradisum amplexus est : et quia multa corpora sanctorum dormirent ibi . Nam ut taceam illa quæ in pace sepulta sunt : ferunt nongentos simul una die a piratis occisos . Erat quidem ingens possessio loci illius : sed Malachias solo contentus loco sancto totas possessiones et terras alteri cessit . Si quidem a tempore quo destructum est monasterium non defuit : qui illud teneret cum possessionibus suis . Nam et constituebantur per electionem etiam : et abbates appellabantur seruantes nomine et si non re : quod olim extiterat : Cumque | suaderent multi non alienare possessiones : sed totum simul retinere sibi : nec acquieuit paupertatis amator : sed fecit eligi iuxta morem : qui eas teneret loco ut prædiximus retento sibi et suis : Et fortassis consultius : ut post apparuit : integrum retinuisset : si non magis suæ prospexisset humilitati quam paci . Itaque ex mandato patris Imari assumptis secum decem circiter fratribus ueniens ad locum cœpit edificare .

Vbi die quadam cum in securi quid ipse secaret : casu ex operariis unus illo uibrante in aera securim locum in caute occupauit : quo ictus destinabatur : et cecidit

super spinam dorsi eius : tanto utique impetu quanto ille conatu impingere ualuit . Corruit ille : accurrere omnes : putantes aut percussum ad mortem aut mortuum . Et tunica quidem scissa a summo usque dehorsum : homo uero illæsus inuentus est tam modice et summatim perstricta cute : ut uix in superficie uestigium appareret . Stabat homo in columis : quem securis prostrauerat intuentibus et stupentibus : qui circunstabant . Vnde et facti alacriores : promptiores ex inde ad opus facti sunt . Et hoc initium signorum Malachiæ . Porro oratorium intra paucos dies consumatum est de lignis quidem leuigatis : sed apte firmiterque contextum : opus scoticum pulchrum satis . Et exinde seruitur deo in eo sicut in diebus antiquis : simili quidem deuotione et si non pari numero . Præfuit Malachias loco illi tempore aliquanto patre Imaro ita constituente : ipse rector . ipse regula fratrum . Legebant in uita eius quomodo conuersarentur : et ipse ante illos præibat in iustitia et sanctitate coram deo : nisi quod præter instituta communia multa singulariter faciebat : in quibus potius præibat omnes . et aliorum nemo illum poterat ad tam ardua sequi .

Eo temporis et eo loci quidam infirmabatur . Cui assistens diabolus et aperte loquens suggerebat : ne umquam crederet monitis Malachiæ : sed si intraret ad eum : cultello eum peteret : et occideret : Quo cognito qui illi ministrabant ipso infirmo prodente : uerbum perferunt ad Malachiam præmunientes . At ille solita arma orationis arripiens : impauidus hostem aggressus : et infirmitatem || fugat et dæmonem . Erat autem nomen uiro Malcus . Frater est iste secundum carnem christiani nostri Mellifontis Abbatis : ambo enim superstites adhuc sunt : sibi in spiritu modo germaniores . Nam ille ut liberatus est : continuo non ingratus loco eodem conuersus ad dominum : habitum simul animumque mutauit . Et cognouere fratres malignum inuidere bonis eorum : et ædificati sunt : facti de reliquo cautiores . Clericum nomine Michaelem dyssenteria laborantem et desperantem mittens ei aliquid de mensa sua eodem loco sanauit . Secundo eundem ipsum grauissima infirmitate correptum et corpore pariter curauit et mente . Illico enim adhæsit deo et Malachiæ seruo eius : timens ne deterius aliquid sibi contingeret : si denuo ingratus tanto inueniretur et beneficio et miraculo . Et nunc ut audiuimus præest cuidam monasterio sito in partibus Scotiæ et hoc nouissimum omnium quæ ille fundauit . Pro huiusmodi augebatur in dies et opinio et congregatio Malachiæ : grande nomen intus et foris : non tamen re grandius . Nempe ibi demorabatur etiam factus episcopus : quod locus esset uicinus ciuitati .

Vacabat tunc temporis episcopalis sedes in una ciuitatum : et iam diu uacarat : Malachia nolente assentire . Siquidem ipsum elegerant . Persistentibus tamen illis tandem aliquando cessit : accedente ad uim faciendam mandato magistri sui nec non et metropolitani . Tricessimo ferme ætatis suæ anno Malachias consecratus episcopus introducitur Connereth : hoc enim nomen ciuitatis . Cum autem cœpisset pro officio suo agere : tunc intellexit homo dei non ad homines se sed ad bestias destinatum . Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quantacumque barbarie . Nusquam repererat sic proteruos mores : sic ferales ritus : sic ad fidem impios . sic ad leges barbaros : ceruicosos ad disciplinam spurcos ad uitam . christiani nomine : re pagani . Non decimas : non primitias dare : non legitima inire coniugia : non facere confessiones : pœnitentias nec qui peteret nec qui daret penitus inueniri : Ministri altaris pauci admodum erant . Sed enim qui opus plurimum : ubi ipsa paucitas inter laicos propemodum ociosa uacaret ? Non erat quod de | suis fructificarent officiis in populo nequam : Nec enim in ecclesiis aut prædicantis uox aut cantantis audiebatur . Quid faceret athleta domini ? Aut cedendum turpiter : aut periculose certandum . Sed qui se pastorem et non mercenarium agnoscebat : elegit stare potius quam fugere : paratus et animam dare pro ouibus si oportuerit . Et quanquam omnes lupi et oues nullæ : stetit in medio luporum pastor intrepidus : omnimodis argumentosus : quomodo faceret oues de lupis . Monere communiter . secreto arguere . flære per singulos : nunc aspere nunc leniter conuenire : prout cuique expedire uidebat : In quibus ne per hæc minus profecisset : cor contritum et humiliatum offerebat pro eis . Quotiens noctes totas peruigiles duxit . extendens manus in oratione : Et cum uenire ad ecclesiam nollent : per uicos et plateas occurrebat inuitis : et circuiens ciuitatem perquirebat anhelus : quem Christo acquireret . Sed et foris rura et oppida nihilominus sæpius percurrebat cum sancto illo comitatu discipulorum suorum : qui nunquam deerant lateri eius . Ibat et erogabat uel ingratis cælestis tritici mensuram .

Nec uehebatur equo : sed pedes ibat : et in hoc uirum se apostolicum probans . Iesu bone quanta passus est pro nomine tuo bellator tuus a filiis sceleratis . quanta sustinuit pro his ipsis : quibus et pro quibus loquebatur bona tibi . Quis digne exprimat in quantis uexatus : quibus affectus sit contumeliis : quibus iniuriis lacessitus : quotiens lassus inedia : quotiens afflictus in frigore et nuditate . Attamen cum his qui oderunt pacem erat pacificus : instans nihilominus oportune importune . Blasphematus obsecrabat : iniuriatus opponebat scutum patientiæ : et uincebat in bono malum . Quid ni uicisset ? Perseuerauit pulsans : et secundum promissionem tandem aliquando pulsanti apertum est . Quomodo poterat non sequi : quod ueritas prænunciauerat secuturum . Dextra domini fecit uirtutem : quia os domini locutum est ueritatem . Cessit duricia : et quieuit barbaries : et domus exasperans paulatim leniri cœpit : paulatim correctionem admittere : recipere disciplinam . fiunt de medio barbaricæ leges : ro || manæ introducuntur . Recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines : contrariæ reiiciuntur . Reædificantur basilicæ : et ordinatur clerus in illis : sacramentorum rite solemnia celebrantur . Confessiones fiunt : ad ecclesiam conueniunt plebes : concubinatus honestat celebritas nuptiarum . Postremo sic mutata in melius omnia : ut hodie illi genti conueniat : quod dominus per prophetam dicit : Qui ante non populus meus : nunc populus meus.

Contigit post annos aliquot destrui ciuitatem a rege aquilonaris partis hyberniæ : quia ab aquilone panditur omne malum . Et forte malum illud bene utentibus bonum fuit . Quis scit enim : si tali flagello deus delere uoluit mala antiqua populi sui ? Istiusmodi Malachias necessitate conpulsus : et ipse exiit cum turba discipulorum suorum : Nec ociosus exitus eius . hac occasione monasterium braicense constructum est eunte illo Malachia cum suis numero centum uiginti fratribus . Ibi occurrit ei Cormarcus rex . ipse est qui olim regno pulsus sub cura Malachiæ de misericordia dei consolationem accepit . Et locus ille situs in regno eius . Gauisus est rex uiso Malachia : se et sua omnia exponens ei et iis qui cum eo erant : utpote non ingratus nec immemor beneficii . Adducta in continenti animalia multa ad usus fratrum : multa insuper in auro et argento ad sumptus ædificiorum pro regia liberalitate collata . Ipse quoque erat intrans et exiens cum eis sedulus : et officiosus : habitu quidem rex : sed animo discipulus Malachiæ . Et benedixit loco illi dominus propter Malachiam : et in breui factus est magnus rebus possessionibus et personis .

Vbi uelut de nouo inchoans : legem et disciplinam quam aliis imponebat : magis ipse portabat episcopus et magister . Ipse in ordine uicis suæ coquinæ ministerio inseruiebat . Ipse cum recumberent : fratribus ministrabat . Inter† succedentes sibi inuicem fratres ad cantandum legendum ue in ecclesia non se præteriri patiebatur : strenue implens et ipse officium loco suo tanquam unus ex illis . Sanctæ paupertatis non modo participem : sed et principem se exhibebat : ipsius præcipue super omnes abundantius æmulator existens .

Cum hæc ita aguntur : contigit infirmari archiepiscopum Celsum . Ipse est qui Malachiam in diaconem præsbiterum episcopumque ordinauit . Et cognoscens : quia moreretur : fecit quasi testamentum quatinus Malachias deberet succedere sibi : quod nullus uideretur dignior : qui episcoparetur in sede prima . Hoc presentibus indixit : hoc mandauit absentibus . hoc specialiter ambobus Mumuniæ regibus et maioribus terræ Sanctipatricii auctoritate præcepit : Cuius reuerentia et honore tanquam apostoli illius gentis qui totam patriam conuertisset ad fidem . sedes illa in qua et uiuens prefuit : et mortuus requiescit . in tanta ab initio cunctis ueneratione habetur : ut nonmodo episcopi et sacerdotes et qui de clero sunt : sed etiam regum ac principum uniuersitas subiecta sit metropolitano in omni obedientia : et unus ipse omnibus præsit . Verum mos pessimus inoleuerat quorundam diabolica ambitione potentum sedem sanctam obtentum iri hæreditaria successione . Nec enim patiebantur episcopari : nisi qui essent de tribu et familia sua : Nec parum processerat execranda successio : decursis iam in hac malicia quasi generationibus quindecim . Et eo usque firmauerat sibi ius prauum immo omni morte puniendam iniuriam generatio mala et adultera : ut et si interdum defecissent clerici de sanguine : sed episcopi nunquam . Denique iam octo extiterant ante Celsum uiri uxorati et absque ordinibus litterati tamen . Inde tota illa per uniuersam hyberniam de qua multa superius diximus dissolutio ecclesiasticæ disciplinæ : censure eneruatio . religionis euacuatio . Inde

illa ubique pro mansuetudine christiana sæua subiutroducta† barbaries : imo paganismus quidam inductus sub nomine christiano . Nam quod inauditum est : ab ipso christianitatis initio sine ordine sine ratione mutabantur et multiplicabantur episcopi pro libito metropolitani : ita ut unus episcopatus uno non esset contentus sed singulæ pene ecclesiæ singulos haberent episcopos . Nec mirum : Nam quomodo tam morbidi capitis membra ualerent ? Pro his Celsus atque huiusmodi malis populi sui uæhementer dolens . erat enim uir bonus et timoratus : curauit omni modo habere sibi successorem || Malachiam : quod per ipsum confideret : posse explanari male radicatam successionem : qui carus esset omnibus : et quem omnes æmularentur : et dominus erat cum eo . Nec frustratus est a spe sua . Nam illo mortuo substitutus est Malachias : non tamen mox : neque id facile . Eece† enim de sæmine nequam qui occupet locum : Mauritius nomine . Is per quinquennium fretus potentia sæculari incubauit ecclesiæ : non episcopus sed tyramnus . Nam uota piorum magis in Malachia conuenerant . Denique suadebant eum subire onus iuxta constitutionem Celsi : sed ille qui omne sublime haud secus quam suum precipitium declinabat . bonam sibi uidebatur nactus occasionem excusandi : quod per id temporis introitus eius pacificus esse non posset . Instabant tam sancto operi et sollicitabant eum omnes potissimum episcopi Malcus et Gislibertus : Quorum prior ipse est senior lesmorensis : de quo supra mentio facta est : Alter quem aiunt prima functum legatione apostolicæ sedis per uniuersam Hyberniam : Qui triennio iam decurso in hac præsumptione Mauricii et Malachiæ dissimulatione non ferentes ultra ecclesiæ adulterium dedecus christi : couocatis episcopis et principibus terræ uno spiritu adeunt Malachiam parati uim facere . At ille renuere primum : prætendere siquidem difficultatem rei : nobilis illius prosapiæ multitudinem . fortitudinem ambitionem : multum esse ad se pauperculum opponere se tot tantis talibus taliter radicatis : qui iam annos ferme ducentos quasi hæreditate possedissent sanctuarium dei : et nunc quoque id præoccupassent : non posse illos extirpari : nec cum mortibus hominum quod sua non interesset fundi humanum sanguinem occasione sui : postremo iunctum se sponse alteri : quam dimittere non liceret . Verum illis e contra instantibus et clamantibus : quia a domino sermo egressus est : sed et tota auctoritate iubentibus subire onus atque intentantibus anathema : Ad mortem inquit ducitis me : sed obedio spe martyrii . Hac tamen conditione : ut si iuxta fidem uestram res in melius cedat : et uindicet sibi deus suam hæreditatem a diripientibus eam : cum demum consummatis omnibus : et ecclesia pacem habente : liceat redire ad priorem sponsam meam et amicam de qua rapior | paupertatem : et pro me illic alium substituere : qui tunc forte repertus idoneus fuerit . Nota lector uirtutem uiri et animi puritatem : nec honorem scilicet affectantis : nec formidantis mortem pro christi nomine . Quid hoc animo purius quidue fortius : ut se exponens periculo et labori : alteri fructum cedat : ipsam in loco principatus securitatem et pacem ? Facit hoc cum liberum sibi ex pacto retinet reditum ad paupertatem : pace et libertate ecclesiæ restituta . Spondentibus illis demum adquieuit uoluntati eorum uel potius dei : a quo sibi iam olim præostensum recordabatur : quod de se modo dolebat fieri . Nempe iam egrotante Celso apparuit Malachiæ et quidem longe posito et nescienti mulier proceræ staturæ et reuerendi uultus : percunctanti quænam esset : responsum est : esse uxorem Celsi : Quæ ei tradens uirgam pastoralem quam manu tenebat : disparuit . Paucis decursis diebus : Celsus moriens misit baculum suum Malachiæ tanquam sibi successuro : quem ut uidit agnouit ipsum esse quem uiderat . Huius præcipue recordatio uisionis terruit malachiam : ne si quod diu satis dissimularat : ultra renueret : diuinæ iam uideretur resistere uoluntati . Verumtamen ciuitatem non intrauit : quam diu ille incubator uixit : ne hac occasione contingeret mori quemquam ex his : quibus uitam magis ministraturus ueniebat . Ita per biennium : nam id temptus† superuixit ille agens extra urbem strenue in uniuersa prouincia opus episcopale exercuit . Illo igitur celeri morte facto de medio : rursum nigellus quidam immo uero ingerrimus† sedem præripuit : et in hoc animæ suæ Mauricius adhuc uiuens prouiderat : ut haberet hæredem : in quo qui dampnandus exhibat : operibus adiicere damnationis persisteret . Erat enim et ipse ex dampnata progenie : cognatus Mauritii . Cæterum rex et episcopi et fideles terræ nihilominus conuenerunt : ut introducerent Malachiam : Et ecce concilium malignantium ex aduerso .

Quidam de filiis Belial promptus ad malum potens in inquitate† sciens locum ubi pariter conuenire decreuissent : multis aggregatis sibi latenter uicinum occupat collem eminentem e regione : unde illis tractantibus repentino || impetu super incautos irruerent : et interficerent innocentes . Condixerant enim regem cum episcopo trucidare : ut non esset : qui uindicaret sanguinem iustum . Res innotuit Malachiæ : et intrans ecclesiam : erat enim propter : eleuatis manibus orauit ad dominum : Et ecce nubes et caligo sed et tenebrosa aqua in nubibus aeris diem uerterunt in noctem . Fulgura quoque et tonitrua et horribilis spiritus procellarum diem ultimum imitantur : uicinamque elementa intentant omnia mortem . Et ut scias lector : quod ipsa oratio Malachiæ concusserat elementa : solos intercepit tempestas : qui querebant animam eins† : solos turbo tenebrosus inuoluit : qui parauerant opera tenebrarum . Denique ipse qui princeps extiterat tanti mali fulmine percussus interiit cum tribus aliis : et fuere consortes mortis : qui fuerant participes sceleris : Quorum sequenti die inuenta sunt corpora semiusta et putrida hærentia ramis arboreis : ubi quemque spiritus eleuans allisisset . Alii quoque tres semiuiui inuenti sunt : cæteri omnes circumquaque dispersi . Illos autem qui cum Malachia erant quamuis proximos loco non tetigit tempestas omnino : nec quicquam molestiæ intulit . In facto isto recens capimus experimentum ueritatis uerbi illius : quia oratio iusti penetrat cælos . Sed et nouum antiqui exemplum miraculi : quo olim tota ægypto uersante in tenebris : solus israel in lumine mansit : dicente scriptura : Vbicumque israel erat : lux erat . Huc mihi accurrit et factum sancti Heliæ nunc quidem ab extremis terræ nubes et pluuias educentis : nunc uero super blasphemos euocantis ignem de cælo : Et modo de simili clarificatus est deus in seruo suo Malachia.

Anno autem ætatis suæ tricessimo octauo pauper Malachias pulso incubatore intrauit Ardinacha pontifex et metropolitanus tocius hyberniæ . Rege uero cæterisque qui introduxerant eum ad propria remeantibus ipse remanet in manu dei : et remanent illi foris pugnæ : intus timores . Nam ecce uiperea soboles frendens et uociferans se exhæredari tota se intus et foris suscitat aduersus dominum et aduersus Christum eius . Porro nigellus uidens sibi imminere fugam : tulit | secum insignia quædam sedis illius textum scilicet euangeliorum : qui fuit beati Patricii : baculumque auro textum et gemmis pretiosissimis adornatum : quem nominant baculum Iesu : eo quod ipse dominus ut fert opinio eum suis manibus tenuerit atque formauerit : Et hæc summæ dignitatis et uenerationis in gente illa . Nempe notissima sunt celeberrimaque in populis atque in ea reuerentia apud omnes : ut qui illa habere uisus fuerit : ipsum habeat episcopum populus stultus et insipiens . Ibat homo gyrouagus : et alter sathanas circuibat terram et perambulabat eam : insignia sacra circunferens . Quæ ubique ostentans ubique eorum gratia receptabatur : concilians sibi per hæc animos omnium : et a Malachia quosque potuisset auertens . Hæc ille . Erat autem princeps quidam de potentioribus iniquæ progeniei : quem rex priusquam ciuitatem exiret : iurare coegerat pacem tenere episcopo : acceptis ab eo insuper obsidibus multis . Is post regis exitum nihilominus ciuitatem ingressus consilium habuit cum propinquis et amicis : quomodo sanctum dolo tenerent et occiderent . Timebant uero plebem : Et coniurantes in necem Malachiæ : constituere locum et diem : et traditor dedit eis signum . Ipso die cum uespertina iam sollemnia in ecclesia celebraret antistes cum uniuerso clero et multitudine populi : mittit ad ipsum nequam ille in uerbis pacificis rogans : protinus ad se dignetur descendere : ut faciat pacem . Respondentibus qui adsistebant ipsum potius ad episcopum debere uenire : ecclesiam esse competentiorem locum firmandæ pacis : siquidem præsenserant dolum : subiungunt qui missi erant : hoc tutum esse principi : timere capiti suo : nec se crederet turbis : quæ eum ante hos dies causa episcopi propemodum interemissent . Contendentibus in hunc modum : illis quidem ut iret : istis uero ne iret : episcopus cupidus pacis : et mortis non timidus : sinite inquit fratres . sinite me imitari magistrum meum . Sine causa sum christianus : si Christum non sequor . Forte flecto humilitate tirannum : et si non uinco : tamen exibens oui pastor : sacerdos laico : quod mihi ille debuerat : Vos quoque : quod in me est : non parum ædifico exemplo tali . Quid enim si contingat occidi ? Non recuso mori : ut uos uitæ ex me tenea || tis exemplum . Oportet episcopum ut ait episcoporum princeps non dominari in clero : sed formam fieri gregis . Haud aliam sane formam quam ab illo accepimus : qui humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem . Quis mihi

det hanc relinquere filiis signatam sanguine meo ? Experimini certe : an sacerdos noster digne satis a Cristo didicerit : mortem non timere pro Christo . Et surgens cœpit ire flæntibus cunctis et supplicantibus : ne tantum cuperet pro Christo mori : ut tantum Christi gregem desolatum relinqueret . Verum ille totam spem suam ponens in domino tota alacritate perrexit . tribus tantum comitatus discipulis paratis mori cum eo : Qui ut calcato limine domus repente se medio intulit armatorum scuto fidei ipse munitus concidere facies omnium : quia pauor irruit super eos : ita ut dicere posset episcopus : Qui tribulant me inimici mei : ipsi infirmati sunt : et ceciderunt . Hoc uerbum uerum est . Videres hostiam stantem : carnifices ferro armatis manibus undique circunstantes : et qui immolaret non erat . Putares stupere lacertos : sic non fuit qui extenderet manum . Nam et is quoque qui caput malitiæ uidebatur : assurgit ei potius quam insurgit . Vbi signum o homo quod dederas in morte pontificis ? Hoc magis honoris quam mortis signum . Deferre est hoc : non mortem inferre . Res mira . Pacem offerunt : qui necem parauerant . Non est quod abnuat : qui et uitæ periculo quæsierat eam . Itaque facta est pax et tam firma : ut ab illa die hostem sacerdos nonmodo paccatum habuerit sed subditum sed deuotum : Quo audito fideles quique gauisi sunt : quod nonmodo saluatus sit sanguis innoxius in die illa : sed et nocentium† multorum animæ Malachiæ meritis euaserunt ad salutem . Et appræhendit omnes circumquaque timor : audientes quomodo duos inimicorum eius qui uiderentur ferociores et fortiores in generatione sua sic subita uirtute prostrauit deus : istum loquor qui in manibus est et eum : de quo superius dixi . Alterum enim terribiliter mulctatum in corpore alterum misericorditer mutatum in corde : ambos mirabiliter conpræhendit in consiliis quæ cogitabant . His ita peractis cœpit iam in ciuitate episcopus tota libertate disponere et or | dinare de omnibus pertinentibus ad ministerium suum : non tamen sine continuo discrimine uitæ suæ . Nam et si iam nemo qui palam noceret : ab insidiantibus tamen nec locus satis tutus episcopo erat : nec tempus feriatum : Et deputati sunt ei uiri armati ad custodiam die ac nocte : sed ille magis in domino confidebat . Fuit uero consilium præfatum scismaticum insequi : eo quod seduceret multos ex insignibus quæ ferebat : suadens omnibus se episcopum esse debere : et sic sollicitans plebes aduersus Malachiam atque ecclesiæ unitatem . Et fecit sic ˙. Et sine difficultate ita in breui sepiuit uniuersas uias eius per gratiam sibi a domino datam : et quam habebat ad omnes : ut malignus ille coactus sit dare manus : reddere insignia : et quiescere de reliquo in omni subiectione . Ita Malachias licet per multa pericula et labores prosperabatur in dies et confortabatur magis ac magis : abundans in spe et uirtute spiritussancti .

Nec modo malefactores sed et detractores Malachiæ corripuit deus . Quidam uerbi gratia gratiam habens principum et potentum etiam ipsius regis quod esset adulator et garrulus et potens in lingua : fauebat per omnia aduersariis Malachiæ : et procaciter tuebatur partem eorum . Sancto uero et præsenti resistebat in facie : et detrahebat absenti : irreuerenter occurrens ei : et in omni loco : maximeque ubi celebrioribus illum sciret interesse conuentibus : Sed cito digna linguæ procacis mercede donatus est . Intumuit et computruit lingua maledica uermibus ex ea scatentibus et diffluentibus toto ore blasfemo : quos per septem ferme dies incessanter uomens : tandem cum illis miseram expuit animam . Loquente coram aliquando Malachia et populum exhortante mulier quædam infelix ausa est interrumpere sermonem clamoribus improbis : non deferens sacerdoti et spiritui qui loquebatur . Erat autem de progenie impia : et spiritum habens in naribus blasphemias contumeliasque euomebat in sanctum dicens : hypocritam et inuasorem alienæ hæreditatis : sed et caluitiei illius improperans . At ille nihil respondit et sicut erat uerecundus et mitis : sed dominus respondit pro eo . uersa illa in insaniam est domino indicante† : et crebris || uocibus clamitans se suffocari a Malachia : morte demum horrenda luit peccatum blasphemiæ . Sic misera assumens aduersus Malachiam improperium Helisei . uere illum sibi alterum experta est Heliseum . Porro quia causa pestilentiæ cuiusdam ortæ in ciuitate multitudinem cleri et populi sollenni cum memoria sanctorum tunc foras eduxerat : ne hoc quidem prætereundum quod orante Malachia pestilentia illico conquieuit : Ex hoc iam qui mutiret aduersus eum non fuit : dicentibus qui de semine chanaan sunt : fugiamus Malachiam : quia dominus pugnat pro eo . At sero istud : quia zelus domini ubique occurrens eis persequutus est eos usque ad

internitionem . Quomodo inter paucos dies periit memoria eorum cum sonitu ? Quomodo facti sunt in desolationem : subito defecerunt . perierunt propter iniquitatem suam ? Grande hodieque miraculum facit tam uelox generationis illius deletio his presertim : qui eorum nouerant superbiam atque potentiam . Multa quidem et alia signa fuere : quibus deus glorificauit nomen suum : et seruum suum inter sudores et pericula confortauit . Quis digne commemoret ? Non tamen omnia præterimus : et si non sufficimus ad omnia . Propter seriem autem narrationis ne impediatur : aliqua quæ dicturi sumus reseruamus in finem . Igitur Malachias intra triennium reddita retributione superbis et libertate ecclesiæ restituta : pulsa barbariæ et reformatis undique moribus christianæ religionis : uidens omnia in pace esse : cœpit cogitare et de sua pace . Et memor propositi sui constituit pro se Gelasium uirum bonum et dignum tali honore conueniente clero et populo : quam potius sustinentibus propter pactum . Nam alias durum uisum est omnino . Quo consecrato regibusque ac principibus attentius commendato : ipse clarus miraculis et triumphis ad suam parrochiam non tamen Connereth rediit : et audi causam dignam relatu . Diocesis illa duas fertur habuisse antiquitus episcopales sedes : et duos extitisse episcopatus . Id uisum melius Malachiæ . Itaque quos ambitio conflauit in unum : Malachias reuocauit in duos : partem alteri episcopo cedens . partem retinens sibi . Et propterea non uenit Connereth : eo quod in ea iam episcopum ordinasset : sed | Dunum se contulit : disterminans parrochias sicut in diebus antiquis . O purum cor : o oculum columbinum . Locum tradidit nouo episcopo : qui uideretur paratior principalior haberetur : locum in quo sederat ipse . Vbi sunt qui de terminis litigant pro uno uiculo perpetes inuicem inimicicias exercentes ? Nescio si quod genus hominum magis quam istos antiquum uaticinium tangat : secuerunt pregnantes Galaad ad dilatandum terminos suos . Sed hæc alias . Malachias factus dunensis episcopus . confestim more suo curauit assiscere solatio sibi de filiis suis conuentum regularium clericorum . Et ecce rursus accingitur quasi nouus Christi tiro ad spiritale certamen : rursus induitur arma potentia deo et sanctæ paupertatis humilitatem : rigorem disciplinæ cœnobialis : otium contemplandi : orandi assiduitatem : Quæ tamen omnia uoto magis ualuit diu tenere quam actu . Et enim uniuersi confluebant ad eum : nec modo mediocres sed et nobiles et potentes illius se sapientiæ et sanctitati instruendos corrigendos regendos committere festinant . Et ipse interdum ibat et exibat seminare sæmen suum : disponens et decernens tota auctoritate de rebus ecclesiasticis tanquam ex apostolis unus . Et nemo illi dicebat in qua potestate hæc facis ? uidentibus cunctis signa et prodigia quæ faciebat : et quia ubi spiritus : ibi libertas . Visum tamen sibi non tute satis actitari ista absque sedis apostolicæ auctoritate : et romam proficisci deliberat Maximeque quod metropolicæ sedi deerat adhuc et defuerat ab initio pallii usus : quod est plenitudo honoris : Et uisum est bonum in oculis eius : si ecclesia pro qua tantum laborarat : quem actenus non habuerat : suo acquireret studio et labore . Erat et altera metropolyca sedes : quam de nouo constituerat Celsus . primæ tamen sedi et illius archiepiscopo subdita tanquam primati : et huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias : confirmarique auctoritate sedis apostolicæ prærogatiuam : quam beneficio Celsi adipisci meruerat . Innotescente proposito displicuit fratribus nec non et magnatibus et populo terræ : Omnes enim intolerabilem sibi iudicabant tam diutinam pii parentis absentiam : et quod metuerent de morte ipsius . Contigit inte || rea mori germanum eius Christianum nomine uirum bonum : plenum gratiæ et uirtutis . Erat episcopus illi quidem sedes in celebri opinione : sed uitæ sanctimonia et iusticiæ zelo forte non impar . Huius decessus magis terruit uniuersos : et dissecessum Malachiæ reddidit molestiorem . Dicebant autem nullo modo assentiendum unici peregrinationi patroni : ut non desoletur omnis terra si duabus tantis columnis sub uno momento temporis destituatur . Ergo omnes pariter contradicunt : et uim faciebant : cum ille diuinam ultionem minatus est . Non tamen destitere illi : nisi missa sorte prius dei uoluntas super hoc interrogaretur . Prohibente illo nihilominus mittunt : sed illa pro Malachiæ parte ter respondisse inuenta est . Nec enim semel contenti fuere cupidi retinendi eum : demum cedentes dimittunt illum : non tamen sine ploratu et hululatu multo .

Sed ne quid imperfectum relinqueret : tractare cœpit : quomodo defuncti fratris sæmen suscitaret . Et acersitis ad se tribus discipulis suis anxius æstuabat : quisnam dignior ad hoc opus siue utilior uideretur . Et diligenter intutus singulos : tu inquit

o Edeine sic enim uocabatur unus : suscipe onus . Illo cunctante et flænte ne timeas ait : tu enim mihi a domino designatus es : quia annulum aureum quo desponsandus es iam nunc i† præuidi in digito tuo . Acquieuit ille : et Malachias eo consecrato proficiscitur . Cumque egressus de Scotia peruenisset Eboracum : sacerdos quidam Sicarus nomine intutus eum agnouit . Nec enim faciem eius uiderat ante : sed cum haberet spiritum prophetiæ : reuelatum fuerat ei iam pridem de illo . Et nunc incunctanter circunstantibus digito eum demonstrans : hic est inquit de quo dixeram : quia de Hibernia sanctus ueniet pontifex : qui scit cogitationes hominum . Sic non potuit latere lucerna sub modio : prodente eam per os Sicari spiritu sancto : qui illam accenderat . Nam et multa secreta de esse suo suorumque dicta sunt ei a Sicaro : quæ ita esse uel fuisse omnia recognouit . Sed et sotiis Malachiæ percunctantibus de suo reditu respondit Sicarus incunctanter : quod post rei probauit euentus : paucos uidelicet admodum de numero Illo cum episcopo redituros . Illi audito hoc | suspicati sunt mortem : sed deus aliter adimpleuit . Nempe rediens ab urbe : quibusdam apud nos : quibusdam et in aliis locis ad discendam conuersationis formam relictis : iuxta uerbum Sicari cum paucis admodum repatriauit . Hæc de Sicaro . In ipsa urbe Eboraco accessit ad eum uir nobilis secundum sæculum Vallenus nomine tunc prior in Kirkestede regularium fratrum : nunc uero monachus et monachorum pater in Mailros monasterio ordinis nostri : qui deuotus Malachiæ se orationibus satis humiliter commendauit . Is aduertens multos habere episcopum sotios et equos paucos . nam præter ministros et clericos alios quinque cum eo erant præsbyteri et equi non nisi tres : obtulit ei suum quo ipse uehebatur : hoc solum dolere se inquiens : quod equitem duriuscule portaret : Et addit : Libentius dedissem si melior fuisset : sed si dignamini : ducite qualemcumque uobiscum : Et ego ait episcopus eo libentius accipio : quo prædicas uiliorem : quia non potest mihi uile esse : quicquid tam pretiosa uoluntas obtulerit : Et conuersus ad suos hunc inquit sternite mihi : quia commodus satis et sufficiens erit in longum : Quo facto ascendit : et primo quidem durum ut erat sentiens : postmodum mira mutatione ualde commodum sibi et suauiter ambulantem inuenit . Et ne cadere super terram de sermone quem dixerat : usque ad nonum annum quo mortuus est ipse non defecit ei : factus optimus et pretiosissimus equus . Quodque euidentius miraculum cernentibus fecit : de subnigro cœpit albescere : et non multo post uix inueniebatur albior illo .

Mihi quoque in uia hac datum est uidere uirum : et in eius uisu et uerbo refectus sum : et delectatus sum sicut in omnibus diuitiis . Et ego uicissim : peccator licet : inueni gratiam in oculis eius : extunc et deinceps usque ad obitum ipsius sicut in proemio præfatus sum . Ipse etiam dignatus diuertere Claramuallem : uisis fratribus : compunctus est : et illi non mediocriter ædificati in præsentia et sermone eius : Et acceptans locum et nos : atque intimis uisceribus colligens : uale dixit nobis : et abiit : Qui trans alpes cum uenisset Iporiam ciuitatem italiæ : hospitis sui paruulum filium qui male habens || moriturus erat continuo sanauit . Erat tunc temporis in sede apostolica felicis memoriæ secundus Innocentius papa : qui eum benigne suscepit : humane satis illi super longa peregrinatione compatiens : Et primo quidem Malachias quod altius infixerat animo cum multis lachrymis implorabat : licere sibi uiuere et mori in Claraualle : permissu et benedictione summi pontificis . Et petiit hoc non oblitus ad quod uenerat : sed affectus qua uenerat desyderio clareuallis . Non autem obtinuit quod uir apostolicus lucris potius huberioribus occupandum decerneret . Nec tamen omnino frustratus est a desyderio cordis sui : cui mori ibi et si non uiuere donatum est . Mensem integrum fecit in urbe : loca sancta per ambulans et frequentans causa orationis : Cumque per id temporis sæpe ac diligenter ab eo et ab iis qui cum eo erant summus pontifex inquisisset de patria : de moribus gentis : de statu ecclesiarum : et quanta in terra deus per eum operatus fuisset : paranti iam repatriare commisit uices suas : per uniuersam Hyberniam legatum illum constituens . Significatum siquidem erat ei ab episcopo Gisliberto : qui ut supra memorauimus tunc temporis legatus extiterat : quod iam non posset præ senio et debilitate corporis uillicare . Post hæc petit Malachias confirmari nouæ metropolys constitutionem : et utriusque sedis sibi pallia dari : et confirmationis quidem priuilegium mox accepit . De palliis autem oportet ait summus pontifex : sollemnius agi . Conuocatis episcopis et clericis et maioribus terræ celebrabitur generale concilium : et sic conuenientia et communi uoto uniuer-

7

sorum . per honestas personas requiretis pallium : et dabitur uobis . Deinde tollens mytram de capite suo imposuit capiti eius : sed et stolam cum manipulo dedit illi : quibus uti inter offerendum solebat . Et salutatum in osculo pacis dimisit eum apostolica fultum benedictione et auctoritate : Qui reuertens per Claramuallem suam secundam nobis largitus est benedictionem : Et alta suspiria trahens quod non liceret sibi pro suo desyderio remanere : hos inquit interim pro me oro : ut retineatis . qui a uobis discant : quod postmodum doceant . Et infert : Erunt uobis in semen : et in sæmine isto benedicentur gen | tes : et ille gentes quæ a diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt : monachum non uiderunt . Et dimissis quattuor a suo latere abiit : Qui probati et digni inuenti : monachi facti sunt . Post aliquod tempus cum sanctus esset in terra sua misit alios : et factum est de illis similiter : Quibus per aliquantum tempus instructis et eruditis corde in sapientia : dato eis in patrem sancto fratre Christiano : qui erat unus ex ipsis : emisimus eos : adiungentes de nostris quanti sufficerent ad numerum abbatiæ : Quæ concepit et peperit filias quinque et sic multiplicato sæmine augetur in dies numerus monachorum iuxta desyderium et uaticinium Malachiæ . Nunc iam repetamus ordinem narrationis . Malachias profectus a nobis prospere peruenit Scotiam .

Et inuenit Dauid regem : qui adhuc hodie superest in quodam eius castello : cuius filius infirmabatur ad mortem : Ad quem ingressus honorifice a rege susceptus et humiliter exoratus : ut sanaret filium suum : aqua cui benedixit aspersit iuuenem : et intuens in eum ait : Confide fili : non morieris hac uice . Dixit hoc : et die sequenti dictum sequuta est sanitas : sanitatem læticia patris : clamor et strepitus totius exultantis familiæ . Exiit sermo ad omnes : nec enim quod in domo regia acciderat filio regis latere potuit . Et ecce ubique resultans gratiarum actio et uox laudis : tum pro salute domini tum miraculi nouitate . Henricus est iste : nam uiuit adhuc unicus patris sui miles fortis et prudens : patrissans ut aiunt in sectando iustitiam et amorem ueri : Et amauit utique Malachiam quandiu uixit : tanquam qui illum a morte reuocasset . Rogabant eum manere per aliquot dies : sed ille declinans gloriam : moram non sustinuit : et mane carpebat iter . Transeunti per uillam nomine Erugeldum occurrit puella muta . Orante illo solutum est uinculum linguæ eius : et loquebatur recte .

Dehinc uillam ingrediens : quam nominant ecclesiam sancti Michaelis : oblatam sibi mulierem phreneticam et uinctam funibus coram omni populo curat : et dimissa incolumi proficiscitur . Perueniens uero ad portum Lapasperi transitum ibi per aliquot dies prestolabatur : || sed mora minime transiit otiosa . Construitur interim de uirgis in sepem textis oratorium ipso iubente ipso operante pariter . Consumatum circundedit uallo atque interiacens spatium in cymiterium benedixit . Sane merita benedicentis miracula satis declarant : quæ usque hodie ibi actitari feruntur . Inde est quod de finitimis locis infirmos et male habentes illo portare consueuerunt : et sanantur multi . Mulier totis dissoluta membris plaustro uecta illuc pedibus suis remeauit domum : una duntaxat nocte non frustra in loco sancto prestolata misericordiam domini . Alia quædam ibidem pernoctabat in oratione : quam forte reperiens solam homo barbarus accensus libidine et sui minime compos irruit rabiosus in eam . Conuersa illa et tremefacta suspiciens aduertit hominem plenum diabolico spiritu : et heus tu inquit miser quid agis ? Consydera : ubi es reuerere hæc sancta : defer deo defer seruo eius Malachiæ : parce et tibi ipsi . Non destitit ille : furiis agitatus iniquis : Et ecce quod horribile dictu est : uenenatum et tumidum animal quod buphonem uocant uisum est reptans exire de inter femora mulieris . Quid plura ? Terrefactus resilit homo : et datis saltibus festinus atrio exilit . Ille confusus abscessit : et illa intacta remansit : magno quidem et dei miraculo et merito Malachiæ . Et pulchre operi fædo et abhominando : fædum interuenit et abhominabile monstrum . Non prorsus aliter decuit bestialem extingui libidinem : quam per frigidissimum uermem : nec aliter temerarium frænari ausum frustrari conatum : quam per uilem in utilemque bestiolam . Et hæc loco isto sufficiant pauca de pluribus . Nunc iam reliqua prosequamur : Ascendit Malachias nauem : et prospere nauigans applicuit monasterio suo Benchorensi : ut primi filii primam reciperent gratiam : Quid animi putas gessisse illos : sano de uia tam longa recepto patre et illo patre ? Nec mirum si se tota in gaudium effuderunt uiscera eorum in reditu eius : quando et exteris

circumquaque gentibus incredibilem mox læticiam uelox rumor inuexit . Denique de ciuitatibus et castellis et uicis occurrerunt ei : et quocumque diuertit suscipitur exultatione uniuersæ terræ . Veruntamen non sapit honor : opus exercetur lega | tionis . Multis in locis celebrantur conuentus multi : ne qua regio seu portio regionis legationis fructu et utilitate fraudetur . Sæminatur super omnes aquas : non est : qui se abscondat ab opera sollicitudinis eius . Non sexus : non ætas : non conditio : non professio reputatur . Vbique sæmen spargitur salutare . Vbique intonat tuba cælestis . Vbique discurrit . Vbique irrumpit euaginato gladio linguæ ad faciendam uindictam in nationibus increpationes in populis . Terror eius super facientes mala . Clamat iniquis : nolite inique agere : et delinquentibus : nolite exaltare cornu . Religio ubique plantatur : propagatur . fouetur . Oculi eius super eos : et cura eius ad necessitates eorum . In conciliis quæ passim celebrantur repetuntur antiquæ traditiones : quas tamen bonas fuisse constiterit abolitas uero negligentia sacerdotum . Nec modo uetera instaurantur : cuduntur et noua . Et quecumquæ promulgauerit : tanquam cælitus edita acceptantur . tenentur : scripto mandantur ad memoriam posterorum . Quid ni celitus missa crederentur : quæ tot cælestia confirmant miracula ? Et ut fidem dictis faciam : per stringam non nulla paucis . Quis enim cuncta enumeret ? Quamquam libentius fateor imitandis morer quam admirandis : Et meo quidem iudicio primum et maximum miraculam† quod dedit : ipse erat . Vt enim taceam interiorem hominem eius : cuius pulchritudinem fortitudinem puritatem satis iudicabant mores ipsius et uita : ipsum exteriorem ita uno semper modo ipsoque modestissimo et decentissimo gessit : ut nil prorsus appareret in eo : quod posset offendere intuentes . Et quidem qui non offendit in uerbo : ille perfectus est uir . At uero in Malachia quis umquam etiam si curiosius obseruarit : depræhendit ociosum : non dico uerbum sed nutum ? Quis manus pedemue mouentem frustra . Immo quid non ædificans in eius incessu . asspectu . habitu . uultu ? Denique uultus hilaritatem non fuscauit mæror : non lungauit risus . Totum in eo disciplinatum : totum insigne uirtutis : perfectionis forma per omnia serius si non austerus . Remissus interdum : dissolutus nunquam . Negligens nihil : et si pro tempore multa dissimulans . Quietus sepe || sed minime aliquando otiosus : a die primo conuersionis suæ usque ad extremum uitæ suæ sine proprio uixit . Non seruos non ancillas non uillas non uiculos non denique quicquam reddituum ecclesiasticorum sæcularium ue . uel in ipso habuerit episcopatu . Mensæ episcopali nihil prorsus constitutum uel assignatum unde episcopus uiueret . Nec enim uel domum propriam habuit . Erat autem pene incessanter circuiens parrochias omnes æuangelio seruiens et de euangelio uiuens . sicut constituit ei dominus dignus est inquiens operarius mercede sua : nisi quod frequemtius ipsum euangelium sine sumptu ponens laboribus suis suorumque ferebat : unde se et eos qui secum laborabant in opere ministerii sustentaret . Porro si interdum quiescere oporteret : in sanctis hoc faciebat locis : quæ ipse per Hyberniam sparserat uniuersam . Apud quos uero moram facere libuisset : illorum se conformauit moribus et obseruantiis communi contentus uita et mensa . Non fuit in uictu . non fuit in uestitu in quo potuisset Malachias dignosci inter cæteros fratres : in tantum cum maior esset : humiliauit se in omnibus . Denique cum exiret ad prædicandum : cum pedibus pedes et ipse ibat episcopus et legatus . Forma apostolica hæc : et inde magis mira in Malachia : quo rara nimis in aliis . Verus profecto apostolorum hæres est iste : qui talia agit . Sed aduertere est : quomodo diuidat hæreditatem cum fratribus suis æque nepotibus apostolorum . Illi dominantur in clero : iste dum esset liber ex omnibus omnium se seruum fecit . Illi autem non euangelizantes manducant : aut euangelizant ut manducent : Malachias imitans paulum manducat : ut euangelizet . Illi fastum et quæstum estimant pietatem Malachias hæreditate uendicat sibi opus et onus . Illi felices se credunt : si dilatauerint terminos suos : Malachias dilatanda caritate gloriatur . Illi congregant in horea : et dolia replent : unde onerent mensas . Malachias colligit in deserta et solitudines : unde impleat cælos . Illi cum accipant† decimas : et primitias et oblationes insuper et de Cæsaris beneficio telonea et tributa et alios redditus infinitos solliciti sunt nihilominus quid manducent : aut quid bibant : Malachias nihil horum habens | multos tamen locupletat de promptuario fidei . Illis nec cupiditatis nec sollicitudinis ullus est finis : Malachias cupiens nihil non nouit tamen cogitare de crastino . Illi a pauperibus exigunt : quod dent diuiti-

bus : iste sollicitat diuites pro pauperibus sustentandis . Illi marsupia uacuant subditorum : iste pro peccatis eorum altaria cummulat uotis hostiisque pacificis . Illi alta palatia erigunt turres ac mœnia ad cælos usque leuant : Malachias non habens ubi caput reclinet : opus facit euangelistæ . Illi equos ascendunt cum turba hominum gratis manducantium panem et non suum : Malachias septus sanctorum fratrum collegio pedes circuit portans panes angelorum : quibus satiat animas esurientes . Illi plebes ne agnoscunt quidem : iste erudit . Illi potentes et tyrannos honorant : iste punit . O uirum apostolicum : quem tot et talia nobilitant signa apostolatus sui . Quid ergo mirum : si mira est operatus sic mirabilis ipse . Immo uero non ipse : sed deus in ipso . Alioquin : tu es deus inquit : qui facis mirabilia . Erat mulier in ciuitate Culratim dæmonium habens . Vocatus est Malachias : orat pro adducta : urget inuasorem : exit . Sed nondum est exaturata nequitia eius : miseram inuadit mulierculam : quæ forte propter assisteret . Et Malachias Non ad hoc inquit tibi illam tuli ut hanc peruaderes : exi ab ea . Paret : sed repetit priorem . Qua denuo pulsus : recurrit in alteram . Ita per aliquod spatium alternatim uexabat illas hinc inde refugiens . Tunc sanctus indignans sibi illudi a dæmone colligensque spiritum infremuit : et totis uiribus fidei facto impetu in aduersarium ab utraque fugauit : et quidem non minus uexatum iis quas uexauerat ipse . Cæterum quod moram fecit sanctæ : non putes lector fuisse uirtutis eius : sed dispensationis diuinæ : ut uidelicet ex hoc manifestior fieret et maligni præsentia et uictoria Malachiæ Denique audi : quid alibi fecerit : non autem per præsentiam suam . Et utique potuit præsens : quod absens ualuit . In Li regione aquilonaris partis Hyberniæ : iacebat in domo infirmus : nec dubium quin dæmonum maleficio . Nam quadam nocte audiuit eos loquentes : dicente altero ad alterum : Vide ne miser iste hyppochrite || stratum stramen ue contingat : et sic effugiat manus nostras . Cognouit homo : quod Malachiam loquerentur : quem non multo ante in eadem domo meminerat pernoctasse : et adhuc stramen in loco . Sumptaque fiducia et quo potuit conatu cœpit repere debilis corpore : sed fide fortis . Et ecce in aere clamor et uociferatio . Prohibe eum prohibe . retine eum : retine : amittimus prædam . Verum iis quem portabat fides et desyderio euadendi quanto plus clamabant illi : tanto magis genibus manibusque nitens ad remedium festinabat . Et perueniens ascendit lectulum : uolutatur in stramine : audit hululatum plangentium . Heu heu ipsi nos prodidimus : decepti sumus euasit . Et dicto citius recessit ab eo dæmonum terror et horror : quem patiebatur et omnis pariter ægritudo . In Lesmor ciuitate homo a dæmonio uexatus per Malachiam liberatus est . Item transeunti aliquando per Laginiam oblatus est illi infans habens dæmonium : sanus relatus est . In regione eadem ligatam funibus phreneticam solui iussit : et in aqua quam benedixit lauari . Lota est et sanata est . Alteram quoque in Saballo regione Vlidiæ membra propria dentibus laniantem : orando et tangendo curauit . Amentem hominem multa prædicentem futura amici et propinqui adducunt ad dei hominem uinctum funibus et fortiter : quod fortem ad nocendum rabies ipsa fecisset et terribilem ualde . Orat Malachias : statimque eger sanatur : et soluitur . Factum est hoc loco quodam cuius nomen tacemus : quod nimis barbarum sonet : sicut et alia multa .

Alio tempore in præfata ciuitate Lesmor puellam mutam parentes eius in media platea offerunt transeunti : cum multa supplicatione rogantes : ut ei subuenire dignetur . Stat Malachias : et facta oratione dum tangeret digito linguam eius : sputum misit in os : et loquentem dimisit . Exiens de quadam ecclesia obuium habuit hominem cum uxore sua : quæ non poterat loqui . Rogatus ut eius misereatur stat in porta populo circunstante : et data benedictione super eam iubet dominicam dicere orationem . Dixit illa : et populus benedixit dominum . In ciuitate cui nomen Oentreb decumbens lectulo quidam iam dies duodecim priuatus linguæ officio : ad iussionem uisitan | tis se sancti loquellam recuperat eucharistiam sumit :· et ita munitus extremum in bona confessione efflauit spiritum . O oliua fructifera in domo dei : o oleum iucunditatis ungens et lucens : et splendore miraculi illustrauit sanos : et suauitate beneficii unxit infirmum : cui mox morituro salutem confitendi et communicandi obtinuit facultatem . Intrauit ad eum quidam de nobilibus habens ei aliquid dicere : Qui inter loquendum fide plenus tres iuncos pie furatus de lectulo quo ille sedebat tulit secum : et multa deus de furto pietatis est operatus fide illius et præsulis sanctitate . Forte uenerat in ciuitatem nomine Cluenuamam : Et cum sederet ad

mensam : ingressus uir nobilis de ciuitate ipsa humiliter supplicat pro uxore pregnante : quæ iam sollemne præterisset tempus pariendi : ita ut mirarentur omnes : et nemo qui aliud quam uitæ periculum crederet in minere . Rogat et cum eo Neemias episcopus illius ciuitatis : qui iuxta eum sedebat : rogant et cæteri quotquot aderant simul discumbentes . Tum ille : Compatior ei inquit : quod bona mulier sit et pudica . Et porrigens uiro poculum cui benedixerat : uade inquit . da illi bibere : sciens eam sumpto benedictionis potu et sine mora et sine periculo parituram . Factum est : quod præcepit : et nocte ipsa subsequutum est : quod promisit Sedebat in campo cum comite Vlidiæ aliqua tractans : et multitudo copiosa circa eos . Venit mulier grauida et uere grauis . Indicat se contra omnes naturæ leges retinere partum : iam quindecim mensibus et diebus uiginti . Compassus Malachias super nouo et inaudito incommodo : orat et mulier parit : et qui aderant lætati sunt : et mirati sunt . Omnes enim uiderunt : in qua facilitate et uelocitate loco eodem enixa sit : et triste negati partus miraculum miraculo commitatum iucundiori . Accidit ibidem quiddam pari quidem miraculo sed forte dispari . Vidit hominem : qui publice tenere diceretur concubinam fratris : et hic erat miles minister comitis . Et publice conueniens incestuosum : alterum ei Iohannem exhibuit : non licet tibi inquiens concubinam habere fratris tui . At ille alterum ipsi nihilominus Herodem se redhibens : || non modo non audiuit eum : sed et superbæ respondit : et coram omnibus iurat nunquam se dimissurum . Tunc cmonotus† Malachias sicut erat pro iusticia uæhementer zelans : et deus inquit te ab illa separet uel inuitum . Paruipendens ille protinus abiit indignabundus . Offendensque mulierem non longe a turba constituta in loco ui oppressit eam : sicut erat satanæ totus : cui paulo ante traditus fuerat : Nec latuit flagicium . Ancilla quæ dominam comitabatur recurrens domum : nempe haud procul aberat loco : nunciat hanela : quid mali acciderit . Ad quam uocem germani illius qui domi erant zelantes sororis stuprum tota illo festinantia peruolant pudicitiæ hostem ipso in loco et opere sceleris depræhensum : multis confossum uulneribus interimunt . Necdum conuentus solutus erat : cum ecce armiger illius quod euenerat nunciauit . Et mirati sunt uniuersi : quod sententia Malachiæ tam celerem habuisset effectum . Timuerunt quique flagiciosi audito hoc uerbo nam multi erant in terra : et territi purgati sunt . Lauantes manus suas in sanguine peccatoris . Diarmitium comitem multo iam tempore discumbentem lecto duriter quidem increpans : quod malus homo esset : immoderatius seruiens uentri et gulæ : benedicta asspersum aqua sine mora surgere fecit : et ita ualentem ut illico equum ascenderet : et utique præter suam ipsius spem et suorum . In urbe caselensi uenit homo ante eum cum filio paralytico : rogans illum sanari : Qui orans breuiter : uade inquit filius tuus sanabitur . It : et crastino redit cum filio sed minime sanato . Tum surgens Malachias et stans super eum diutius orauit : et ille sanatus est . Et conuersus ad patrem : offer inquit illum deo . Annuit homo sed non tenuit : et post aliquot annos ille iuuenis iam recidit in id ipsum : sine dubio propter inobedientiam patris et pacti trasgressionem† . Alius quidam de longinquo cum esset† Malachias in finibus Mumuniæ attulit ad eum filium pedum penitus officio destitutum . Percunctatus quonam modo illi id accidisset : ut suspicor inquit dæmonum malignitate : Et addit : Ludenti in prato ipsi ni fallor immisere soporem : euigilansque puerulus sic se inuenit . Hæc dicens cum lachrymis : precem | fundit . efflagitat opem . Misertus eius orauit Malachias : iubens ægrum interim dormire ibidem super solum . Dormiuit : et surrexit sanus . Hunc ipse quia de longe uenerat aliquandiu in comitatu suo retinuit : et erat ambulans cum eo . In monasterio benchorensi pauper quidam fratrum eleymosinis sustentabatur . Et erat quottidianam accipiens stipem : aliquid officii factitans in pistrino . Is claudus ab annis duodecim : humi manibus repens post se trahebat pedes emortuos : Quem die quadam ante cellam suam Malachias mæstum inueniens : causam percunctatur . Et ille : Vides inquit quam ex longo misellus afflictus : et manus domini super me : et ecce ad cumulum ærumpnæ homines qui misereri debuerant irrident me potius miseriam exprobrantes : Quem ubi audiuit pietate motus suspexit in cælum : manus pariter leuans . Facta autem breui oratione ipse intrauit cellam : et ille surrexit . Et stans super pedes suos mirabatur si uere esset quod erat : pene somnium suspicatus . Cœpit tamen se pedetentim mouere : neque enim posse ire satis credebat . Tandem quasi e graui somno euigilans

cognoscit misericordiam domini super se : firmiter graditur : et in pistrinum reuertitur : exiliens et exultans et laudans deum . Viso eo qui ante uiderant et cognouerant : repleti sunt stupore et extesi phantasma putantes . Virum item hydropicum orando sanauit : qui illico remansit in monasterio pastor ouium factus .

Ciuitas Hyberniæ nomine Corcagia uacabat episcopo . Tractatum est de electione . dissensere partes : quibusque ut assolet præsulem uolentibus constituere suum non dei . Venit illuc Malachias audita dissensione . Conuocato clero et populo etiam corda et uota discordantium unire curauit : et persuasis illis totum negotium sibi debere credi : cui potissimum sollicitudo incumberet illius . sicut et aliarum per Hyberniam ecclesiarum . in continenti nominat eis non quempiam de nobilibus terræ sed magis quendam hominem pauperem : quem sciret sanctum et doctum : et hic erat alienigena . Quæritur ille . nunciatur decumbere lecto . et ita debilis : ut nullo pacto exeat nisi in manibus portatus ministrantium . Et Ma || lachias : Surgat inquit in nomine domini . Ego precipio : obedientia saluum faciet eum . Quid faceret ille ? Parere uolebat : sed imparatum se sentiebat . Quod et si posset ire : episcopari reformidabat . Ita cum uoluntate obediendi pugnante gemino hoste pondere languoris et metu oneris : uicit illa : tamen data sibi in adiutorium spe salutis . Itaque conatur mouet sese : temptat uires : inuenit se solito fortiorem . Crescit pariter fides cum uiribus et rursum facta fortior fides : dat uicissim uiribus incrementum . Iam surgere per se ualet . iam meliuscule ingredi . iam nec sentire in ambulando lassitudinem . demum expeditus : et alacer peruenire ad Malachiam sine hominis adiutorio . Qui assummens eum misit in cathedram clero et populo collaudante . Hoc ita in pace factum est : quia nec illi ausi sunt Malachiæ uoluntati in aliquo obuiare . uidentes signum quod fecerat : nec ille parere dubitauit tam euidenti argumento factus securior de domini uoluntate . Mulier quædam fluxum sanguinis patiebatur : et hæc nobilis carissima Malachiæ : plus tamen ob morum quam generis nobilitatem . Quæ ex toto deficiens nimirum cum sanguine exhaustis uiribus iam posita in extremis : misit ad dei hominem : ut quod super erat animæ subueniret : qui se iam non esset uisurus in corpore . Audiens Malachias moleste tulit quod mulier uirtutis foret : et uita eius fructuosa opere et exemplo : Et se non posse uidens satis accurrere tempestiue : accito Malco quod iuuenis esset : et expeditus ipse est : cuius supra meminimus frater Christiani abbatis : accelera inquit : fer illi tria poma hæc : super quæ nomen domini inuocaui . Confido in ipso : quod ubi ex eis gustauerit : non gustabit mortem : priusquam nos uideat : et si tardiuscule sequuturos . Festinat Malchus secundum mandatum : et ueniens intrat ad morituram alterum se exhibens puerum Helisei : nisi quod huius efficacior opera fuit . Iubet missam sibi a Malachia benedictionem accipere et gustare : si quomodo ualuerit . At illa exhilarata audito nomine Malachiæ : ut obedire possit nutu significat paulisper uelle se erigi : nam uerbo non poterat . Erigitur : gustat : gustato confortata est : loquitur et gr | tias† agit . Et misit dominus soporem in eam : et suauissime requieuit in eo : cuius usu diu caruerat sicut et esu . Stetit interim sanguis : et post modicum expergefacta sanam se reperit : nisi quod longa inedia et sanguinis minutione ad huc debilis erat . Si quo minus : die sequenti desyderatus Malachiæ aduentus aspectusque perfecit . Habitabat uir nobilis in uicinia benchorensis monasterii : Cuius uxor cum infirmaretur ad mortem : rogatus Malachias ut descenderet priusquam moreretur : infirmam uncturus oleo : descendit et intrauit ad eam : Quo uiso exultat illa : spe animata salutis : Et cum pararet ungere eam : uisum est omnibus differendum potius usque mane . Erat enim uespera . Acquieuit Malachias : et data benedictione super ægram exiuit cum iis : qui secum erant . At uero post modicum subito clamor factus est planctus et strepitus multus per totam domum siquidem insonuit quod mortua esset : accurrit Malachias tumultu audito : et sequuti sunt eum discipuli eius . Et accedens ad lectum : ut certo comperit expirasse : consternatus est animo : sibi imputans quod fraudata gratia sacramenti obierit . Et eleuatis in cælum manibus obsecro domine inquit : insipienter egi : ego ego peccaui : qui distuli : non ista quæ uoluit . Hæc dicens contestatus est in audientia omnium nullam se recepturum consolationem : nullam daturum requiem spiritui suo : nisi quam tulerat liceret restituere gratiam . Et stans super eam tota nocte laborabat in gemitu suo : et pro oleo sancto largo imbre lachrymarum perfundens mortuam uicem illi unctionis quam poterat exhibebat . Ipse quidem sic . Ad suos

autem : uigilate inquit et orate . Itaque illi in psalmis : ille in lachrymis noctem duxere peruigilem . Et mane facto exaudiuit dominus sanctum suum : quia spiritus domini erat postulans pro eo : qui postulat pro sanctis gemitibus inennarabilibus . Quid plura ? Aperit oculos quæ mortua fuerat : et ut solent qui de graui somno euigilant : fricans sibi manibus frontem et tempora super lectum se erigit : et agnito Malachia inclinans deuote salutat eum . Et uerso luctu in gaudium stupor appræhendit omnes : et qui uiderunt et qui audierunt . Sed et Malachias gratias || agens : benedixit dominum . Et unxit eam nihilominus sciens in hoc sacramento remitti peccata : et quod oratio fidei saluet infirmum . Post hæc abiit ille : et illa conualuit : et uiuens incolumis tempore aliquanto : ut gloria domini manifestaretur in ea : peracta pœnitentia quam sibi Malachias iniunxerat in bona confessione iterum obdormiuit : et migrauit ad dominum . Fuit autem mulier : cui spiritus iracundiæ et furoris in tantum dominaretur : ut non solum uicini et cognati fugerent consortium eius : sed filii quoque ipsius uix sustinerent habitare cum ea . Clamor et rancor et tempestas ualida : ubicumque fuisset . Audax : et ardens . et præceps : metuenda lingua et manu : importabilis et inuisa . Dolentes filii tum pro illa : tum pro se ipsis : trahunt illam ad præsentiam Malachiæ : lachrymabilem cum flætu querimoniam deponentes . Vir autem sanctus et periculum matris et in commodum miserans filiorum : seorsum aduocat illam : fuerit ne confessa aliquando peccata sua : sollicite percunctatur . Respondit : Nequaquam . Confitere inquit : Paret . et ille iniungit pœnitentiam confitenti : Oransque super eam : ut deus omnipotens det ei spiritum mansuetudinis : in nomine domini Iesu ne ultra irascatur iubet . Sequitur tanta mansuetudo : ut pateat omnibus non esse aliud quam ammirabilem mutationem dextere excelsi . Fertur adhuc hodie uiuere : et tante esse patientiæ et lenitatis : ut quæ omnes exasperare solebat : nullis modo exasperari damnis et contumeliis et afflictionibus queat . Sed si licet me et iuxta apostolum abundare in sensu meo : accipiat quisque ut uolet : ego istud superiori suscitatæ miraculo mortuæ censeo præferendum : quod exterior quidem ibi : hic uero interior reuixerit homo : et nunc curramus ad reliqua .

Vir secundum sæculum honorabilis : secundum deum timoratus : ueniens ad Malachiam questus est ei super sterilitate animæ suæ : supplicans ut sibi obtineret ab omnipotente deo gratiam lachrymarum : et subridens Malachias quod gratum haberet in homine sæculari desyderium spiritale : suam maxillam maxillæ illius quasi blandiendo coniungens : fiat inquit tibi : sicut petisti . Tantos exinde et pene continuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius : | ut illud scripturæ ei posse aptari uideretur fons ortorum puteus aquarum uiuentium . Est insula maris in Hibernia olim fæcunda piscium : et mare ibi piscosum ualde . Peccatis ut creditur habitantium adepta copia solita : quæ multos habebat filios infirmata est : et a tanta funditus sui commoditate emarcuit . Dolentibus accolis et iacturam grauem populis ægre ferentibus reuelatum est cuidam mulieri precibus Malachiæ posse afferri remedium : Idque innotuit omnibus ipsa prodente . Nutu dei contigit adesse Malachiam . Dum enim circuiret et repleret euangelio regionem : diuertit illuc : et ut ipsis eandem gratiam impartiret . At barbari quibus erat maior cura de piscibus : omni instantia flagitant : ut potius respicere dignetur super sterilitatem insulæ suæ . Qui cum responderet se minime ad hoc uenisse : hominum magis quam piscium desyderare capturam : uidens tamen fidem eorum flæxis in littore genibus orauit ad dominum : ut licet indignis indultum olim beneficium tanta fide repetentibus non negaret . Ascendit oratio . ascendit et piscium multitudo et forte huberior : quam in diebus antiquis : et ipsa populo terræ perseuerans usque in hodiernum diem . Quid mirum : si oratio iusti quæ penetrat cælos penetrauit abyssos : et de profundo maris tantas piscium copias euocauit . Venerunt aliquando tres episcopi in uillam Focharet : quem dicunt locum natiuitatis Brigidæ uirginis : et quartus erat Malachias . Ad quem præsbyter qui hospitio susceperat eos : Quid faciam inquit : quod pisces non habeo : Quo respondente : ut quæreret a piscatoribus : biennium est ait : quod non inueniuntur pisces in flumine : unde et piscatores prorsus diffisi etiam arti suæ renunciauerunt . Et ille : Præcipe inquit laxari rætia in nomine domini . factum est : et capti sunt salmones duodecim . Secundo miserunt : et captis totidem inopinatum inferunt mensis et ferculum et miraculum : Et ut clare liqueat Malachiæ meritis hoc datum fuisse aliis quoque duobus sequentibus annis : eadem nihilominus sterilitas perdurauit . Fuit quidam

clericus in Lesmor probabilis ut fertur uitæ : sed fidei non ita . Is Sciolus in oculis suis præsumpsit dicere in eucaristia esse tantummodo sacramentum et non rem sa || cramenti : id est solam sanctificationem et non corporis ueritatem . Super quo a Malachia secreto et sæpe conuentus sed in cassum : uocatus ad medium est . Seorsum tamen a laicis ut si fieri posset sanaretur : et non confunderetur . Itaque in conuentu clericorum data facultas homini est : pro sua sententia respondendi : Cumque totis ingenii uiribus quo non mediocriter callebat asserere : et defendere conaretur errorem . Malachia contra disputante et conuincente : iudicio omnium superatus de conuentu confusus quidem exiit sed non correptus . Dicebat autem se non ratione uictum : sed episcopi pressum auctoritate : Et tu inquit o Malachia sine causa me hodie confudisti : aduersus profecto ueritatem locutus et contra tuam ipsius conscientiam . Mæstus Malachias pro homine sic indurato : sed magis fidei dolens iniuriam : timens periculum ecclesiam conuocat . errantem publice arguit publice monet : ut resipiscat . Suadentibus hoc ipsum episcopis et uniuerso clero : cum non acquiesceret : contumaci anathema dicunt : hæreticum protestantes . Nec sic euigilans : omnes inquit fauetis homini potius quam ueritati . Ego personam non accipio : ut deseram ueritatem . Ad hoc uerbum substomachans sanctus : deus inquit fateri te ueritatem faciat uel ex necessitate . Quo respondente amen : soluitur conuentus . Tali ille inustus causterio fugam meditatur : infamis atque inhonorus fore non sustinens . Et continuo sua tollens exibat : cum ecce subita correptus infirmitate sistit gradum : uiribusque deficiens eodem loco iactat se super solum anhelus et fessus . forte incidens in id loci uagabundus insanus offendit hominem : quidnam ibi agat percunctatur . Respondet graui se infirmitate teneri : et neque procedere neque redire ualentem . Et ille : infirmitas ista haud alia inquit quam ipsa mors est . Hoc autem non dixit a semetipso : sed pulchre deus per insanum corripuit eum : qui sanis acquiesere noluit consiliis sensatorum : Et addit : Reuertere domum ego te iuuabo . Denique ipso duce reuertitur in ciuitatem . Redit ad cor : et ad misericordiam domini . Eadem hora accitur episcopus . agnoscitur ueritas . abicitur error . confessus reatum absoluitur . petit uiaticum . datur recon | ciliato : et uno pene momento perfidia ore abdicatur : et morte diluitur . Ita mirantibus cunctis : sub omni celeritate completus est sermo Malachiæ : et scripturæ pariter dicentis : quia uexatio dat intellectum auditui . Inter populos quarundam regionum orta aliquando grauis discordia est . Interpellatur Malachias : de componenda pace inter eos . Et cum esset alias impeditus : iniungit negotium hoc uni episcoporum . Illo excusante et dicente Malachiam : non se quesitum : sed contemptum iri : frustra fatigari nolle : uade inquit et dominus erit tecum . Et ille : Acquiesco : sed si me non audierint scito me ad tuam paternitatem appellaturum . Subridens Malachias : fiat inquit . Tum episcopus conuocatis partibus dictat formam pacis . acquiescunt . reconciliantur ad inuicem fide hinc inde data . stabilitur pax et sic dimisit eos . At pars una uidens hostes factos securos imparatos esse : quippe qui pace facta mali nihil suspicarentur : loquebantur mutuo : et dicebat homo ad proximum suum . Quid uolumus facere ? Victoria pre manibus est : et ultio de inimicis . Et cepere insequi illos . Innotuit episcopo quod fiebat : et accurens conuenit ducem eorum super iniquitate et dolo : sed spretus ab illo est . Inuocauit nomen Malachiæ aduersus eum : et nihilipendit . Irridensque episcopum putasne inquit propter te amittere debeamus malefactores nostros : quos deus tradidit in manus nostras ? Et recordatus uerbi sui episcopus quod habuerit cum Malachia : flæns et eiulans uerso uultu ad monasterium eius : ubi es ait homo dei ubi es ? Nonne hoc est pater mi quod tibi dicebam ? Heu heu ueni ut facerem bonum et non malum : et ecce per me omnes illi in corpore : isti in anima pereunt . Multa in hunc modum loquebatur lamentans et plangens : et quasi præsentem sollicitans : et compellans Malachiam aduersus malignantes : et interim impii cum quibus fecerant pacem in sequi non desistebant ad perdendum eos : Et ecce spiritus mendax in ore quorundam uirorum : qui eos deciperet . Et occurrerunt illis in uia uiri nunciantes factam irruptionem in terras ipsorum ab aduersariis : in ore gladii consumi omnia et diripi bona eorum : uxores quoque ac liberos || tolli et abduci . His auditis : reuersi sunt festinanter . Sequebantur ultimi primos : quo irent aut quid acciderit nescientes . Nec enim omnes audierant uiros loquentes . Cumque uenissent et inuenissent nihil horum quæ nunciata erant confusi sunt : depræhensi in malitia sua . Et cognouerunt spiritui erroris se

traditos propter nuntium Malachiæ quem deceperunt : et nomen ipsius quod spreuerunt . Porro episcopus audiens frustratos proditores in iniquitate sua quam cogitauerant : cum gaudio remeauit ad Malachiam : referens omnia quæ acciderant sibi . Sciens Malachias eiusmodi occasione pacem esse turbatam : nactus oportunum tempus pacem per semet inter ipsos denuo reformare curauit : et firmare reformatam : datis et receptis fide et iuramento altrinsecus . Verum illi quibus ante pax fracta fuit iniuriæ memores : neglecto pacto et præcepto Malachiæ : tractauerunt de uice reddenda . Et congregati in unum ibant ut imparatos præoccuparent : redderentque in caput eorum malum quod sibi ipsi facere cogitassent . Et magno flumine quod intererat facillime transuadato : fluuiolo quem non procul ab illo offendere retenti sunt . Neque enim iam fluuiolus : sed plane fluuius ingens apparuit : ubique sui transire uolentibus transitum negans . Mirari omnes tantum nunc esse . tantillum ante hac fuisse scientes : et loqui inter se : Vnde inundatio hæc . Aer serenus est . imbres non sunt : nec proxime fuisse meminimus . Et si multum pluisset quis nostrum unquam hactenus meminit in quantacunque illuuie ita intumuisse : ut operiret terram : sata et prata peruaderet ? Digitus dei est iste : et dominus sepit uias nostras propter sanctum suum Malachiam cuius sumus præuaricati pactum : transgressi mandatum . Ita et hi infecto negocio : ad sua æque confusi repedauerunt . Diuulgatum est uerbum per uniuersam regionem et benedicebant deum qui compræhendit sapientes in astutia sua : et confringens cornua peccatorum sublimauit cornu Christi sui . Aliquis de nobilibus infensus regi : reconciliatus est per manum Malachiæ . Nec enim regi satis fidebat ille : ut pacem cum eo faceret nisi mediante Malachia : aut quem rex æque | reuereretur . Nec immerito ut post apparuit : Nam factum securum et minime iam cauentem sibi : captum trusit in uincula : odio antiquo captus plus ipse . Requiritur homo a suis de manu mediatoris . Nec enim aliud amici expectare quam mortem . Quid faceret Malachias ? Non est quod possit : nisi ut recurrat ad suum illud solitum unicumque refugium . Congregato exercitu forti nimis : turba magna discipulorum suorum adit hominem : requirit uinctum . negatur . Et Malachias : Inique inquit agis contra dominum et contra me et contra te ipsum : pactum preuaricans . Si dissimularas tu : sed non ego . Credidit se homo fidei meæ : si contingat mori : ego prodidi eum : ego reus sanguinis eius . Quid tibi uisum est me proditorem : te preuaricatorem constituere ? Noueris me donec liberetur nihil gustaturum : sed neque istos . Sic loquutus intrat ecclesiam : deum omnipotentem suis suorumque anxiis gemitibus interpellat : ut in iuste addictum dignetur eripere de manu preuaricatoris et iniqui . Et eo die cum nocte sequenti : in ieiunio et oratione perstiterunt . Perlatum ad regem est quid fieret : et magis inde induratum est cor eius : unde emolliri debuerat : Init fugam : ueritus homo carnalis ne si prope remaneret : orationis non posset sustinere uirtutem . Quasi uero uel absconditum non inueniat : uel non perueniat ad remotum . Tu metas miser ponis orationibus sanctorum ? Non est oratio iacta sagita : ut fugias a fatie arcus Quo ibis a spiritu dei qui eam portat : et quo a facie eius fugies ? Denique fugientem insequitur : inuenit latitantem . Erisque cæcus et non uidens ut melius uideas : et intelligas quoniam durum est tibi contra stimulum calcitrare . Denique senti uel nunc quia sagittæ potentis acutæ peruenerunt ad te : quæ et si resilierunt a corde quia saxeum est : sed non ab oculis . Vtinam per fenestras saltem oculorum perueniant usque ad cor : et uexatio det intellectum cæcitati . Cernere erat Saulum denuo ad manus trahi et duci ad Ananiam : ad ouem silicet Lupum : ut refunderet prædam . Refudit et recepit uisum : quod Malachias usque adeo ouis esset : ut sit misertus et lupo . Diligenter ex iis aduerte lector cum quibus || habitatio Malachiæ : quales principes et quales populi . Quomodo non et is frater fuit drachonum : et sotius strutionum ? Et ideo dedit ei dominus uirtutem calcandi super serpentes et scorpiones : alligare reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis . Denique audi quid sequitur . Is cui benchorensis monasterii cesserat possessiones : ingratus beneficio ex tunc et deinceps insolentissime se semper habuit aduersus eum et suos : in omnibus infestus eis ubique insidians detrahensque actibus eius . At non impune hoc . Erat illi unicus filius qui imitator patris audens aliquid et ipse in Malachiam : eodem anno mortuus est . Mortuus autem sic . Visum est Malachiæ debere construi in Benchor oratorium lapideum : instar illorum quæ in aliis regionibus extructa

conspexerat . Et cum cœpisset iacere fundamenta : indigenæ quidem mirati sunt : quod in terra illa nec dum eiusmodi ædificia inuenirentur . Verum ille : nequaquam sicut erat presumptuosus et insolens non modo miratus est sed indignatus . Ex qua indignatione concepit dolorem : et peperit iniquitatem . Et factus susurro in populis : nunc secreto detrahere : nunc blasphemare palam : notare leuitatem : nouitatem horrere : sumptus exaggerare . Istiusmodi uenenatis sermonibus sollicitans et inducens multos ad prohibendum : sequimini me inquit : et quod non nisi per nos fieri debet contra nos fieri non sinamus . Itaque cum pluribus quos suadere ualuit descendit ad locum : repertum conuenit hominem dei : primus ipse dux uerbi : qui erat principium mali : O bone uir quid tibi uisum est nostris hanc inducere regionibus nouitatem ? Scoti sumus : non galli . Quænam leuitas hæc ? Quid opus erat opere tam superfluo : tam superbo ? Vnde tibi pauperi et inopi sumptus ad perficiendum ? Quis perfectum uidebit ? Quid istud præsumptionis inchoare : quod non queas non dico perficere : sed non uidere perfectum ? Quanquam amentis magis est quam præsumentis conari quod modum excedit : uincit uires superat facultates . Cessa cessa : desine a uesania hac : Alioquin : nos non sinimus : non sustinemus . Hoc dixit prodens quid uellet : non quid | posset considerans . Nam de quibus presumebat : et secum adduxerat : uiso uiro mirati sunt et iam non ibant cum eo . Ad quem uir sanctus tota libertate utens : miser inquit : opus quod inchoatum uides et in uides sine dubio perficietur : perfectum uidebunt multi . Tu uero quia non uis non uidebis : et quod non uis morieris : attendito tibi ne in peccato tuo moriaris . Ita est : Ille mortuus est : et opus completum est : sed ille non uidit : qui ut prefati sumus anno eodem mortuus est .

Interim pater audito mox quid de filio uir sanctus predixisset : sciens uerbum eius uiuum et efficax esse : interfecit inquit filium meum . Et instigante diabolo tanto furore exarsit in illum : ut coram duce et maioribus Vlidiæ falsitatis et mendacii arguere non uereretur hominem : qui ueracissimus esset ueritatis et discipulus et amator : et conuitium intulit simiam appellans . Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto obmutuit et non aperuit os suum : dum consisteret peccator aduersus eum . Sed non dominus oblitus sermonis sui quem dixerat : mihi uindictam ego retribuam . Eadem die domum reuersus homo luit linguæ effrenis temeritatem : ipso ultore quo instigatore laxarat . Arreptum in ignem proicit demon : sed mox manibus assistentium extractus est : adustus tamen corporis parte et mente captus : Et dum insaniret uocatus Malachias uenit : reperitque maledicum spumantia ora torquentem : horrendis uocibus et motibus terrentem omnia ac toto corpore agitatum : uix posse teneri a pluribus . Et orans pro inimico uir totius perfectionis exauditus est : sed ex parte : Nam illico quidem sancto orante ille apperuit oculos : et sensum recepit : Relictus est autem ei spiritus domini malus qui eum collaphizet : ut discat non blasphemare . Credimus eum uiuere usque adhuc et usque ad hec tempora luere peccatum grande quod peccauit in sanctum : cunctis temporibus inde fertur lunaticum esse . Porro prædictæ possesseones† : cum iam pro sui imbecillitate et subtilitate eas tenere non ualuit in pace : ad locum cuius extiterant redierunt . Nec renuit Malachias post multam demum uexationem : pacis obtentu . Sed iam ad opus ædificii || quod Malachias aggressus est : sermo recurrat . Et quidem non erat Malachiæ non dico unde perficeret sed unde faceret quicquam : erat autem cor eius fidutiam habens in domino : dominus uero prouidit : ut et si non speranti in pecuniæ thesauris pecunia non deesset . Quis enim alius fecit : ut thesaurus eo loci reponeretur : repositus non reperiretur usque ad tempus et opus Malachiæ ? Inuenit dei famulus in dei marsupio : quod defuit suo . Merito quidem : Quid enim iustius : ut cui pro deo non erat proprium : cum deo iniret consortium : et marsupium unum esset amborum ? Fideli denique homini totus mundus diuitiarum est . Et quid ille : nisi quoddam marsupium dei ? Denique ait . Meus est orbis terræ : et plenitudo eius . Inde est quod Malachias repertos argenteos multos : non reposuit sed exposuit . Nam totum munus dei : in dei opus iubet expendi . Non suas non suorum considerat necessitates : sed iactat cogitatum suum in domino : ad quem utique recurrendum non dubitat quotiens necessitas postularit .

Nec dubium dei opus esse : quod deo reuelante Malachias præuidit . Contulerat primum cum fratribus de opere illo : et multi pro inopia minus libenter assentiebant .

Inde anxius dubiusque quid ageret cœpit inter orandum uehæmenter inquirere : quænam foret uoluntas dei . Et die quadam de uia regrediens cum iam loco appropiaret prospexit eminus : et ecce oratorium apparuit magnum lapideum et pulchrum ualde . Et intuens diligenter situm formam et compositionem : cum fidutia arripit opus : prius quidem indicata uisione senioribus fratribus paucis tamen . Sane totum quod attente notauit de loco et modo et qualitate tanta diligentia obseruauit : ut a peracto tempore factum uiso similimum appareret : ac si et sibi cum Moyse dictum audierit . Vide ut omnia facias : secundum exemplar quod tibi ostensum est in monte . Eodem uisionis genere id quoque quod in saballino situm est ante quam fieret præ ostensum est illi : non modo oratorium sed et monasterium totum . Transeunte illo per quandam ciuitatem : et multitudine magna concurrente ad eum : casu uidit iuuenem inter alios | uidendi se curiosum . Ascenderat lapidem : et stans super summos articulos extenso collo . oculis et animo intendens in eum : quendam ille de nouo Zacheum exhibebat . Nec latuit Malachiam sancto quidem spiritu reuelante : uere illum uenisse in spiritu et uirtute Zachei . Dissimulauit tunc tamen : tacitusque pertransiit . Cæterum in hospitio nocte ipsa narrauit fratribus quomodo illum uidisset : et quid præuidisset de illo . Die autem tertia : en ille cum uiro quodam nobili domino suo . Qui aperiens uotum et desyderium iuuenis rogabat : ut a se commendatum recipere dignaretur : et habere de cætero inter suos . Et Malachias agnoscens eum : non est opus inquit ut quem iam deus commendauit homo commendet . Appræhensumque manu sua : tradidit : abbati congano nostro et ille fratribus . Ipse uero iuuenis adhuc ni fallor uiuens primus conuersus laicus suriensis monasterii testimonium habet ab omnibus : quod sanctæ conuersetur inter fratres cistersienses . Et cognouerunt discipuli : etiam in hoc Malachiam prophetiæ spiritum habuisse . Nos solum autem : sed et in eo quod subiuncturi sumus .

Cum sacramenta offertre† : et appropiasset ei diaconus facturus aliquid pro officio suo intuitus eum sacerdos ingemuit : quod sensisset penes illum latere qpro† non conueniret . Peracto sacrificio secreto percunctatus de conscientia sua confessus est et non negauit : illusum sibi per somnium nocte ipsa . Cui iniungens penitentiam non debueras inquit hodie ministrare : sed uerecunde te subtrahere sacris : et deferre tantis tamque diuinis ministeriis : ut hac humilitate purgatus dignius exinde ministrares . Item alia uice sacrificante illo et orante hora sacrifitii : ea quidem sanctitate et puritate cordis : quo solitus eras astanti diacono uisa est columba intrare per fenestram in claritate magna . Ea sacerdos perfunditur totus : ea sub oscurior basilica tota refulget . Columba uero aliquandiu circunuolitans : tandem residet super crucem ante faciem sacerdotis . Obstupuit diaconus : et pauens tum in pro luminis tum pro uolucris nouitate : quod illa sit rara auis in terra : cecidit super faciem suam : et uix || palpitans sese erigere ausus est uel quando officii sui necessitas postulauit . Post missam seorsum conuentus a malachia : sub periculo uitæ iubetur nullatinus secretum prodere quod uidisset quoad uiueret ipse . Aliquando cum in ardinacha esset cum quodam coepiscopo suo : de nocte surgens cœpit memorias sanctorum quæ in cimiterio sancti Patricii multæ suut† orando lustrare : et ecce unum de altaribus subito ardere conspiciunt . Ambo enim uiderunt uisionem hanc magnam : et ambo mirati sunt : et Malachias intelligens signum esse magni meriti illius uel illorum quorum sub altari illo corpora requiescerent : currens et se mediis immergens flammis expansis brachiis sacram amplexatus est aram . Quid ibi fecerit : quid ue senserit nemo qui sciat : sed quod amplius solito cælesti igne suscensus ex illo igne exierit : fratrum qui cum eo tunc erant reor neminem esse qui nesciat . Hæc dicta sunt pauca quidem de pluribus : sed multa pro tempore . Non enim signorum tempora hec secundum illud : signa nostra non uidimus iam non est propheta . Vnde satis apparet Malachias meus quantus in meritis fuit : qui tam multus insignis extitit : et in raritate tanta . Quo enim antiquorum genere miraculorum Malachias non claruit ? Si bene aduertimus pauca ipsa quæ dicta sunt non prophetia defuit illi : non reuelatio non ultio impiorum : non gratia sanitatum : non mutatio mentium : non denique mortuorum suscitatio . Per omnia benedictus deus qui sic amauit et ornauit eum : qui et magnificauit eum in conspectu regum : et dedit illi coronam gloriæ . Amor probatur in meritis : ornatus insignis : magnificatio in ultione inimicorum : glorificatio in premiorum retributione . Habes diligens lector in Malachia

meo quid mireris ? habes et quid imiteris : nunc iam quid tibi ex his sperandum sit : studiosius attende . Nam finis horum : pretiosa mors est . Percunctatus aliquando quonam in loco si optio detur extremum malit diem : de hoc si quidem fratres querebant inter se quem sibi quisque diligeret : cunctatur et non respondet . Instantibus illis : si hinc migro inquit nusquam libentius quam unde una cum nostro apostolo resurgere possim . Dicebat | autem sanctum Patricium . Si peregrinari oportet et ita permittit deus : Claramuallem delegi . Requisitus item de tempore diem respondit sollempnem omnium sanctorum defunctorum . Si simplex uotum putatur : impletum est . Si prophetia : ne iota preteriit . Sicut audiuimus sic uidimus : de loco pariter et de die . Dicamus pariter breuiterque : quo ordine istud quaue occasione prouenerit . Egre satis ferebat Hiberniam usque ad huc palleo caruisse : ut pote emulator sacramentorum quorum ne uno quolibet gentem suam uellet omnino fraudari : et recordatus sibi a papa Innocentio fuisse promissum : inde magis tristari quod dum adhuc ille superfuit non fuit promissum pro eo . Et nactus occasionem quod papa Eugenius summam regiminis teneret : et eo temporis usque in franciam appropiasse nunciaretur : oportunitatem requirendi se inuenisse gauisus est . Presumebat autem de illo utique uiro tali : et de tali assumpto professione . Magis uero quod suæ clareuallis spiritalis filius extitisset : nec timeri apud illum se ullam sustinere difficultatem . Itaque conuocantur episcopi : concilium cogitur : tractata triduo quæ tempori iminerent : die quarto aperitur consilium de palleo requirendo . Placet : sed si per alium requiratur . Tamen quia breuior uia et ob hoc tolerabilior peregrinatio uideretur : non fuit qui eius obuiare præsumeret consilio et uoluntati . Et Malachias soluto concilio : arripit iter . Prosequuntur eum qui conuerant† fratres usque ad littus non multi tamen ipso nimirum prohibente . Ad quem unus illorum Catholicus nomine flebili uoce et uultu : heu tu abis inquit : et in quanta penæ quottidiana uexatioue† me deseris non ignoras non fers opem misertus mei . Si ego dignus qui patiar : fratres quid peccauerunt qui uix diem noctem ne ullam a tam laboriosa cura et custodia mei feriatam habere sinuntur ? His uerbis et lachrimis :† filii flebat enim paterna uiscera concussa sunt : et amplexatus est eum blandiendo . Impressoque pectori eius signo crucis : certus esto inquit te eiusmodi nil passurum : donec redeam . Erat autem epilenticus : et cadebat frequenter : ita ut interdum non semel sed sepius pateretur in die . Hoc iam per sex annos morbo horrido || laborabat sed ad uerbum Malachiæ perfecte conualuit . Ab illa hora nil tale perpessus est : quia Malachias deinceps rediturus non est . In ipso ascensu nauis accedunt duo ex his qui ei familiarius adhærebant audentes et petentes aliquid ab eo . Quibus ille : Quid uultis ? Non dicimus inquiunt : nisi spondeas te daturum . Spondet . et illi : Volumus nobis certo promitti a tua dignatione : te in Hiberniam incolumem reuersurum . Instare et cæteri omnes . Tunc ille parumper deliberans : pœnitere primo quod se alligasset : qua exiret non inueniens . Angustiæ undique : dum nil occurreret ab alterutro tutum periculo uoti uidelicet aut promissi . Visum est tandem id potius eligendum quod inpresentiarum plus urget : reliquum supernæ commitendum dispositioni . Annuit tristis quidem : sed magis illos noluit contristare : et respondens eis ut uolunt ascendit nauem : Et cum iam fere medium iter æquoreum peregissent : subito contrarius uentus nauem repellit : et reducit in terram Hiberniæ . Descendens de naui in ipso portu in quadam sua ecclesia pernoctauit . Et lætus gratias egit diuinæ consilio prouidentiæ : quo factum est : ut iam fecerit satis pro sua promissione . Mane uero intrans nauem ipsa die prospero cursu transfretauit et uenit in Scotiam . Die tertia peruenit ad locum : qui Viridestagnum dicitur : quem fecerat præparari : ut ibi statueret abbatiam . Et relicto illic de filiis suis fratribus nostris monachorum conuentu et abbate : nam secum ad hoc ipsum eos adduxerat : uale dicens eis profectus est . Et cum transiret occurrit ei rex Dauid : A quo susceptus cum gaudio : et retentus per aliquot dies multaque operatus placita deo inchoatum repetit iter . Et pertransiens Scotiam in ipso introitu angliæ diuertit ad ecclesiam gisiburnensem : ubi habitant uiri religiosi canonicam ducentes uitam : ab antiquo familiares ei pro sua religione et honestate . Ibi adducta est ad eum puella patiens morbum : quem Cancrum uulgo appellant ipso horrendum uisu : et sanauit eam . Nam ubi aqua cui benedixit aspersa sunt ulcerum loca : dolorem non sensit . Die uero sequenti uix ulcera apparebant . Abiens inde ad mare uenit : sed | negatur transitus . Causa ni

fallor fuit . orta simultas quædam inter summum pontificem et regem Angliæ : quod rex nescioquid mali suspicaretur de bono illo uiro si transiret . Nam neque alios episcopos transire sinebat . Quod quidem impedimentum et si fuit contrarium Malachiæ uoluntati sed non uoto : Dolebat differri a desyderio suo : nesciens magis per hoc impletum iri . Nam si in continenti transisset : oportebat transire etiam Claramuallem : ut summum pontificem sequeretur . Iam enim abierat : et erat Romæ aut prope Romam . Nunc uero intercedente dilatione factum est : ut tardius transfretans : ad locum et ad horam sanctissimi sui obitus oportune occurreret . Qui a nobis susceptus est : tanquam uerus ab occidente ueniens uisitans nos oriens ex alto . O quantum nostræ Claræualli irradians sol ille claritatis adauxit . quam iucundus ad eius introitum dies festus illuxit nobis . hæc dies quam fecit dominus exultatum est et lætatum in ea . Quam celer et saliens : tremulus ac debilis mox ipse occurri ? Quam lætus in oscula rui : quam lætis brachiis missam cælitus mihi amplexatus sum gratiam ? Quam alacri uultu et animo mi pater introduxi te in domum matris meæ : et in cubiculum genitricis meæ ? Quam festiuos deinde duxi tecum dies sed paucos ? Quid uero ille uicissim nobis ? Nempe illarem nempe affabilem peregrinus noster omnibus se præbebat : omnibus incredibiliter gratum . Quam bonum et quam iucundum agebat hospitem apud eos quos nimirum uidere uenerat a finibus terræ : non auditurus Salomonem sed exhibiturus . Denique audiuimus sapientiam eius : et tenuimus præsentiam eius : et tenemus . Iam quattuor aut quinque dies huius nostræ sollemnitatis defluxerant : cum ecce die sollemni beati Lucæ euangelistæ missa in conuentu sua illa sancta deuotione celebrata : febre correptus lecto decubuit : et nos cum illo omnes . Extrema gaudii nostri mæror occupat moderatior tamen : quod lenior interim febris esse uideretur . Videres discurrere fratres : dandi auidos uel accipiendi . Cui non dulce uidere illum ? cui non dulcius mistrare† illi ? Vtrumque suaue . utrumque salutare . Et humanitatis erat prebere obsequium || et profectus cuique sui cum gratiam reportaret . Assistere omnes . omnes solliciti erant circa frequens ministerium medicamenta perquirere : adhibere fomenta : urguere sæpius ad gustandum : Ad quos ille sine causa inquit hæc : sed caritate uestri facio quidquid iniungitis . Sciebat enim imminere tempus suæ migrationis . Cumque fratres qui cum eo uenerant fidentius instarent dicentes : non oportere diffidere de uita : nec enim signa mortis in eo aliqua apparerent : oportet inquit hoc anno Malachiam exire de corpore . Et infert : Ecce appropinquat dies : quem ut optime nostis optaui semper : ipsum fore diem resolutionis meæ . Scio . cui credidi et certus sum : non fraudabor reliquo desyderii mei qui partem iam teneo : Qui me sua misericordia perduxit ad locum : quem petii : terminum quem æque uolui non negabit . Quod ad hoc corpusculum attinet hic requies mea : quod ad animam dominus prouidebit : qui saluos facit sperantes in se . Nec parum spei repositum mihi in die illa : qua mortuis tanta a uiuis beneficia impenduntur : Nec longe aberat dies ipsa : cum talia loqueretur : Interea iubet se sacro oleo ungi . Exeunte conuentu fratrum ut sollemniter fieret : non sustinuit : ut ad se ascenderent . ipse descendit ad eos . Iacebat siquidem in solario domo superiori . Vngitur : et sumpto uiatico fratrum se orationibus et fratres commendans deo ad lectum reuertitur . Alto de solio descendebat pedibus suis : et rursum nihilominus suis pedibus ascendebat : et dicebat mortem esse in ianuis . Quis hunc hominem crederet moriturum ? solus ipse et deus : id scire poterant . Non uultus palidior non macilentior uidebatur . Non rugata frons : non reconditi oculi : non nares extenuatæ : non contracta labia : non adusti dentes : non colum exesum et gracile : non curui humeri : non caro exinanita in corpore reliquo . Hæc erat gratia corporis eius : et hæc gloria uultus eius : quæ non euacuatur ne in morte quidem . Talis quoad uixit : talis et mortuus : et apparebat uiuenti similior . Cucurrimus usque huc sed modo hæremus : quia Malachias cursum consumauit . Stat ille : et nos pariter stamus cum eo . Alioquin quis libenter cur | rat ad mortem præsertim tuam pater sanctæ ? quis referre possit : quis uelit audire ? Attamen non diliximus nos in uita : in morte non separabimur . Fratres non relinquamus in morte : quem in uita prosecuti sumus . Ab ulteriori Scotia usque huc cucurrit ille ad mortem : eamus et nos et moriamur cum eo . Oportet oportet dicere : quam cernere necesse fuit . Adest omnium sanctorum clara ubique celebritas : sed iuxta ueterem sententiam : musica in luctu importuna narratio est . Adsumus canimus :

uel iuuiti† . Flændo cantamus : et cantando flæmus . Malachias et si non cantat : non plorat tamen . Quid enim ploret : qui appropinquat ad gaudium ? Nobis qui relinquimur : relinquitur luctus : solus Malachias festum facit . Quod enim non potest corpore : facit mente : sicut scriptum est : Cogitatio hominis confitebitur tibi : et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi . Deficiente illi corporis instrumento : silente organo oris : officio uocis cessante : reliquum est : ut mentis iubilo sollemnizet . Quid ni sollemnizet sanctus : qui sanctorum ducitur ad sollemnitatem ? Exhibet ille : quod mox sibi debebitur . Adhuc modicum : et ipse unus ex ipsis est . Sub noctis crepusculo cum iam ubicumque diei a nobis expleta celebritas foret : Malachias appropiauerat non crepusculo sed auroræ . An non illi aurora : cui nox præcessit . dies autem appropinquauit ? Itaque febre inualescente cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere sudor : ut quodammodo transiens per ignem et aquam educeretur in refrigerium . Iam desperatur de uita eius : iam quisque suum iudicium repræhendit : iam nulli dubium Malachiæ sententiam præualere . Vocamur . adsumus : et ille oculos leuans in circonstantes : desyderio desyderaui inquit hoc pasca manducare apud uos . Gratias ago supernæ pietati . non sum fraudatus a desyderio meo . Vides hominem securum in morte et necdum mortuum iam certum de uita ? Nec mirum . Videns adesse noctem quam expectauerat : et in ipsa diescere sibi : quasi de nocte triumphans uidetur insultare tenebris : et quodammodo loqui : Iam non dicam : forsitan tenebræ conculcabunt me : quia hæc illuminatio mea in deliciis meis . || Et blande consolans nos . habete inquit curam mei : ego uestri si licuerit non obliuiscar . Licebit autem . Credidi in deum : et omnia possibilia credenti . Amaui deum . amaui uos : et caritas nunquam excidit . Et suspiciens in cælum : deus inquit serua eos in nomine tuo . Non solum autem : sed et omnes qui per uerbum meum ac per ministerium meum tuo se mancipauere seruicio . Deinde imponens manus singulis et benedicens omnibus pausatum ire iubet : quia nondum uenerat hora eius . Imus . redimus circa medium noctis : nam ea hora lux lucere in tenebris nunciatur . Impletur domus . adest congregatio tota : abbates quoque multi qui conuenerant . Psalmis et himnis et canticis spiritalibus prosequimur amicum ipsum repatriantem . Anno ætatis suæ quinquagesimo quarto : loco et tempore quo prælegit et predixit Malachias episcopus et legatus sanctæ apostolicæ sedis uelut e manibus nostris assumptus ab angelis feliciter obdormiuit in domino . Vultus placidus placidi exitus indicium fuit . Et quidem omnium oculi fixi in eum : nemo tamen qui quando exiuit aduertere potuisset . Mortuus uiuere et uiuens mortuus putabatur . adeo nil intercidit : quod alterutrum disterminaret . Eadem uiuacitas uultus : serenitas eadem : qualis apparere solet in dormiente . Diceres mortem nil horum tulisse : magis auxisse plurimum . Non est mutatus : sed ipse mutauit omnes . Mirum in modum luctus et gemitus omnium subito conquiescit . mutatur in gaudium mæror . planctum cantus excludit . Effertur . feruntur in cælum uoces . infertur oratorio abbatum humeris . Vicit fides . triumphatur affectus . rex in suum deuenit statum . cuncta geruntur ex ordine . cuncta ex ratione procedunt . Et re uera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam ? Quasi non sit pretiosa mors eius : quasi non sit magis somnus quam mors : quasi non sit mortis portus et porta uitæ ? Malachias amicus noster dormit : et ego lugeam ? luctus iste se usu non ratione tuetur . Si dominus dedit dilecto suo somnum : et tale somnum in quo hæreditas domini filii merces : fructus uentris : quid horum uidetur flætum indicere ? Ego ne flæam illum : qui flætum euasit ? Ille tripudiat . ille triumphat | ille introductus est in gaudium domini sui : et ego eum plangam ? Cupio mihi hæc : non illi inuideo . Interim parantur exequiæ . offertur pro eo sacrificium . consummantur ex more omnia cum summa deuotione . Stabat eminus puer : cui emortuum pendebat a latere brachium : magis illi impedimento quam usui . Quo comperto innui ut accederet et appræhensam aridam manum applicui ad manum episcopi : et uiuificauit eam . Nempe uiuebat in mortuo gratia sanitatum : et manus eius fuit mortuæ manui : quod mortuo homini Heliseus . Puer ille de longe uenerat : et manum quam pendentem attulerat sanam in patriam reportauit . Iam omnibus rite peractis in ipso oratorio sanctæ dei genitricis Mariæ in quo sibi bene complacuit Malachias traditur sepulturæ : anno ab incarnatione domini millesimo centesimo quadragesimo octauo quarto nonas nouembres . Tuum est Iesu bone depositum : quod nobis creditum est . tuus thesaurus : qui reconditus penes nos . Seruamus

illum resignandum in tempore : quo reposcendum censueris tantum ut absque contubernalibus suis non egrediatur : sed quem habuimus hospitem : habeamus ducem tecum et cum ipso pariter regnaturi in sæcula sæculorum Amen .

INCIPIT PASSIO SANCTI MARCELLI PAPAE ET MARTYRIS AC SOTIORVM EIVS .

Tempore quo Maximianus Cesar de partibus Aphricæ ad urbem Romam rediit morem genere uolens Dioclitiano augusto : ut in nomine eius thermas a solo ædificaret : cœpit in inuidiam christianorum omnes milites romanos ad afflictionem laboris compellere : et per uaria loca alios ad lapides : alios ad harenam fodiendam damnauit . In illo tempore erat uir christianus nomine Thrason uir potens et facultatibus locuples uitaque fidelis . Hic cum uidisset ad fatigationem et laborem christianos affligi cœpit de sua facultate sanctis martyribus alomoniam† et uictum per uiros christianos Sisinnium et Cyriacum et maragdum† et largum ministrare . Hoc au || diens beatus Marcellus episcopus urbis gaudio repletus est de eleimosyna : quam Tharson sanctis ministrabat . Et rogans ad se sanctos uiros christianos et seruos domini nostri Iesu Christi Sisinnium : Cyriacum : Smaragdum et Largum : inquisiuit ab eis : et illi notum fecerunt sancto Marcello episcopo : quomodo Tharson sanctis dei uictualia ministrabat . Tunc gaudio repletus est : et ducens consilium consecrauit Sisinnium et Cyriacum diacones ecclesiæ romanæ . Factum est autem una nocte dum deferrent humeris suis uictum quem Tharson ministrabat : tenti sunt a militibus paganis : et perducti sunt ad tribunum Expurium . Suscipiens eos tribunus retrusit in custodiam publicam . Post diem tertium : nuncauit† Maximiano cæsari . Hoc cum audisset Maximianus : iussit ut cum custodia ipsi foderent harenam : et humeris suis usque ad locum ubi Thermæ ædificabantur portarent . Erat uir senex inter eos nomine Saturninus : qui iam senectute maceratus fuerat . Cœperunt autem eum ad portandum adiuuare . Hoc cum uidissent custodes fieri : quia Sisinnius et Cyriacus diacones sarcinas et suas et alienas cum adiutorio Christi portarent : mirati sunt et nunciauerunt tribuno Expurio . et tribunus nunciauit Maximiano cæsari dicens : quod cum hymnis et laudibus dei et omni ueneratione Christo gloriam redebant . Eodem tempore misit Maximianus : et iussit sibi Sisinnium præsentari : dixitque ad eum Maximianus . Quis uocaris? Respondit . Ego sum peccator Sisinnius seruorum seruus domini Iesu Christi . Maximianus dixit : Quæ carmina sunt in uobis? Respondit : Si cognosceres quæ sunt carmina fidelium : scires creatorem tuum . Maximianus : Et quis est creator nisi inuictus Hercules? Respondit Sisinnius : nobis turpe est audire uel nominare hos . et Maximianus : Vnum tibi ex duobus eligere festina : aut sacrifica deo Herculi : aut carnes tuas ignibus cremabo . Sisinnius dixit : Ego semper hoc optaui : ueruntamen si meritus fuero : coronam desyderatam accipio . Iratus Maximianus : tradidit eum Laodicio præfecto . Tunc Laodicius præfectus retrusit eum in custodia Mamurtini : et fuit ibi diebus decem et septem . Post hos dies iussit eum Laodicius aspecti | bus suis præsentari . Qui cum præsentatus fuisset ab Aproniano comentariense : subito lux de cælo facta est : et uox de luce exiit dicens : Venite ad me benedicti patris mei : percipite regnum : quod uobis paratum est a constitutione mundi . Tunc Apronianus tremefactus cecidit ad pedes Sisinnii diaconi : dicens ei : Adiuro te per Christum quem confiteris : ne tardes me baptizare : et facias me tecum pertingere ad coronam . Eadem hora allata est aqua : et cathetizauit eum : et benedixit fontem : et deposuit mundum in peluim et dixit ei credis in deum patrem et filium et spiritum sanctum? Et ille respondit credo : Et dixit ei Sisinnius diaconus . Illuminet te Christus : Et eleuauit eum de pelui : et deduxit eum ad sanctum Marcellum episcopum : quem chrismate consignauit : et altare consecrauit : et participati sunt omnes corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi . Eodem die post meridiem iussit sibi Laodicius presentari Sisinnium diaconum . Veniens cum Sisinnio Apronianus comentariensis iam baptizatus cœpit clamans dicere . Quid uos cohartat diabolus in dei seruos tanta mala exercere . Tunc prefectus dixit ad Apronianum comentariensem : Quomodo uideo et

tu christianus es effectus . Respondit Apronianus : uæ mihi infelici : quia perdidi dies meos . cui præfectus : Vere modo perdis dies tuos : Et iussit eum capitalem subire sententiam dicens : Si hic extinctus non fuerit : multi pereunt . Eodem tempore ductus in uiam Salariam milliario secundo capite truncatus est quarto nonas februarias . Porro iussit retrudi in custodiam senem Saturninum et Sisinnium diaconem dicens : Si non immolauerint diis : diuersis eos pœnis interficiam . Saturninus uero cum esset in custodia una cum Sisinnio ueniebant ad eum multi gentiles : et baptizabantur cum omni fiducia . Audiens hoc Laodicius prefectus iussit sibi tribunal parari in urbe in tellure . Et post dies quadraginta duos exhibuit Saturninum et Sisinnium diaconem : et uincti cathenis nudisque pedibus in conspectum Laodicii præfecti adducti sunt : Quibus dixit Laodicius : Quid est ? Deposuistis uanas superstitiones : et adoratis deos : quos Imperatores adorant ? Respondit Sisinnius diaconus . || Nos peccatores adoramus dominum Iesum dei filium . Nam dæmonibus et lapidibus nunquam humiliamur . ait Laodicius : Deferantur tripodes : et turificent maiestatibus . Saturninus dixit : Conterat dominus deos gentium : Et continuo solutus est tripos æneus uelut lutum : Quod uidentes duo milites Papias et Maurus clamauerunt et dixerunt : uere deus est dominus Iesus Christus : quem colunt Sisinnius diaconus et Saturninus . Iratus itaque Laodicius iussit eos in æquuleum leuari : Et cum traherentur : neruis fustibus et scorpionibus cæsi sunt . Illi autem clamabant dicentes : Gloria tibi domine Iesu Christe : quia meruimus sotii fieri seruorum tuorum . Tunc Papias et Maurus clamabant dicentes Vt quid uos sic coarctat diabolus in seruos dei ista exercere ? Iratus Laodicius super Papia et Mauro iussit ut lapidibus os eorum contunderetur : et retrudi in carcerem . Saturnino itaque et Sisinnio flammas ad latera poni . Illi autem in equuleo pendentes uultu alacri gratias deo agebant . Eodem die dedit eis capitalem sententiam : et depositi de equuleo ducti sunt uia Numentana milliario secundo et capite truncati sunt . Eorum corpora collegit Thrason cum Iohanne presbytero et sepelierunt in prædio sub† uia Sallaria quarto calendas decembres . Post dies duodecim iussit Laodicius præfectus Papiam et Maurum milites : qui baptizati sunt a Marcello episcopo sibi præsentari in Cyrco flamineo : quos cum uidisset dixit : Nunc cognoui quod et uos christiani sitis . Dixit Papias : uere christiani . Dicit ad eos Laodicius : Deponite et exoluite uanam fallaciam : et adorate deos : quos principes adorant . Respondit Maurus et dixit : Adorent eos qui desperauerunt de animabus suis . ut in æternum pereant Laodicius dixit : Modo uos desperatis de animabus uestris si non sacrificatis diis immortalibus . Audite facite et uiuite : Respondit Papias : Sacrifica tu : et uiues in tormentis æternalibus . Quare eos sterni iussit in terram : fustibusque cædi . Et dum diu cæderentur : nulla uox ex eis audita est nisi tantum : Christe adiuua nos seruos tuos . proinde iussit eos leuari de terra : et plumbatis cædi . Et dum diu cæderentur : emiserunt spiritum : quorum | corpora collegit noctu Iohannes præsbiter : et sepeliuit in uia Numentana quarto calendas februarias ad limphas beati Petri : ubi baptizabat . Post dies multos narrauit omnia Laodicius præfectus augusto Dioclitiano et Maximiano de militibus et sanctis quos interfecerat : et gauisi sunt . Post paucos dies nuntiatum est Dioclitiano augusto eo quod filia eius Artemia a dæmonio uexaretur : ex quo grandi afflictione contristatus est . eo die noluit cibum comedere . Dum uero multo tempore in custodia esset beatus Cyriacus et iam de eo obliuio esset facta : multi christiani pergebant ad eum in custodiam et cæci illuminabantur et infirmi salui fiebant a languoribus . Cœpit urgeri Artemia a dæmonio filia Dioclitiani . Hoc cum nunciatum fuisset Dioclitiano augusto : intrauit ad eam in cubiculo Et ecce ipse dæmon per Artemiam præsente Dioclitiano clamauit dicens : Nisi uenerit Cyriacus diaconus : non exeo . Misit itaque ad eum Dioclitianus in custodia ubi erat clausus cum Largo Smaragdoque et tulit eum de custodia . cumque præsentatus fuisset Dioclitiano augusto : rogauit eum : ut intraret ad filiam suam . Cum uero ĩntroisset : dixit Cyriacus : In nomine domini nostri Iesu Christi : precipio tibi dæmon ut ab ea exeas Respondit dæmon per os Artemiæ : Si uis ut exeam : da mihi uas in quod ingrediar . Dicit ei Cyriacus si potes ecce corpus meum ingredere . Respondit diabolus per os Artemiæ : In uas tuum non possum introire . quia undique clausum et signatum est . dicit ei Cyriacus : In nomine domini nostri crucifixi exi : ut fiat uas mundum ad superueniendum spirituisancto Et dixit ad .† Artemiam Filia crede in deum patrem omnipotentem et in Iesuml† Christum filium eius unicum dominum

nostrum . At illa exclamauit dicens O Cyriace si hinc me eiicis : in persida faciam te uenire . Dixit ad eum Cyriacus : In nomine domini nostri Iesu Christi exi . Tunc clamauit Artemia : Per ipsum nomen : quia uideo de longe dominum : quem tu prædicas Beate Cyriace . Tunc tenens manus eius beatus Largus et Smaragdus Leuauerunt eam . Alia autem die secundum consuetudinem cathetizauit eam : et allatam || aquam benedixit sanctus Cyriacus : et baptizauit eam præsente matre sua Serena augusta . Ab eodem die dicebat Serena filiæ suæ : ut fideliter amaret religionem christianam . Post menses uero decem et annos duos expleta fabrica thermarum cum gloria : cœpit Dioclitianus habere Cyriacum diaconum bene : et donauit illi domum . Et hoc præcepit : ut securus uiueret in urbe Roma fauente Serena augusta uxore Dioclitiani . Post paucum uero tempus uenit legatio a rege Persarum ad Dioclitianum augustum : ut Cyriacum diaconum dirrigeret : quia filia eius a dæmonio uexabatur . Dioclitianus autem ad tantam supplicationem Saporis Persarum regis præcepit Serenæ uxori suæ uenire ad se Cyriacum diaconum . Et cum uenisset Cyriacus : Serena augusta ei legationem Saporis regis Persarum indicauit : Quare dixit Cyriacus diaconus : Cum auxilio domini mei Iesu Christi saluatoris securus uadam . Eodem tempore Serena augusta christianissima dedit omne uehiculum et necessaria : quæ ei opus fuerant in naui : et cum eo Largus et Smaragdus perrexerunt usque ad persidis partes . Milites ergo cum ueredis ibant . Beatus uero Cyriacus cum baculo suo prius perueniebat ad mansionem : usque dum perueniret ad regem Persarum Saporem nomine . Et cum præsentati fuissent Cyriacus diaconns† et Largus et Smaragdus : dixit ad eos rex : quis ex uobis dicitur Cyriacus diaconus ? Et cognouit quis esset . Tunc Sapor rex adorauit sanctum Cyriacum rogans : ut introiret in cubiculum ad filiam eius nomine Iobiam . Eadem hora exclamauit diabolus ex ore puellæ : et dixit ad Cyriacum : Quid est Cyriacæ ? Respondit Cyriacus : in nomine domini mei Iesu Christi præcipio tibi immunde spiritus exi : et iam non reuertaris in eam . Respondit diabolus : Fatigatus ex†. Respondit Cyriacus : Ego exiui in nomine Iesu Christi : cuius auxilio gubernatus sum et gubernor . Non fatigatus sum : sed in omnibus grbernor†. Dixit ei diabolus . Tamen ego te perduxi : ad quod uolui . Cyriacus itaque cum uidisset puellam fatigari : proiecit se in pauimentum orans et flæns : dicensque : Imperat tibi dominus Iesus Christus : quem confessus es : ut exeas . Respondit diabolus : da | mihi uas in quod ingrediar . Cyriacus dixit : Dominus Iesus Christus deus de cælo ipse tibi imperat : ut exeas . Et ecce hululatus magnus cum clamore expumans : dicebat in aere ipse diabolus : O nomen terribile : qui me coarctat exire . Ab eadem hora salua facta est Iobia . Tunc beatus Cyriacus dixit ei : Tu crede in filium dei : et semper salua eris . respondit Iobia : Ego credo in dominum Iesum Christum : quem prædicas . Et fecit eam catheeuminam more solito : et cathetizauit eam . Et allata aqua deposuit eam in concham argenteam : et benedixit aquam : et dixit ei : Iobia credis in deum patrem et filium et spiritumsanctum ? Respondit : credo . Et dixit ei : carnis resurrectionem ? Respondit : credo . Eleuata de concha cœpit dicere Iobia : Vere dominus Iesus Christus quem prædicat beatus Cyriacus ipse est deus . Eadem die omnes affines eius baptizati sunt : et ipse rex baptizatus est : et alii promiscui sexus numero quadringenti uiginti similiter baptizati sunt . Eodem tempore multa dona et pecunias obtulit rex beato Cyriaco : cui ille dixit : Nos gratiam domini nostri Iesu Christi pretio non offerimus : sed fide estimamus . nihilque accepit sed tantum panem et aquam cum Largo et Smaragdo usus est . Post dies quadragintaquinque ascendens nauim cum commendationibus epistolarum reuersi sunt Romam : quem grandi honore suscepit Dioclitianus augustus : cum uxore et filia sua . Et cœpit habitare cum Largo et Smaragdo in domo illa : quam ei Dioclitianus ipse dono concesserat iuxta thermas dioclitianas . Post menses duos ambulauit Dioclitianus ad Dalmatias . Ibi ægritudine fatigatus testamentum condidit . hæredes fecit filios suos : et mortuus est : Hoc audiens Maximianus augustus precepit ut christiani ubicumque inuenti fuissent punirentur . Et zelo ductus propter sororem suam Artemiam tenuit Cyriacum diaconum . misitque eum in custodiam . Et præcepit ut die processionis suæ ad exemplum christianorum Cyriacus nudus cathenis obligatus ante sedem eius traheretur . Vno autem tempore ueniens in die processionis Marcellus episcopus obtulit se Maximiano augusto dicens ei : pietati tuæ suggero seruos dei : qui orant pro regno tuo et pro republica : quare eos trucidas ? ira || tus Maximianus præcepit : ut fustibus cæderetur : et

expelleretur Marcellus episcopus : iussitque Carpasio uicario dicens : Audi Carpasi . Cyriacum sacrilegum qui carminibus magicis et incantationibus suadet hominibus Christum confiteri diuersis pœnis afflige : si non libamina diis obtulerit . Eodem tempore Carpasius uicarius adduxit Cyriacum diaconem et Largum et Smaragdum et Crescentianum : et iussit eos in tellure præsentari : quibus dixit : Quare non auditis præceptis principum : et offertis libamina diis immortalibus ? Respondit Cyriacus cum Largo et Smaragdo et Crescentiano : Nos ipsos domino nostro Iesu Christo offerimus Carpasius dixit : Facite quod uobis iubetur . Senecta tua alba facta est Cyriace : sed modo eam iuuentam facio . Et iussit picem liquari : Et cum liquata fuisset pix præcepit ut in capite Cyriaci diaconi funderetur . Cepit clamare beatus Cyriacus et dicere : Gloria tibi domine Iesu Christe : qui nos seruos tuos dignatus es portas regni cælestis introire . Dicit et aliis Carpasius : Sacrificate : aut peribitis sicut perfidus Cyriacus . Dixerunt : peccatores domino nostro Iesu Christo ipsi nos sacrificium offerimus . Tunc Carpasius adduxit in conspectum eorum : equuleum et iussit suspendi Crescentianum fustibusque cædi in conspectu Cyriaci Largi et Smaragdi . Et cum diu traheretur neruis et fustibus : et unguibus raderetur : uoce magna clamabat dicens : Gloria tibi domine Iesu Christe : qui nos ad gratiam tuam dignatus es uocare . Carpasius dixit : Date flammas ad latera eius . Et cum diu in incendio constrictus ureretur : emisit spiritum . Cuius corpus iussit iactari ante Vrsicliuium in platea et ante templum pallatii . Ipsa nocte uenit Iohannes presbyter : collegitque corpus et sepeliuit in cymiterio uia Sallaria : octauo calendas decembres . Post mortem Crescentiani retrusit in custodia Largum et Smaragdum et Cyriacum . Post dies quattuor resedit in eodem loco in tellure : et præcepit sibi præsentari Cyriacum diaconem : cui sic dicit : Quare dies senectutis tuæ cum tormentis deducis ad inferos ? Respondit Cyriacus : Ego semper hæc optaui . Dicit ei Carpasius : Sacrifica diis immortalibus : et | uiues . Cyriacus respondit : Sacrificent eis : qui non cognouerunt creatorem suum dominum Iesum Christum . Tunc iussit eum in catasta extendi et attrahi neruis : et fustibus cædi . Cyriachus autem clamabat dicens : Miserere mihi peccatori domine Iesu Christe . Eodem die nunciauit Carpasius uicarius omnia Maximiano augusto : quæ exercuerat in sanctos dei : Quare iratus Maximianus iussit omnes uinctos qui erant in custodia una cum Cyriaco diacono capite truncari : et lata sententia ducti sunt cum Cyriaco diacono promiscui sexus numero uiginti unus : et decolati sunt uia Salaria intra thermas Salustii extra muros : quorum corpora collegit noctu Iohannes presbyter : et sepeliuit in eadem uia . Sanctum uero Cyriacum collegit et commendauit . semptimo calendas apriles . Ipso tempore Maximianus interfecit sororem suam Artemiam . Post dies octo ueniens beatus Marcellus episcopus cum Lucina Matrona christianissima condiuit corpora sanctorum cum aromatibus et linteaminibus et imposuit noctu in pauimentum cum eunuchis suis : et sustulit ubi commendati fuerant . Translata sunt corpora cum sancto Ciriaco in predio eius uia hostiensi milliario ab urbe Roma septimo : ubi requiescunt in sarcophagis lapideis : quos manu sua recondidit beata Lucina in pace septimo die mensis augusti . Eodem tempare† beata Lucina fecit donationem facultatum suarum ex omnibus ecclesiæ catholicæ . hoc audiens Maximianus : indignatus proscriptione eam damnauit . Beata autem Lucina rogauit sanctum Marcellum episcopum : ut domum eius in ecclesiam consecraret : quod cum omni deuotione fecit beatus Marcellus . At ubi frequenter in eadem domo missas celebrasset in media ciuitate uia lata : Et audisset hoc Maximianus : iratus iussit ut in eacem† ecclesia plancæ externerentur ad animalia catabuli puplici† : et eundem Marcellum episcopum ad seruitium animalium deputauit cum custodia publica . Vbi etiam post multos annos seruiendo emisit spiritum septimodecimo calendas februarias : Cuius corpus rapuit Iohannes presbyter noctu cum beata Lucina : et condiuit eum aromatibus : sepelliuitque in cymi || terio priscillæ uia salaria non longe ab urbe Roma milliario tertio : et requieuit in pace . Eodem tempore præcepit Maximianus Cæsar ad se uenire Carpasium uicarium et interrogauit eum de discussione et nece sanctorum : Et dum uidisset placatum sibi Maximianum : petiit ab eodem domum beati Cyriaci diaconi : et dum in eam introisset quam donauerat beato Cyriaco diacono Dioclitianus augustus : inuenit locum ubi sanctus Cyriacus fontem ædificauerat : quem consecrauit sanctus Marcellus episcopus : in quo frequenter baptizabat sanctus Cyriacus ad fidem uenientes . Tunc uicarius Carpasius paganus crudelissimus : ingres-

sus est in eamdem domum . Dum ergo introisset et inuenisset baptisterium : fecit in eodem loco balneum : quasi ad deridendum legem christianorum : Vbi frequenter lupanaribus et senicis lauacrum exhibebat turpi lucro gaudens in locun† sanctificatum . Et dum frequenter ista fierent : et quadam die lauissent et exhiberent epulas : exeunte Carpasio de balneo cum multis sceleratis : decem et nouem cum eo subito ceciderunt et mortui sunt . Eodem die clauserunt balneum : et factus est timor magnus in eadem regione usque in hodiernum diem . Sanctorum uero corpora sunt sepulta : hoc est Cyriaci : Largi et Smaragdi Crescentiani : Meminie et Iulianæ : uia ostensi milliario ab urbe Roma : plus minus octauo : ubi orationes eorum florent : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO SANCTI MARCI EVANGELISTAE ET MARTYRIS .

Per idem tempus quo dispersi erant apostoli in toto orbe terrarum . contigit beatissimum Marcum Aegypti regionem diuina uoluntate pertingere : ex quo eum euangelistam sancti canones catholici et apostolici decreuerunt : propter quod primus in tota Aegypti regione in libya marmaricæ et ammoniacæ et pentapoli prædicauerit euangelium et aduentum domini nostri et saluatoris Iesu Christi . Erant enim cuncti : qui in | his terris habitabant incircumcisi et idolis seruientes repletique immundicia : delubra et simulacra dæmoniis fabricabant : execrationibus etiam nefandissimis ac maleficiis omnibus uacantes : quæ dominus noster Iesus Christus : aduentu suo disperdidit atque destruxit . Cum ergo uenerabilis euangelista Marcus Cirenen quæ est apud pentapolim peruenisset : erant enim illic secundum genus eiusdem religionis indigenæ . his apostolus faciens exordium diuini sermonis : infirmos saluabat : leprosos mundabat : spiritus malos et nequissimos . per gratiam Christi solo sermone pellebat : plurimi per eum in dominum Iesum Christum crediderunt : quare destruentes idola sua lucosque succidendentes† . baptizati sunt in nomine patris et filii et spiritus sancti . Dehinc etiam reuelatur ei per spiritum sanctum ut ad fanum Alexandriæ pergat seratque bonum diuini sermonis . Igitur beatissimus euangelista Marcus uelut athleta fortissimus ad certamen prompta uictoria gradiebatur . Et uale faciens fratribus ait : deus meus locutus est mihi : ut Alexandriam proficiscar . Illi autem profecti sunt cum eo usque ad nauim : et manducantes panem dimiserunt dicentes : Dominus Iesus Christus prosperum faciat iter tuum . Venerabilis ergo Marcus Alexandriam die secunda peruenit : Egressusque de nauicula uenit ad locum quendam : et mox ut ingressus est in ciuitatem calciamentum eius disruptum est : Et beatus apostolus intelligens : ait uere iter meum expeditum est . Et qnendam† conspiciens qui suere uetera solitus est : ipsi calciamentum tradidit corrigendum : Qui cum fecisset . sinistram manum suam fortiter uulnerauit : et exclamauit unus deus . Beatus autem Marcus audiens : quod dixit unus deus : ait intra semetipsum gaudens . prosperum fecit dominus iter meum . Et expuens in terram : unxit manus uiri dicens : In nomine Iesu Christi fili† dei . Et confestim sanata est manus eius . Sutor autem consyderans tantam uiri potentiam et efficaciam uerbi eius uitæque continentiam : Dixit ei : Obsecro te homo dei ut uenias : et declines in domum serui tui : et comedas panem : quia fecisti hodie mecum misericordiam . Beatus autem Marcus lætus effectus ait : Dominus tibi det panem uitæ de cæ || lo . homo autem coegit apostolum : et introduxit in domum suam gaudens : ingressusque sanctus Marcus ait : Benedictio domini hic . Oremus fratres : Et orauerunt simul . Cumque gratularentur : ait homo : Interrogo te unde es : uel unde sermo iste tam fortis in te ? Respondit ei Beatus Marcus : Ego sum seruus domini Iesu Christi filii dei . Dixit autem homo ille uellem uidere eum . Respondit sanctus Marcus : Ego tibi eum demonstrabo . Et cœpit initium facere euangelii Iesu Christi : et ostendere ei quæ a prophetis de eo fuerant dicta . Dixit autem homo ille : Ego scripturas quas tu dicis nunquam prorsus audiui . Sed alia audiui : quibus Aegyptiorum filii pro sapientiæ studiis imbuuntur . Tunc cœpit beatus Marcus euangelizare Christum dominum : declarans quod sapientia huius mundi stultitia sit apud deum : credidit autem homo ille in deum docente beato Marco et signa atque prodigia faciente : et baptizatus est ipse et domus eius et magna multitudo loci illius .

Vocabatur autem homo ille Amanus : Cumque plurimi facti essent credentes in domino : audierunt uiri ciuitatis : quod gallileus quidam ibi uenerat : qui deorum sacrificia destrueret : et prohiberet cerimonias eorum . et quærebant interficere eum multas ei ponentes insidias . Beatus autem Marcus agnoscens eorum consilia : Amanum ibidem ordinauit episcopum et tres presbyteros id est Melium Sauinum et Cerdonem . et septem diaconos et alios undecim ad ecclesiasticum ministerium pertinentes : et pentapolim perrexit . Commoratusque ibidem duobus annis : confortauit fratres : qui illic ante crediderant : et ordinauit episcopos per regiones illas et clericos . Iterum Alexandriam uenit : et repperit fratres multiplicatos in gratia et fide domini ecllesiamque† constructam ab eis in loco : qui uocabatur Bubulci : iuxta mare sub rupibus . Et lætatus est iustus ualde : positisque genibus deo gloriam dedit . Cum autem iam impleretur tempus eius : et christiani multiplicarentur in fide simulacra subsanantes gentilia : cognouerunt idem profani aduenisse senem : Et repleti sunt furore propter miracula : quæ facere eum compererant . Infirmos curabat . sanabat surdos . cæcis uisum condonabat . et† Et quærebant | eum appræhendere : nec poterant inuenire . fremebant dentibus suis : idolorum suorum festis et comessationibus insistentes : clamabantque magna uirtus eius magiæ : factum est autem : ut beatissima festiuitas nostra pascalis id est dominicus dies occurreret uicesimo die mensis parmuthi : quod est octauo calendas maias : quo tempore eorum serapiaca agebatur sollemnitas . Hac igitur opportunitate adunati . insidiatores protinus diriguntur : qui repererunt eum orationis oblationem diuinæ maiestati sacratissimam celebrantem . Tollentes uero eum miserunt funem in collo eius : et trahentes dicebant : trahamus bubalum ad loca bubali . Sanctus autem Marcus dum traheretur : gratias refferebat saluatori Christo dicens : Gratias tibi ago domine meus Iesu Christe : quia dignus sum hæc pro nomine tuo pati : Erantque carnes eius defluentes in terram : et saxa inficiebantur sanguine eius : Cumque uesperum factum esset : miserunt eum in carcerem : usque dum pertractarent quali eum morte disperderent . Circa mediam noctem uero clausis hostiis et custodibus ante fores dormientibus ecce terræmotus factus est magnus . Angelus autem descendit de cælo : qui tetigit eum dicens : Famule dei Marce et princeps propagatorum sanctissimorum per Aegyptum decretorum ecce nomen tuum in libro uitæ cælestis ascriptum est : et memoriale tuum non delebitur in sæculum . Socius autem factus es supernæ uirtuti : Nam in cælis spiritum tuum colligent : in te requies non peribit . Hæc enim in fine beatissimus Marcus inspiciens et manus suas in cælum extendens dixit : Gratias tibi ago domine Iesu Christe quia non me dereliquisti : sed connumerasti cum sanctis tuis . Obsecro te domine Iesu Christe . suscipe in pace animam meam : et ne me patiaris a tua gloria separari . Hæc cum dixisset : uenit ad eum dominus Iesus Christus in habitu quo fuerat cum discipulis suis et in ea forma antequam pateretur : et ait illi : pax tibi Marce noster euangelista . Et ille respondit . Dominus meus Iesu Christe . Et abiit . Mane autem facto . conuenit multitudo ciuitatis . et eiicientes de custodia miserunt iterum funem in collum eius . attrahebantque eum dicentes . Trahite bubalum ad loca bubali || sanctus autem Marcus cum traheretur : gratias agebat domino Iesu Christo dicens : In manus tuas domine commendo spiritum meum . Et hæc dicens beatissimus Marcus tradidit spiritum . Immanis autem multitudo gentilium succendentes ignem in loco qui uocatur Adangelos : uoluerunt reliquias sanctas comburere . Tunc prouidentia dei et saluatoris nostri Iesu Christi ualida tempestas exorta est : et procella uenti facta est uehemens . Sol quoque subtraxit radios suos : et tonitrua fuerunt grauia . Imber plurimus a mane usque ad uesperam : ita ut habitacula multorum corruerent : et plurimi morerentur . Metuentes custodes dimiserunt sanctum corpus : et fugerunt : Alii uero deridentes dixerunt : quod beatissimus Serapis noster in sua hodie festiuitate hunc uirum noluit inuisere . Tunc religiosi uiri uenientes iustum collegerūnt : et detulerunt ubi orationes soliti erant domino sine cessatione celebrare . Fuit autem forma beati Marci huiusmodi . Longo autem naso : subducto supercilio : pulcher oculis : recaluaster : prolyxa barba . uelox : habitudinis optimæ : ætatis mediæ : canos aspersus : affectione continens : gratia dei plenus . Factis igitur orationibus sepelierunt eum sicut ciuitatis consuetudo poscebat . Et posuerunt eum in loco lapidis excisi cum gloria . uenerantes memoriam eius cum sobrietate et precibus gratulantes : quod primus uiuum et pretiosum meruit Alexandriæ thronum . Repositus est in parte

orientali . Dormiuit autem idem beatissimus euangelista primus domini nostri Iesu Christi apud Alexandriam Aegypti die tricesimo : qui est apud romanos septimo calendas maias : iuxta hebreos autem sextodecimo : imperantibus Gaio et Iunio : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

ACTVS ET VITA BEATISSIMAE VIRGINIS MARCELLINAE .

Aedificationi fraternæ quanquam non impudenter sed tamen non usque quaque improbabiliter ad gloriam dei nostri et laudem sacratissimæ uirginis Mar | celinæ suggerit animus nonulla retexere . Cui nunquam præberetur assensus : nisi uester circa eandem dei uirginem indefessus compulisset summæ deuotionis affectus : qua de causa uos conuenisse decet : non ut meæ frontis refellatis inscitiam sed ut uestrum sacrosanctis meritis obsequium sollicite repræsentetis . Haurite nunc si libet ex plumbea fistula destillantis guttam liquoris : et nolite mirari : si aridus et inutilis truncus . botrum ferat non suum : quamuis ille qui iussit aridam Aaron frondescere uirgam : nostros quoque si uelit faciet reuirescere truncos . Nec dubitandum quod qui beatæ Marcellinæ perpetuæ uirginitatis largitus est palmam : nobis uirtutum ipsius præconia partim dicere cupientibus loquendi tribuat officinam . Scriptum in ueteri legimus historia Iepte quondam gentis isrealiticæ ducem postquam unicæ nate uotiuum deo sanguinem litauerat : ad celebrandum competenter funus uirgineum lugubres undique uirginum phalangas concitasse : ut hoc pacto et patrii amoris grauissimum temperaret mærorem : et dilectæ supra modum filiæ ineluctabiles posteris linquere posset exequias . Et ex eo morem fuisse loci illius uirginibus anniuersario Iepte filiam plangere luctu . Imo excellentis memoriæ uirgini septem threnici cantus dies per singula ad succedentium annorum dedicare curricula . Vt ergo ex ueteribus noua cudamus : si priscæ obseruantiæ uirgo patriis quodammodo uotis obnoxia patrioque lachrymabiliter iugulata mucrone apud collactaneas et compatriotas tantum honoris obtinuit : ut eius non solum recens sed et uetustum diuturna post tempora bustum annuis frequentaretur exequiis : septenisque excubiis honoraretur : Cur non multo amplius a nobis quibus uetera transierunt : et ecce facta sunt per domini aduentum omnia noua : beatissimæ uirginis Christi festiuitas decenti honore colatur : et condigna memoria ueneretur ? Quid prodest o ciues sanctis martyribus seu uenerandis uirginibus s† externæ regionis sollemnia uotorum debita soluere : nostros autem qui in promptu habentur ut puta patres patriæ et huius nostræ ecclesiæ propagatores derogando contemnere : et nequaquam debitis obsequiis uenerari ? Informent nos igitur præmissa israhelitícarum exempla uirginum : et quas ille deuotis obse || quiis licet inanibus proemiis famosæ exequias uirgini annua festiuitate lugubriter deferebant : Vos Christi sponsæ ac deo dicatæ uirgini Marcellinæ : cuius in semet recurrens anni orbita festiuæ migrationis diem reuexit hodiernum : hilariter ac puriter exhibete : ut eius sedulis adiuti intercessionibus præferendis meritis sublimati Christo domino laudes dulcibus modulis intonetis : quamuis enim dispar sit nostræ et illarum causa sollemnitatis : est tamen assimilis forma uirginei affectus et pietatis . Marcellinam igitur gloriosissimam Christi uirginem pontificis egregii Patroni atque institutoris ecclesiarum Ambrosii fuisse germanam totus pene recolit orbis : Cuius beatæ stirpis origo quam clara etiam apud augustales apices : adeo multis est cognita : ut ad rei gestæ consonantiam superflua nostro putetur relatu . Ambrosius siquidem eorum pater illustris : romani sanguinis prosapia oriundus extitit : qui non inferiore primum subsellio in senatu romano potitus tutor reipublicæ ac defensor utillimus Cæsaris est iudicio præelectus . Dehinc prouehentibus eum summæ facundiæ atque industriæ meritis Galliarum præsidatui senatusconsulto præficitur : Cuius probitas morum ac disciplina improcreata† ex ea sobole coniici ualet . At uero præclarissimam ipsorum matrem nihllominus† et ipsam generosa stirpe nobilem sed longe uirtutum generositate nobiliorem plenamque religionis et fidei fuisse liquet : Cuius institutis beata uirgo Marcellina castis moribus informata Christum dei fillium et concupiuit ut psonsum† : et dilexit ut dominum . Denique hanc in primo flore coniugii parentum iucunde facies unicam sibi prodisse filiam

intuentes : datori bonorum omnium primiciarum more consecrandam deuouerunt. Sic matris sanctissimæ cura perūigili nutrita sicque incrementis adulta puellaribus mundior et purior auro obrizo absque cunctis humanæ uitæ illecebris adoleuit . Quid multa ? Priusquam uiriles aspectus uirgo pulcherrima contigisset : nec amare sciens nisi Christum : coepit parentes de professione uirginitatis accelleranda suppliciter implorare . Anxiabatur plurimum : tenerum pectus et crebra suspiria incessabiliter quatiebat . Tandem obtinuit : ut die natalis domi | ni uenturo : sponsi cælestis arram susciperet . Et quam decenter die Christi anulum uirgo suscipere gestiebat : quo uirgo intemerate uirginitatis princeps nouelllum† sui uteri fructum æterna posteritate acquisiuit . Prædicatur in populo sacrandæ uirginis pudor intemeratus . fit concursus innumerabilium ad ecclesiam puellarum inuicem de eius societate certantium . Præsidebat tunc romanæ ecclesiæ cathedræ beatæ memoriæ liberius : Cui in ecclesia principis apostolorum Petri dominici natalis sollemnia celebranti nunciantur clarissimorum uota parentum : et Christum solum amantis uirginis indefessus ardor aperitur . Annuit piis precibus pastor eximius : et deuotos utrorumque affectus censuit adimplendos . Prius itaque quam missarum celebritas finiretur : conscendens pulpitum ad monitionis uerbum tam uirgini quam plebi astanti prudenter adorsus est : bonas inquiens o filia nuptias desyderasti . Videas quantus ad natalem tui sponsi populus conuenerit . Et nemo ex hoc numero impastus recedet . hic est qui rogatus ad nuptias : aquam in uinum conuertit . In te quoque sincerum sacramentum conferet uirginitatis : quæ prius eras uilibus obnoxia naturæ materialis elementis . Hic est qui quinque panibus et duobus piscibus quattuor millia populi in deserto pauit . Plures potuit : si plures iam qui tunc pascerentur fuissent . Denique ad tuas nuptias plures uocauit . Sed iam non panis ex ordeo : sed corpus ministratur e cælo . Hodie quidem secundum hominem homo natus ex uirgine : sed ante omnia goneratus† ex patre : qui matrem corpore : uirtute referat ad patrem . Vnigenitus in cælo deus ex deo . partus ex uirgine : iustitia de patre : uirtus de potente : lumen ex lumine . Non impar generantis : non potestate discretus : non uerbi extensione aut prolatione confusus : ut cum patre mixtus : sed ut a patre generationis iure distinctus sit . Ipse est fraternus tuus : sine quo nec cælestia : nec marina : nec terrena consistunt . Verbum patris bonum : quod erat inquit in principio . habes eius æternitatem . Et erat inquit apud patrem . habes indiscretam a patre inseperabilemque uirtutem . Et deus erat uerbum habes eius diuinitatem . De compendio enim tibi fides || est haurienda . Hunc filia dilige : quia bonus : nemo bonus nisi unus deus . Si enim non dubitatur : quia deus filius : deus autem bonus esse utique non dubitatur : quia deus bonus filius : Hunc inquam dilige . Ipse est : quem pater ante Luciferum genuit : et æternum ex utero generauit ut filium . ex corde eructauit ut uerbum . Ipse est : in quo complacuit pater . Ipse est patris brachium : quia creator est omnium . Patris sapientia : quia ex dei ore processit . Patris uirtus : quia diuinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo : quem pater ita diligit : ut in sinu portet : ad dexteram locet : ut sapientiam dicat ut uirtutem nouerit . Si igitur uirtus dei Christus : nunquid aliquando sine uirtute deus ? Numquid aliquando sine filio pater ? Si semper utique pater : utique semper et filius . Perfecti ergo patris perfectus est filius . Nam qui uirtuti derogat : derogat ei : cuius est uirtus . Inæqualitatem non recipit perfecta diuinitas . Dilige igitur quem pater diligit . honorifica quem honorificat pater . Qui enim non honorificat filium : non honorificat patrem : Et qui negat filium : nec patrem habet . Hæc quantum ad fidem . sed interdum etiam cum fides tuta iuuentus suspecta est . Modico itaque uino utere : ne infirmitatem corporis augeas : non ut uoluptatem excites . Incendunt enim pariter duo unum† et adolescentia . Infrænent etiam teneram ætatem ieiunia : et parsimonia cibi retinaculis quibusbam† indomitas cohibeat cupiditates . Ratio reuocet . mitiget spes . restinguat metus . Nam qui moderari nescit cupiditatibus sicut equis raptus indomitis uoluitur : obteritur : laniatur affligitur . escis quoque omnibus quæ gignunt membris calorem parce utendum puto . Carnes etiam aquilas uolantes deponunt . In nobis quoque ales interior illa de qua legimus : renouabitur sicut aquila inuentus† tua sublime tenens uirgineos præpes uolatus : superflue carnis nesciat appetentiam . Conuiuiorum deuitandæ celebritates : fugiendæ salutationes . ipsas uisitationes in iunioribus parciores esse uolo : si forte deferendum sit parentibus aut æqualibus . Teritur enim officii pudor . audaciæ emicant . risus obrepit . modestia soluitur : dum affectatur urbanitas . Inter-

roganti non respondere infantia : respondere fabula est . Deesse igitur sermo | ni uirginem quam superesse malo . Nam si mulieres etiam de rebus diuinis in ecclesia iubentur tacere : domi uiros suos interrogare : de uirginibus quid cautum putamus in quibus pudor ornat ætatem : taciturnitas commendat pudorem ? An uero mediocre pudoris exemplum est : quod Rebeccha cum ueniret ad nuptias : et sponsum uidisset : uelamen cœpit : ne prius uideretur : quam iungeretur ? Et utique pulchra uirgo non dedecori timuit sed puodri† . Quid Rachel quemadmodum extorto osculo flæuit et gemuit : Nec flære didicisset : nisi proximum cognouisset . Ita et pudoris seruauit officium et pietatis non omisit affectum . Quod si uiro dicitur : uirginem ne consyderes : ne quando scandalizet te : quid dicendum est sacrate uirgini ? quæ si amet : animo peccat . si amatur et facto . Maxima est uirtus tacendi : præsertim in ecclesia . Nulla te diuinarum sententia fugiet lectionum : si aurem admoueas . uocem premas . nullum ex ore uerbum quod reuocare uelis proferas . Si parcior loquendi fiducia sit : copiosum quippe in multiloquio peccatum . Homicidæ dictum est peccasti : quiesce : ne peccaret amplius . sed uirgini dicendum est : quiesce : ne pecces . Hæc et alia innumera prefatus papa liberius claro dogmate astantibus uirginibus omnique fidelis populi cœtu uenerandæ uirginis auribus inculcauit . Tum uero pii patris oblatam manibus sanctissimæ matris mixtis cum flætu precibus irrigatam sollemniter benedixit : Et uestis sacræ mauorte quodammodo subbarratam Christi Iesu quem totis uisceribus concupiuerat immaculatam sponsam effecit . Perfusa autem pontificali benedictione talem se regi regum Christo in seruanda mentis et corporis castimonia studuit exhibere : ut absque dubio illi nunc credatur sociata in cælis : cui se intemeratam uigilanter reseruauit in terris . Beati plane parentes : qui tale deo suæ prolis primitiuum dedicauere munus : per quod gemina posteritas duplicata est non amissa . Verumtamen hæc multo beatior : quam terreno in corpore positam cælestis rex pura dilectione concupiuit . Illa quondam de qua præfati sumns† Iepte principis filia uictrici patris dextera iugulanda septem prius mensibus uirginitatem flæuisse describitur : sed hæc nostra uirgo multo præ || stantior : quo suorum uota parentum gratuito perfecit bonæ uoluntatis holocausto . Sed his quæ ex latere surgunt ommissis ad proposita recurramus . Ambrosius preterea huius sanctæ uirginis genitor de quo prædiximus : uir in cunctis et apud Cæsarem et apud Christum nobilissimus et fidei nitore perspicuus sui uoti quod pollicitus fuerat compos effectus : immensa exultatione iucundabatur confidens sine dubio se non absque ingenti præmio dimittendum a Christo : cui tam deuoto mentis obsequio sibi unicam spopondisset . Mox denique potioribus a Cæsare cumulatus honoribus : et Galliarum strenue præsidatum obtinuit : et a Christo pro nuper oblato fœnore amplificatum suæ posteritatis emolumentum recepit : si quidem in gallicanis degenti regionibus natus est illi alter Ambrosius cognomine ac forma corporis patrem æquiparans : sed honesta dignitate morum : atque insigni præconio meritorum cunctam pene superaturus romanæ stirpis originem : De quo ammirabili uiro qui nosse uoluerit : cosmogiaforum græcorum uel latinorum percurrat annuales seu etiam Paulini uenerabilis episcopi : qui de eius uita conscripsit libellum : illic inueniet : qualiter a cunnabulis cælestibus designatus auspiciis adoleuerit : qualiterque adultus ad summam philosophiæ arcem pertinxerit : cuius causa ad consilium tribuendum primo electus : deinceps consulares infulas sit adeptus : a quibus ad pontificale culmen mediolanensis ecclesiæ diuina prouidentia accitus : maximis illud uirtutis apostolicæ fulgoribus irradiauerit . Nos ea omittimus : quia ad alia festinamus . Additus est Ambrosio alter quoque filius Satyrus nomine uir post modicum apud sæculum et apud deum magnificus : qui præcipua tam in humanis quam in diuinis negotiis dirimendis et exequendis sollertia clarissimus in toto orbe romano et iugi memoria dignus multorum sapientum iudicio habitus est . Eius quoque uitam et mentis deuotionem . libri de obitu ipsius a fratre digesti mire produnt : fidelissime confitentur . His ergo duobus germanis fratribus post utriusque parentis obitum uirgo Christi Marcellina quasi duarum fulta remigiis alarum terrena omnia præpeti penna præteruolans : aditum | quottidiæ cælestis patriæ suspirabat . Horum et adiuta præsidiis et admonitionibus instituta nil erat iam : quod in ea uiuens mundus inueniret : sed secundum apostolum crucifixa mundo : et mundus illi nihil præter simplicem habitum et uiles cibos de uniuersa paternæ posessionis hæreditate requirebat : Continuatis ieiuniis uigiliisque creberrimis lubricos macērans† artus : nunquam ab intenta oratione aut scripturarum

diuinarum meditatione cessabat. Et præcipue quam sibi præsul eximius fraterque Ambrosius affectu dulcissimo propria manu conscribens direxerat lectione utebatur arrhianæ perfidiæ non parum sollicita. Viro autem dei Ambrosio moris fuisse narratur: ut si forte absente illa noui aliquid aut scribere illum aut agere contigisset: mox eidem propriæ manus inditiis: quo indubitata fide susciperet: conscripta dirigeret: Sicque obtentum ut dum istius cura spiritalium iugiter sacrosanctæ uirginis sumministrarentur insigna ferculorum: alterius quoque uigilantia corporalium necessitudinum procurarentur obsequia: deo dicata mens quasi in speculari lapide diuinæ contemplationi semper intenta semetipsam circumspecte ac prouide intuendo irreprehensibilem immaculatamque cælestis sponsi conspectui repræsentaret. interea cum piæ recordationis almificum præsulem Ambrosium suscepti episcopatus causa in præfata urbe Mediolano compulisset: fratremque dilectum luce ipsa cariorem secum amoris glutino detentum cohabitare fecisset: uirgo domini Marcellina carissimis diutius auelli non passa germanis domo patria rebusque relictis sese Mediolanum contulit: satius rata peregrinam cum illis ducere uitam. quam duobus priuata luminibus romanas opes miserabilis possidere. In illis totam post Christum uitæ suæ inesse fiduciam: totam spem totamque claritatem lachrymis oculos suffusa confitebatur. Nihilominus et a fratribus ut sui domini sponsa nimio diligebatur affectu: sedulo uenerabatur obsequio: Eratque illis iam non quasi soror: sed ut maior natu domina materque spiritalis: ita eos diligens ut filios carissimos: ita ab ipsis dilecta amplexata uenerata ut mater. Oh felicia tempora: quibus ex uno utero tanta sanctitas uirginitatis pietasque prodierunt. || Corruscabat in tribus quasi cælo stellis micantibus: cunctarumque nitor uirtutum: ut si forte aliqua in uno deesset: ab altero suppleretur. Oh tempora: et oh mores. humilitatem si perpenderes nihil: humilius: nihilque mitius usquam his tribus inueniri posse iurares. Rursum si mentis eorum rigorem in aduersis quibuscumque ferendis seu etiam prauorum moribus corrigendis inspiceres: ferro duriores: bestiisque ferociores esse putares. At si pietatis uiscera circa delinquentes et confitentes siue aliquas uariarum tribulationum necessitudines angustiasque patientes in eis forte requireres: uideres eos ita cum lugentibus lugere: quasi aut ipsi pariter eiusmodi labe macularentur: au tparibus† angoribus atque necessitatibus constringerentur. Sæpissime quiquid† ex prædiis habere poterant: captiuorum redemptioni largiti sunt. frequenter exulantibus impartiti. Quid dicam? Deficit enim me tempus tantarum uirtutum cumulum metiri uolentem. Sed quoniam talibus dignus non erat mundus: paulatim e corpore substracti ad cæli palatium aduocantur. Ac primum admirabilis Satyrus cum immenso dolore: non solum fratris ac sororis: sed totius pene prouinciæ migrauit ad superos: De cuius obitu duos frater Ambrosius ad doloris solamen libellos flætibus irrigans luctuosis questibus adimpleuit: In quibus et beatæ Marcellinæ pius erga fratrem mirifice his uerbis proditur affectus. O sancta soror quæ fratris solatio destituta: de suo pudore sollicita duobus nuper beata germanis: nunc ex duobus fratribus ærumnosa neque alterum sequi potest: neque alterum derelinquere: cui tumulus hospitium tuus et corporis tui sepulchrum est domus. Atque utinam uel hoc tutum diuersorium: cibus in flætibus: potus in lachrymis. Constat autem hunc ex illo uenerandæ uirgini morem fuisse: ut continue supra tumulum fratris genu nixa dominatori omnium sanctam eius animam precibus assiduis commendaret. Persæpe etiam diem sine cibo noctemque insomnem transigens loco sepulchri uix admomentum poterat auelli. Non post multos uero annos Christi præsul egregius summusque confessor Ambrosius post innumera uirtutum miracula: post superatas armis sapientiæ arrhianorum insidias: post | solidatas fidei catholicæ fundamento occidentales ecclesias transiit ad dominum: perpetua laborum suorum præmia recepturus. Tunc deinde duplicatus mæror: renouata tristitia: nihilque aliud præterquam mori anxiæ nimium sorori placebat. Quid faceret? quo se uerteret? nunc ad illum nunc ad hunc prouoluta tumulum hæsitabat. se solam sine comite solam sine gubernatore relictam conuersa ad Christum ineluctabiliter querebatur. Hic inquiens moriar Christe. hic extremum hanela spiritum ponam. Suscipe quæso hanc anum: cui sola tuæ pietatis reseruasti solatia. Sucipe† duobus orbatam luminibus: et fratrum clæmenter beatis adiunge spiritibus. Hæc autem beatissima uirgo: non quia fratres amiserat: sed quia sine illa transierant: flæbiliter ingemiscebat. Vltimum itaque uitæ suæ tempus uenerandis tumulis dedicauit: ante quos excubans et die noctuque

sacratas persoluens excubias spiritum cælo reddidit Christo copulata per æuum . Obiit autem præcellentissima uirgo Marcellina sextodecimo calendas augustas : cum aurora noctis metas excederet coram positis clerici populique maioribus urbis huiuscemodi mediolanensis . corpus uero eius a uenerabili Antistite Simpliciano reconditum : et fratris tumulo sororis tumulus est appositus : quo in loco piis eorum interuentibus solita dominus Iesus beneficia suis rependit fidelibus : ut facile pateat cunctis : quod eorum spiritus simul lætantur in cælis : quorum sublimis uirtus paribus radiis refulget in terris : Præstante domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM MARTYRVM MARCELLINI ET PETRI EXORCISTAE .

Benignitas saluatoris nostri martyrum perseuerantia comprobata eo usque processit : ut et fides amicos comprobaret : et inimicos eorum ex ipsis inferorum claustris erueret . Denique dum teneretur Petrus exorcistæ officium gerens multis uicibus cæsus : missusque fuisset in || obscurissima habitatione : atque ibi in uinculis ferreis maneret immobilis : custos carceris nomine Arthemius unam habens filiam nomine Paulinam uirginem : quam unicam habebat affectu . cum dæmonio uexaretur : et quottidie plangeret eam : dixit ad eum uir dei Petrus exorcista . Audi consilium meum Arthemi : et crede in unigenitum filium dei uiui dominum Iesum Christum : qui est liberator omnium in se credentium . Si uere credideris : mox saluabitur filia tua . Cui Arthemius dixit : Miror prudentiam consilii tui : te deus tuus liberare non potest : cum illi credas : et quottidie pro eius nomine plagas et uincula perferas : quomodo poterit filiam meam liberare : si ego in eum credidero ? et Petrus dixit : Dominus meus potest me liberare de istis uinculis et de omnibus pœnis sed non uult ipse impedire coronam meam . Vult enim ut cursum meum perficiam per passionem temporalem ut possim adipisci gloriam sempiternam . Arthemius dixit : Si me uis credere deo tuo : ecce ego hodie duplicabo super te cathenas et claustra omnia carceris minuam : te autem ipsum in ipsa ima et tenebrosa solum includam . si de his omnibus liberauerit te tuus deus : credam illi . Et hoc tunc faciam : cum liberatam uidero filiam meam . Tunc beatus Petrus surridens ait : Infirmitas fidei tuæ poterit curari . sed hoc ipsum quod asseris facias . Arthemius dixit : Credam illi : si te ex istis eripuerit uinculis . Petrus dixit : Vade in domum tuam : et præpara mihi mansionem : quia te non aperiente mihi : neque absoluente me ab his uinculis . neque mihi te ducatum præbente : ibi ad te ueniam in nomine domini mei Iesu Christi . At ubi uenero : palpabunt manus tuæ : et probabunt me oculi tui . et eosdem sermones tecum loquar . et si sic credideris saluabitur filia tua . hoc autem fiet : non ad libitum temptationis tuæ : sed ad declarationem deitatis domini mei Iesu Christi . Tunc agitans caput Arthemius dixit : Iste homo nimiis passionibus fatigatus aliena loquitur . et hæc dicens abscessit : et ueniens in domum suam : enarrare cœpit coniugi suæ nomine Candida : cui Candida dixit . Miror te existimare insanum : qui tibi sanitatem promittit . Aut non esse sincerum qui sinceritatem nostræ | fidei asserit collaturum . Num aliqua tibi longa tempora constituit ? Arthemius dixit hodie se uenturum asseruit . Candida dixit : Si hæc fecerit : quis dubitet uerum esse deum Christum quem credit ? Arthemius dixit : horreo fatuitatem tuam . Si dii ipsi de cælo descendant : non eum absoluunt uinculis : et si ipse Iupiter ad eum uadat : aperire ei non poterit . Respondit Candida : Vtique imo magnificari deus eius credendus erit : si hæc fecerit . quod facere non potest : ut asseris nec Iupiter ipse . et hæc dum ambo loquerentur : clauso diei lumine : subito dum nox initium suum splendore stellarum demonstraret . adest homo dei Petrus Arthemio et Candidæ : indutus uestibus candidis : tenens in manu sua triumphum crucis . Ad cuius uestigia corruerunt Arthemius et uxor eius Candida . exclamaueruntque dicentes : Vere unus est et uerus deus Iesus Christus . Statimque filia eorum uir† nomine Paulina a spiritu immundo uexata et ipsa diu ante pedes eius confessa corruens purgata est . Ita ut clamaret ipse dæmon dicens : Virtus

Christi quæ in te est Petræ ipsa me religauit et seperauit a uirginitate Paulinæ . et cum hæc fierent : omnes qui in domo Arthemii erant baptizati sunt et crediderunt . Nuncius uero cucurrit ad eos : qui in uicino morabantur : ita ut fieret amplius quam trecentorum uirorum multitudo . Mulierum uero abundantior numerus clamantium omnium et dicentium : Præter Christum non est alius deus omnipotens : in conspectu enim eorum a dæmone obscessi liberabantur infirmi . Cumque omnes unanimiter in domo Arthemii qui conuenerant cuperent fieri christiani : abiit uir dei Petrus et adduxit eis sanctum Marcellinum presbyterum : A quo omnes unanimiter baptizati sunt in domo Arthemii : qui Arthemius cum esset custos carceris ingressus est ad eos qui erant in uinculis et dixit eis : Si quis uult credere Christo : exeat . et liber ueniat domum meam : et faciat se christianum : At illi omnes promittentes se Christo credere : egressi sunt atque uenientes domum Arthemi a sancto Marcellino presbytero baptizati sunt et consecratione illuminati . Interea dum hæc agerentur pestilentissimus iudex Serenus || nomine incurrit in infirmitatem . Et omni spatio ægritudinis eius datur tempus baptizatis : ut sermone quottidiano Marcellini presbyteri et Petri in fide domini confirmarentur per quadraginta et amplius dies . Post hæc comentarienses miserunt ad Arthemium carcerarium : ut nocte presto esset : cum personis quæ erant in carcere . Illi autem omnes qui baptizati fuerant osculabantur manus eius : et dicebant ut si quis uellet ad martyrium peruenire intrepidus abiret . Si quis autem uellet excedere : abiret illæsus . Cum ergo primo pullorum cantu sederet Serenus Vicarius : et iuberet audiendas intromitti personas . Ingressus Arthemius dixit : Petrus exorcista christianorum : quem castigatum et tortum et semiuiuum in carcere esse præcepisti : hic in nomine dei sui uincula omnium soluit : et hostia omnia patefecit : atque omnes faciens christianos fecit eos abire : quo uellent . Ipse tamen cum Marcellino presbytero nusquam abscessit sua uoluntate . Nam quotienscumque uolui eum custodire nusquam comparuit . Tunc uicarius Serenus furore nimio accensus iussit Marcellinum presbyterum et Petrum exorcistam intromitti sub uoce quæstionaria : quibus intromissis . Serenus dixit : Mitius uobiscum carnifices agerent : si sacrilegium christianitatis uestræ amitterent . Nunc etiam et noxios et criminosos egredi de carcere fecistis ? Marcellinus presbyter dixit : Tandiu quis criminosus in suo crimine est : quandiu domino Iesu Christo non credit . At ubi crediderit statim omni culpa ablutus summi dei filius nuncupabitur . Cum hæc et his similia diceret Marcellinus presbyter : iussit eum Serenus pugnis cædi in arteriis ambobus : At ubi defecerunt cædentes : præcepit eum separari a Petro et mitti eum nudum in loco : ubi uitrum fractum spargi iussit : et ibi claudi uinctum : et lumen et aquam ipsam negari . Petrus exorcista conuersus ad Serenum dixit : Cum sis Serenus nomine tuo : totum te nubilum et tenebrosum factis ostendis : et cum sis homo mortalis : pœnas promittis et minaris et terroribus cc̄turbare† te existimas immortalem fidem : quæ regnat in mentibus christianis . Insuper et sacerdotem dei summi Marcellinum presbyterum : quem debueras | exorare pro te : ut a criminibus incredulitatis tuæ fuisses absolutus : pugnis fecisti cædi : et grauissimæ mancipasti custodiæ : De quo facto ille quidem gloriatur et gaudet : tu autem in æterno luctu et lchrymis† semper eris miser . Tunc Serenus iussit et Petrum in uinculis recipi : et pedes eius in cippo altissimo constringi . factum est autem cum essent seperati in custodiis : ut Marcellinus presbyter in uitri acutis nudus mitteretur . Petrus uero exorcista in ferro et cippo . Apparuit angelus domini Marcellino oranti et nudo : et induit eum uestimentis suis : et dixit ad eum : sequere me : et dum sequeretur Angelum : ingressus est cum eo : ubi Petrus exorcista erat in cippo et ferro et hunc absoluit : et dixit ad eos : Sequimini me : et dum sequerentur eum : peruenerunt in domum : in qua erant omnes qui baptizati fuerant unanimiter orantes : quibus dixit angelus domini : ut per dies septem confortarent populum : qui per eos crediderant : et post septem dies ostenderent se uicario Sereno : Postera autem die mittitur ad carcerem : et non inueniuntur Petrus neque Marcellinus ab inquisitoribus : et dum non essent uincti : nunciatum est iudici . Tunc iudex iussit mitti ad Arthemium et uxorem eius Candidam et filiam eorum nomine Paulinam uirginem : Quos cum uidisset : fecit eos coarctari : ut sacrificarent diis . Arthemius et uxor eius Candida una cum filia sua sic dixerunt : Nos dominum Iesum Christum confitemur filium dei uiui : et imo nulla ratione sacrificiorum possumus pollui ritu : quibus auditis uicarius

Serenus omnes simul iussit immenso pondere ruderum obrui in uia Aurelia . factum est autem ut hora qua ad passionem pergebant in eodem loco cum omnes christiani occurrerent sancto Marcellino presbytero et Petro exorcistæ : Videntes officiales tantum populum fugerunt : et euntes post eos iuniores de populo dei tenuerunt eos : et blandis sermonibus cœperunt hortari ad fidem . Illi autem dum nollent credere tandiu custoditi sunt a populo : quousque missas faceret sanctus Marcellinus presbyter in cripta : in qua puniendi uenerant sancti : at ubi completa sunt : quæ sunt dei : accessit sub presbytero om || nis populis† : Cumque silentium factum fuisset : Marcellinus cum Petro steterunt dicentes ad eos qui credere nolebant : Ecce in potestate nostra fuit : ut læderemus uos : sed non facimus . In potestate nostra fuit ut tolleremus uobis Arthemium et candidam atque uirginem eorum : sed nec hæc facimus . Nunc autem in potestate nostra est faciente dei gratia ut abscedamus nec hæc facimus . quid uobis ad hæc . At illi feruentes in dei hominibus Arthemium gladio percusserunt Sanctam uero Candidam et uirginem per præcipitium idest per liminare criptæ iacientes lapidibus obruerunt . Marcellinum uero presbyterum et Petrum exorcistam alligauerunt manibus retro ad arborem : et reliquerunt : qui eos custodirent : quousque nunciaretur uicario . Cumque uicarius omnia quæ gesta fuerant cognouisset . iussit eos duci in syluam nigram . quæ hodie in honorem sanctorum sylua Candida appellatur : et in eadem ambos pariter decollari . Cumque uentum fuisset in mediam syluam ipsi sibi manibus suis mundauerunt locum a spinis : in quo orantes et dantes simul pacis osculum genu posito decollati sunt . hii autem qui decollauerunt eos : testificabantur se uidisse animas eorum exeuntes de corpore quasi uirgines ornatas gemmis et auro splendidissimis uestibus indutas : atque angelorum manibus subleuatas ad cælos per auras ferri gaudentes . Erant autem Lucilla et Ferimina christianissimæ fœminæ parentes sancti Tiburtii martyris : cuius nobilitas et in terris : et inter senatores magna fuit . et inter martyres magnificentior probatur in cælis : Hæ dum amore parentis martyris a sepulchro eius non recederent : et sibi construxissent cubiculum : atque ibi die noctuque perseuerarent : apparuit eis in uisu sanctus Tiburtius cum his duobus martyribus : et instruxit : quatenus ambularent : et corpora eorum de sylua auferrent : atque ibi iuxta se in inferiori parte in cripta sepellirent : quibus adiutorio fuerunt duo accoliti ecclesiæ romanæ . Hæc omnia Damasus cum lector esset puerulus didicit ab eis : qui eos decollauerunt : Ipse autem qui eos decollauit nomine Dorotheus publicam pœnitentiam gessit paganus sub sancto episcopo et omni populo indicans quæ udisset† : baptizatusque est in senectute sua : et per bonam confessionem peruenit ad mi | sericordiam saluatoris : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen . Quorum corpora beatorum Marcellini presbyteri et Petri exorcistæ martyrum collegit Lucilla : et posuit in uehiculo noctu : et adduxit in uiam lauicanam milliario ab urbe tertio : et sepelliuit quarto nonarum iuniarum . in pace Amen .

VITA SANCTAE MARIAE MAGDALENAE .

Quamquam per quattuor mundi climata fidelium connexione propagata : sacratissimæ Mariæ magdalenæ insignia pio mutationis† exemplo sacrosancta celebret ecclesia : atque in beatissimorum euangelistarum scriptis ipsius deuotionis sedula famulatio perseueransque seruitus et ingens dilectionis feruor : ac illius sanctæ familiaritatis ministratio : et usque ad triumphum dominicæ passionis ineffabilis habeatur constantia : necnon et quæ in morte sui redemptoris etiam apostolis fugientibus egerit : quodque ipse dominus magni consilii angelus resurgens a mortuis primo ei apparuit : tamen utilitati legentinm† consulentes : ea quæ de ipsius uirtutum flosculis gemmarum more sanctarum elucidant paginæ scripturarum : et quodammodo sui iubaris impressione uernantes redduntur : compendiose prælibare curauimus : ut si cui forte non uacat sanctissimum pelagus ex ordine percurrere : in quo tante fidei continentur præconia : saltem hanc nostræ exiguitatis scedulam illius accensus desyderio legere non recuset . Fuit igitur secundum sæculi fastum clarissimis orta natalibus beatissima Maria magdalena : quæ ut asserunt patrum traditiones a Magdalo castello magdalene

nuncupata est : quam non solum sui generis dignitas nec non etiam patrimonii iura parentumque successus splendidam reddiderunt : adeo ut duplicatus honor nominis excellentiam circumquaque diffunderet . Solent autem apud homines plus diuitum quam pauperum nomina sciri . Sed quia rerum affluentiam interdum uoluptas comes subsequitur : adolescentioris uitæ tempora lubricis supposuit regenda discursibus soluto pudicitiæ fræno . Hæc est illa mulier : de qua Lucas scribit euangelista : quia erat || quædam mulier in ciuitate peccatrix : sed quia dilexit multum : dimissa sunt ei peccata multa : Et de qua Marcus ait : apparuit primo Mariæ magdalenæ : de qua eiecerat septem dæmonia . Sed quam pius et misericors dominus erga peccatores extiterit : in istius probatur perfectione : quæ non solum sui criminis meruit ablutionem : sed apostolorum consors effecta : illis destinata est dominicæ resurrectionis nuncia . Hæc autem postquam diuino afflata est spiritu mentis intuitum in se reuerberans : ac pristinæ uitæ detrimenta non sustinens : ut comperit dominum et creatorem totius humani generis in domum uenisse Symonis : qui non uenerat uocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam : non ob suorum enormitatem scelerum de sui diffidens conditoris clæmentia : pretiosissimo accepto unguento ad Christum misericordiæ fontem concito properauit gradu corruens ante domini uestigia : amaritudinemque cordis lachrymarum exaggerans fonte . Mox denique compunctionis flætibus sui saluatoris cœpit rigare pedes : capillisque suæ deuotionis tergere : et indesinenter osculis uere humilitatis confouere : ac mundissimo suæ dilectionis unguento perungere : quæ cum in tali deuotionis famulatu non esset repudiata : sed potius misericorditer suscepta : ausu denique familiaritatis confisa etiam alias super sanctissimum domini caput pretiosissimi liquoris effudit odorem : adeo : ut tota domus ex odoris fragrantia more aromatum redoleret . Nihilominus etiam conpunctionis flammam ac dilectionis intimabat feruorem : ac si ipsis uerbis loqueretur dicens : O domine Iesu clæmentissime tu qui scis omnia . et cordium inspector es uerus : qui non uis mortem peccatoris : sed magis ut conuertatur : et uiuat : tu ipse intelligis quid mei deposcant singultus : quid lachrymæ ab imo crutæ flagitent : quid meus amarus exoret gemitus . Peccatrix sum : immunda sum : omnium nefandorum criminum labe polluta . Sed quia meam ab annis prioribus contaminaui uitam : ad te dominum meum qui es uita recurro : ut me de baratri faucibus clæmenter eripias : misericorditer liberes : potenter abstrahas : qui solus laborem et dolorem consyderas . Quid autem ex huius condilectionis professione consecu | ta sit : ipse dominus manifestat : qui Symoni indignanti : cur ad se mulierem peccatricem permitteret accedere : conuersus ad illam respondit inter cætera : Amen dico tibi : quia dilexit multum dimissa sunt ei peccata multa . Quam domini adeptam clæmentiam Lucas euangelista describit . Illico posthabitis omnibus ita familiaris effecta est : ut ipsum non solum mente sed etiam corpore sequeretur de propriis facultatibus utpote ualde locuples uictum et uestimentum ei ministrans : et implens bifariæ domini præceptum dicentis : Qui mihi ministrat me sequatur . Mystice autem hæc beatissima mulier sanctam designat ecclesiam : quæ bene in domum Symonis uenisse dicitur et ab omnibus pristinæ uitæ contagiis curata : Symon enim interpretatur obediens . Et ecclesia Christi monitis et preceptis obediens pristinos decoquens anathematizauit errores : omnemque postponens idolorum spurciciam per aquam baptismatis suorum obtinuit ueniam delictorum . ac quottidie dominum sequitur non gressu pedis sed imitatione operis . Rigauit autem hæc mulier pedes domini lachrymis pœnitentiæ : et unguento piæ confessionis liniuit : quia ecclesia dominum Iesum Christum uerum deum et uerum hominem credens pro suis quottidie excessibus lachrymarum singultibus ipsius exorat ablutionem . Cumque assumptæ humanitatis mysteria digna reuerentia suscipit et prædicat : qua inter homines conuersari dignatus est : utique in pedes domini unguentum nardi pisticum id est fidele fundit : quæ loquitur in cantico amoris : Dum essèt rex in accubitu suo : nardus mea dedit odorem suum : Hæc nimirum uerba iuxta litteram manibus beatæ Mariæ magdalenæ compleuit ecclesia et quottidie spiritualiter non cessat implere in totam mundi latitudinem : cum gloriæ laudes referens creatori dicat : Deo autem gratias qui semper triumphat in Christo Iesu : et odorem suæ notitiæ manifestat per nos in omni loco : quia Christi bonus odor sumus deo : quæ cum sublimitatem diuinæ maiestatis quæ æqualis est illi cum patre : congrua religione et reuerentia confitetur et prædicat : et inquantum naturalis ingenii uigor superni

luminis illustratione sinit digna ueneratione recolit mentisque aciem ad || contemplandam tantæ diuinitatis potentiam extendit et caput illius profecto pretiosissimo perfundit unguento . Quod uero Iudas contra hanc sanctissimam mulierem indignatus dicitur effusione unguenti tanti : datur aperte intelligi : quia reprobi et infideles contra sanctam ecclesiam quottidie sæuiunt et insaniunt : eiusque derogant religioni ac deuotioni : uidentes per quattuor mundi plagas doctrina ipsius et exemplis diuinitatis clæmentiam cunctis claruisse . Vnde et de hac sancta muliere quæ præuenit ungere corpus domini : inquit ipse amen dico uobis : ubicumque fuerit prædicatum hoc euangelium in toto mundo dicetur et quod fecit in memoriam eius . quod non solum de hac sancta muliere prædicatur quod unxerit caput domini sed et ecclesia quottidie sicut iam prælibatum est hoc etiam operatur in suis sanctis actionibus . Bene etiam Maria magdalenæ dicitur . magdalum enim interprætatur turris ; et significat ecclesiam . Turris enim non solum sublimior sed et tutior domus est non facile hostibus patens : Ac per hoc ecclesiam designat : quæ terrena deserens cælestia desyderat pugnans inter spirituales nequitias ; fortitudinem suam non sibi sed domin ocommittens† : orat cum propheta dicens : Esto nobis domine turris fortitudinis a facie inimici . Hæc est illa turris fortis et inexpugnabilis : cui uoce sponsi in canticis canticorum dicitur : Sicut turris Dauid collum tuum : quæ ædificatur cum propugnaculis . Mille clipei pendent ex ea et omnis armatura fortium : de qua Salomon ait : Turris fortissima nomen domini : ad ipsam currit iustus et exaltabitur . Sed quia nominis interprætatione compulsi a superficie historiæ paulûlum discessimus : libet intueri clæmentissime domni† familiaritatem erga beatam Mariam et sororem eius Martham ; ipsarum piæ deuotionis in omnibus famulatum . Legimus enim euangelista Luca narrante : quia intrauit Iesu in quoddam castellum et mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam . Et huic erat soror nomine Maria quæ etiam sedens secus pedes domini audiebat uerbum illius . Martha autem satagebat circa frequens ministerium : Vnde non solum contra sororem uerum etiam con | tra ipsum dominum querelam assumit dicens : domine non est tibi curæ : quod soror mea reliquit me solam ministrare ? Dic ergo illi : ut me adiuuet . At ipse qui non est personarum acceptor sed singulorum merita subtiliter diiudicat : ut ostenderet meliorem esse animam quam corpus : et meliorem cibum spiritualem quam carnalem : ita et unius opus laudat : ut alterius non uituperet . Ait uero : Martha Martha sollicita es : et turbaris erga plurima . Porro unum est necessarium . Maria optimam partem elegit : quæ non auferetur ab ea in æternum . Spiritualiter autem hæ deuotissimæ mulieres quæ susceperunt dominum in domum suam : duas significant ecclesiæ uitas actiuam et contemplatiuam . per Martham : quæ circa frequens ministerium sollicita erat : actiuæ uitæ labor exprimitur . Per Mariam uero : quæ sedens secus pedes domini audiebat uerbum illius : et intenta aure percipiebat : contemplatiuæ uitæ dulcedo designatur ; cuius sapor quanto magis degustatur : eo amplius a rebus uisibilibus et curarum tumultibus animus seperatur . Spretis enim omnibus temporalibus . sola mens cum solo deo esse desyderat : libet ei audire præcepta cælestia ; sicut hæc beatissima faciebat Maria : quæ sedens secus pedes domini audiebat uerbum illius : et intentissima percipiebat aure . Et sic impletum est in ipsa : quod olim per beatum Moysen dictum fuerat : Et qui appropinquant pedibus eius : accipient doctrinam ipsius . quam gratissima etiam et dilecta apud conditoris clæmentiam pro suæ deuotionis famulatu ac inextinguibili dilectionis haberetur feruore : Iohannes euangelista manifestat : ubi quatriduani Lazari uenerandam inauditamque describit resurrectionem . Diligebat autem Iesus Martham et Mariam sororem eius et Lazarum : Ac in consequentibus commemorat : quoniam uocata a sorore sua cum ueniret ubi erat dominus : corruit ante pedes eius dicens : Domine si fuisses hic ; frater meus non fuisset mortuus . Iesus autem ut uidit eam plorantem : et iudæos qui uenerant cum ea plorantes ; infremuit spiritu et turbauit semetipsum ; et dixit : ubi posuistis eum ; Dicunt ei domin eueni† et uide . Et lachrymatus est || Iesus : Manifeste suæ pietatis clæmentiam ex assumpta humanitate declarans : quando pro ipsius doloris immanitate lachrymas non dedignatus est fundere suæ compassionis . Saluo tamen diuino mysterio germinis sublimitas atque sæcularis pompæ dignitas beatæ Mariæ in hoc dignoscitur facto : quando iam in quattriduani fratris morte tanta nobilium et potentum multitudo iudeorum ad ipsius mitigandum confluxerat dolo-

rem : et nec passi sunt ad fratris tumulum sine sui præsentia eam properare dicentes : quia uadit ad monumentum : ut ploret ibi . Est denique hoc diuina procuratum misericordia : ut patraturo domino tale tantumque miraculum multi afforent iudeorum : quatenus dum uiuus suscitatur in corpore : nonnulli resuscitarentur in mente et essent testes ac laudatores ipsius promptissimi . Vnde in sequentibus idem euangelista refert dicens : Testimonium ergo perhibebat turba quæ fuerat cum Iesu : quando Lazarum resuscitauit : et uocauit de monumento . Typice autem hæc mulier quattriduanum mortuum deflæns fratrem sanctam designat ecclesiam : quæ pro illorum discrimine : qui obnoxii tenentur sceleribus atque consuetudinaria mortalium labe : tumulati pessimæ opinionis famam ex suis egerunt corporibus : lugere non cessat . Omnes enim in Christo fratres sumus . Super Lazarum uero mortuum flere dicitur dominus : quando suæ miserationis respectu huiuscemodi corda per conpunctionis gratiam uisitans ad pœnitentiæ lamenta inflectit . Hoc autem ipse agere dicitur : quod nos ut intentissime perficiamus : suæ inflamationis instinctu procurat . Tale est profecto et illud : Ipse enim postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus . Et sicut Lazarus post effusionem lachrymarum mirantibus turbis resuscitatur in corpore : ita et peccatores post conpunctionis lachrymas digna carnis maceratione peracta resuscitantur in anima . Ipso domino per prophetam pollicente qui ait : In quacumque die peccator conuersus fuerit : et ingemuerit : omnia peccata eius obliuioni tradentur : Sed his breuiter prælibatis ad ipsius fidei constantiam atque feruentissimæ dilectionis ardorem necnon et ad ea quæ in passione domini specialiter ac familiariter peregerit : cunctis ammiranda imo magis | imitanda mortalibus perueniendum est . Nam hæc sancta mulier dominum secuta : sicut iam prælibati sumus : et de suis facultatibus largissime illi ac deuotissime ministrans : postquam uidit eum compræhensum ligatum flagellatum omnibus subsannationibus et irrisionibus delusum : et ad ultimum pro salute generis humani in cruce positum : discipulis etiam qui prius dicebant eamus : et moramur† cum illo terga uertentibus : ipsa cum eo remansit : quia quæ arctius et feruentius dilexerat : nec a mortuo potuit separari : Et sic impletum est tempore dominicæ resurrectionis : quod olim per beatum Iob dictum fuerat : Pelli meæ consumptis carnibus adhæsit os meum : et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos . Quasi enim consumptus† carnibus pelli os adhæret : quando discipulis fugientibus beata Maria magdalene cum domino perseuerante et tandiu permansit : quosque† diuersis conditum aromatibus in sepulchro collocari prospexit . Inde autem mærens et nimio succensa dolore recedens perspicue annotatum sui redemptoris habens locum sepulchri emit aromata : et ipsa nocte quantum ualuit unguenta præparauit . Sabbato uero secundum legis mandatum siluit . Occidente uero sole quod supererat in præparandis unguentis operam dedit . Mane autem uel prima una sabbati cum adhuc tenebræ essent cum præparatis aromatibus uenit ad sepulchrum cupiens eius sacratissimum corpus perungere : quem uiuentem nimio dilexerat amore . Cum enim sexus fœmineus timidus esse soleat ad ambulandum in tenebris : nihil ista timuit : quæ toto corde deum dilexit . Erat enim in ea porro perfecta caritas : quæ foras mittit timorem . Nam neque propter sui sexus fragilitatem neque propter metum custodum et accepto itinere declinabat : quousque ad sepulchrum domini intrepida peruenit : Cuius mulieris constantia in libro regum præfigurata est : quando allophylli arcam domini captam in terram israel remittentes iunxerunt duas uaccas fœtas ad plaustrum uitulosque earum recluserunt domi . Et sic scriptum est : Ibant uaccæ in dirrectum per uiam : quæ ducit Betsamis pergentes et mugientes : nec tamen ad dexteram neque ad sinistram declinantes . ita et beata Maria magdalena si || mul cum altera Maria cupiens sepulchrum domini inuisere quasi mugiens et gemens : quæ ad tempus domini sui præsentia priuata fuerat incedebat : imitabile exemplum omnibus præbens fidelibus : ut per uiam dei ambulantes nec propter temptationem dæmonum nec proper† curam parentum a cœpto itinere deuiemus : quia inchoantibus præmium promittitur : et perseuerantibus datur . Allegorice autem tenebræ erant in corde huius sacratissimæ mulieris : tamen ad domini uenit monumentum : quia resurrectionis eius ignara : uiuentem inter mortuos requirebat . Tunc uero sol in eius mente ortus est : quando non solum resurrexisse uidit : sed etiam credidit . Sequitur : Et uidit lapidem sublatum a monumento : Et quia corpus domini non inuenit : furatum credidit : atque quod uidit discipulis nunciauit . De hac enim ueraciter in canticis canticorum uoce ecclesiæ dicitur :

In lectulo meo per noctem quæsiui : quem diligit anima mea quæsiui illum : et non inueni . Surgam : et circuibo ciuitatem : quærens quem diligit anima mea . Inuenerunt me uigiles : qui custodiunt ciuitatem . Nun† quem diligit anima mea uidistis ? Et factum est : cum pertransissem illos : inueni : quem diligit anima mea . Tenebo illum : nec dimittam : donec intromittam in domum patris mei : et in cubiculum genitricis meæ . Cucurrit namque : ut diximus hæc sancta mulier : et uenit ad Symonem Petrum : et ad alium discipulum : quem diligebat Iesus et dicit eis . Tulerunt dominum de monumento et nescimus : ubi posuerunt eum . At illi currentes uenerunt ad monumentum : et ita inuenerunt sicut mulier dixerat . Abierunt ergo discipuli : et reuersi sunt ad semetipsos . Maria uero stabat ad monumentum foris plorans . Consyderandum est namque in hoc loco huius mulieris mentem : quantus amor domini accenderat : quæ etiam discipulis recedentibus a monumento domini non recedebat : Et quia ab inquisitione domini non cessauit : prima uidere meruit . Plorabat ergo : quia quem multum desyderabat non uidebat . Plorabat : quia de monumento corpus domini furatum putabat . Dum ergo flæret : inclinauit se : et prospexit in monumentum . Iam enim monumentum uacuum uiderat . et dominum de | monumento furatum discipulis nunciauerat . Quid est enim quod iterum se inclinat . quod iterum uidere desyderat ? Sicut enim uerbi gratia cum quandam rem caram amittimus : quamuis huc illucque discurrendo quæramus : ad illum tamen sæpius locum discurrimus : et respicimus : ubi eam posuisse meminimus : ita hæc sancta mulier quamuis huc illucque corpus domini quæreret : anxia tamen de eius absentia frequenter monumentum aspiciebat : ubi eum positum nouerat . Vnde et si dominum statim uidere non meruit : angelorum tamen uisione consolata est . Nam uidit duos angelos in albis sedentes unum ad caput et unum ad pedes : ubi positum fuerat corpus Iesu . dicunt ei illi : Mulier quid ploras ? quem quæris ? Interrogabant eam angeli : non ut quærendi minuerent desyderium : sed ut augerent . Sicut enim nos cum propter carorum amissionem flæmus : si quis flæt† causas inquirat : magis ploratum accumulat : ita et illi causas doloris interrogabant : ut flætus desyderii augerent : Scientes beatos esse lugentes : quoniam ipsi consolabuntur . Sed mulier cuius rei gratia flæret manifestat : cum subiungit : quia tulerunt dominum meum : et nesio† : ubi posuerunt eum . Hæc cum dixisset conuersa retrosum† uidit Iesum stantem : et nesciebat quia Iesus esset . Recte ut dominum merretur† uidere conuersa retrosum† . Qui enim retrorsum conuertitur : illuc oculos dirigit : ubi terga habebat . Quasi enim conuersa retrorsum est : quando dubitationis postponens nebulas Christi resurrectionem experte credere cœpit : cui tamen dominus ita uisionem suam temperauit : ut quia amabat : sed eum resurrexisse non credebat : illum et uideret : et non recognosceret : Vnde et dicit euangelista : Illa existimans : quia hortulanus esset : dicit ei : Domine si tu sustulisti eum : dicito mihi : ubi posuisti eum : et ego eum tollam . In quibus uerbis consyderandum est : quantus amoris ardor mentem huius mulieris repleuerat : quæ ante quam personam eius significasset quem quærebat : quasi scienti loquebatur dicens . Si tu sustulisti eum : dicito mihi : ubi posuisti eum : et ego eum tollam . Habet enim uis amoris hoc proprium ut quem || quis amat : omnes se illum amare putet . Sed non in toto errauit hec mulier cum dominum hortulanum existimauit . Sicut ad hortulani officium pertinet noxias tolere herbas : ut bonæ quæque proficere ualeant : ita dominus noster Iesus Cristus de horto suo id est de eclesia sua quottidie uicia eradicat : ut uirtutes crescere ualeant . Cum uero sexus fœmineus fragilis sit ad onera deferenda : Hæc propter magnitudinem amoris leue et possibile arbitrabatur dicens : Si tu sustulisti eum dictto† mihi : ubi posuisti eum et ego eum tollam . Dicit ei Iesus : Maria . Conuersa illa dicit ei Rabboni : quod dicitur magister . Dicit ei Iesus : Noli me tangere : Quia dominus superius mulierem eam appellauit : et et† cognitus non est : uocauit etiam proprio nomine : ut saltem cognoscentem se recognosceret . Ait enim Maria . cum enim apud dominum certus sit numerus electorum : magna tamen gratia illis datur : qui propriis nominibus deo noti esse manifestantur : Qualis erat Moyses : cui a domino dictum est : Noui te ex nomine . quem mulier postquam proprio nomine a domino uocata est : statim cognoscentem se recognouit dicens : Rabboni quod dicitur magister . Hæc autem aiens illico corruit in terram uolens adorando tenere pedes eius recognoscens eum : a quo uocata est cx† nomine : ab ipso cui a domino dicitur noli me tangere . Vbi non est putandum : quod post resurrectionem suam tactum

renuerit fœminarum : cum de duabus a monumento illius recedentibus dictum sit : quia accesserunt : et tenuerunt pedes eius : sed ideo eam a suo contactu prohibuit : quoniam eius mentem adhuc perfectam in fide non sensit : quando dominum uiuentem inter mortuos requirebat . Quare autem ab ipsa se tangi noluerit : manifestat : dum subdit : nondum ascendi ad patrem meum . Et quia me inter mortuos requiris ut mortuum . et non credis me æqualem patri secundum diuinitatem : noli me tangere . In eius quippe mente ad patrem dominus non ascendit : qui non credit eum æqualem esse patri . Et quia beata Maria nec dum perfectæ diuinitatis eius potentiam cognouerat : prohibita est tunc tangere pedes eius . Vade autem ait ad fratres meos : et dic eis : Ascendo ad patrem meum et patrem uestrum : deum meum et | deum uestrum . Venit autem Maria nuncians discipulis : quia uidi dominum . et hæc dixit mihi . Misericordissima domini pietas in hoc loco erga fœmineum genus declaratur : quia enim mors per fœminam in mundo illata fuerat : ne semper in opprobrium sexus fœmineus haberetur : per sexum fœmineum uoluit nunciare uiris gaudia resurrectionis : per quem nunciata fuerat tristitia mortis . Ac si diceret hominibus : De cuius manu sumpsistis poculum mortis : ab eius ore audite gaudia resurrectionis : Et sicut per beatam Mariam semper uirginem paradisi portæ nobis apertæ sunt : et maledictio Euæ exclusa : ita per beatam Mariam magdalena† opprobrium fœminei sexus deletum est : et splendor nostræ resurrectionis in diuina suscitatione exortus ab eius ore propinatus est : unde bene Maria interpretatur stella maris quæ interpretatio quamuis dei genitrici principaliter congruat : per cuius partum uirgineum sol iusticiæ mundo resplenduit : tamen et beatæ Mariæ magdalenæ potest congruere : quæ cum aromatibus ueniens ad sepulchrum domini prima splendorem dominicæ resurrectionis mundo nunciauit . Et si discipuli domini ideo apostoli uocati sunt : quia mittuntur ab illo : ut prædicent euangelium omni creaturæ : nec minus beata Maria magdalena quamuis ipsius contrarium sexui apostola non incongrue potest dici : quoniam sicut apostoli missi sunt : ut infidelitatem et tenebras ignorantiæ a mortalibus repellerent : ita ut† beata Maria magdalena ab ipso domino destinata est ad apostolos : quatenus dubietatem et incredulitatem suæ resurrectionis ab illorum cordibus remoueret .

Qualiter de hac vita transierit .

Licet plærisque relationis series prolixioris materiæ stilo mandata qualiter beata Maria magdalena diuina ordinante clæmentia cum sancto Maximiano mare transierit et in aquensem regni Prouinciæ regionem peruenerit : ueluti in ipsius sancti presulis uita digestum est in promptu habeatur : tamen hanc nostræ paruitatis scedulam edere curauimus ut ad quorum notitiam maiora non peruenerint : saltem ueritatis indaginem quærentibus hæc nosse sufficiat . Post dominicæ igitur resurrectionis gloriam ascensionisque triumphum || ac spiritus paracleti de supernis missionem : qui discipulorum corda temporalis pœnæ adhuc formidine trepidantia repleuit scientiam omnium linguarum tribuendo : erant omnes credentes simul cum sanctis mulieribus et Maria matre Iesu : ut Lucas narrat euangelista et uerbum dei disseminabatur : crescebatque numerus credentium quottidie : adeo ut multa millia per prædicationem apostolorum uerbo fidei obedirent : suarum rerum contemptores effecti . Nullus enim inter eos aliquid proprium habebat : sed erant illis omnia communia : habentes cor unum et animam unam in domino . Inuidiæ ergo facibus accensi sacerdotes Iudæorum cum pharisæis et scribis concitauerunt persecutionem in ecclesia interficiendo protomartyrem Stephanum : et fere a finibus suis Christi testes omnes procul pellendo . Hac igitur persecutionis procella sæuiente dispersi credentes petierunt diuersa regna terrarum a domino sibi delegata : uerbum salutis gentibus propinando . Erat autem tunc temporis cum apostolis beatus Maximinus unus ex septuaginta discipulis uir uniuersa morum probitate conspicuus : doctrina pariter et miraculorum uirtute præclarus . Huius relligionis sanctitudini beata Maria magdalena se contulit beatitudinis contubernio illi coniuncta : ueluti beata semper uirgo Maria sancto euangelistæ Iohanni : ut pote a domino sibi commendata : qua propter in præfata dispersione beata Maria magdalena illi sociata est : atque iter usque ad mare direxerunt : Ascendentesque nauim prospero cursu peruenerunt Marsiliam . Ibique uegetationem nauis relinquentes domino annuente aquensem aggressi sunt comitatum : diuini uerbi sæmina cunctis

largiter erogantes : die noctuque prædicationibus ieiuniis et orationibus insistendo : ut populum ipsius regionis incredulum : nondumque fonte baptismatis innouatum ad agnitionem et cultum omnipotentis perducerent . Rexit autem aquensem ecclesiam beatus Maximinus confessor et pontifex diebus multis uerbo prædicationis inhærendo dæmones pellendo mortuos suscitando cæcis lumen reddendo ; claudis gressum restituendo ; omnium infirmitates ac languores curando .

Interea beata Maria magdalena contemplationis auida ad supernam hæ | remum petiit : et in loco angelicis manibus præparato per triginta annos incognita mansit : In quo quidem loco nec aquarum fluenta nec arborum nec hærbarum etant† solatia : ut ex hoc manifestaretur quod redemptor noster ipsam non terrenis refectionibus sed tantum cælestibus epulis disposuerat satiare . Qualibet autem die septem horis canonicis ab angelis in æthera eleuabatur : et cælestium agminum gloriosus† concentus corporalibus etiam auribus audiebat . unde diebus singulis hiis suauissimis dapibus satiata : et inde per eosdem angelos ad locum proprium reuocata : corporalibus alimentis nullatenus indigebat . Sacerdos autem quidam solitariam uitam agere desyderans : ad duodecim stadia loco eidem uicinam sibi cellam locauit . Die igitur quadam dominus prædicti sacerdotis oculos aperuit : et corporeis oculis euidenter aspexit qualiter angeli ad prædictum locum in quo beata Maria morabatur descendebant : et eam in æthera subleuabant et post hore spatium ad eum locum cum diuinis laudibus reuocabant . Volens autem sacerdos tam admirabilis uisionis ueritatem agnoscere : creatori suo precibus se commendans ad prædictum locum audaci deuotione properabat . Cumque ad unius iactum lapidis propinquaret : cœperunt eius crura resolui et timore ualido ipsius præcordia medullitus formidare : Cumque retro rediret : ambulandi usum crura cum pedibus simul præbebant . Sed si uerso tramite ad prædictum locum accedere conaretur : totius eum langor corporis et hebetudo modis omnibus prohibebant . Intellexit igitur uir dei illud procul dubio cæleste esse sacramentum ; ad quod accedere humanum non poterat experimenptum . Inuocato igitur saluatoris nomine exclamauit : Adiuro te per dominum : ut si homo es uel aliqua rationalis creatura : quæ in illa spelunca habitas : mihi respondeas : et tui edisseras ueritatem . Cumque hæc tertio repetisset beata Maria magdalena ei respondit : Acced epropius† ; et omnium quæ desyderat anima tua scire poteris ueritatem : Cumque ille tremens usque ad medii spatii terminum propinquasset ait ad eum : Meministi ex euangelio de maria illa famosissima peccatrice : quæ pedes saluatoris lachry || mis rigauit et capillis tersit . et suorum ueniam delict orum† promeruit ? Cui sacerdos : Memini : et plus quam triginta annorum euoluta sunt curricula ; quod hoc factum esse sancta credit et confitetur ecclesia . Ego inquit sum illa quæ per triginta annorum spatium omnibus hominibus ignota permansi et sicut heri tibi cernere permissum est : sic diebus singulis angelicis manibus in ethera subleuata celestium agminum dulcissimam iubilationem septenis uicibus per singulos dies corporeis auribus audire promerui . Quia igitur a domino mihi reuelatum est : quod migratura sum sæculo : beatum Maximinum adeas : et ei hæc studeas intimare proximo die resurrectionis dominicæ tempore quo ad matutinum surgere consueuit : oratorium solus ingrediatur : et me illic per angelorum ministerium inueniet consistentem . Sacerdos autem uocem† eius uelut uocem angeli audiebat ; neminem autem uidebat . Concitus igitur beatum Maximinum adiit : et ei omnia per ordinem enarrauit . Sanctus autem Maximinus nimio repletus gaudio saluatori gratias immensas retulit : et illa die ac hora ut sibi uisum fuerat oratorium solus ingressus uidet beatam Mariam magdalenam in choro adhuc stantem eorum qui eam adduxerant angelorum . Erat autem spatio duorum cubitorum eleuata a terra in medio angelorum stans extensis manibus dominum exorans . Cum autem beatus Maximinus ad eam accedere trepidaret conuersa dixit ad eum : Accede huc pater propius : ne fugias filiam tuam . appropinquante autem illo sicut in ipsius beati Maximini libris legitur : ita uultus domine ex continua et diuturna uisione angelorum radiabat : ut facilius solis radios quam ipsius faciem intueri quis posset . Conuocato igitur uniuerso clero et sacerdote prædicto corpus et sanguinem domini ab episcopo beata Maria magdalena cum multa lachrymarum inundatione suscepit . Deinde toto corpusculo ante altaris prostrata crepidinem sanctissima illa anima migrauit ad dominum : post cuius exitum tantus odor suauitatis ibidem remansit : ut per septem fere dies ab ingredientibus oratorium sentirentur : Cuius sanctissimum corpus

beatus Maximinus diuersis conditum aromatibus honorifi | ce sepeliuit . Ft† post mortem suam iuxta ipsam se sepeliri præcepit . Egisipus autem uel secundum quosdam libros Iosephus satis cum historia predicta concordat : ait enim in quodam suo tractatu quod Maria magdalena post domini ascensionem pro ardore caritatis Christi : et tedio quod habebat : nunquam uirum uidere uolebat : sed postquam ad aquense territorium uenit : in desertum abiit : et triginta ibi annis incognita mansit : ubi ut ait qualibet die septem horis canonicis ab angelis in aera eleuabatur . Addit tamen quod dum sacerdos ad eam uenisset : reperit eam in cella clausam : quæ ad eius petitionem uestem sibi porrexit : quam induens ad ecclesiam secum iuit : et ibi communione percepta eleuatis in oratione manibus iuxta altare in pace quieuit . Temporibus autem Caroli magni scilicet anno domini ducentesimo quadragesimo nono . Gerardus dux Burgundiæ cum de uxore sua filium·habere non posset : larga manu res suas pauperibus erogabat : et multas ecclesias et monasteria construebat . Cum ergo uizeliacense monasterium construxisset : misit et ipse abbas ipsius monasterii monachum quendam cum decenti comitatu ad aquensem ciuitatem : ut inde si posset beatæ Mariæmagdalenæ relliquias transportaret . Veniens igitur prædictus monachus ad prædictam ciuitatem : cum ipsam funditus a paganis destructam reperisset : quoddam inuenit sepulchrum : cuius sepultura marmorea demonstrabat : quod corpus beate Marie repositum intus erat . In ipso enim sepulchro hystoria eius miro opere sculpta erat Nocte igitur illud effringens assumptas reliquias ad hospitium deportauit . In ipsa autem nocte beata Maria magdalena eidem monacho apparuit dicens : ne timeret : sed cœptum opus perficeret . Rediens igitur cum ad mediam leucam a monasterio uenisset nullo modo inde reliquias mouere potuerunt . donec ueniente abbate et monachis cum processione honorifice sunt receptæ . Miles quidam qui singulis annis ad corpus beate Marie magdalenæ uenire consueuerat in prelio occisus est . Qui dum in feretro a parentibus ploraretur : magdalene piis querelis opponebant cur deuotum suum mori sine confessione et pœnitentia permisisset . Tunc subito qui defunctus fuerat stu || pentibus cunctis surrexit : et sacerdotem ad se uocari præcepit : Cumque deuote confessus fuisset : et uaticum† recepisset : protinus in pace quieuit . Nauis quedam uiris et fœminis honusta naufragium protulit : Vna autem fœmina cum esset grauida . et se in mari periclitari conspiceret . Magdalena quantum poterat inclamabat : uouens quod si meritis suis ab illo naufragio euaderet : et filium pareret : ipsum eius monasterio condonaret : Statimque fœmina quædam specie et habitu ueneranda ei apparuit : quæ per mentum arripiens periclitantibus aliis incolumen† ad ripam perduxit . Ipsa autem postmodum filium peperit : et uotum suum fideliter adimpleuit . Aiunt quidam Mariam magdalenam sponsam fuisse Iohannis euangelistæ quam duxerat tunc quando Christus de nuptiis ipsum uocauit . ex hoc ipsa indignata quod scilicet sponsum suum sibi abstulerat : abiit et omni uoluptati se dedit . Sed quia congruum non erat : ut Iohannis uocatio damnationis sibi occasio fieret : dominus ad pœnitentiam misericorditer ipsam conuertit . Et summa dilectione spirituali quæ est in dei amore præ cæteris eam impleuit quod et de Iohanne quidam fatentur : quod ideo dulcedine suæ familiaritatis eum præ ceteris decorauit : quia a peccati eum dilectione remouit . Hæc autem a quibusdam friuola reputantur . Vir quidam oculorum lumine priuatus cum ad monasterium uizeliacum causa uisitandi corpus sanctæ Mariæ magdalenæ ueniret : et suus ei ductor diceret : se ecclesiam iam uidere : ille magna uoce exclamauit . O sancta Maria magdalena utinam aliquando uidere merear ecclesiam tuam : Statimque eius oculi sunt aperti : Quidam dum peccata sua in quadam cedula scripsisset : eam sub palla altaris beatæ Mariæ magdalenæ posuit rogans eam : ut sibi indulgentiam impetraret : Quam postmodum cedulam acipiens peccata sua in ipsa cedula omnino deleta inuenit . quidam dum ob pecuniæ exactionem in compedibus teneretur Magdalenam sæpe in sui adiutorium inuocabat : et ecce quadam nocte mulier quædam speciosa sibi apparuit : Quæ uincula frangens et hostium reserans sibi ut fugeret imperauit . Qui se absolutum uidens protinus inde aufugit . |

DE QVADAM SANCTA MARIA VIRGINE ET MARTYRE .

Adrianus imperator legitur Antonium sibi adoptasse in filium : qui etiam postea eidem successit in imperium . Itaque sub Adriano et Antonio legitur passa fuisse beata Maria uirgo . Hæc ancilla quidem Tertulli principalis erat . sed nobilitatem domini mentis benignitate uincebat : et Christo se probat ingenuam . Natalem itaque filii celebrante Tertullo cum impuris uanisque simulacris hostias immolaret : Maria incumbebat ieiuniis et sociam suam ne proderetur dominæ oculta simulatione fallebat . Diu tamen insidiantem conserua latere non potuit . prodita mox uocatur a domina : diciturque ei : Quæ est causa ieiunii ? an occasio ista tristitiæ est : quod iratum tibi nuper dominum perorrescis ? Respondit Maria : Nunquid nouum aliquid nunc usurpo ? Semper mihi sunt hæc obseruata ieiunia . christiana sum . christiano nascor ex genere . hæreditarius est mihi iste cultus Christi . Tunc imperante domina ut sibi aliquid hauriret : illa noluit . quare domina indignata ei uerbera grauia et pœnam etiam mortis si repugnaret indixit . ac dum altercatio hæc uerborum esset cogentis dominæ et repugnantis acillæ† : pedem a foris referens Tertullus ingreditur : qui ab uxore rebus omnibus inquisitis inauditam statim flagellari præcepit ancillam : et afflictam diutino uerbere detrudi in carcerem : administrato modico et uili cibo : quo non satiaretur fames : sed deficientis quottidie animæ pars extrema seruaretur . Sed deuota mens pro Christo frangi hoc dolore non potuit : quando etiam quottidianis orationibus incumbebat : ut facultas esset maior tolerandi . lapsis decemnouem diebus præsidi nunciatur Tertullum principalem illius ciuitatis occultare in domo sua christiane religionis ancillam : quod imperatorum præcepta prohibebant . Stetit itaque adducta tandem et quamuis contra iudicem oculos tenderet : animum tamen habebat ad Christum . Clamor undique populi frementis attolitur dicentis : uiua duro cremetur incendio . Illa uero intre || pida quippe quæ dei sui nosset auxiilium† : cælum intuens clamauit ad dominum . Ait præses : Sacrifica : si effugere tormenta festinas . Respondit Maria : Supplicia quæ minaris non longe differas Christum habeo : ideo nihil timeo . Tunc iussu præsidis applicata tormentis miserationem populi tantam adepta est : ut lachrymæ quoque a circonstantibus funderentur . Nec mora clamore summo uenia uirgini postulatur . Sed crudelitas iudicis accelerare tormenta mandauit : Et ecce secunda uox populi iudicium præsidis castigantis emergit . Vociferacio namque una pene erat totius coronæ iniustæ lacerari uirginem crudelitate iudicis non culpa peccantis : agi contra leges omnia : nec æquitatis iura seruari . Stupens uero præses et sono tanti clamoris addictus quippe præter humanam uocem ipsa etiam putasset tecta corrurere† : mox Mariam relaxari præcepit . Tunc seruari eam sub custodia libera iubet . Maria uero signo domini se muniuit : et leuatis ad cælum oculis post relictum tribunal orauit ad dominum : Viditque aciem angelorum multidudinem† sanctorum atque filium dei sedentem ad dexteram patris . Hinc tanta subito gratulatione perfusa est : ut iam se paradisum ingressam putaret . Hi uero qui eam fugientem persequebantur : subito stupuere uirtute : sed ubi illa se circundatam a persequentibus uidit : lachrymans clamauit ad dominum : Ne permittas inquit domine tradi ancillam tuam . et lacerari manibus impiorum : sed ostende msericordiam† tuam . Cito exaudi ancillam tuam . Exaudi domine rex cælestis : Et dum ita orauit : petra quæ ante oculos eius iacebat domino iubente patefacta rimam profugii qua uirgo susciperetur ostendit : et instar dulcissimæ nutricis uel caræ matris motu quodam anxiam amplexans se præbuit . Moxque suscepta uirgine latera ante aperta conclusit . Hoc cum carnifices peruiderent : omnia loca petræ illius perscrutati sunt : sicubi erecta subito præda ex oculis latitaret . ibi adhærentes exuiarum† relliquias et affixa saxo uestium frustra depræhendunt atque incredibili stupore confusi præsidi gesta commemorant . Ille uero partim ira partim admiratione commotus iussit philocomo principali ueronensium ci | uitatis : ut ad prædictum locum festinus accedat : et ad eruendum lapidem innumerosam secum multitudnem† ducat : statim præconis uoce populus congregatur : Qui ubi primum ad prædictum locum cum eo cui summa huius operis fuerat assignata peruenit : mox

iniicere manum lapidi temptarunt . statim ab oriente fulgor nimii splendoris exortus est . Nec mora tonitruum et fragor quidam : ut putarentur cuncta corruere uestigia : auditus est . Ecce autem duo equites magno fulgore radiantes a cælesti sede uenientes terras uolatu nimio petiuit : quorum sellæ fræna et omnes ornatus instar lampadarum cælesti igne rutilabant . Hæc cum omnis illa quæ conuenerat multitudo conspiceret : ita timore causa præsentis uirtutis expauit : ut fugiente sensu pariter atque anima in æternam mortem oculi clauderentur . Cæteri uero qui euaserant ad profana templi simulacra fugientes cum ad cælestia ingrederentur altaria : in ipsa perfugii sui sede ceciderunt . Nec chorus ad ipsam templi ianuam spiritum fudit . Vbi uero templum omne repletum est missus e cælo ignis et populum exussit : et templum multifariam diruit . Itaque mortis tam a percussis quam ab incensis numerus fuit ad duo millia septingentos . pauci uero qui euaserant ciuitatem petentes magnis per omne iter uocibus comclamabant : Magnus deus christianorum . et crediderunt perterriti eo timore ad tria millia ferme animarum .

PASSIO SANCTAE MARGARITAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Post resurrectionem domini nostri Iesu Christi et gloriosæ tempus ascensionis eius in cælum ad patrem omnipotentem . in illius nomine multi martyres passi sunt : et apostoli coronati sunt : et innumerabiles sancti facti sunt : in nomine domini nostri Iesu Christi : et hunc mundum tyrannos et carnifices superauerunt . Adhuc tamen obtinebat insaniam hominum diaboli rabies : et idola surda et muta et cæca manu hominum facta adorabant : qui nec illis proderant nec sibi . Ego autem in nomi ‖ ne Christi credens . Tectinus nomine omnes carthas perlegere constitui : Inuenique neminem in quem credere oporteret : nisi in nomine domini nostri Iesu Christi : qui cæcos illuminat : surdos audire facit : mortuos suscitat : martyres coronat : et omnes in se credentes saluat . Ego Christi Tectinus baptismum accepi in nomine patris et filii et spiritus sancti : curaui agnoscere caute quomodo beatissima Margarita omtra† dæmonem et tyramnum : dimicauit : et scripsi omnia : quæ passa est beatissima Margarita : quando pugnauit contra dæmonem eumque uicit : et coronata est . omnes aures audite : corda intelligite : uiri uirgines propponite uos ueluti puellæ hæc legere : Ita laborate : ut accipiatis salutem : et coronam : sanctis repromissam . Beatissima autem Margarita erat Theodosii filia : qui gentilium erat patriarcha : et idola adorabat . Illa autem spiritu sancto repleta mox ut nata est : Lata est in quandam ciuitatem stadiis quindecim ab Antiochia distantem : Susceperat mortua autem mater beatæ Margarite desyderio nutrices tenebatur quia formosissima erat . Christumque inuocabat : et eum adorabat . Odiosa erat patri : dilecta domino Iesu Christo : Erat autem annorum quindecim . Et delectabatur in domo nutricis suæ . Audiuit omnia martyrum certamina : quia multus sanguis iustorum effundebatur pro nomine Iesu Christi saluatoris nostri . Ista uero spiritu sancto repleta totam se tradidit domino : qui eam saluam et uirginem reddidit : pascebat oues nutricis suæ : cum cæteris puellis coætaneis suis . In diebus illis Oliberius præfectus ex Asia Antiochiam ciuitatem profectus est . Veniebat autem persequi christianos : et deos uanos multos suadebat adorare : et ubi audiebat quempiam Christum nominare : statim eum ferreis nexibus constringebat . Forte uidit beatissimam Margaritam oues nutricis pascentem : statimque eam concupiuit . Dixitque ministris suis : Ite festinanter compræhendite puellam illam et interrogate : si libera sit : accipiam eam mihi uxorem : Si ancilla dabo ei pretium : et erit mihi concubina . Bene ei erit in domo mea propter eius pulchritudinem . Cum autem compræhenderent eam mi | lites qui missi fuerant a præfecto : beata Margarita inuocare cœpit Christum ac dicere . Miserere mei domine . miserere mei : ne perdas cum impiis animam meam : aut cum uiris sanguinum uitam meam . fac me lætari semper in te domine Iesu Christe et te semper collaudare . Ne permittas animam meam contaminari : et ne polluatur fides mea . Non inquinetur corpus meum : Non proiiciatur Margarita mea in lutum : non immutetur sensus meus a turpitudine unquam . et ab insipientia diaboli : Sed transmitte mihi angelum gubernatorem ad aperiendos sensus meos : et ad respondendum cum fiducia

impio et iniquo præfecto sanguinario . Video enim me ut ouem in medio luporum . ecce facta sum sicut passer in rætibus compræhensa : et sicut piscis in hamo . ecce adiuua me : et sana me domine : ne me derelinquas in manibus impiorum . Venerunt milites ad præfectum : et dixerunt ei : Domine puella illa non est seruiens diis nostris : sed Christum precatur : quem iudei crucifixerunt . Oliberius uero mutans uultum iussit eam ante se adduci et dixit ad eam : ex quo genere es tu . Enarra mihi : libera es an ancilla ? Beata Margarita respondit : libera sum ego et christiana : cui præfectus : Cuius fide regeris : uel quomodo nuncuparis ? Respondit : Nomen meum : Margarita dicor : præfectus quem deum colis uel quem deum adoras ? ad quem illa : Ego inuoco deum omnipotentem et eius filium dominum Iesum Christum : qui meam uirginitatem usque in præsentem diem illesam atque inuiolatam custodiuit . Præfectus dixit . Ergo inuocas domini Iesu Christi nomen : quem patres mei crucifixerunt ? Sancta Margarita respondit : Patres tui Christum crucifixerunt : Ipse autem permanet in æternum : et regni eius non erit finis . Tunc iratus præses iussit beatam Margaritam in carcerem recludi donec inueniret : quali machinatione eius uirginitatem perderet . Introiuit iniquus Præsces† in Antiochiam et adorauit deos suos surdos et mutos secundum suam fidem . Secundo autem die uenit : et sedit pro tribunali : et iussit adduci puellam : et dixit ad eam . Vana puella miserere tuæ pulchritudini et teneritati tuæ magis autem consenti mihi : et adora deos meos : et multam tibi dabo pecuniam : et bene || tibi erit super omni familia mea : ad quem Margarita : Cognoscit deus : qui meam uirginitatem consignauit : quia non me suadebis : nec poteris me mouere de ueritatis uia : quam ego cœpi ambulare . Nam ego illum adoro : quem terra contremiscit : mare formidat : quem timent uenti et omnis creatura : cuius regnum in sæcula sæculorum amen . Præfectus dixit : Si non adoras deos meos gladius meus dominabitur carni tuæ : et ossa tua dispergam super ignem candentem . Nam si audieris mihi et adoraueris deos meos : corpus tuum erit mihi in amorem . Ecce ante omnes tibi dico : et accipio te mihi in coniugium : et bene tibi erit sicut et mihi : Sancta Margarita respondit : Ego trado corpus meum : ut cum iustis uirginibus requiescam : Christus semet ipsum pro nobis tradidit in mortem : et ego pro ipso mori non dubitabo : Quia ipse suo signaculo sibi me consignauit . Tunc iussit Oliberius quæstionariis suis eam in aere suspendi : et uirgis subtilibus eam cædi præcepit . Beatissima autem Margarita aspiciens in cælum dixit : In te domine speraui . non confundar in æternum . neque irrideant me inimici mei . et enim qui sustinent propter nomen tuum domine : non confundentur : quia nomen tuum benedictum est in sæcula . Et iterum orauit beatissima Margarita . et dicebat . respice in me : et miserere mei domine . et libera me de manibus impiorum et de manu carnificis : ne forte percussa formidet cor meum . Sed mitte ros sanitatis ut mitigentur plagæ meæ et dolor meus requiescat : et conuertatur in gaudium . hæc ipsa orabat . et quæstionarii cædebant uirgis corpus tenerum . et sanguis eius tanquam aqua de fonte purissimo decurebat . præco autem clamabat : Crede Margarita . crede : et bene tibi erit super omnes puellas . Nam pro multa sanguinis effusione illic astantes omnes super eam amarissimæ flæbant : et dicebant quidam ex eis : O Margarita uere dolemus te : quia te nudam laniari conspicimus : oh qualem decorem propter incredulitatem tuam perdidisti : præfectus iste iracundus est : et perdere te festinat : et delere de terra memoriam tuam : Crede illi et uiues . Beata Margarita respondit : O mali consultores : Ite uiri ac mulieres ad opera uestra . mihi autem | deus adiutor est . o mali consiliarii o impudici quid putatis . Si corpus meum exterminatur : anima mea cum iustis uirginibus requiescet . Per ista corporum tormenta animæ saluæ inueniuntur . Credite uos in dominum meum : qui fortis est in ueritate : et petentes se exaudit : pulsantibus aperit portas paradisi . Nam ego uobis non audio . nec deos uestros surdos et mutos : manu hominum factos adoro . et dixit præfecto : Tu facis opera patris tui Sathanæ . o audax canis et impudens : mihi autem deus meus adiutor est : et si in carne mea data est tibi potestas : animam meam Christus eruet de manu tua . o horibilis o insatiabilis leo deo abominabilis et Christo : confuse cuius uirtute coniicieris in perpetuam pœnam . Benedictus dominus deus meus in sæcula sæculorum amen . Tunc præfectus iratus iussit eam in aere suspendi : et cum uirgulis accerbissimis carnes eius disrumpi . Beata autem Margarita aspiciens in cælum dixit : Circundederunt me canes multi . concilium malignantium obsedit me . Tu autem deus in adiutorium meum exurge . eruæ

animam meam et de manu canis unicam meam . Salua me ex ore leonis et a cornibus unicorni humilitatem meam : Conforta me Christe : et da mihi spem uitæ ut penetret oratio mea cælos . Transmite mihi columbam de cælo : quæ ueniat mihi in adiutorium : ut immaculatam tibi obseruem uirginitatem meam : et dimicem contra aduersarium meum faciæ ad faciem : et uideam deiectum inimicum meum : qui mecum pugnat . Quid illi nocui ignoro . Vincam eum et dem fidutiam omnibus uirginibus confidere : quia nomen tuum benedictum est in sæcula . Carnifices uero accesserunt : et mactabant corpus eius : Nam impius præfectus clamide faciem suam operiebat : Quia præ sanguinis effusione nequaquam poterat eam aspicere : itidem cæteri faciebant . Præfectus dixit : Quid est quod non audis Margarita : neque tu ipsa tui misereris ? et carnes tuæ iudicio meo mactatæ sunt . Consenti mihi et adora deos meos ne male moriaris . Si autem me non audieris : gladius meus dominabitur carni tuæ . Et ossa tua ego dispergam : et neruos tuos dinumerabo ante omnes . ad quem beatissima Margarita respondit : o inique et impudens . si ego carni meæ misereor anima mea || utique in interitum uadit sicut et tua . Sed imo carnem meam tradidi in tormentis : ut anima mea coronata sit in cælis . hic iratus Oliberius iussit eam recludi in carcerem : erat enim hora septima : Et duxerunt eam et recluserunt in carcere tenebrosc† . Ipsa uero introiens consignauit corpus suum signaculo Christi : et cœpit orare ac dicere : Deus qui iudicium sapientiæ decreuisti : quem contremiscunt omnia sæcula et in eis habitantes : quem expauescunt omnes potestates : desperatorum spes : pater orphanorum : et iudex uerus : lumen de lumine . respice in me : quia sola sum unica patris . et ipsa me dereliqui : ne tu me derelinquas . Domine deus aspice in me : et miserere mei : præcipe : ut uideam inimicum meum : qui contra me pugnat : et iudicium afferam contra eum : ut loquar cum eo faciæ ad faciem . Tu es iudex uiuorum et mortuorum : tu iudica inter me et illum : et enim in agone tristis sum facta : et tibi inter plagas meas ingemisco : Noli mihi irasci domine meus : nec inquinetur anima mea : nec commisceatur sensus meus cum idolis surdis et mutis : In te est spes mea Christe : quia ipse es benedictus in sæcula sæeulorum† amen . Contimus autem erat in carcere et nutrix eius : ministrantes ei panem et aquam : et aspiciebant per fenestram : et orationem eius scribebant : et omnia quæ eueniebant cum timore dei notabant : et ecce subito de angulo carceris exiuit draco horribilis : totus uariis coloribus deauratus . Capilli eius et barba aurea : et uidebantur dentes eius ferrei . Oculi eius uelut Margaritæ splendebant : et de naribus eius ignis et fumus exibat . lingua illius anhelabat . super collum eius erat serpens . gladius candens in manu eius uidebatur : et fætorem faciebat in carcere . traxit se in medium carceris : et sibilabat fortiter . et factum est lumen in carcere ab igne : qui exibat de ore draconis . Sancta autem Margarita facta est ut hærba pallida : et formido mortis cecidit super eam : et collidebantur omnia ossa eius . Oblita enim erat a pauore : quia dominus exaudisset orationem eius . Propter quod dixerat : Demonstra mihi deus : qui mecum pugnat : et fixit genua in terram : et expandit manus ad orationem : et dixit . deus inuisibilis : quem abyssi | et thesauri abyssi contremiscunt : qui formasti paradisum indeficientem : et mari terminum posuisti : et non transeunt præceptum tuum : infernum deuastasti : diabolum ligasti : qui extinxisti potestatem magni draconis atque uirtutem : respice in me : et miserere mei . quia sola orphana et tribulata sum . Ne permittas hanc feram nocere mihi . Placeat tibi domine : ut uincam eum et feruorem eius . Quare aduersum me pugnat ignoro . quid illi nocui ignoro . Absorbere me festinat : et in caueam suam deducere quærit . Dum hæc diceret beata Margarita : draco ore aperto posuit os suum super caput beatissimæ Margaritæ : et linguam suam porrexit super calcaneum eius : et suspirans deglutiuit eam in uentrem suum . sed crux Christi quam sibi fecerat beata Margarita creuit in ore draconis : et et† in duas partes eum diuisit . beata autem Margarita exiuit de utero draconis : nullum dolorem in se habens . et ecce ipsa hora aspexit in partem sinistram et uidit alium diabolum sedentem ut homo niger habensque† manus ad genua colligata : Beata uero Margarita uidens orauit dicens : Laudo et glorifico nomen tuum deus . gaudeo et exulto lapis angularis Christe Iesu : rex immortalis : columna fidei principium sapientiæ . innumerabilium angelorum perpetuus rex : fundamentum forte . Nunc fidem meam florentem uidi : gaudium animæ meæ : uidi Ruffonem dæmonem in terra prostratum : uidi homicidam interfectum . uidi fætorem eius a

me cessare . uidi infernum prostratum . uidi uermem comestorem conculcatum . uidi putredinem eius recedentem a me . uidi uenenum eius terga uertens . uidi rabiem eius quiescentem . uidi crucem meam florentem . uidi fidem meam germinantem . uidi corpus meum odorem suauitatis emanans . uidi oleum sanctum ad me ueniens expecto columbam meam hilarem ad me uenientem . Vidi . gaudeo : et exulto : et in suauitate consisto . Draconem interfeci . audaciam multiformis conculcaui . fiduciam æternam teneo . Ideoque tibi gratias ago sanctæ rex immortalis perpetuæ Imperator : Refugium omnium peccatorum : gubernator et turris fortitudinis : corona martyrum : Margaritarum uirga aurea : cathedra refectionis : || lapis pretiosus : saluator omnium deus benedictus in sæcula sæculorum amen . et dum in oratione sua hæc diceret : Surgens dæmon accessit : et tenuit manum beatæ Margaritæ : et dixit : sufficiat tibi Margarita quod fecisti . cessa iam a me : multum te uideo in oratione perseuerare . Ego quidem misi fratrem meum Rufonem in similitudine draconis : ut absorberet et tolleret de terra memoriam tuam et uirginitatem tuam obrueret et tu decorem tuum perderes : Tu uero eum signaculo Christi uicisti : et nunc per canticum et me perdere cupis . Peto te . cessa iam a me . Tunc sancta Margarita uirgo compræhendit dæmonem et per capilos deflexit eum in terram : et posuit pedem suum dextrum super ceruicem eius : et dicebat ei : Cessa de mea uirginitate . Ego dominum habeo . Cessa maligne genus horribile . Cessa homicida . Christus mihi protector est . Cessa fætor maligne : iniqua fera : auctor gehennæ . Ego agna Christi . ego domestica eius sum . ego ancilla dei . ego sponsa Christi : cuius nomen benedictum in sæcula . Dum hæc diceret : subito lumen refulsit in carcere : et crux Christi uidebatur usque in cælum : et columba super ipsa cruce sedebat et dicebat : Beata es Margarita quæ draconem occidisti : quæ dentes eius comminuisti . Beata es *Margartia† : quæ uirginitatem desyderasti . tibi est parata corona gloriæ . te expectant portæ paradisi . Tunc agens deo gratias beata Margarita : conuersa dixit : Diabole unde est natura tua enarra mihi ? Dæmon dixit præcor te sancta famula Christi : alleua pedem tuum de ceruice mea : ut quiescam modicum : et narrabo tibi omnia opera mea . Sancta autem puella subleuauit calcaneum suum de ceruice eius : et statim dæmon dixit : Beelzes cognomen est mihi post Belzebub . Ego multorum iustorum labores in uentrem meum glutiui : et ego contra omnes pugno : et nullus me potuit uincere : Tu autem oculum meum eiecisti . uirtutem meam confregisti . Rufonem occidisti : et nunc quia uideo in te Christum manentem : facis quod tibi placet : antequam Christus in te maneret : terra eras et cinis : et totum corpus tuum exterminatum erat . Nunc autem ex quo accepisti cælestem prophetam : aliam in te uideo formam . Vnde in te aurei pedes digno | scuntur : et signum Christi in te ostenditur : per quod in te fructus iustitiæ maturus et suauitatis et gratiæ plenus ostenditur : Candidi super lac digiti tui figurati signaculo Christi . Cum ipso signo uicisti me : et per ipsum Ruffonem occidisti : per quem et alligasti me . Christus ergo qui ante sæcula est requieuit in te : per cuius sigillum coligasti me . ego labores multorum abstuli : et glutiui in uentrem meum . Ego sum qui pugno cum iustis . et incendo renes eorum : et obcæco oculos eorum : et obscuro sensus eorum : et facio eos obliuisci omnem cælestem sapitientiam† . Et cum dormierint uenio super eos : et excito illos a somno : et uado super domus aliorum : et quos non possum mouere de somno : facio in somno peccare : et quacumque sorte uentillo eos : ut mihi placet : et tamen nemo de manu mea euadit : et cum omnibus pugno : et omnes conquasso . Sed de illis dico : in quibus portionem habeo : quos frigidos et sine uexillo crucis inuenio : et qui fidem suam negligunt : et a sanitate immundicias redire cupiunt : hos meis armis insidior : et labores eorum quibus deo seruiunt . nam qui tibi similes sunt . confusus et uacuus discedo ab eis : quemadmodum et a te hodie o beata Margarita superatus sum : et quid faciam ignoro . arma mea confusa sunt . uel si iuuenis me uinceret : non curassem . Ecce a tenera puella superatus sum : et in hoc doleo quia pater et mater tua o Margarita beata socii mei fuerunt et modo ista aduersus genus meum surrexit . O mirandum quia filia tenera superauit patrem et matrem et totam generationem suam : et Christum secuta est : ligat dæmones : diabolum fugat : et aliquos occidit . Vere uirtus nostra nihil ualet : quoniam a paruulla puella superatus sum . Sancta Margarita respondit : Enarra mihi genus tuum inique : qnis† te genuit : uel quis uobis præcepit in sancta opera insidiari . Demon dixit . Dic mihi

Margarita : unde uita tua : unde membra tua : quæ in te mouentur : unde anima tua : unde fides tua : uel quomodo ingressus est Christus in te . Et ego dicam tibi opera mea omnia : quæ feci . Sancta Margarita respondit : Non mihi licet hæc tibi nunciare : quia nec dignus es audire uocem meam . || gratia enim dei sum : quod sum . Dæmon dixit : Sathanas rex noster est : qui proiectus est de paradiso in aerem : et mittit nos ubi uult : et ubi audimus opera iustitiæ : currimus cum armis nostris pugnare cum illis et si audierit : quod tu Ruffonem occidisti : irascetur super te : et nocebit tibi : quia nos facti sumus angeli desertores . In libris tamen ianuæ et mambræ inuenies genus nostrum . scrutare et uide . Ego autem non sum ausus loqui tibi . Video Christum circa te ambulantem : et contremisco : Nam uiæ nostræ non sunt super terram sed cum uentis ambulamus . peto te agna dei : relaxa me modicum : ut uiuum uerbum loquar tibi : et dixit iterum diabolus : Ecce adnunciaui tibi omnia opera . adiuro te per dominum tuum et Christum filium eius : in quo credis : ne me plenius de anima eiicias : sed magis liga me in manu terræ usque in uita tua : ut non pugnem cum iustis neque aduersus te . Nam Salamon in uita sua inclusit nos in uno uase : sed post mortem eius ignem mittebamus ex ipso uase . et uenientes homines Babyloniæ putauerunt aurum inuenire : et fregerunt ipsa uasa : et tunc nos laxati impleuimus orbem terrarum : Sancta Margarita respondit : Dæmon inique obtumesce† : et sile et hoc iam non audiam uerbum ex ore tuo : et consignauit eum in angulo carceris : et dixit : uade post me Sathanas : et terra suscepit eum : et dixit facias rationem de animabus quas perdidisti . Altera die iussit præfectus beatam Margaritam adduci : et cum exiret de carcere consignauit corpus suum signaculo† Christi : et cæteri ciuitatis conuenerunt uidere : quæ patiebatur beata Margarita : Præfectus dixit : Margarita consenti mihi ? et adora deos meos : decet namque deos adorare . ad quem sancta Margarita respondit : Te decet præfecte meum deum adorare : et Christum filium eius : ut amicus sis prophetarum si dignus es . Præfectus dixit : Expoliate eam : et in carcere eam suspendite : et incendite eam lampade ardente . Quæstionarii itaque fecerunt : et comburebant† corpus eius : et ipsa orabat dicens : Vre domine renes meos et cor meum : ut in me non sit iniquitas . Præfectus dixit : Consenti mihi : et sacrifica diis . cui illa non consentio nec adoro deos surdos et mtos† | Non enim poterit diabolus uincere castam puellam . consignauit enim omnia membra mea Christus . Iubet itaque Præfectus afferri uas magnum plenum aqua : ligari pedes et manus beatæ Margaritæ : et ibi eam mortificari . Quæstionarii itaque fecerunt : sicut erant docti : Beata Margarita aspiciens in cælum dixit : Domine qui regnas in æternum disrumpe uincula mea : et tibi sacrificabo hostiam laudis : fiat mihi hæc aqua aqua sanitatis . fiat mihi suffocatio hæc illuminatio salutis . fiat mihi hæc aqua fons baptismatis indeficiens . indue me galeam salutis . ueniat super me sancta tua columba spiritusancto plena : et benedicat in nomine tuo aquam istam . Expolia me ueterem hominem et indue me aquam istam in uitam externam . Confirma uitam meam . clarifica sensum meum : et proiice a me peccata mea . salua me in tua gloria . baptiza me in nomine patris et filii et spiritus sancti : quia ipse est benedictus in sæcula sæculorum amen : et ecce terræmotus factus est magnus in ipsa hora : Et columba uenit de cælo habens in ore suo coronam auream : et sedit super beatam Margaritam . Tunc solutæ sunt manus et pedes eius : et exiuit de aqua collaudans dominum : et benedicens deum Israel dicens : Dominus regnauit . decorem induit . induit dominus fortitudinem : et præcinxit me : Illuminasti me . honorificasti me domine . glorificasti me Christe . defendisti me domine : et miseratus es unicæ ancille tuæ : qui es benedictus in sæcula sæculorum amen : et facta est uox columbæ dicens : Veni Margarita in requiem Christi tui . ueni Margarita in regnum cælorum . Beata es quæ coronam uitæ accepisti . Beata es quæ uirginitatem desyderasti : in ipsa hora crediderunt in domino uiri ad quinque millia exceptis mulieribus et paruulis . Tunc iniquus Oliberius sententiam tulit : et iussit quæstionario decollare eos . qui crediderunt et decolati sunt in capolim et in armenia ciuitate et post pusillum iussit beatam Margaritam gladio interimi . Questionarii comprehenderunt eam : et duxerunt foris ciuitatem . Dixit Maleus ad eam : Extende ceruicem tuam . suscipe gladium meum : et mei miserere : quia uideo circa te Christum cum angelis suis || stantem . beata Margarita respondit . Peto te frater : ut si uides Christum parcas mihi dum orationem facio : ut comendem spiritum meum in

locum refrigerii . Quæstionarius dixit : Pete quantum uis . Tunc heata† Margarita cœpit orare et dicere . Deus qui palmo mensurasti cælum et pugno mensurasti terram : qui mari limitem posuisti exaudi deprecationem meam : ut si quis legerit librum gestæ meæ : aut audierit passionem meam legendo : ex illa hora deleantur peccata eorum . Et quisquis lumen fecerit in basilica mea de suo labore : non imputetur peccatum illius ex illa hora . quisquis fuerit in illa hora in iudicio terribili . et memor fuerit nominis mei : libera eum de tormento . Adhuc peto domine : qui legerit aut qui tulerit uel qui audierit eam legendo : ex illa hora non imputetur peccatum illius : quia caro et sanguis sumus . et semper peccamus : Adhuc peto domine : ut qui basilicam in nomine meo fecerit : et scripserit passionem meam : uel qui de suo labore comparauerit codicem passionis meæ : reple illum spiritusancto tuo : spiritu ueritatis . et in domo illius non nascatur infans claudus aut cæcus uel mutus . neque a spiritu temptetur : et si petierit de peccato suo : indulge ei domine : Tunc facta sunt tonitrua . et columba uenit de cælo cum cruce et loquebatur beatæ Margaritæ : et omnes qui ibidem stabant : cæciderunt in faciem suam super terram . et beata Margarita et ipsa cecidit in terram ante faciem domini : et columba tetigit eam et dixit . Beatus est namque uenter mulieris . Beata es Margarita : quæ in orationibus tuis omnes memorasti . Per me meipsum iuro et angelorum meorum gloriam : quia quidquid petisti exauditæ sunt deprecationes tuæ . et quod non es commemorata : hoc tibi datum est . Beata es tu : quæ in pœnis memorasti omnes peccatores . et ubi fuerint reliquiæ tuæ aut codex passionis tuæ . et : uenerit peccator orans cum lachrymis : et posuerit os suum super memoriam tuam : ex illa hora dimittantur peccata eius : et ubi codex martyrii tui fuerit spiritus nequam ibi non ingreditur : sed pax caritas spiritus ueritatis in illo loco letabitur . Sed quicumque in orationem suam te inuocauerit : remissionem peccatorum inue | niet : et beata es tu : et locus ubi requiescis : beata es tu et omnis generatio quæ credit per te . Veni celerius in locum tibi præparatum : Ego tecum sum . et aperiam tibi ianuam regni cælorum . Tunc beata Margarita respexit in circuitum et dixit : Patres et matres sorores et fratres omnes uos adiuro per nomen magnum Regis sæculorum : memoriam facite . nomen meum nominate : et comendate me . et si ego peccatrix sum attamen obsecro pro uobis dominum Iesum Christum : ut donet uobis remissionem peccatorum . et faciet uos hæredes in regno gloriæ suæ : et illuminet uos in regno claritatis suæ . Deo enim gratias ago regi omnium sæculorum : qui dignum† me faciat in sortem iustorum introire . hymnum dico deo : laudo et glorifico Christum qui est deus benedictus in sæcula sæculorum amen : et post orationem erexit se et dixit frater tolle nunc gaudium tuum et percute me . Ecce iam uici mundum : Ille dixit : Ego hoc non facio : nec interficio sanctam uirginem dei . Deus autem tibi locutus est : propterea te interficere non possum : Beata Margarita respondit . Si hoc non feceris non habebis partem mecum in paradiso dei . Tunc quæstionarius cum timore et tremore attulit gladium suum et in uno ictu percutiens amputauit caput beatæ Margarite et adorauit dicens . Domine ne statuas hoc mihi in peccatum : et tremens percussor cecidit cum percussorio suo ad dexteram partem beate Margarite . Tunc uenerunt angeli et sedentes super corpus beatæ Margarite benedixerunt illud : et ueniebant demones et torquebantur et uocibus clamabant : Vnus deus fortis deus magnus beatæ Margarite . Et audientes omnes infirmi ceci claudi surdi debiles impotentes omnes ueniebant et tangebant copus† beatæ Margarite : et salui fiebant . Tunc descendentes angeli cum uirtutihus† tollentes animam beatæ Margarite in gremio suo : ascenderunt super nubem clamantes et dicentes : Non est tibi similis in diis domine : et non est secundum opera tua : Sanctus sanctus sanctus dominus deus sabaoth : pleni sunt cæli et terra gloria tua osana in excelsis : benedictus qui uenit in nomine domini rex Israel Et .† uenientes dæmones ad reliquias beatæ Margarite tor || quebantur . infirmi uenientes saluabantur a languoribus suis . et credebant . Ego enim Tectinus tuli reliquias beatæ Margaritæ : et reposui eas in scrineo quod feci de lapide . cum odore suauitatis . et posui eas in Antiochia ciuitate in domo . Sicliti et Matronæ . Ego enim eram qui ministrabam in carcere ei panem et aquam : et ego consideraui omne certamen : quod habuit contra impios bellatores et omnes orationes eius scripsi in libris carteneis cum multa astutia : et transmisi omnibus christianis omnia in ueritate . Compleuit autem beata Margarita certamen suum in pace die quinto mense Iulio . Omnes audite . corde

compungite : sensum ponite . dominum adorate in unam trinitatem . Memoriam beatissimæ Margaritæ facite in sua nos prece memoretur ante dominum nostrum Iesum Christum : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PROLOGVS SEVERI . IN VITAM SANCTI MARTINI EPISCOPI .

Plerique mortales studio et gloriæ sæculari inaniter dediti exinde peremnem ut putabant memoriam nominis sui quæsiuerunt : si uitas clarorum uirorum stilo illustrassent : Quæ res utique non peremnem quidem sed aliquantulum tamen conceptæ spei fructum afferebat : quia et suam memoriam licet incassum propagabant : et propositis magnorum uirorum exemplis : non parua æmulatio legentibus excitabatur . Sed tamen nihil ad beatam illam æternamque uitam hæc eorum uita pertinuit . Quid enim aut ipsis occasura cum sæculo scriptorum suorum gloria profuit : aut quid posteritas emolumenti tulit legendo Hectorem pugnantem aut Socratem philosophantem : cum eos non solum imitari stultitia sit : sed non accerrime etiam impugnare dementia ? Quippe qui humanam uitam præsentibus tantum actibus estimantes spes suas fabulis : animas sepulchris dederunt . Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt : cum hominis officium sit : peremnem potius uitam | quam peremnem memoriam quærere : non scribendo : aut pugnando : uel philosophando : sed pie sanctæ religioseque uiuendo : qui quidem error humanus litteris traditus in tantum ualuit : ut multos plane æmulos uel inanis philosophiæ uel stulte illius uirtutis inuenerit . Vnde facturus mihi operepretium uideor : si uitam sanctissimi uiri exemplo aliis mox futuram perscripsero : Quo utique ad ueram sapientiam et cælestem militiam diuinamque uirtutem legentes incitabuntur : In quo ita nostri quoque rationem commodi ducimus ? ut non inanem ab hominibus memoriam sed eternum a deo premium expectemus : quia et si ipsi non ita uiximus : ut exemplo aliis esse possimus : dedimus tamen operam : ne is lateret : qui esset imitandus . Igitur sancti Martini uitam scribere exorat : ut se uel ante episcopatum uel in episcopatu gesserit : quamuis nequaquam ad omnia illius potuerim peruenire : adeo ea in quibus ipse tantum sibi fuit conscius nesciuntur : quia laudem ab hominibus non requirens : quantum in ipso fuit : omnes uirtutes suas latere uoluisset : quanquam etiam ex iis quæ comperta nobis erant plurima omisimus : quia sufficere credimus : si tantum excellentiora notarentur . Simul et legentibus consulendum fuit : ne quod his pareret copia congesta fastidium . Obsecro autem eos : qui lecturi sunt : ut fidem dictis adhibeant : neque me quicquam nisi compertum et comprobatum scripsisse arbitrentur . Alioquin tacere : quam falsa dixisse maluissem .

Igitur Martinus Galbaria pannoniarum oppido oriundus fuit sed intra italiam Ticini altus est parentibus secundum sæculi dignitatem non infunus† : gentilibus tamen . Pater eius miles primum : post tribunus militum fuit . Ipse armatam militiam in adolescentia consecutus inter scolares alas sub rege Constantio deinde sub Iuliano Cæsare militauit . Non tamen sponte : quia a primis fere annis diuinam potius seruitutem sacra illustris pueri spirauit infantia . Nam cum esset annorum decem : inuitis parentibus ad ecclesiam confugit : seque cathecuminum fieri postulauit . Mox mirum in modum totus in dei opere || conuersus : cum esset annorum duodecim hæremum concupiuit : fecissetque uotis satis : si ætatis infirmitas non obstitisset . Animus tamen aut circa monasteria aut circa ecclesias semper intentus meditabatur adhuc in ætate puerili : quod postea deuotus impleuit . Sed cum edictum esset a regibus : ut ueteranorum filii ad militiam scriberentur : prodente pare : qui felicibus eius actibus inuidebat : cum esset annorum quindecim captus et cathenatus sacramentis militaribus est implicatus : uno tantum seruo comite contentus : cui tamen uersa uice dominus seruiebat : adeo ut plerumque ei et calciamenta ipse detraheret : et ipse detergeret : cibumque pariter caperent . hic tamen sæpius ministraret . Triennium fere ante baptismum in armis fuit : integer tamen ab his uiciis quibus illud hominum genus implicari solet . Multa illi circa commilitones benignitas : mira caritas : patientia uero atque humilitas ultra humanum modum . Nam frugalitatem in eo laudare : non est

necesse qua ita usus est : ut iam illo tempore non miles sed monachus putaretur . Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos deuinxerat : ut eum miro uenerarentur affectu . Nec dum tamen regeneratus in Christo agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum : assistere scilicet laborantibus : opem ferre miseris : egentes alere : nudos uestire : nihil sibi ex militiæ stipendiis præter quottidianum uictum reseruare . Iam tunc euangelii non surdus auditor de crastino non cogitabat . Quodam itaque tempore cum nihil præter arma et simplicem militiæ uestitum haberet . media hyeme quæ solito asperior inhorruerat adeo : ut plerosque uis algoris extingueret : obuium habuit in porta ambianensium ciuitatis pauperem nudum . Qui cum prætereuntes ut sui miserarentur oraret : omnesque miserum præterirent : intellexit uir deo plenus sibi illum aliis misericordiam non prestantibus reseruari . Quid tamen ageret ? Nihil preter chlamydem qua indutus erat habebat . Iam enim reliqua in simile opus consumpserat . Arrepto itaque ferro quo erat accintus mediam diuidit : partemque eius pauperi tribuit : reliqua rursus induitur . Interea | de circumstantibus ridere nonnulli : quia deformis esset : et truncatus habitu uideretur : multi tamen quibus erat mens sanior altius gemere : quod simile nihil fecissent : cum utique plus habentes : uestire pauperem sine sui nuditate potuissent . Nocte igitur insecuta cum se sopori dedisset : uidit Christum clamidis suæ qua pauperem texerat parte uestitum . Intueri diligentissime dominum . uestemque quam dederat iubetur agnoscere . Mox ad angelorum circunstantium multitudinem audit Christum clara uoce dicentem : Martinus adhuc cathecuminus hac me ueste contexit . Vere memor dominus dictorum suorum : qui ante prædixerat : quandiu fecistis uni ex minimis istis mihi fecistis . se in paupere professus est fuisse uestitum . et ad confirmandum tam boni operis testimonium : in eodem se habitu quem pauper acceperat est dignatus ostendere : Quo uiso uir beatissimus non in gloriam est elatus humanam : sed bonitatem dei in suo opere cognoscens cum esset annorum duo de uiginti ad baptismum conuolauit Nec tamen statim militiæ renunciauit : tribuni sui precibus deuinctus : cui contubernium familiare præstabat . Et enim transacto tribunatus sui tempore : renunciaturum se esse sæculo pollicebatur : Qua Martinus expectatione suspensus : per biennium fere posteaquam est baptismum consecutus solo licet nomine militauit . Interea irruentibus intra gallias barbaris : Iulianus Cæsar coacto in unum exercitu apud Vangionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus : Et ut est consuetudinis : singuli citabantur : donec ad Martinum uentum est . Tum uero opportunum tempus existimans : quo peteret missionem : neque enim integrum sibi fore arbitrabatur : si donatiuum non militaturus acciperet : hactenus inquit ad Cæsarem militaui tibi : patere : ut nunc militem deo . Donatiuum tuum pugnaturus accipiat : Christi ego miles sum pugnare mihi non licet . Tum uero aduersum hanc uocem tyrannus infremuit dicens eum metu pugnæ quæ postera die erat futura non religionis gratia detrectare militiam . At Martinus intrepidus imo illato sibi terrore constantior si hoc inquit ignauie ascribitur non fidei : crastina die ante aciem inermis astabo : et in nomi || mine† domini Iesu signo crucis non clipeo protectus aut galea hostium cuneos penetrabo securus . Retrudi ergo in custodiam iubet facturus fidem dictis : ut inermis barbaris obiiceretur . Postera die hostes legatos de pace miserunt sua omnia seque dedentes : Vnde quis dubitet : hanc uere beati uiri fuisse uictoriam : cui præstitum sit : ne inermis ad prælium mitteretur : Et quamuis pius dominus seruare militem suum licet inter hostium gladios et tela potuisset : tamen ne uel aliorum morte sancti uiolarentur optutus : exemit pugnæ necessitatem : Neque enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare uictoriam : quam ut sublatis sine sanguine hostibus nemo moreretur . Exinde relicta militia sanctum Hilarium pictauæ episcopum ciuitatis cuius tunc in dei rebus expectata et cognita fides habebatur expetiuit : et aliquandiu apud eum commoratus est . Temptauit autem idem Hilarius imposito diaconatus officio sibi eum arctius implicare et ministerio uinciri diuino . Sed cum sæpissime restitisset : indignum se esse uociferans : intellexit uir dei altioris ingenii : hoc eum modo posse constringi : si id ei officii imponeretur . in quo quidam locus iniuriæ uideretur . Itaque exorcistam eum esse præcepit : Quam ille ordinationem ne despexisse tanquam humiliorem uideretur : non repudiauit : Nec multo post ammonitus per soporem : ut patriam parentesque quos adhuc gentilitas detinebat religiosa solicitudine uisitaret : ex uoluntate sancti Hilarii profectus est : Multisque ab eo obstrictus precibus : ut

rediret . mestus : ut fertur : peregrinationem illam aggressus est . contestatus fratribus multa se aduersa passurum : quod postea probauit euentus . Ac primum inter alpes deuia secutus incidit in latrones : Cumque unus securi† eleuata in caput eius uibrasset : ictum ferientis dextere sustinuit alter . Vinctis tamen post tergum manibus : uni seruandus et custodiendus traditur : Qui cum eum ad remotiora duxisset : percunctari ab eo cœpit quisnam esset : Respondit christianum se esse . Quærebat etiam ab eo : an timeret . Tunc uero constantissime profitetur : nonquam se tam fuisse securum : quia sciret misericordiam domini maxime in temptationibus affuturam : se ma | gis illi dolere : qui Christi misericordia utpote latrocinia exercens esset indignus . Ingressusque euangelicam disputationem : uerbum dei latroni prædicabat . Quid longius morer ? Latro dei credidit : prosecutusque Martinum uiæ reddidit : orans : ut pro se dominum præcaretur . Idemque postea religiosam agere uitam uisus est . ut hæc quæ supra retulimus ab ipso audita dicantur . Igitur Martinus inde progressus cum Mediolanum præterisset : diabolus in itinere humana specie assumpta se ei obuium tulit : quo tenderet quærens : Cumque id a Martino responsi accepisset : se quo dominus uocaret tendere : ait ad eum : Quocumque ieris : uel quæcumque temptaueris : diabolus tibi aduersabitur . Tunc ei prophetica uoce respondit : Dominus inquit mihi adiutor est . non timebo : quid faciat mihi homo . Statimque de conspectu eius inimicus euanuit . Itaque ut animo ac mente conceperat matrem gentilitatis soluit errore : patre in malis perseuerante : plures tamen suo saluauit exemplo . Deinde cum hæresis arrhiana per totum orbem maxime intra Ilyricum pullulasset : cum aduersus perfidiam sacerdotum solus pene accerrime repugnaret : multisque suppliciis esset affectus : nam et publice uirgis cæsus est : et ad extremum de ciuitate exire compulsus : italiam repetens : cum intra gallias quoque discessum sancti Hilarii quem ad exilium hæreticorum uis coegerat turbatam ecclesiam comperisset : Mediolani sibi monasterium statuit . Ibi quoque cum Auxentius auctor et princeps arrhianorum grauissime insectatus est : multisque affectum iniuriis de ciuitate exturbauit . Cedendum itaque tempore arbitratus ad insulam cui Gallinaria nomen est secessit . comite quodam presbytero magnarum uirtutum uiro . Hic aliquandiu radicibus uixit hærbarum : Quo tempore eleborum uenenatum ut fertur gramen in cibum sumpsit . Sed cum uim ueneni in se ipsum crassantis uicina iam morte sensisset : imminens periculum oratione reppulit : statimque omnis dolor fugatus est . Nec multo post cum sancto Hilario conperisset regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi : Romæ ei temptauit occurrere : profectusque est ad urbem . Cum iam Hilarius || preterisset : ita cum est uestigiis prosecutus . Cumque ab eo gratissime fuisset susceptus : haud longe sibi ab oppido monasterium collocauit : Quo tempore se ei quidam cathecuminus iunxit : cupiens sanctissimi uiri institui disciplinis . Paucis quippe interpositis diebus languore correptus ui febrium laborabat : Ac tum Martinus forte discesserat : et cum post triduum fuisset regressus : exanime corpus inuenit . Ita subita mors fuerat : ut absque baptismate humanis rebus excederet . Corpus in medio positum tristi mærentium fratrum frequentabatur officio : cum Martinus flens et eiulans accurrit . Tum uero tota sanctum spiritum mente concipiens egredi cellulam in qua corpus iacebat cæteros iubet : ac foribus obseratis super examinata† defuncti fratris membra prosternitur . Et cum aliquandiu incubuisset orationi : sensissetque per spiritum domini adesse uirtutem : erectus paululum et in defuncti ora defixus orationis suæ ac misericordiæ domini intrepidus expectabat euentum . Vixque duarum fere horarum spatium intercesserat : uidit defunctum paulatim membris omnibus commoueri : et laxatis in usum uidendi palpitare luminibus . Tum uero magna ad dominum uoce conuersus : gratias agens cellulam clamore compleuerat : Quo audito qui pro foribus astiterant : statim irruunt : mirum et spectaculum quod uidebatur uiuere quem mortuum reliquissent . Ita redditus uitæ statim baptismum consecutus plures postea uixit annos . Primusque apud nos Martini uirtutum uel materia uel testimonium fuit . Idem tamen referre erat solitus : se corpore exutum : ad tribunal iudicis ductum deputandumque obscuris locis et uulgaribus turbis tristem excepisse sententiam . Tum per duos angelos iudici fuisse suggestum : hunc esse pro quo Martinus oraret . Ita per eosdem angelos se iussum redduci : et Martino redditum : uitæque pristinæ restitutum . Ab hoc primo tempore beati uiri nomen enituit : ut qui sanctus iam ab hominibus habebatur : potens etiam et uere apostolicus haberetur . Nec multo post

dum agrum Lupicini cuiusdam honorati secundum sæculum uiri præteriret : clamore et luctu turbe plangentis excipitur : Ad quam cum | sollicitus astitisset : et quis esset hic flætus inquireret : indicatur : unum e familia seruulum laqueo sibi uitam extorxisse : Quo cognito cellulam in qua corpus iacebat ingreditur : exclusisque omnibus turbis superstratus corpori aliquantisper orauit . Mox inuiscentem uultum arcescentibus oculis in ora illius defunctus erigit : lentoque conamine uisus assurgere : appræhensa beati uiri dextera in pedes constitit : atque ita cum eo usque ad uestibulum domus turba omni inspectante processit . Sub idem fere tempus ad episcopatum turonicæ ecclesiæ Martinus petebatur . Sed cum erui de monasterio suo non facile posset : Rusticus quidam unus e ciuibus uxoris languore simulato : ad genua illius prouolutus : ut egrederetur obtinuit . Ita dispositis iam in itinere ciuium turbis : sub quadam custodia ad ciuitatem usque deducitur . Mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido : sed etiam ex uicinis urbibus ad suffragia ferenda conuenerat . Vna omnium uoluntas : eadem uota eademque sententia : Martinum episcopatu esse dignissimum . felicem fore tali ecclesiam sacerdote . Pauci tamen et nonnulli ex episcopis qui ad constituendum antistitem fuerant euocati impie repugnabant . dicentes scilicet contemptibilem esse personam : indignum esse episcopatu hominem uultu despicabilem : ueste sordidum . crine deformem . Ita a populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est : qui illustrem uirum dum uituperare cupiunt prædicabant . Nec uero his aliud facere licuit : quam quod populus domino uolente cogebat . Inter episcopos tamen qui affuerant precipue defensor quidam dicitur restitisse . Vnde animaduersum est : grauiter illum lectione prophetica tunc notatum : Nam cum fortuitu lector cui legendi eo die officium erat interclusus a populo defuisset : turbatis ministris dum expectatur qui non aderat : unus e circunstantibus sumpto psalterio : quem primum uersum inuenit arripuit . Psalmus autem hic erat : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos : ut destruas inimicum et defensorem . Quo lecto : clamor populi tollitur : pars aduersa confunditur : atque ita habitum est diuino nutu hunc psalmum lectum fuisse : ut testimonium || operis sui defensor audiret : qui ex ore infantium atque lactentium in Martino domini laude perfecta et ostensus pariter et destructus esset inimicus . Iam uero sumpto episcopatu qualem se quantumque præstiterit : non est nostræ facultatis euoluere . Idem enim constantissime perseuerabat : qui prius fuerat . Eadem in corde humilitas . eadem in uestitu eius uilitas erat . Atque ita plenus auctoritatis et gratiæ implebat episcopi dignitatem : ut non tamen propositum monachi uirtutemque desereret . aliquandiu ergo adhærenti ad ecclesiam cellula usus est : Dein cum inquietudinem se frequentantium ferre non posset : duobus fere extra ciuitatem milibus monasterium sibi statuit : qui locus tam secretus et semotus erat : ut hæremi solitudinem non desyderaret . Ex uno enim latere præcisa montis excelsi rupe ambiebatur : reliquam planitiem Liger fluuius reducto paululum sinu clauserat . Vna tantum eademque arcta admodum uia adiri poterat . Ipse ex lignis contextam cellulam habebat . Multique ex fratribus in eundem modum : Plerique saxo superiecti montis cauato receptacula sibi fecerant . Discipuli fere octoginta erant : qui ad exemplum beati uiri instituebantur . Nemo ibi quicquam proprium habebat : omnia in medium conferebantur . Non emere aut uendere ut plerisque monachis moris est quicquam licebat . Ars ibi exceptis scriptoribus nulla habebatur : cui tamen operi minor ætas deputabatur . Maiores orationi uacabant . Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus : nisi cum ad locum orationis conueniebant . Cibum una omnes post horam ieiunii accipiebant . Vinum nemo nouerat : nisi quem infirmitas coegisset . Plerique camelorum setis uestiebantur : mollior ibi habitus pro crimine erat . Quod eo magis sit mirum necesse est : quod multi inter eos nobiles habebantur : qui longe aliter educati ad hanc se humilitatem et patientiam coegerant : Pluresque ex his postea episcopos uidimus . Quæ enim esset ciuitas aut ecclesia : quæ non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem ? Sed ut reliquas uirtutes eius quas in episcopatu egit aggrediar : erat haud longe ab oppido proximus monasterio locus : quem falsa hominum opinio ueluti consepultis | ibi martyribus sacrauerat . Nam et altare ibi a superioribus episcopis constitutum habebatur . Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem : ab his qui maiores natu erant presbyteris uel clericis : flagitabat nomen sibi martyris uel tempora passionis ostendi grandi se scrupulo permoueri : quod nihil certi constans sibi maiorum memoria tradidisset . Cum ali-

quandiu ergo a loco illo se abstinuisset : nec derogans religioni : quia incertus erat : nec auctoritatem suam uulgo accomodans : ne superstitio conualesceret : quodam die paucis secum adhibitis ad locum pergit . Dehinc super sepulchrum ipsum astans orauit ad dominum ut quis esset : uel cuius meriti sepultus ostenderet . Et cum conuersus esset ad læuam : uidit prope assistere umbram sordidam et trucem . Imperat : ut nomen meritumque loqueretur . Nomen edicit : de crimine confitetur : latronem se esse ob scelera percussum : uulgi errore celebratum sibi nihil cum martyribus commune : cum illos gloria : se pœna retineret . Mirum in modum uocem loquentis qui aderant audiebant : personam tamen non uidebant . Tum Martinus quod uidisset exposuit : Iussitque ex eo loco altare quod ibi fuerat submoueri : atque ita populum superstitionis istius absoluit errore . Accidit autem in sequenti tempore dum iter ageret : ut gentilis cuiusdam corpus : quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur : obuium haberet : Conspicatusque eminus uenientem turbam : quidnam id esset ignarus : paululum stetit . Nam fere quingentorum passuum interuallum erat : ut difficile fuerit dignoscere : quid uideret . Tamen quia rusticam manum cerneret : et agente uento lintea corpori superiecta uolitarent : profanos sacrificiorum ritus agi credidit : quia esset hæc gallorum rusticis consuetudo : simulacra dæmonum candido tecta uelamine misera per agros suos circunferre dementia . Leuato ergo in aduersos signo crucis imperat ipsi turbæ non moueri loco : onusque deponere . Hic uero mirum in modum uideres miseros primum uelut saxa riguisse : dein cum promouere se summo conamine niterentur : ultra accedere non ualentes ridiculum in uertiginem rotabantur : donec || uicti corporis onus ponunt : attoniti : et semet inuicem expectantes : quidnam sibi accidisset : tacite cogitabant . Sed cum beatus uir comperisset exequiarum esse illam frequentiam non sacrorum : eleuata rursum manu dat eis abeundi et tollendi corporis potestatem . Ita eos et cum uoluit stare compulit : et cum libuit : abire permisit . Item cum in uico quodam templum antiquissimum diruisset : et arborem pinum quæ fano erat proxima esset aggressus excidere : tum uero antistes loci illius cæteraque gentilium turba cœperunt obsistere . Et cum eidem illi dum templum euertitur imperante domino acquieuissent : succidi arborem non patiebantur : Ille eos sedule commonere nihil esse religionis in stipite : dominum potius : cui seruiret ipse : sequerentur . arborem illam excidi oportere : quia esset dæmoni dedicata . Tum unus ex illis qui erat audacior cæteris . si habes inquit aliquam de deo tuo : quem dicis te colere : fiduciam : nosmetipsi succidimus hanc arborem . tu ruentem excipe : et si tecum est tuus ut dicis dominus : euades . Tum ille intrepidus confisus in domino facturum se pollicetur . Hinc uero ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit : facilemque arboris suæ habere iacturam : si inimicum sacrorum casu illius obruissent . Itaque cum unam in partem pinus illa esset acliuis : ut non esset dubium quam in partem succisa corrueret : eo loco uinctus statuitur pro arbitrio rusticorum : quo arborem esse casuram nemo dubttabat† . Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio læticiaque cœperunt . Aderat eminus turba mirantium . Iamque paulatim nutare pinus cœpit : et ruinam suam casura minitari . psallebant eminus monachi : et periculo iam propiore conterriti spem omnem fidemque perdiderant : solam Martini mortem expectantes . At ille confisus in domino intrepidus operiens cum iam fragorem sui pinus concidens edidisset : iam cadenti et super se ruenti eleuata protinus obuiam manu : salutis signum opposuit . Tum uero turbinis modo retro actam putares : diuersam in partem ruit . adeo ut rusticos qui in tuto loco steterant pene prostrauerit . Tum uero in cælum clamore sublato gentiles stupere cœperunt miraculo : monachi flære præ | gaudio : Christi nomen in commune ab omnibus prædicari : satisque constitit eo die salutem illi uenisse regioni . Nam nemo fere ex immani illa multitudine gentilium fuit : qui non impositione manus desyderata dominum Iesum Christum relicto impietatis errore crediderit . Et uere ante Martinum pauci admodum imo pene nulli in illis regionibus Christi nomen receperant . Quod adeo uirtutibus illius exemploque conualuit : ut iam ibi nullus locus sit : qui non aut ecclesiis aut monasteriis sit repletus . Nam ubi fana destruxerat : statim ibi aut ecclesias . aut monasteria construebat .

Nec minorem sub idem fere tempus eodem in opere uirtutem edidit . Nam cum in uico quodam fano antiquissimo et celeberrimo ignem iniecisset : in proximam imo adhærentem domum agente uento flammarum globi ferebantur . Quod ubi Martinus aduer-

tit : rapido cursu tectum domus scandit : obuium se aduenientibus flammis inferens . Tum uero mirum in modum cerneres contra uim uenti ignem retorqueri : ut compugnantium inter se elementorum quidam conflictus uideretur . Ita uirtute Martini ibi tantus ignis est operatus : ubi iussus est . In uico autem cui Libroso nomen est cum itidem templum opulentissimum superstitione religionis uoluisset euertere : restitit ei multitudo gentilium : adeo ut non absque iniuria sit repulsus . Itaque secessit ad proxima loca : ibi per triduum cylicio tectus et cinere : ieiunans semper atque orans præcabatur a domino : ut quia templum euertere humana manu non posset : uirtus illud diuina destrueret . Tum subito ei duo angeli hastati atque scutati instar militiæ cælestis se obtulerunt dicentes : missos se a domino : ut rusticam multitudinem fugarent : presidiumque Martino ferrent : ne quis dum templum dirueretur obsisteret . Rediret ergo : et opus cœptum deuotus impleret . Ita regressus ad uicum spectantibus gentilium turbis et quiescentibus : dum profanam ædem usque ad fundamenta dirueret : aras omnes atque simulacra redegit in puluerem . Quo uiso rustici cum se intelligerent diuino nutu obstupefactos atque perterritos : ne episcopo repugnarent : omnes fere Iesum dominum crediderunt : clamantes || palam et confitentes : domini Martini colendum : et idola negligenda : quæ sibi adesse non possent . Quid etiam in pago Eduorum gestum sit referam . Vbi dum Martinus templum euerteret : furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo : Cumque unus audacior cæteris stricto eum gladio peteret : proiecto pallio nudam ceruicem percussori præbuit . Nec cunctatus ferre gentilis : sed cum dexteram altius extulisset : resupinus tulit : consternatusque diuino metu ueniam præcabatur . Nec dissimile huic illud : cum eum idola destruentem cultro quidam ferire uoluisset : in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum non comparuit . Plærumque autem contradicentibus sibi rusticis ne eorum fana destrueret : ita prædicatione sancta gentilium animos mitigabat : ut luce eis ueritatis ostensa ipsi sua templa subuerterent . Curationum uero tam potens in eo gratia erat : ut nullus fere ad eum ægrotus accesserit : qui non continuo receperit sanitatem : quod uel id ex sequenti liquebit exemplo . Treueris puella quædam dira paralyxis ægritudine tenebantur† : ita ut iam per multum tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur : omnique ex parte præmortua uix tenui spiritu palpitabat . Tristes ad solam funeris expectationem astabant propinqui : cum subito nunciatur ad ciuitatem illam uenisse Martinum . Quod ubi puellæ pater comperit : currit exanimis pro filia rogaturus . Et forte ipse Martinus iam ecclesiam fuerat ingressus : ibi spectante populo multisque aliis episcopis presentibus eiulans senex genua eius amplectitur dicens : Filia mea moritur misero genere langoris : et quod ipsa est morte crudelius : solo spiritu uiuit iam carne premortua . Rogo : ut eam adeas atque benedicas : confido enim quod per te reddenda sit sanitati . Qua ille uoce confusus obstupuit : et refugit : dicens : hoc suæ non esse uirtutis . senem errare iudicio : non esse se dignum per quem deus signum uirtutis ostenderet . Sed cum perstaret uæhementius flæns pater : et oraret : ut exanimem uisitaret : postremo a circunstantibus episcopis ire conpulsus : descendit ad domum puelle . Erat autem ingens turba præ foribus expectans : quidnam dei seruus es | set facturus . Ac primum quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma : solo prostratus orauit . Inde egram intueus† : dari sibi oleum postulat : Quod cum benedixisset in os puellæ uim sancti Liquoris infudit : statimque uox reddita est . Tum paulatim singula contactu eius cœperunt membra uiuiscere : donec firmatis gressibus populo teste surrexit . Eodem tempore Terradii† cuiusdam proconsularis uiri seruus dæmonio correptus dolendo exitu cruciabatur . Rogatus ergo Martinus : ut ei manum imponeret : deduci eum ad se iubet : Sed nequam spiritus nullo proferri modo de ea cellula in qua erat potuit : ita in aduenientes rapidis dentibus se iuebat† . Tum tetradius ad genua beati uiri aduoluitur : orans ut ad dominum in qua dæmoniacus habebatur : ipse descenderet . Tum uero Martinus negare se profani et gentilis domum adire posse : nam tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicatus tenebatur . Spondet ergo se si de puero dæmon fuisset eiectus : christianum fore . Ita Martinus imposita manu puero : immundum ab eo spiritum eiecit : Quo uiso Tetradius dominum Iesum credidit : Statimque cathecuminus factus nec multo post baptizatus est : semperque Martinum salutis suæ auctorem miro coluit affectu . Per idem tempus in eodem oppido ingressus patrisfamilias cuiusdam domum in limine ipso restitit qicens† horribile in atrio domus dæmonium se uidere : Cui cum ut discederet impe-

raret : coeum patrisfamilias qui in interiore parte edium morabatur arripuit : sæuire dentibus miser cœpit : et obuios quosque laniare . Commota domus . familia turbata . populus in fugam uersus . Martinus se furenti obiicit : ac primum stare ei imperat . Sed cum dentibs† fremeret : hyantique ore morsum minaretur : digitos ei Martinus in os intulit . Si habes inquit aliquid potestatis hos deuora . Tum uero ac si candens ferrum faucibus accepisset . Longe reductis dentibus digitos beati uiri uitabat attingere . Et cum fugere de obsesso corpore pœnis et cruciatibus cogeretur : nec tamen exire ei per os liceret fæda relinquens uestigia fluxu uentris egressus est . Interea cum de motu atque || impetu barbarorum subito ciuitatem fama turbasset : dæmoniacum ad se exhiberi iubet . Imperat : ut an uerus esset hic nuncius fateretur . Tum confessus est sexdecim dæmones fuisse : qui rumorem hunc per populum dispersissent : ut hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur : barbaros nihil minus quam irruptionem cogitare . Ita cum hæc immundus spiritus media in ecclesia fateretur : metu et turbatione præsenti ciuitas liberata est . Apud parrhysios uero dum portam ciuitatis illius magnis secum turbis euntibus introiret : leprosum miserabili facie horrentibus cunctis osculatus est : atque benedixit : statimque omni malo emundatus est . postero die ad ecclesiam ueniens nitenti cute gratias pro sanitate quam receperat agebat . Nec prætereundum est : quod fimbriæ uestimento eius cylicino detractæ : crebras super infirmantibus egere uirtutes . Nam aut digitis illigatæ : aut collo inditæ persepe languorem ab ægrotantibus fugauerunt . Arborius autem uir præfectorius sancti admodum et fidelis ingenii cum filia eius grauissimis quartanis febribus ureretur : epistolam Martini quæ casu ad eum delata fuerat pectori puellæ in ipso accessu ardoris inseruit : statimque fugata febris est . Quæ res apud Arborium in tantum ualuit : ut statim puellam deo uouerit : et uirginitati perpetuæ dicauerit . Profectusque ad Martinum puellam ei : præsens uirtutum eius testimonium : quæ per absentem licet curata esset obtulit : Neque ab alio eam quam a Martino habitu uirginitatis imposito passus est consecrari . Paulinus uero uir postmodum magni futurus exempli cum oculum grauiter dolere cœpisset : etiam pupillam eius crassior nubes superducta texisset : oculum ei Martinus penniculo contigit : pristinamque ei sanitatem sublato omni dolore restituit . Ipse autem cum casu quodam esset de cænaculo deuolutus : et per confragrosos scalæ gradus decidens multis uulneribus esset affectus : cum exanimis iaceret in cellula : et in modicis doloribus cruciaretur : nocte ei angelus uisus est eluere uulnera : et salubri unguento contusi corporis superlinire liuores . Atque ita postero die restitutus est sanitati : ut nihil | umquam pertulisse incommodi putaretur . Sed longum est ire per singula sufficiant hæc uelut pauca de plurimis . Satisque sit nos et in excellentibus non subtrahere ueritatem : et in multis uitare fastidium . Atque ut minora tantis inseram quamuis ut est nostrorum ætas temporum : quibus iam deprauata omnia atque corupta sunt : pene precipuum sit adulatione regiæ potestati sacerdotalem non cessisse constantiam . Cum ad imperatorem Maximum ferocis ingenii uirum et bellorum ciuilium uictoria elatum plures ex diuersis orbis partibus episcopi conuenissent : et fæda circa principem omnium adulatio notaretur : seque degeneri inconstantia regi sacerdotalis dignitas subdidisset : in solo Martino apostolica auctoritas permanebat . Nam et si pro aliquibus supplicandum regi fuit : imperauit potius quam rogauit . Et a conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit : dicens se mense eius participem esse non posse : qui duos imperatores unum regno alterum uita expulisset . Postremo cum Maximus non sponte sumpsisse se imperium affirmaret : sed impositam sibi a militibus diuino nutu necessitatem regni armis defendisse : et non alienam ab eo dei uoluntatem uideri : penes quem tam incredibili euentu uictoria fuisset : nullumque ex aduersariis nisi in acie occubuisse : tandem uictus uel ratione uel precibus ad conuiuium uenit mirum in modum gaudente rege : quod id impetrasset . Conuiuæ autem aderant : uelut ad diem festum euocati summi atque illustres uiri : præfectus idemque consul Enodius : quo nihil umquam iustius fuit : comites duo summa potestate prediti : frater regis et patruus : medius inter hos Martini presbyter accubuerat : ipse autem sella iuxta regem posita consederat . Ad medium fere conuiuium ut moris est pateram regi minister obtulit . ille sancto admodum episcopo potius dari iubet : expectans atque ambiens : ut ab illius dextera poculum sumeret . Martinus ubi ebibit : pateram presbytero suo tradidit : nullum scilicet existimans digniorem : qui post se biberet : nec integrum sibi fore : si aut regem ipsum aut eos qui a rege erant

proximi præsbytero prætulisset . Quod factum imperator omnesque qui tunc aderant ita admirati sunt : ut hoc || ipsum eis in quo contempti sunt placeret . Creberrimumque per omne palatium fuit : fecisse Martinum in regis prandio : quod in infirmorum iudicium conuiuiis episcoporum nemo fecisset . Eidemque Maximo longe ante prædixit futurum : ut si ad Italiam pergeret : quo ire cupiebat : bellum Valentiniano imperatori inferens : sciret se primo quidem impetu futurum esse uictorem : sed paruo post tempore esse periturum . Quod quidem ita uidimus . Nam primo aduentu eius Valentinianus in fugam uersus est . Deinde post annum fere resumptis uiribus captum intra Aquilegiæ muros Maximum interfecit . Constat autem etiam angelos ab eo plærumque uisos : ita ut conserto inuicem apud eum sermone loquerentur . Diabolum uero ita conspicabilem et subiectum oculis habebat : ut siue se in propria substantia contineret : siue in diuersas figuras spiritalis nequitiæ transtulisset : qualibet ab eo sub imagine uideretur . Quod cum diabolus sciret se effugere non posse : conuiciis eum frequenter urgebat : quia fallere non posset insidiis . Quodam tempore cornu bouis cruentum in manu tenens cum ingenti fremitu cellulam eius irrupit : cruentamque ostensans dexteram : et admisso recens scelere congaudens : ubi est inquit Martine uirtus tua ? Vnum de tuis modo interfeci . Tunc ille conuocatis fratribus refert : quid diabolus indicasset : sollicitosque esse præcepit per cellulas singulorum : quisnam hoc casu fuisset affectus . Neminem quidem deesse de monachis : sed unum rusticum mercede conductum : ut uehiculo ligna deferret isse ad syluam nunciant . Iubet igitur aliquos ire ei obuiam : Ita hic longe a monasterio iam pene exanimis inuenitur . Extremum tamen spiritum trahens indicat fratribus casum mortis et uulneris . Iunctis scilicet bobus dum dissoluta arctius lora constringit : bouem sibi excusso capite inter inguina cornua iniecisse . Nec multo post uitam reddidit . Videris quo iudicio domini diabolo data fuerit hæc potestas . In Martino illud mirabile erat : quod non solum hoc quod supra retulimus : sed multa istiusmodi si quotiens accidissent longe antea præuidebat : aut sibi nunciata fratribus indicabat .

Frequenter autem diabolus dum mile noecendi† | artibus sanctum uirum conatur illudere : uisibilem se ei formis diuersissimis ingerebat . Nam interdum in Iouis persona : plerumque Mercurii : persæpe etiam Veneris ac Mineruæ transfiguratum se uultibus offerebat . Aduersus quem semper interritus signo se crucis et orationis auxilio protegebat . Audiebantur plerumque conuicia : quibus illum dæmonum turba proteruis uocibus increpabat . Sed omnia falsa et uana cognoscens : non mouebatur obiectis . Testabantur etiam aliqui ex fratribus audisse dæmonem proteruis uocibus Martino increpantem : cur intra monasterium aliquos ex fratribus qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent conuersos postea recepisset : exponentem crimina singulorum : Martinum diabolo repugnantem respondisse constanter : antiqua delicta melioris uitæ conuersione purgari : et per misericordiam domini absoluendos esse peccatis : qui peccare desierint : contra dicente diabolo non pertinere ad ueniam criminosos : et semel lapsis nullam a domino præstari posse clæmentiam . Tunc in hanc uocem fertur exclamasse Martinus : si tu ipse miserabilis ab hominum infestatione desisteres : et te factorum tuorum uel hoc tempore cum dies iudicii in proximo est pœniteret : ego tibi uere confisus in domino Christi misericordiam pollicerer . O quam sancta de domini pietate præsumptio : in qua et si auctoritatem præstare non potuit : ostendit affectum . Et quia de diabolo eiusdemque artibus sermo exortus est : non ab re uidetur : licet extrinsecus referre : quod gestum est : quia et quædam in eo Martini uirtutum portio est : et res digna miraculo recte memoriæ mandabitur in exemplum cauendi : si quid deinceps uspiam tale contigerit . Clarus quidam adolescens nobilissimus mox presbyter nunc felici beatus excessu : cum relictis omnibus se ad Martinum contulisset : breui tempore ad summum fidei uirtutumque omnium culmen enituit . Itaque cum haud longe sibi ab episcopi monasterio tabernaculum constituisset : multique apud eum fratres commorarentur : iuuenis quidam ad eum Anatolius nomine sub professione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus || accessit : habitauitque aliquandiu in commune cum cæteris . Dein procedente tempore angelos apud se loqui solere dicebat : cum fidem nullus adhiberet : signis quibusdam plærosque ad credendum coarctabat . Postremo eousque processit : ut inter se ac domini nuncios discurrere prædicaret . Iamque se unum ex prophetis haberi uolebat . Clarus tamen nequaquam ad credendum cogi poterat . Ille ei iram domini et præsentis uin-

dictæ plagas : quod sancto non crederet comminari . Postremo in hanc uocem erupisse fertur : Ecce hac nocte mihi candidam uestem dominus de cælo dabit : qua indutus in medio nestrum† diuersabor : idque uobis signum erit in me dei esse uirtutem : qui dei ueste donatus sim . Tum uero grandis omnium ad hanc professionem expectatio . Itaque ad mediam fere noctem : fremitu insultantium commoueri omne monasterium loco uisum est . Cellulam autem qua idem adolescens continebatur : crebris cerneres micare luminibus : fremitusque in ea discurrentium : et murmur quoddam multarum uocum audiebatur . Dehinc facto silentio unum de fratribus ad se uocat : tunicamque ei qua erat indutus ostendit . Obstupefactus ille conuocat cæteros : ipse etiam Clarus accurrit . Adhibitoque lumine uestem diligenter inspiciunt . Erat autem summa mollitie : candore eximio : micanti purpura : nec tamen cuius esset generis aut uelleris poterat agnosci . Curiosis tamen oculis aut digitis attrectata : non aliud quam uestis uidebatur . Interea Clarus fratres ammonet orationi insistere : ut manifestius eis dominus quidnam id esset ostenderet . Itaque reliquuum† noctis hymnis psalmisque consumitur . Vbi illuxit dies : appræhensum dextera trahere ad Martinum uolebat bene conscius illudi illum diaboli arte non posse . Tum uero reniti ac reclamare miser cœpit : interdictumque sibi esse dicebat : ne se Martino ostenderet . Cumque inuitum ire compellerent : inter trahentium manus uestis euanuit : Vnde quis dubitet hanc etiam Martini fuisse uirtutem : ut phantasiam suam diabolus : cum erat Martini oculis ingerenda : dissimulare diutius non posset .

Animaduersum est tamen eodem fere tempore fuisse in Hispania iuuenem : qui cum sibi mul | tis signis auctoritatem parauisset : eousque elatus est : ut se Heliam profiteretur . Quod cum plærique temere credidissent : addidit ut se Christum esse diceret : In quo etiam a deo† illusit : ut eum quidam episcopus Ruffus nomine ut deum adoraret . Propter quod eum postea episcopatu deiectum uidimus . Plerique etiam nobis ex fratribus retulerunt eodem tempore in oriente quendam extitisse : qui se Iohannem esse diceret : Ex quo coniicere possumus istiusmodi pseudo prophetis existentibus Antichristi aduentum imminere : qui iam in istis misterium iniquitatis operatur . Non pretereundum autem uidetur : quanta Martinum sub eisdem diebus diabolus arte temptauerit . Quodam enim die præmissa præ se et circumiectus ipse luce purpurea quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet : ueste etiam regia indutus diademate ex gemmis auroque redimitus calceis auro illitis : sereno ore : læta facie : ut nihil minus quam diabolus putaretur oranti in cellula astitit : Cumque Martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus : diu multumque silentium ambo tenuerunt . Tum primum diabolus : Agnosce inquit Martine : quem cernis Christus ego sum descensurus ad terras : prius me manifestare tibi uolui . Ad hæc dum Martinus taceret : neque quicquam responsi referret : iterare ausus est diabolus professionis audaciam . Martine quid dubitas ? Crede quem uides . Christus ego sum . Tum ille reuelante sibi spiritu : ut intelligeret diabolum esse non dominum : non se inquit dominus Iesus purpuratum nec diademate renitentem uenturum esse prædixit . Ego Christum nisi in eo habitu formaque qua passus est : nisi crucis stygmata præferentem uenisse non credam . Ad hanc ille uocem statim ut fumus euanuit . Cellulam quoque tanto fætore compleuit : ut indubia indicia relinqueret : diabolum se fuisse . Hoc ita gestum : ut supra retuli : ex ipsius Martini ore cognoui : ne quis forte existimet fabulosum .

Nam cum olim audita eius fide uita atque uirtutibus desyderio illius estuaremus gratam nobis ad eum uidendum peregrinationem suscepimus : Simul quia iam ardebat animus uitam illius scribere : partim ab ipso in quan || tum ille interrogari potuit siscitati sumus : partim ab his qui interfuerant uel sciebant cognouimus . Quo quidem tempore credi non potest : qua me humilitate : qua benignitate susceperit : congratulatus plurimum et gauisus in domino : quod tanti esset habitus a nobis : quem perigrinatione suscepta expetissemus . Miserum me pene non audeo confiteri : cum me sancto conuiuio suo dignatus est adhibere . Aquam manibus nostris ipse obtulit : ad uesperum autem pedes nobis ipse abluit . Nec reniti aut contraire constantia fuit : ita auctoritate illius oppressus sum : uti nefas putarem : si non acquieuissem . Sermo autem illius non aliud apud nos fuit : quam mundi illecebras et sæculi onera relinquenda : ut dominum Iesum liberi expeditique sequeremur . Præstantissimumque nobis præsentium temporum illustris uiri Paulini cuius supra commemorationem fecimus exemplum ingerebat : qui summis opibus abiectis Christum secutus solus pene

his temporibus euangelica præcepta complesset . Illum nobis sequendum . illum clamabat imitandum : beatumque esse præsens sæculum tantæ fidei uirtutisque documento : cum secundum sententiam domini diues et possidens multa uendendo omnia et dando pauperibus : quod erat facto impossibile possibile fecisset exemplo . Iam uero in uerbis et confabulatione eius quanta grauitas : quanta dignitas erat : quam acer quam efficax quam in absoluendis scripturarum quæstionibus promptus et facilis . Et quia multos ad hanc partem incredulos scio : quippe quos uiderim me ipso etiam referente non credere : Iesum testor spemque communem me ex nullius ore tantum scientiæ tantum ingenii : tam boni et tam puri sermonis audisse . Quanquam in Martini uirtutibus quantula est ista laudatio : nisi quod mirum est homini illiterato ne hanc quidem gratiam defuisse ? Sed iam finem liber postulat : sermo claudendus est : non quod omnia quæ de Martino fuerunt dicenda defecerunt : sed quia nos ut inertes poetæ et extremo in opere negligentes uicti materiæ mole succumbimus . Nam et si facta illius explicare uerbis utcumque potuerunt interiorem uitam illius et quottidianam conuersationem et animum cælo semper intentum : nulla umquam uere profiteor : nulla explicabit ora | tio : illam scilicet perseuerantiam et temperantiam in abstinentia ac ieiuniis et potentiam in uigiliis et orationibus noctesque ab eo perinde ac dies iactas : nullumque uacuum ab opere dei tempus : quo uel otio indulserit uel negotio : sed nec cibis quidem : nisi quatenus nature necessitas coegit . Et uere fateor : non si ipse : ut aiunt : ab inferis Homerus emergeret : posset exponere . Adeo Martino omnia maiora sunt : quam ut uerbis concipi queant . Nulla umquam hora momentumque præteriit : quin aut orationi insisteret aut lectioni . Quanquam etiam inter legendum aut si quid aliud forte agebat : nunquam animum ab oratione laxabat . Nimirum ut fabris ferrariis moris est : qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudem suam feriunt : ita Martinus etiam dum aliud agere uideretur : semper orabat . O uere uir beatus : in quo dolus non fuit . Neminem iudicans : neminem damnans : nulli malum pro malo reddens . Tantam quippe aduersum omnes iniurias patientiam assumpserat : ut cum esset summus sacerdos : impune etiam ab infimis clericis læderetur : nec propter id eos aut loco unquam amouerit : aut a sua quantum in ipso fuit caritate repulerit . Nemo unquam illum uidit iratum : nemo commotum : nemo merentem : nemo ridentem . Vnus idemque semper cælestem quodammodo læticiam uultu præferens : extra naturam hominis uidebatur . Nunquam in illius ore nisi Christus : nunquam in illius corde nisi pietas nisi pax nisi misericordia erat : Plærumque etiam pro eorum qui obtrectatores illius uidebantur solebat flære peccatis : qui remotum et quietum uenenatis linguis et uipereo ore carpebant . Et uere nonnullos experti sumus inuidos uirtutis uitæque eius : et qui in illo oderant : quod in se non uidebant : et quod imitari non ualebant . Atque o nefas dolendum et ingemiscendum . non alii fere insectatores eius : licet pauci admodum : non alii tamen quam episcopi ferebantur . Nec uero quemquam nominari necesse est : licet nosmetipsos plærique circumlatrent . Sufficit ut si quis ex his hæc legerit : et agnouerit : erubescat . Nam si irascitur de se dictum fatebitur : cum fortasse de aliis senserimus . Non refugimus autem || ut si qui eiusmodi sunt : nos quoque cum tali uiro oderint : Illud facile confido omnibus sanctis opusculum istud gratum fore . de cæteris si quis hæc infideliter legerit : ipse peccauit . Ego mihi conscius sum : me rerum fide et amore Christi impulsum : ut scriberem : manifesta dixisse : uera dixisse . Paratumque ut spero habebit a deo præmium non quicumque hæc legerit : sed quicumque crediderit .

DIALOGVS SEVERI .

Cum in unum locum ego et Gallus noster conuenissemus : uir mihi propter Martini memoriam : ex illius enim discipulis erat : et propter sua merita carissimus : interuenit nobis Postumianus meus nostri causa ab oriente : quo se ante triennium patriam relinquens contulerat regressus . Complexi sumus hominem amantissimum : exosculatique genua et pedes eius . Cum uno atque altero spacio quasi obstupefacti inuicem flæntes gaudio deambulassemus : iactis in terram cyliciis consedimus . Tum prior Postumianus meus me intuens . cum essem inquit in remotis Aegypti partibus : libuit : ut ad mare usque procederem : nauimque illic onerariam offendi : quæ cum

mercibus Narbonam petens : soluere parabat . Eadem nocte mihi in somnis astare uisus es : et iniecta me manu trahere : ut nauim illam conscenderem . Mox tenebras rumpente diluculo cum e loco in quo quieueram surrexissem : somnium meum ipse mecum reputans tanto tui desyerio† subito correptus sum : ut nihil cunctatus nauem conscenderim tricesimo die Massiliam appulsus : inde huc decimo peruenerim : adeo prospera nauigatio pie affuit uoluntati . Tu modo propter quem tot maria transfretauimus tantum terræ transcurrimus complectendum perfruendumque terræmotis omnibus trade . Ego uero inquam etiam cum tu in Aegypto morareris : totus circa te animo semper et cogitatione uersabar : meque dies ac noctes cogitantem totum tua caritas possidebat : ne dum modo me tibi extimes puncto temporis defuturum : quominus amore tuo pendens te intuear : te audiam : tecum loquar : nullo penitus in secretum nostrum quod nobis hæc remotior cellula præstat admisso . Nam huius nostri : ut arbitror : Galli præsentiam non moleste feres : qui | hoc aduentu tuo : ut uides : perinde atque ego ipse triumphat gaudio . Recte plane inquit Postumianus in societate nostra Gallus iste retinebitur : quia et si mihi parum cognitus est : pro eo tamen quod tibi est carissimus : non potest mihi non esse carus : maxime cum Martini sit disciplina . Ille autem neque grauabor inquit quamlibet consorte uobiscum : ut possitis confabulari . Quippe qui propter hoc uenerim : ut me huius sulpitii mei . me autem utraque manu complectebatur : desyderio etiam uerbosus impenderim .

Enim uero inquam satis probasti : quantum pius amor possit : qui nostri causa tot Maria tantumque terrarum emensus a summo : ut ita dicam : solis gressu usque in eius occidua uenisti . Age ergo quia et secreti inter nos nec occupati sumus : et sermoni tuo uacare debemus : Edisseras nobis uelim omnem tuæ peregrinationis historiam : qualiter in oriente fides Christi floreat quæ sit sanctorum quies : quæ instantia monachorum : quantisque signis ac uirtutibus in seruis suis Christus operetur . Nam quia in his regionibus inter ista quæ uiuimus ipsa nobis uita fastidio est : libenter ex te audiemus : si uel in heremo uiuere christianis licet . Ad hæc Postumianus . Faciam inquit : ut desyderare te uideo . Sed quæso te prius ex te audiam an isti omnes quos hic reliqueram sacerdotes tales sunt : quales eos antequam proficiscerer noueramus . Tum ergo absiste inquam querere ista : quæ aut una mecum ut puto nosti ut si ignoras : non audire sit melius . Illud tamen reticere non possum : non solum illos de quibus interrogas nihil meliores : quam noueras factos : sed unum illum nostri quondam amantem : in quo respirare ab istorum insectationibus solebamus : asperiorem nobis fuisse quam debuit . Nec uero quicquam in illum inclæmentius dicam : quia et amicum colui et tunc etiam amaui putabatur inimicus . Me autem hæc tacitus cogitationibus reuoluentem dolor iste compungit . pene nos sapientis et religiosi uiri amiciciis destitutos . illum quondam tam amicum nobis : tam amarum in nos esse potuisse . Verum hæc quæ mæroris plena sunt relinquamus : te potius ut dudum spoponderas audiamus . Ita inquit flat Postumianus . Quod || cum dixisset : paululum omnes conticuimus . Dehinc cylicium cui insederat ad me proprius admouit : Atque ita exorsus est : ante hoc triennium quo tempore tibi Sulpici hinc abiens ualedixi : ubi Narbone nauem soluimus : quinta die portum Aphricæ intrauimus . Adeo prospera dei nutu nauigatio fuit : Libuit animo adire Carthaginem : loca uisitare sanctorum : et præcipue sepulchrum Cypriani martyris adorare . Quintodecimo die ad portum regressi prouectique in altum : alexandriam petentes reluctante austro pene in syrtim illati sumus : Quod prouidi nautæ cauentes iactis nauem anchoris sistunt . Sub oculis autem terra continens erat : In quam scaphis egredimur : cum uacua ab humano cultu omnia cerneremus . Ego studiosius explorandorum locorum gratia longius processi . Tribus fere a littore milibus paruum tugurium inter harenas conspicio . Cuius tectum : sicut Salustius ait : quasi carina nauis erat contiguum terræ satis firmis tabulis constructum . Non quod ibi uis imbrium ulla timeatur . fuisse autem illic pluuiam nequaquam quidem auditum est : sed quod uentorum ea uis est : ut si quando uel clæmentior e cælo aliquantulus spirare flatus cœperit : maius in illis terris quam in ullo mari naufragium sit . Nulla ibi germina : sata nulla proueniunt : quippe instabili loco arentibus harenis ad omnem motum uentorum cedentibus : Verum ubi aduersa quædam a mari promontoria uentis resistunt : terra aliquantulum solidior hærbam raram atque hispidam

gignit . Ea ouibus est pabulum satis utile . Incolæ lactæ uiuunt : qui sollertiores sunt uel : ut ita dixerim : ditiores : ordeaceo pane utuntur . Ea ibi sola messis est : quæ celeritate prouentus per naturam solis siue aeris uentorum casus euadere solet : Quippe fertur a die iacti seminis tricesimo die maturescere : Consistere autem ibi homines non alia ratio facit : quam quod omnes tributo liberi sunt . Extrema siquidem cyrenorum ora est deserto illi contigua : quod inter Aegyptum et Aphricam interiacet : per quod olim Cato Cæsarem fugiens duxit exercitum . Ego ut ad tugurium illud quod eminus conspexeram pertendi : ibi inuenio senem in ueste pellicia molam manu uertentem . Consalutatus accepit nos be | nigne . Eiectos nos in illud littus exponimus : et ne statim cursum repetere possemus maris mollitia attineri . Egressos in terram ut est mos humani ingenii naturam locorum cultumque habitantium uoluisse cognoscere christianos nos esse : id precipue quærere : an essent aliqui inter illas solitudines christiani . Tum uero ille flæns gaudio ad genua nostra prouoluitur . Iterum nos ac sæpius exosculatus inuitat ad orationem : Deinde et positis in terram ueruecum pellibus facit nos discumbere . Apponit prandium sane locupletissimum : dimidium panem ordeaceum . Eramus autem nos quattuor ipse erat quintus . Fasciculum etiam herbæ intulit : cuius nomen excidit : quæ mente similis exuberans foliis saporem mellis præstabat . Huius prædulci admodum suauitate delectati atque exatiati sumus . Ad hæc ego surridens ad Gallum meum quid inquam Galle : placetne tibi prandium : fasciculus hærbarum et panis dimidius uiris quinque ? Tum ille sicut est uerecundissimus aliquantulum erubescens dum fatigationem meam accepit : facis inquit Sulpiti tuo more : qui nullam occasionem si qua tibi porrecta fuerit omittis : quin nos edacitatis fatiges . Sed facis inhumane : qui nos gallos homines cogis exemplo angelorum uiuere : quanquam ego studio manducandi etiam angelos manducare credam . Nam istum dimidium ordeaceum timeo uel solus attingere . Sed contentus sit hoc cirenensis ille : cui uel necessitas uel natura est esurire : uel postremo isti quibus credo marina iactatio inediam cibi fecerat . Nos procul a mari absumus et quod tibi sæpe testatus sum : Galli sumus . Sed pergat hic potius explicare sui cirenensis historiam . Enim uero postumianus inquit : Cauebo post hac cuiusquam abstinentiam predicare : ne Gallos nostros arduum penitus offendat exemplum . Statueram autem etiam cænam cirenensis illius uel consequentia referre conuiuia . Septem enim diebus apud ipsum fuimus : sed supersedendum est : ne Gallus se existimet fatigari . Cæterum postero die cum aliqui ex incolis ad nos uisendos confluere cepissent : cognoscimus illum hospitem nostrum esse presbyterum : quod summa nos dissimulatione celauerat || Deinde cum ipso ad ecclesiam processimus : quæ fere duobus millibus aberat a conspectu nostro interiectu montis exclusa . Erat autem uilibus tecta uirgultis non multo ambitiosior quam nostri hospitis tabernaculum : in quo nisi incuruus quis non poterat consistere . Cum uero mores hominum quæreremus : illud præclarum animaduertimus : nihil eos neque emere : neque uendere . Quid sit fraus aut furtum : nesciunt . Aurum atque argentum quæ prima mortales putant : nec habent neque habere cupiunt . Nam cum ego præsbytero illi decem nummos aureos obtulissem : refugit altiore consilio protestatus ecclesiam auro non instrui sed potius destrui . Aliquantulum tamen ei uestimentorum indulsimus : Quod cum ille benigne accepisset reuocantibus nos ad mare nautis discessimus : Prosperoque cursu septimo die Alexandriam peruenimus : Vbi o fœda inter episcopos atque monachos certamina gerebantur ex ea occasione uel causa : quia congregati in unum sæpius sacerdotes frequentibus decreuisse synodis uidebantur : ne quis origenis libros legeret aut haberet : qui tractator scripturarum sacrarum peritissimus habebatur . Sed episcopi quædam in libris ipsius insanius scripta memorabant : quæ assertores eius defendere non ausi ab hæreticis potius fraudulenter inserta dicebant . ideo non propter illa quæ in repræhensionem merito uocarentur : reliqua etiam damnanda cum legentium fides facile possit habere discrimen ne falsata sequeretur : et tamen catholicæ disputata retineret : non esse autem mirum : si in libris neotericis et recens scriptis fraus hæretica fuisset operata : quæ in quibusdam locis non timuisset incidere euangelicam ueritatem . Aduersus hæc episcopi obstinatius renitentes pro potestate cogebant recta etiam uniuersa cum prauis et cum ipso auctore damnari : quia satis superque sufficerent libri : quos ecclesia recepisset : respuendam esse penitus lectionem : quæ plus esset nocitura

insipientibus quam profutura sapientibus . Mihi autem ex illius libris quædam . curiosius indaganti admodum multa placuerunt : sed nonnulla repræhendi : in quibus illum praua sensisse non dubium est : quæ defensores eius falsata contendunt . Ego tamen miror unum | eundemque hominem tam diuersum a se esse potuisse : ut in eam partem qua probatur : neminem post apostolos habeat æqualem : in ea uero quæ iure repræhenditur : nemo deformius doceatur errasse . Nam cum ab episcopis excerpta ex libris illius multa legerentur quæ contra catholicam fidem scripta constarent : locus ille uel maximam parabat inuidiam : in quo editum legebatur : quia dominus Christus sicut pro redemptione hominis in carne uenisset crucem pro hominis salute perpessus : mortem pro hominis æternitate gustasset : ita esset eodem ordine passionis etiam diabolum redempturus : quia hoc bonitati illius pietatique congrueret : ut qui perditum hominem reformasset : pro lapsum quoque angelum liberaret . Cum hæc atque alia istiusmodi ab episcopis proderentur : ex studiis partium orta sedicio est : Quæ cum reprimi sacerdotum auctoritate non posset : sæuo exemplo ad regendam ecclesie disciplinam prefectus assumitur . Cuius terrore dispersi fratres ac per diuersas oras monachi sunt fugati : ita ut propositis edictis in nulla consistere sede sinerentur . Illud me admodum permouebat : quod Hieronymus uir maxime catholicus et sacræ legis peritissimus Origenem secutus primo tempore putabatnr† : quem nunc idem precipue uel omnia illius scripta damnaret : nec uero ausus sit de quoquam temere iudicare . Præstantissimi tamen uiri et doctissimi ferebantur in hoc certamine dissidere . Si tamen siue illud error est : ut ego sentio : siue hæresis ut putatur : non solum reprimi non potuit multis animaduersionibus sacerdotum : sed nequaquam se late potuisset effundere : nisi contentione creuisset . Istiusmodi ergo turbatione cum ueni Alexandria fluctuabat . Me quidem episcopus illius ciuitatis benigne admodum et melius quam opinabar excepit : et secum tenere temptabat . Sed non fuit animus ibi consistere : ubi recens fraterne cladis feruebat inuidia . Nam et si fortasse uideantur parere episcopis debuisse : non ob hanc tamen causam multitudinem tantam sub Christi confessione uiuentem presertim ab episcopis oportuisset affligi . Igitur inde digressus Bethleem oppidum petii : quod ab hyerosolimis sex milibus disparatur : Ab || Alexandria autem sexdecim mansionibus abest . Ecclesiam loci illius Hieronymus præsbyter regit . Nam parrochia est episcopi : qui hierosolymam tenet . Mihi iam pridem Hieronymus superiore illa mea peregrinatione compertus facile obtinuerat : ut nullum mihi expetendum rectius arbitrarer . Vir enim præter fidei meritum doctrinamque uirtutum : non solum latinis atque græcis sed et hebreis etiam ita litteris institutus est : ut se illi in omni scientia nemo audeat comparare . Miror autem si non et uobis per multa quæ scripsit opera compertus est : cum per totum orbem legatur . Nobis uero Gallus inquit : nimium nimiumque compertus est . Nam ante hoc quinquennium quendam illius libellum legi : in quo tota nostrorum natio monachorum ab eo uæhementissime uexatur et carpitur . unde ei interdum Belgicus noster ualde irasci solet : quod dixerit nos usque ad uomitum solere satiari Ego autem illi uiro ignosco : atque ita sentio de orientalibus illum potius monachis quam de occidentalibus disputasse . Nam edacitas in græcis gula est : in gallis natura . Tum ego scholastice inquam Galle defendis gentem tuam . Sed quæso te : liber iste nunquid hoc solum uicium damnat in monachis ? Imo uero inquit nihil penitus omisit : quod non carperet : laceraret : exponeret . Præcipue auariciam : nec minus uanitatem insectatus est . Multa de superbia non pauca de superstitione disseruit . Vere fatebor : pinxisse mihi uidetur uitia multorum . Cæterum de familiaritatibus uirginum et monachorum atque etiam clericorum : quam uera : quam fortia disputauit . Vnde a quibusdam quos nominare nolo dicitur non amari . Nam sicut Belgicus noster irascitur edacitatis nimie nos notatos : ita illi fremere dicuntur : cum in illo opisculo scriptum legunt : celibem spernit uirgo germanum fratrem . quærit extraneeum† . Ad hæc ergo nimium inquam Galle progrederis . Caue ne et te aliquis qui hæc fortasse agnoscit exaudiat : teque una cum Hieronymo incipiat non amare . Nam quia scolasticus es : non immerito te uersu comici illius admonebo : Obsequium amicos : ueritas odium parit . Tua nobis potius ut cœperas Postumiane repetatur orientalis oratio . Ergo inquit ut | dicere institueram : apud Hieronimum sex mensibus fui : Cui iugis aduersum malos pugna perpetuumque certamen : conciuit odia perditorum . Oderunt eum hæretici : quia eos impugnare non desinit :

oderunt clerici : quia uitam eorum insectatur et crimina . Sed plane cum boni omnes admirantur : et diligunt . Nam qui eum hæreticum esse arbitrantur insaniunt uere dixerim catholica hominis scientia : sana doctrina est . Totus semper in lectione totus in libris est . Non die non nocte requiescit : aut legit aliquid semper : aut scribit . Quod nisi mihi fuisset fixum animo et promissum deo teste propositum heremum adire : uel exiguum temporis punctum a tanto uiro discedere noluissem . huic ergo traditis atque commissis omnibus meis omnique familia quæ me contra uoluntatem animi mei secuta tenebat implicitum : exoneratus quodammodo graui fasce penitus ac liber regressus Alexandriam uisitatis ibi fratribus ad superiorem inde thebaidam id est de Aegypti extrema contendi . Ibi enim uastæ patentis hæremi solitudines plurimum ferebantur habere monachorum .

Longum est si omnia cupiam referre : quæ uidi : tamen pauca perstringam e pluribus . Haud longe ab heremo contigua nilo multa sunt monasteria . Habitant uno in loco plærumque centeni : Quibus summum ius est : sub abbatis imperio uiuere : nihil arbitrio suo agere : per omnia ad nutum illius potestatemque pendere . Ex his si qui maiorem uirtutem mente conceperint : ut acturi solitariam uitam se ad heremum conferant : non nisi permittente abbate illo discedunt . Hæc illorum prima uirtus est : alieno parere imperio . Transgressis ad heremum abbatis illius ordinatione panis uel quilibet cibus alius ministratur . Casu per illos dies quibus illo adueneram : cuidam qui nuper ad heremum secesserat : neque amplius ab hoc monasterio quam sex milibus tabernaculum sibi constituerat : panem abbas per duos pueros miserat : Quorum maior habebat ætatis annos quindecim minor duodecennis erat . His ergo inde redeuntibus : aspis miræ magnitudinis fit obuia . Cuius occursu nihil perrteriti† ubi ante pedes eorum uenit : quasi incantata carminibus || cerulea colla deposuit . Minor e pueris manu appræhensam ac palliolo inuolutam : ferre cepit . Dein monasterium quasi uictor ingressus in occursu fratrum spectantibus cunctis captiuam bestiam resoluto palliolo non sine iactantiæ tumore deposuit . Sed cum infantium fidem atque uirtutem cæteri prædicarent : abbas ille altiore consilio ne infirma ætas insolesceret : uirgis utrumque compescuit multum obiurgatos : cur ipsi quod per eos dominus operatus fuerat prodidissent : opus illud non suæ fidei sed diuinæ fuisse uirtutis . Discerent potius in humilitate seruire deo : et non in signis et uirtutibus gloriari : quia melior esset infirmitatis conscientia uirtutum uanitate . Hoc ubi monachus audiuit : et periclitatos infantulos serpentis occursu et ipsos insuper multa uerbera uicto serpente meruisse : abbatem obsecrat : ne sibi post hæc panis ullus aut cibus aliquis mitteretur . Iamque octauus dies fuerat emensus : ex quo se homo Christi intra periculum famis ipse concluserat . Arebant membra ieiunio : sed deficere mens cælo intenta non poterat . Corpus inedia fatiscebat : fides firma durabat . Cum interim admonitus abbas ille per spiritum : ut discipulum uisitaret : pia sollicitudine cognoscere cupiens : qua uitæ substantia uir fidelis aleretur : qui ministrari sibi panem ab homine noluisset : ad requirendum eum ipse proficiscitur . Ille ubi eminus senem uenire conspexit accurrit agit gratias ducit ad cellulam . Tum ingressi pariter ambo conspiciunt palmitiam sportam calido pane congestam foris fixam de poste pendere : ac primum calidi panis odor sentitur : tactu uero ac si ante paululum focis esset ereptus ostenditur . Egyptii tamen panis forma non cernitur . Obstupefacti ambo munus cæleste cognoscunt . Cum ille hoc abbatis aduentui præstitum fateretur : abbas uero illius fidei ac uirtuti id potius adscriberet : ita ambo cælestem panem cum multa exultatione fregerunt . Quod cum senex ad monasterium post regressus fratribus retulisset : tantus omnes incenderat ardor animorum : ut certatim ad hæremum et sacras solitudines ire properarent : miseros se fatentes : qui diutius in congregatione multorum : ubi humana | esset patienda conuersatio : resedissent . In hoc monasterio duos ego senes uidi : qui iam per quadraginta annos ibi degere : ita ut nunquam inde discesserint : ferebantur . Quorum prætereunda mihi commemoratio non uidetur . Siquidem id de eorum uirtutibus et abbatis ipsius testimonio et omnium fratrum audierim sermone celebrari : quod unum eorum sol nunquam uidisset epulantem : alterum nunquam uidisset iratum . Ad hæc Gallus me intuens o si noster ille : nolo nomen edicere : nunc adesset : uellem admodum istud audiret exemplum quem in multorum sæpe personis nimium experti sumus uæhementer irasci . Sed tamen quia inimicis suis quantum audio nuper ignouit : si istud audiret magis magisque proposito

confirmaretur exemplo : præclaram esse uirtutem iracundia non moueri . Nec uero inficiabor iustas illi causas irarum fuisse : sed ubi durior pugna : ibi gloriosior est corona . Vnde quendam si agnoscis censeo iure laudandum : quod cum eum libertus deseruerit ingratus : miseratus est potius quam insectatus abeuntem . Sed neque illi irascitur : a quo uidetur abductus . Ego autem nisi illud uincendæ iracundiæ Postumianus prodidisset exemplum : grauiter irascerer discessione fugitiui . Sed quia irasci non licet : tota istorum commemoratio quæ nos compungit abolenda est . Te inquam Postumiane te potius audiamus . Faciam inquit Galle quod præcipis : quatenus tam studiosos esse audiendi uos uideo . Sed mementote : quia non sine fœnore istum apud uos depono sermonem . Libens præsto quod poscitis : dummodo paulo post quod poposcero non negetis . Nos uero inquam nihil habemus : in quo tibi mutuum uel sine fœnore restituere possimus . Sed tamen quidquid putaueris imperato : dum modo ut cæperas desyderiis nostris satisfacias . Valde enim nos tua delectat oratio . Nihil inquit postumianus uestra studia fraudabo . Et quia heremitæ unius incipientis agnouistis uirtutem : referam adhuc uobis pauca de plurimis . Ergo ubi prima heremi ingressus sum duodecim fere a Nilo milibus : habebam autem unum ex fratribus ducem locorum peritum : peruenimus ad quendam senem monachum sub radice montis habitantem . Ibi quod in locis illis rarissimum est pu || teus erat . Bouem unum habebat : cuius hic erat totus labor : impulsu rotali machina aquam producere . Nam fere mille aut amplius pedum profundum putei ferebatur . Hortus illic erat multis oleribus copiosus . Id quidem contra naturam heremi ubi omnia arentia exusta solis ardoribus nullius umquam sæminis uel exiguam radicem deperisse ferunt . Verum hoc sancto illi labor cum pecore communis : et propria prestabat industria . Frequens enim irrigatio aquarum tantam pinguedinem : arenis dabat : ut mirum in modum uiuere atque fructificare horti illius olera uiderimus . Ex his igitur una cum domino bos ille uiuebat . Nobis quoque ex ea copia cænam sanctus dedit . Ibi uidi quod uos Galli forte non creditis : ollam cum oleribus quæ nobis in cænam preparabatur sine igne feruere . Tanta uis solis est : ut quibuslibet cocis etiam ad Gallorum pulmenta sufficiat . Post cænam autem iam inclinante uespera inuitat nos ad arborem palmam : cuius interdum pomis uti solebat : quæ fere duobus millibus aberat . Nam hæ tantum in heremo arbores licet raro habentur : Tamen quod utrum sollers antiquitas procurauerit : an solis natura gignat ignoro : nisi deus præscius habitandam quandoque sanctis heremum hæc seruis suis parauerit . Ex maiore enim parte qui intra illa secreta consistunt : cum alia ibi germina nulla succedant : istarum arborum pomis aluntur . Ergo ubi ad illam ad quam nos humanitas nostri hospitis ducebat arborem peruenimus : Leonem ibi offendimus : Quo uiso ego et ille dux meus intremuimus . Sanctus uero ille incunctanter accessit . Nos licet trepidi secuti sumus . Feram paululum cerneres imperatam : adeo modesta secessit : et constitit : dum ille attigua ramis humilioribus poma decerperet : Cumque manum plenam palmulis obtulisset : occurrit bestia : accepitque tam libere quam ullum animal domesticum : Et cum comedisset : abscessit . Nos hæc intuentes et adhuc trementes facile potuimus perpendere : quanta in illo fidei uirtus : et quanta in nobis esset infirmitas . Alium æque singularem uirum uidimus paruo tugurio in quo non nisi unus recipi posset habitantem . De hoc illud ferebatur : quod ei lupa solita erat | astare cænanti . Nec facile unquam bestia falleretur : quin illi ad legitimam horam refectionis occurroret† : et tamdiu pro foribus expectaret : donec ille panem qui cænulæ superfuisset offerret : illam manum eius lambere solitam : atque ita quasi impleto officio et præstita consolatione discedere . Sed forte accidit : ut sanctus ille : dum fratrem qui ad eum uenerat deducit abeuntem : diutius abesset : et nonnisi sub nocte remearet : Interim bestia ad consuetudinarium illud cænæ tempus occurrit . uacuam cellulam : cum familiarem patronum abesse sentiret : ingressa : curiosiusque explorans ubinâm esset habitator : casu contigua cum panibus quinque palmitia sportella pendebat : ex his unum præsumit : et deuorat : deinde perpetrato scelere discedit . Regressus hæremita uidet sportulam dissolutam non constante panum numero . Damnum rei familiaris intelligit : ac prope limen panis absumpti fragmenta cognoscit . Sed non erat incerta suspicio : quæ furtum persona fecisset . Ergo cum sequentibus diebus secundum consuetudinem bestia non uenisset : nimirum audacis facti conscia ad eum uenire dissimulans cui fecisset iniuriam : egre patiebatur hæremita se alumnæ solatio destitutum .

Postremo illius oratione reuocata septimum post diem affuit ut solebat ante cænanti. Sed ut facile cerneres uerecundiam pœnitentis : non ausa propius accedere : deiectis in terram profundo pudore luminibus : quod palam licebat intelligi : quandam ueniam præcabatur. Quam illius confusionem hæremita miseratus : iubet eam propius accedere : ac manu blanda caput triste permulcet. Dein pane duplicato ream suam reficit. Ita indulgentiam consecuta : officii consuetudinem deposito mærore reparauit. Intuemini quæso Christi etiam in hac parte uirtutem : cui sapit omne quod brutum est cui mite est omne quod seuit. Lupa præstat officium : lupa furti crimen agnoscit : lupa conscio pudore confunditur. Vocata adest. caput præbet : et habet sensum indultæ sibi uenie : sicut pudorem gessit errati. Tua hæc uirtus Christe : tua sunt hæc Christe† miracula. Et enim quæ in tuo nomine operantur serui tui : tua sunt. Et in hoc ingemiscimus ‖ quod maiestatem tuam feræ sentiunt : homines non uerentur. Ne cui autem hoc incredibile forte uideatur : maiora memorabo : fides Christi adest : me nihil fingere : neque incertis auctoribus uulgata narrare : sed quæ mihi per fideles uiros comperta sunt explicabo. Habitant plærique in hæremo sine ullis tabernaculis : quos anachoritas uocant. Viuunt hærbarum radicibus : nullo unquam certo loco consistunt : ne ab hominibus frequententur. Quas nox coegerit sedes habent. Ad quendam igitur hoc ritu atque hac lege uiuentem duo ex nitria monachi licet longe diuersa regione : tamen quia olim ipsis in monasterii conuersatione carus et familiaris fuisset : auditis eius uirtutibus contenderunt : Quem diu multumque quæsitum tandem mense septimo repererunt in extremo illo deserto quod est Memphis contiguum demorantem. Quas ille solitudines iam per annos duodecim dicebatur habitare : Qui licet omnium hominum uitaret occursus : tamen agnitos non refugit : seque carissimis per triduum non negauit. Quarto die aliquantulum progressus cum prosequeretur abeuntes : leænam miræ magnitudinis ad se uenire conspiciunt. Bestia licet tribus repertis non incerta quem peteret anachoritæ pedibus aduoluitur : et cum flætu quodam ac lamentatione procumbens indicabat gementis pariter et rogantis affectum. Mouit omnes et præcipue illum : qui se intellexrat† expetitum : præcedentemque sequitur : Nam præiens et subinde restans : ac subinde respectans : facile poterat intelligi id eam uelle : ut quo illa ducebat anachorita sequeretur. quid multa ? Ad speluncam bestiæ peruenitur : ubi illa adultos iam quinque catulos mare fœta nutriebat. Qui ut clausis luminibus ex aluo matris exierant : cæcitate perpetua tenebantur. Quos singulos de rupe prolatos ante anachoritæ pedes mater exposuit. Tum demum sanctus animaduertit : quid bestia postularet : Inuocatoque dei nomine contrectauit manu lumina clausa catulorum : ac statim cæcitate depulsa apertis oculis bestiarum diu negata lux patuit. Ita fratres illi anachorita quem desyderabant uisitato cum admodum fructuosa laboris sui mercede redierunt : | qui in testimonium tantæ uirtutis admissi fidem sancti et gloriam Christi quæ per ipsos esset testificanda uidissent. Mira dicturus sum : leænam post quinque dies ad auctorem tanti beneficii reuertisse : eidemque inusitatæ fere pellem pro munere detulisse : Qua plærumque sanctus ille amiculo circuumtectus† non dedignatus est munus per bestiam sumere : cuius alium potius interpretatur auctorem. Erat etiam alterius anachoritæ in illis regionibus nomen illustræ : qui in ea parte deserti quæ Siene iungitur habitabat. Hic cum primum se ad heremum contulisset : herbis herbarumque radicibus quas predulces interdum et saporis eximii fert harena uicturus : ignarus germinis eligendi noxia plærumque carpebat. Nec erat facile uim radicum sapore discernere : quia omnia equæ dulcia : sed plæraque occultiore natura uirus lætale habebant. Cum ergo edentem uis interna torqûeret : et immensis doloribus uitalia uniuersa quaterentur : ac frequens uomitus non ferendis ipsam animæ sedem stomacho iam fatiscente dissolueret : omnia penitus quæ essent edenda formidans : septimum ieiunii diem spiritu deficiente ducebat. Cum ad eum fera cui ibis est nomen accessit. Huic propius adstanti fasciculum hærbarum quem collectum pridie attingere non audebat obiecit. Sed fæ̈ra quæ uirulenta erant discutiens : quæ innoxia nouerat : eligebat. Ita uir sanct† eius exemplo quid edere quid respuere deberet edoctus : et periculum famis euasit : et herbarum uenena uitauit. Sed longum est de omnibus qui hæremum incolunt comperta nobis uel audita memorare.

Annum integrum et septem menses intra solitudines constitutus exegi : magis uirtutis admirator alienæ : quam quod ipse tam arduum atque difficile potuerim temptare propositum. Sæpius tamen cum sene illo qui puteum et bouem habebat habitaui.

Duo beati Antonii monasteria adii quæ hodieque ab eius discipulis incoluntur . Ad eum etiam locum in quo beatissimus Paulus primus hæremita est diuersatus accessi . Rubrum mare uidi . iugum Syna montis ascendi : cuius summum cacumen cælo pene contiguum nequaquam adiri potest. Inter huius recessus anachorita esse || aliquis ferebatur : quem diu multumque quæsitum uidere non potui : Qui fere iam ante quinquaginta annos a conuersatione humana remotus : nullius uestis usu sed setis sui corporis tectus nuditatem suam diuino munere uestiebat. Hic quotiens eum religiosi uiri adire uoluerunt : cursu auia petens congressus uitabat humanos . Vni tantummodo ferebatur se ante quinquennium præbuisse : qui credo potenti fide id obtinere promeruit . Cui inter multa colloquia percunctanti : cur homines tantopere uitaret : respondisse perhibetur : eum qui ab hominibns† frequentatur : non posse ab angelis frequentari . Vnde non immerito recepta opinione multorum fama uulgauerat : sanctum illum ab angelis uisitari . Ego autem a Syna monte digressus ad Nilum flumen regressus cuius ripas frequentibus monasteriis consertas utraque ex parte lustraui : plerumque uidi ut dixeram uno in loco habitare centenos . Sed et bina et terna millia in hisdem uiculis agere constabat . Nec sane ibi minorem putetis diuersantium in multitudine monachorum esse uirtutem : quam eorum esse cognoscitis : qui se ab humanis cœtibus remouerunt . Præcipua ut iam dixeram ibi uirtus et prima est obedientia . Neque aliter adueniens a monasterii abbate suscipitur : quam qui temptatus prius fuerit et probatus. Nullum unquam recusaturus quamlibet arduum ac difficile indignumque tolerare abbatis imperium . Duo uobis referam incredibilis obedientiæ admodum magna miracula : licet suppetant plura recolenti . Sed ad excitandam uirtutum æmulationem cui pauca non sufficiunt : multa non proderunt . Ergo cum quidam sæculi actibus abdicatis monasterium magnæ dispositionis ingressus suscipi se rogaret : abbas ei cœpit multa proponere : graues esse istius disciplinæ labores : sua uero dura imperia : quæ nullius facile ualeret implere patientia . Aliud potius monasterium ubi facilioribus legibus uiueretur expeteret : non temptaret aggredi quod implere non posset . Ille uero nihil his terroribus permoueri : sed magis ita omnem obedientiam polliceri : ut si eum abbas in ignem ire præciperet : non recusaret intrare . Quam illius pro | fessionem ubi magister accepit : non est cunctatus probare profitentem . Casu clibanus propter ardebat : qui multo igne succensus coqnendis† panibus parabatur . Exundabat abruptis flamma fornacibus : et intra camini illius concaua totis habenis regnabat incendium . Hunc igitur aduenam illum iubet magister intrare . Nec distulit parere precepto medias flammas nihil cunctatus : ingreditur . Quæ mox tam audaci fide uictæ uelut illis quondam hebreis pueris cessere uenienti . Superata natura est : fugit incendium . Et qui putabatur arsurus : uelut frigido rore perfusum se ipse miratus est . Sed quid mirum : si tuum Christe tironem ignis ille non attigit : ut nec abbatem pigeret dura mandasse : nec discipulum pœniteret imperio paruisse : qui eo quo uenerat die dum temptaretur infirmus perfectus inuentus est ? Merito felix merito gloriosus : probatus obedientia glorificatus est passione . In eodem autem monasterio : factum id quod dicturus sum recenti memoria ferebatur . Quidam itidem ad eundem abbatem recipiendus aduenerat . Cumque prima ei lex obedientiæ poneretur : ac perpetem polliceretur ad omnia uel extrema obedientiam : casu abbas storachmam uirgam iam pridem aridam manu gerebat . hanc solo fixit : atque illi aduenæ id operis imponit : ut tamdiu uirgulæ aquam irriguam ministraret : donec quod contra omnem naturam erat : lignum aridum in solo arente uiresceret . Subiectus aduena duræ legis imperio aquam propriis humeris quottidie conuehebat : quæ a Nilo flumine per duo fere milia petebatur . Iamque emenso anni spacio . labor non cessabat operantis . De fructu operis spes esse non poterat : tamen obedientiæ uirtus in labore durabat . Sequens quoque annus uanum laborem iam affecti fratris eludit . Tertio demum succedentium temporum labente curriculo : cum neque noctu neque interdiu aquarius ille cessaret operator : uirga floruit . Ego ipsam ex illa uirgula arbusculam uidi : quæ hodieque intra atrium monasterii ramis uirentibus : quasi in testimonium manens quantum obedientia meruerit : et quantum fides possit ostendit . Sed me dies ante deficiet quam diuersa miracula quæ mihi de uirtuti || bus sanctorum sunt comperta consummem . Duo uobis adhuc præclara memorabo . Quorum unum egregium erit aduersus inflationem miseræ uanitatis exemplum : alterum aduersus falsam iusticiam non mediocre documentum . Quidam ergo sanctus fugandorum de corpori-

bus obsessis dæmonium incredibili præditus potestate : mandata per singulos dies signa faciebat . Non solum enim præsens neque uerbo tantum : sed absens quoque interdum cylicii sui fimbriis aut epistolis missis corpora obsessa curabat . Hic ergo mirum in modum frequentabatur a populis ex toto ad eum orbe uenientibus . Taceo de minoribus . præfecti comitesque ac diuersarum iudices potestatum pro foribus illius sæpe iacuerunt . Episcopi quoque sanctissimi sacerdotali auctoritate deposita contingi se ab eo atque benedici humiliter postulantes : sanctificatos se ac diuino munere illustratos : quotiens manum illius uestemque contingerent : non immerito crediderunt . Hic ferebatur omni potu in perpetuum penitus abstinere : ac pro cibo : tibi supplici in aurem loquar : ne gallus hoc audiat : septem tantum caricis sustentari . Interea sancto uiro ut ex uirtute honor : ita ex honore uanitas cœpit obrepere . Quod malum ubi primum potuit in se sentire crassari : diu multumque dissentire conatus est : sed repelli penitus : uel tacita conscientia uanitatis perseuerante uirtute non potuit . Vbique nomen eius dæmones fatebant† : Excludere a se confluentium populos non ualebat : Virus interim latens serpebat in pectore : et cuius nutu ex aliorum corporibus dæmones fugabantur : se tamen occultis cogitationibus uanitatis purgare non poterat . Totis igitur præcibus conuersus ad dominum fertur orasse : ut permissa in se mensibus quinque diabolo potestate similis his fieret : quos ipse curauerat . Quid multis morer ? Ille præpotens ille signis atque uirtutibus toto oriente uulgatus : ille ad cuius limina populi ante confluxerant : ad cuius fores summæ istius sæculi se prostrauerant potestates : correptus a dæmone est tentus in uinculis . Omnia illa quæ mergumini† solent ferre perpessus quinto demum mense purgatus est : non tantum dæmone : sed quod illi erat | utilius atque optatius uanitate . Sed mihi ista replicanti : nostra infelicitas nostra occurrit infirmitas . Quis enim nostrum est quem si unus homunculus salutauerit : aut fatuis atque adulantibus uerbis fœmina una laudauerit : non continuo elatus sit superbia : non statim inflatus sit uanitate : ut etiam si non habeat conscientiam sanctitatis : tamen quia uel stultorum adulatione aut fortassis errore sanctus esse dicatur : sanctissimum se putabit ? Iam uero si ei munera crebra mittantur : dei se munificentia asseret honorari . Cui dormienti atque resoluto necessaria conferantur . Quod si uel de modico ei aliqua uirtutis signa succederent : angelum se putaret . Cæterum cum neque opere neque uirtute conspicuus sit : si quis clericus sit effectus dilatat continuo fimbrias suas : gaudet salutationibus : inflatur occursionibus : ipse etiam ubique discurrit . Et quia antea pedibus aut asello ire consueuerat : spumantibus equis superbus inuehitur . Parua prius ac uili cellula contentus habitare : erigit celsa laquearia : construit multa conclauia : sculptoria pingit armaria : uestem respuit grossiorem : indumentum molle desiderat : atque hæc caris uiduis ac familiaribus mandat tributa uirginibus . Illa ut birrum rigentem : hæc ut fluentem texat lacernam . Verum hæc describenda mordacius beato uiro Hieronimo relinquamus et ad propositum reuertamur . Tum uero inquit Gallus meus : nescio quid Hieronymo reliqueris disputandum : Ita breuiter uniuersa nostrorum instituta complexus es : ut pauca hæc tua uerba : si æquanimiter acceperint et patienter expenderint : multum eis arbitrer profutura : ut non indigeant libris posthac Hieronymi cohereeri : sed tu illa potius euolue quæ ceperas : et illud quod aduersus falsam iusticiam dicturum te esse promiseras prode documentum . Nam ut uere tibi fatear : nullo pernitiosius malo intra gallias laboramus . Ita faciam Postumianus inquit : nec te diutius tenebo suspensum . Adolescens quidam ex asia prediues opibus genere clarus : habens uxorem et filium paruulum cum in Egipto tribunus esset : et frequentibus aduersum blembos expeditionibus quedam heremi contigisset : sanctorum etiam taberna || cula complura uidisset : a beato uiro Iohanne uerbum salutis accepit . Nec moratus inutilem militiam cum uano illo honore contemnere : hæremum constanter ingressus : breui tempore in omni genere uirtutum perfectus emicuit . Potens ieiuniis : humilitate conspicuus : fide firmus : facile se antiquis monachis studio uirtutis equauerat : cum interim subiit eum cogitatio iniecta per diabolum rectius esse ut rediret ad patriam : filiumque unicum ac domum totam cum uxore saluaret : quod utique esset acceptius deo : quam si solum se sæculo eriperet contentus salutem suorum non sine impietate negligeret . Istiusmodi ergo false iusticie colore superatus : post quadriennium fere cellulam suam atque propositum heremita deseruit . Sed ubi ad proximum monasterium quod a multis fratribus habitabatur accessit : causam discessionis atque consilium quærentibus confitetur . Retinentibus

cunctis et precipue loci illius abbate retinente : male animo fixa sententia non potuit auelli . Igitur infelici se obstinatione proripiens cum dolore omnium digressus a fratribus uix de conspectu abscesserat : impletur demone : cruentasque spumas ore prouoluens suis dentibus se ipse lacerabat . Deinde ad idem monasterium fratrum humeris reportatus : cum coherceri immundus in eo spiritus non ualeret : necessitate cogente ferreis nexibus alligatur : pedes cum manibus uinciuntur : non immerita pœna fugitiuo : ut quem non cohibuerat fides : cathenæ cohiberent . Post biennium demum oratione sanctorum ab immundo spiritu liberatus ad hæremum unde discesserat mox regressus est : et ipse correctus et aliis post futurus exemplo : ne quem aut falsæ iusticiæ umbra decipiat : aut incerta mobilitas inutili leuitate compellat semel cœpta deserere . Hæc uos de uirtutibus domini quas in seruis suis uel imitanda operatus est : uel timenda scire sufficiat . Sed quia satisfeci uestris auribus : imo etiam uerbosior fui fortasse quam debui : tu modo : ad me autem loquebatur : debitum fænus exolue : ut te de Martino tuo ut es solitus plura referente iam pridem in hoc desyderiis meis æstuantibus audiamus . Quid inquam tibi de Martino meo liber ille non sufficit : quem ipse tu no | sti me de illius uita atque uirtutibus edidisse ? Agnosco id quidem Postumianus inquit : neque inquam a dextera mea liber ille discedit : Nam si agnoscis : et aperit librum qui sub ueste latebat : en ipsum . Hic mihi in inquit terra ac mari comes : hic in peregrinatione tota socius et consolator fuit . Sed referam tibi : quod liber iste penetrauerit : et quod nullus fere in orbe terrarum locus sit : ubi non materie tam felicis historia peruulgata teneatur . Primus enim romane urbi studiosissimus tui Paulinus inuexit . Deinde cum tota certatim urbe raperetur : exultantes librarios uidi : quod nihil ab his quæstuosius baberetur† . Siquidem nihil illo promptius : nihil carius uenderetur . Hic nauigationis meæ cursum longe ante progressus : cum ad Aphricam ueni : iam per totam Carthaginem legebatur . Solus eum cirenensis ille presbyter non habebat : sed me largiente descripsit . Nam quid ego de Alexandria loquar : ubi pene omnibus magis quam tibi notus est ? Hic Egiptum Nitriam Thebaidam : ac tota Memphitica regna transiuit . Hunc ego in heremo a quodam sene legi uidi : Cui cum me familiarem tuum esse dixissem : et ab illo et a multis ftatribus† hæc mihi iniuncta legatio est : ut si unquam terras istas te incolumi contigissem : ea te supplere compellerem : quæ in illo tuo libro de uirtutibus beati uiri te professus es preterisse . Age ergo quia non illa a te audire desydero : quæ scripta sufficiunt : illa quæ tam propter legentium ut credo fastidium præteristi : multis id una mecum a te poscentibus explicentur . Equidem Postumiane inquam : cum te lam† dudum de sanctorum uirtutibus intentus audirem : tacitis ad Martinum meum cogitationibus recurrebam : merito perspiciens omnia illa quæ singuli diuersa fecissent : per unum istum facile completa . Nam cum excelsa retuleris : quod mihi dixisse licet pace sanctorum : nlhil† a te penitus audiui : in quo Martinus esset inferior . Sed sicut nullius unquam cum illius uiri meritis profiteor conferendam esse uirtutem : ita et illud animaduerti decet : non æqua illum atque heremitas uel etiam anachoritas conditione conferri . Ilii† enim ab omni impedimento liberi cælo tantum atque || angelis testibus plane admirabilia docentur operari . Iste in medio cœtu et conuersatione populorum inter clericos dissidentes : inter episcopos sæuientes : cum fere quottidianis scandalis hinc atque inde premeretur inexpugnabili tamen aduersus omnia uirtute fundatus stetit : et tanta operatus est : quanta ne illi quidem : quos ante audiuimus esse in hæremo uel fuisse : fecerunt . Ac si illi paria fecissent : quis iudex tam esset iniustus : ut non istum esse potiorem merito iudicaret ? Puta enim istum militem qui pugnauerit in æquo loco : et tamen uictor euaserit . Illos autem æque compone militibus : sed qui ex æquo loco aut etiam de superiore certauerint . Quid ergo ? et si omnium una uictoria est : non potest omnium esse par gloria ? Et tamen cum præclara retuleris : a nemine retulisti mortuum suscitatum . Quo uno utique te necesse est confiteri : Martino neminem conferendum . Nam si admirandum est : quod illum Aegyptium flamma non attigit : hic quoque sæpius imperauit incendiis . Si reuoluas quod anachoritis feritas bestiarum uicta succubuit : hic familiariter et rabiem bestiarum et serpentium uenena compescuit . Quod si illum conferas : qui immundis spiritibus obsessos uerbi imperio aut etiam fimbriarum uirtute curabat : ne in hac quidem parte inferiorem fuisse Martinum multa documenta sunt . Si etiam ad illum recurras : qui setis suis pro ueste contectus putatur ab angelis uisitari : cum isto angeli quottidie loquebantur . Iam uero aduersus uanitatem

atque iactantiam ita inuictum spiritum gessit : ut illa uitia fortius nemo contempserit : cum quidem immundis spiritibus afflatos absens plærumque curauerit : nec solum comitibus aut præfectis red ipsis etiam regibus imperauerit : Minimum id quidem in illis uirtutibus si credas uelim non solum uanitati : sed causis etiam atque occasionibus uanitatis neminem fortius repugnasse . Parua quidem sed non prætereunda dicturus sum : quia et ille laudandus est : qui summa præditus potestate tam religiosam ad reuerentiam beati uiri ostenderit uoluntatem . memini Vincentium præfectum uirum egregium : et quo nullius sit intra gallias omni uirtutum genere præstantior . | dum Turonas præteriret : a Martino sæpius poposcisse : ut ei conuiuium in suo monasterio daret : In quo quidem exemplum beati Ambrosii episcopi præferebat : qui eo tempore consules et præfectos subinde pascere ferebatur : sed uirum altioris ingenii ne qua ex hoc uanitas atque inflatio obriperet noluisse . Ergo fatearis necesse est in Martino omnium illorum quos ennmerasti† fuisse uirtutes : Martini autem in illis omnibus non fuisse .

Quid tu inquit postumianus ita mecum agis : quasi non eadem tecum sententia semperque senserim ? Ego uero quoad uiuam : Aegypti monachos prædicabo . Laudabo anachoritas mirabor hæremitas : Martinum semper excipiam . Non illi ego audebo quenquam monachorum certe non episcoporum quempiam comparare . Hoc Aegytus fatetur : hoc Syria : hoc Aetiops comperit : hoc Indus audiuit . hoc Parthus et Persa nouerunt . Nec ignorat Armenia . Bosforus exclusa cognouit : et postremo si quis aut fortunatas insulas aut glacialem frequentat occeanum : quo miserior est regio ista uestrorum ? Quæ tantum uirum cum in proximo habuerit nosse non meruit ? Nec tamen huic crimini miscebo populares : soli illum clerici soli nesciunt sacerdotes . Nec immerito nosse illum inuidi noluerunt : quia si uirtutes illius nossent : sua uitia cognouissent . Horreo dicere : quod nuper audiui : infelicem dixisse nescioquem te illo libro tuo plura mentitum . Non est hominis uox ista sed diaboli : nec Martino in hac parte detrahitur : sed fidei euangelii derogatur . Nam cum dominus ipse testatus sit : istiusmodi opera quæ Martinus impleuit ab hominibus fidelibus esse facienda : qui Martinum non credit illa fecisse : non credit et Christum ista dixisse . Sed infelices : degeneres : somnolenti : quæ ipsi facere non possunt : facta ab illo erubescunt . et malunt illius negare uirtutes : quam suam inertiam confiteri . Verum nobis ad alia properantibus omnis istorum memoria relinquatur . Tu potius ut iam dudum desydero : residua Martini opera contexe . At ego inquam arbitror rectius istud a Gallo esse poscendum : quippe qui plura nouerit : neque enim ignorare potuit magistri facta discipulus : et || qui non immerito istam uicem non solum Martino sed etiam nobis debeat : ut quia ego iam librum edidi : tu hactenus orientalium gesta memorasti : istam demum necessarii sermonis historiam Gallus euoluat : Quia ut dixi : et nobis debet loquendi uicem : et Martino suo credo prestabit : ut non grauate illius facta commemoret . Ego plane inquit Gallus licet impar sim tanto oneri : tamen relatis superius a Postumiano cogor exemplis : ut munus istud quod imponitis non recusem . Sed dum cogito me hominem gallum inter Aquitanos uerba facturum : uereor : ne offendat uestras nimium urbanas aures sermo rusticior . Audietis me tamen ut gorgonicum hominem : nihil cum fuco aut cothurno loquentem : Nam si mihi tribuistis Martini me esse discipulum : illud etiam concedite : ut mihi liceat exemplo illius inanes sermonum falleras : et uerborum ornamenta contemnere . Tu uero inquit Postumianus uel celtice : aut si mauis gallice loquere : dummodo iam Martinum loquaris . Ego autem profiteor : quia etiam si mutus esses : non defutura tibi uerba : quibus Martinum quamuis facundo ore loquaris : sicut Zachariæ in Iohannis nomine lingua resoluta est . Cæterum cum sis scholasticus hoc ipsum quasi scolasticus artificiose facis : ut excuses imperitiam : qui exuberas eloquentia . Sed neque monachum tam astutum : neque Gallum decet esse tam callidum . Verum aggredere potius : et quod te manet explica . Nimium enim dudum alias res agentes consumimus tempus . Etiam solis occiduis umbra prolixior monet : non multum diei uicina nocte superesse . Deinde cum paululum omnes conticuissemus : Gallus ita cœpit : Cauendum itaque mihi in primis esse arbitror : ne eadem de Martini uirtutibus repetam : quæ in libro suo Sulpitius iste memorauit . Vnde prima illius inter militandum gesta pretereo : neque ea attingam : quæ laicus egit aut monachus : nec uero audita ab aliis : potius quam quæ uidi ipse dicturus sum .

DIALOGVS SEVERI .

Quo primum igitur tempore relictis scholis beato me uiro iunxii . paucos post dies euntem ad ecclesiam se | quebamur . Interim ei seminudus hybernis mensibus pauper occurrit : orans sibi uestimentum dari . Tunc ille accersito archidiacono iussit algentem sine dilatione uestiri . Deinde secretarium ingressus cum solus ut erat illi consuetudo resideret : hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem permissa clericis libertate præstabat : cum quidam in alio secretario presbyteri residerent : uel salutationibus uacantes : uel audiendis negotiis occupati . Martinum uero usque in eam horam qua sollemnia populo agi consuetudo deposceret sua solitudo cohibebat . Illud non præteribo : quod in secretario sedens unquam cathedra usus est . Nam in ecclesia nemo unquam illum sedere conspexit : sicut quendam nuper : testor deum : non sine meo pudore uidi sublimi solio et quasi regio tribunali celsa sede residentem . Sedebat autem Martinus in sellula rusticana : ut sunt iste in usibus seruulorum : quas nos rustici galli trepecias : uos scholastici aut certe tu qui de Græcia uenis tripodas nuncuparis† . Ergo hoc secretum beati uiri pauper ille captans : cum ei archidiaconus dare tunicam distulisset : irrupit : dissimulatum se a clerico conquerens algere deplorans . Nec mora sanctus paupere non uidente intra amphibalum sibi tunicam latenter educit : pauperemque contectum discedere iubet . Dein paulo post archidiaconus ingressus admonet pro consuetudine expectare in ecclesia populum illum ad agenda sollemnia debere procedere . Cui ille respondens ait : Pauperem prius : de se autem dicebat : oportere uestiri : se ad ecclesiam non posse procedere : nisi uestem pauper acciperet . Diaconus uero nlhil† intelligens : quia extrinsecus indutum amphibalo : ueste nudum interius non uidebat : postremo pauperem non comparere causatur . Mihi inquit uestis quæ preparata est deferatur : pauper non deerit uestiendus . Arctatus demum clericus necessitate compulsus : iamque felle commoto e proximis tabernis bigerricam uestem breuem atque hispidam quinque comparatam argenteis rapit : atque ante Martini pedes iratus exponit : En inquit uestem : sed pauper hic non est . Ille nihil motus iubet eum paululum stare pro foribus secretum || utique procurans : dum sibi uestem nudus imponeret : totis uiribus elaborans : ut possit occultum esse : quod fecerat . Sed quando in sanctis uiris latent ista ? Quærentibus uelint nolint : cuncta produntur . Cum hac igitur oblaturus sacrificium deo ueste procedit . Quo quidem die : mira dicturus sum : Cum iam altarium : sicut solemne est : benediceret : globum ignis de capite illius uidimus emicare : ita ut in sublime contendens longius collum crinemque flamma produceret . Hoc licet celeberrimum factum die in magna populi multitudine uiderimus : una tantum de uirginibus et unus de presbyteris : tres tantum uidere de monachis . Cæteri cur non uiderint : non potest nostri esse iudicii . Per idem fere tempus cum Euantius auunculus meus uir licet sæculi negotiis : tamen admodum christianus grauissima ægritudine extremo mortis periculo cœpisset urgeri : Martinum euocauit . Nec cunctatus ille properauit . Prius tamen quam medium uiæ spatium uir beatus euolueret : uirtutem aduenientis sensit ægrotus : receptaque continuo sanitate uenientibus nobis obuiam ipse processit . Altera die redire cupientem magna prece tenuit : cum interim unum e familia puerum lætali ictu serpens perculit : quem iam exanimem ui ueneni ipse Euantius suis humeris illatum ante pedes sancti uiri nihil illi impossibile confisus exposuit . Iamque se malum serpentis per omnia membra diffuderat . Cerneres omnibus uenis inflatam cutem : et utris instar tensa uitalia . Martinus porrecta manu uniuersa pueri membra pertractans : digitum prope ipsum uulnusculum : qua bestia uirus infuderat : fixit . Tum uero mira dicturus sum . Vidimus uenenum ex omni parte reuocatum ad Martini digitum cucurrisse . Deinde per illud hulceris`foramen exiguum ita uirus stipasse cum sanguine : ut solet ex huberibus caprarum aut ouium pastorum manu præssis longa linea copiosi lacti : effluere . Puer surrexit incolumis . Nos obstupefacti tantæ rei miraculo : id quod ipsa cogebat ueritas fatebamur : non esse sub cælo : qui Martinum posset imitari . Consequenti itidem tempore : iter cum eodem dum dioceses uisitat agebamus : Nobis nescio qua ne | cessitate remorantibus aliquantulum ille processerat . Interim per aggerem publicum plena militantibus uiris fiscalis rheda ueniebat . Sed ubi Martinum in ueste hispida nigro et

pendulo pallio circuntectum contigua de latere iumenta uiderunt : paululum in partem alteram pauefacta hæserunt . Dein funibus implicatis protentus illos quibus ut sæpe uidistis misera illa animalia conglobantur ordines miscuerunt : Dumque ægre expediuntur : moram fecere properantibus : Qua permoti iniuria militantes præcipitatis in terram saltibus dederunt . Dein Martinum flagris ac fustibus urgere cœperunt : cum quidem ille mutus et incredibili patientia prebens terga cædentibus maiorem insaniam infelicibus commoueret : magis ex hoc furentibus : quod ille quasi non sentiens uerbera illata contemneret . Nos illico consecuti fæde cruentum atque uniuersa corporis parte laniatum : cum exanimis in terram procubuisset inuenimus . Statimque eum asello suo imposuimus : ac locum cædis illius execrantes raptim abire properauimus . Interea illi regressi ad rhedam suam furore suo saciati : agi quo ire cœperant iumenta præcipiunt : quæ cum omnia solo fixa ac si ænea signa riguissent : attollentibus altius uocem a magistris flagris hinc atque inde resonantibus nihil penitus mouebantur . Consurgunt deinde omnes pariter in uerbera : consumit gallicas mularum pœna mastigias : tota rapitur sylua de proximo : trabibus iumenta tunduntur : sed nihil penitus seuæ manus agebant : uno atque eodem in loco stabant fixa simulachra : quid agerent infelices homines : nesciebant . Nec iam ultra dissimulare poterant : quin quamlibet brutis pectoribus agnoscerent diuino numine se teneri . Tandem ergo in se reuersi cœperunt quærere quis ille esset : quem in eodem loco ante paululum cæcidissent : cum percunctantes cognoscunt ex uiantibus Martinum a se tam crudeliter uerberatum : Tum uero apparet omnibus causa manifesta : nec ignorare iam poterant : quin ob illius uiri iniuriam tenerentur . Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur conscio facti ac meriti pudore confusi flæntes : et || puluere quo se ipsi fœdauerant caput atque ora conspersi ante Martini se genua prouoluunt ueniam precantes : et ut eos abire sineret postulantes : satis se uel sola conscientia dedisse pœnarum : satisque intellexisse quam eosdem ipsos uiuos absorbere terra potuisset : uel ipsi potius amissis sensibus in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent : sicut affixa locis quibus steterant iumenta uidissent : orare se atque obsecrare : ut indulgeret sceleri ueniam : et copiam præstaret abeundi . Senserat etiam priusquam accurrerent uir beatus illos teneri : nobisque id ante iam dixerat . Veniam tamen clæmenter indulsit : eosdemque abire permisit animalibus restitutis . Illud autem animaduerti sæpe Sulpici Martinum tibi dicere solitum : nequaquam sibi in episcopatu eam uirtutum gratiam suppetisse : quam prius se habuisse meminisset . Quod si uerum est : imo quia uerum est : coniicere possumus : quanta fuerint illa : quæ monachus operatus est : et quæ teste nullo solus exercuit : cum tantum illum in episcopatu signa fecisse sub oculis omnium uiderimus . Multa quidem illius prius gesta innotuere mundo : neque potuere celari . Sed innumerabilia esse dicuntur : quæ dum iactantiam uitat ocultauit neque in hominum noticiam passus est peruenire . Quippe qui humanam substantiam supergressus uirtutis suæ conscientia mundi gloriam calcans cælo teste frueretur . Quod uerum esse uel ex his quæ comperta nobis sunt nec latere potuerunt possumus extimare . Si quidem ante episcopatum duos mortuos uite restituerit : quod liber tuus plenius est locuts† : in episcopatu uero quod prætermisisse te miror unum tantummodo suscitarit : Cuius rei ego testis sum : si tamen nihil de me minus idoneo teste dubitatis . Id ipsum autem uobis qualiter gestum sit explicabo . Fuerat causa nescioqua : carnotum oppidum petebamus . Interea dum uicum quendam habitantium multitudine frequentissimum præterimus : obuia nobis immanis turba processit : quæ erat tota gentilium . Nam nemo in illo uico nouerat christianum . Verum ad famam tanti uiri : campos omnes late patentes confluentium multitudo contexerat . Sensit hic Martinus operandum : et annunciante sibi spiritu | totus infremuit . Nec tamen mortale sonans uerbum dei gentilibus prædicabat : sæpius ingemiscens cur tanta dominum saluatorem turba nesciret . Interea sicut nos incredibilis circundederat multitudo : mulier quædam cuius filius paulo ante defecerat : corpus exanime beato uiro protensis manibus cœpit offerre dicens . Scimus quia amicus dei es : restitue mihi filium meum : quia unicus mihi est . Iunxit se cætera multitudo : et matris præcibus acclamabat . Tum Martinus uidens pro spectantium salute : ut postea nobis ipse dicebat : consequi se posse uirtutem : defuncti corpus propriis manibus accepit . Et cum spectantibus cunctis genua flexisset : ubi consumata oratione surrexit : uiuificatum paruulum matri resti-

tuit . Tum uero multitudo omnis in cælum clamore sublato : cœpit Christum domini fateri . Postremo cuncti cateruatim ad genua beati uiri ruere ceperunt : fideliter postulantes : ut eos faceret christianos . Nec cunctatus in medio : ut erat : campo imposita uniuersis manu catecuminos fecit : cum quidem ad nos conuersus diceret : non irrationabiliter in campo catecuminos fieri : ubi solerent martyres consecrari . Vicistis inquit Postumianus ad Gallum : uicistis . Non utique me qui Martini sum potius assertor : et qui hæc omnia de illo uiro et sciui semper et credidi : sed heremitas omnes anachoritasque uicistis . Nemo enim illorum sicut Martinus hic uester imo noster mortibus imperauit . Defunctum paruulum suscitauit . Merito hunc iste Sulpitius apostolis comparat et prophetis : quem per omnia illis esse consimilem fidei uirtus ac uirtutum opera testantur . Sed perge quæso quanquam nihil magnificentius audire possimus perge tamen Galle : quod etiam nunc de Martino superest sermonis euoluere . Nam etiam minima illius et quottidiana animus festinat agnoscere : quia minima illius aliorum maximis maiora esse nulli dubium est . Ita faciam Gallus inquit . Verum id quod dicturus sum : ipse non uidi . Prius enim gesta res est : quam me illi uiro iungerem : Sed factum celebre est : fidelium fratrum qui interfuerant sermone uulgatum . Eodem fere || tempore quo primum episcopus datus est fuit ei necessitas adire comitatum . Valentinianus tum maior rerum potiebatur . Is cum Martinum ea petere cognouisset : quæ præstare nolebat : iussit eum palatii foribus arceri . Et enim ad animum illius immitem ac superbum uxor accesserat arrhyana : quæ totum a sancto uiro ne ei debitam reuerantiam præstaret auerterat . Itaque Martinus ubi semel atque iterum superbum principem frustra adire temptauit : recurrit ad nota præsidia : cylicio obuoluitur : cinere conspergitur : cibo potuque abstinet : orationem noctibus diebusque perpetuat . Septimo die assistit ei angelus : iubetque eum ad palatium ire securum : regias fores quamlibet clausas sponte reserandas : imperatoris superbum spiritum molliendum . Igitur istiusmodi præsentis angeli confirmatus alloquio : et fretus auxilio palatium petit . Patent limina . nullus obsistit . postremo usque ad regem nemine prohibente peruenit : Qui cum uenientem eminus uideret : infrendens cur fuisset admissus : nequaquam assurgere est dignatus astanti : donec regiam sellam ignis operiret : ipsumque regem ea parte corporis qua sedebat afflaret incendium . Ita solio suo superbus excutitur : et Martino inuitus assurgit . Multumque complexus : quem spernere ante decreuerat : uirtutem sensisse diuinam emendatior fatebatur : Nec expectatis Martini precibus : prius omnia præstitit quam rogaretur . Colloquio illum atque conuiuio frequenter asciuit . Postremo abeunti multa munera obtulit : quæ uir beatus ut semper paupertatis suæ custos cuncta reiecit . Et quia palatium semel ingressi sumus : licet diuersis in palatio temporibus gesta connectam : nequaquam enim prætermittendum uidetur circa Martini admirationem regine fidelis exemplum . Maximus imperator rempublicam gubernabat : uir omni uita merito prædicandus : si ei diadema non legitime tumultuante milite impositum repudiare : uel armis ciuilibus abstinere licuisset . Sed magnum imperium nec sine periculo renui : nec sine armis teneri potuit . Hic Martinum sæpius euocatum receptumque intra palatium ue | nerabiliter honorabat . Totus illi cum eo sermo de præsentibus de futuris de fidelium gloria de æternitate sanctorum : cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat euangelico illo non inferior exemplo . pedes sancti flætu rigabat : crine tergebat . Martinus quem nulla unquam fœmina contigisset : istius assiduitatem imo potius seruitutem non poterat euadere . Non illa opes regni : non imperii dignitatem : non diadema non purpuram cogitabat . Diuelli a Martini pedibus solo strata non poterat . Postremo a uiro suo poscit : dein Martinum uterque compellunt : ut ei remotis omnibus ministris præberet sola conuiuium . Nec potuit uir beatus obstinatius reluctari . Componitur castis reginæ manibus apparatus . sellulam ipsa consternit : mensam admouet : aquam manibus subministrat : cibum quem ipsa coxerat apponit . Illo edente ipsa eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis : per omnia ministrantis modestiam et humilitatem exhibens seruientis . Miscuit ipsa bibituro : et ipsa porrexit . Finita cenula fragmenta panis assumpti micasque collegit : satis fideliter illas reliquias imperialibus epulis anteponens . Beata mulier tantæ pietatis affectu illi merito comparanda : quæ uenit a finibus terræ audire sapientiam Solomnis† . Si quidem simplicem sequamur historiam . Sed si fides reginarum est conferenda : quod mihi liceat sepa-

rata mysterii maiestate dixisse : illa expetiit audire sapientem : ista non tantum audisse contenta : sed et meruit seruire sapienti . Ad hæc Postumianus . Iam dudum inquit Galle audiens te loquentem uæhementer admiror reginæ fidem . Sed ubi illud est : quod nulla unquam fœmina ferebatur propius astitisse Martino ? Ecce ista regina non solum astitit : sed etiam ministrauit . et uereor ne isto aliquantulum se tueantur exemplo : qui libenter fœminis inseruntur . Tum Gallus : quid tu inquit non uides : quod solent docere gramatici locum tempus personam ? Propone enim tibi ante oculos captum in palatio imperatoris precibus ambiri : reginæ fide cogi temporis necessitate constringi : ut clausos carcere liberaret : exiliis datos restitueret . bona ‖ adempta rediberet . Hæc quanti putas constare debuisse episcopo : ut pro his omnibus non aliquantulum de rigore propositi relaxaret . Verumtamen quia occasione huius exempli male usuros esse aliquos arbitraris . illi uero felices erunt : si a disciplina exempli istius non recedant . Videant enim quia Martino semel tantum in uita iam septuagenario non uidua libera : non uirgo lasciuiens : sed sub uiro uiuens ipso uiro supplicante regina seruiuit et ministrauit . Hæc edenti non cum epulante discubuit . Nec ausa est participare conuiuium : sed deferebat obsequium Disce igitur disciplinam . seruiat tibi matrona non imperet : et seruiat non recumbat sicut Martha illa ministrauit domino nec tamen est ascita conuiuio : imo prælata est ministranti : quæ uerbum potius audiebat . Sed in Martino ista regina utrumque compleuit et ministrauit ut Martha : et audiuit ut Maria . Quod si quis hoc uti uoluerit exemplo : per omnia teneat exemplum . Talis causa sit talisque persona : tale obsequium : et in omni uita semel tantum . Præclare inquit Postumiauus† : nostros istos : ut Martini non egrediantur exemplum : tua constringit oratio . Sed profiteor tibi : quia hæc surdis auribus audientur . Nam si Martini sequeremur uias : nunquam causas de osculo diceremus : et uniuersis sæuæ opinionis obprobriis careremus . Verum sicut tu soles dicere cum edacitatis argueris : galli sumus : in hac parte nunquam uel Martini exemplo uel tuis disputationibus corrigendi : fatemur teuthones sumus . Verumtamen hæc nobis iam dudum agentibus : quid tu tam obstinate Sulpici taces ? Ego inquam non solummodo taceo : sed olim de istis tacere disposui . Nam quia quandam uiduam uagam nitidulam sumptuosam obiurgauerim lasciuius uictantem : itidemque uirginem adolescenti cuidam mihi caro indecentius adhærentem : cum quidem ipsam frequenter audissem alios etiam quia talia agerent increpantem : tanta mihi omnium fœminarum cunctorumque monachorum odia concitaui : ut aduersum me utræque legiones iurata bella susciperent . Vnde quæso taceatis : ne etiam hoc quod uos loquimini ad meam referatur inuidiam . Tota nobis istorum mentio | relinquatur : ad Martinum potius reuertamur . Tu Galle ut aggressus es : cœptum opus explica . Tum ille iam quidem uobis inquit tanta narraui : ut satisfacere studiis uestris meus sermo debuerit . Sed quia uoluntati uestre non obsecundare mihi non licet : quantum adhuc diei superest loquar . Nam certe dum stramen illud quod in lectos nostros paratur aspicio : subuenit in memoriam etiam de stramine : in quo Martinus iacuerat factam esse uirtutem . Res ita gesta est . Claudiomagus uicus est in confinio Biturigum atque turnorum . Ecclesia ibi est celebris religione sanctorum : nec minus gloriosa sacrarum uirginum multitudine . Præteriens ergo Martinus in secretario ecclesiæ habuit mansionem . Post discessum illius cunctæ in secretarium illud uirgines irruerunt . Adlaniabant singula loca : ubi aut sederat uir beatus : aut steterat : Stramentum etiam in quo quieuerat partiuntur . Vna earum post dies paucos partem straminis quam sibi pro benedictione collegerat Mergumino† quem spiritus erroris agitabat de ceruice suspendit . Nec mora : dicto citius eiecto dæmone persona purgata est† . Per idem fere tempus Martino a Treueris reuerenti† fit obuia uacca : quam dæmon agitabat : Quæ relicto grege suo in homines ferebatur : et iam multos noxiæ petulans confoderat . Verum ubi nobis cœpit esse contigua : ii qui eam eminus sequebantur : prædicere magna uoce cœperunt : ut caueremus . Sed postquam ad nos toruis furibunda luminibus propius accessit† : Martinus eleuata obuiam manu pecudem consistere iubet . Quæ mox ad uerbum illius stare cœpit immobilis : cum interea uidet Martinus dorso illius dæmonem supersedentem : Quem increpans descende inquit funeste de pecude : et innoxium animal agitare desiste . Paruit nequam spiritus et recessit . Nec defuit sensus in bucula : quin se intelligeret liberatam . Ante pedes sancti recepta quiete prosternitur . Dein iubente Martino gregem suum petiit : seque

agmini cæterarum oue placidior immiscuit . Hoc illud fuit tempus : quo inter medias flammas positus non sensit incendium : Quod† mihi non arbitror esse referendum : quia hoc plenius iste Sulpi || cius licet in libro suo præteritum in epistola tamen postea : quam ad Eusebium tum presbyterum modo episcopum fecit : exposuit : Quam tu Postumiane ut credo legisti : aut si incognita tibi est : cum libuerit in promptu ex illo armario habes : nos ab illo omissa referimus . Quodam autem tempore cum dioceses circuiret uenenatum agmen incurrimus . Canes leporem sequebantur : Iamque multo spacio uicta bestiola : cum undique campis late patentibus nullum esset effugium : mortem imminentem iam iamque capienda crebris flexibus differebat . Cuius periculum uir beatus pia mente miseratus imperat canibus : ut desisterent sequi : et sinerent abire fugientem . Qui continuo ad primum sermonis imperium constiterunt . Crederes uinctos imo potius affixos in suis hærere uestigiis . Ita lepusculus persecutoribus alligatis incolumis euasit . Opere pretium autem est : etiam familiaria illius uerba spiritaliter sale condita memorare . Ouem recens tonsam forte conspexerat : Euangelicum inquit mandatum ista compleuit : Duas habuit tunicas : unam earum largita est non habenti . Ita ergo et uos facere debetis . Item cum subulcum algentem ac pene nudum in pellicia ueste uidisset : en inquit adam eiectus de paradiso in ueste pellicia sues pascit : sed nos illo uetere deposito : qui adhuc in isto manet : nouum addam potius induamus . Boues ex parte prata depauerant : porci etiam nonnulla suffoderant : pars cætera quæ manebat illæsa diuersis floribus quasi picta uernabat . Speciem inquit gerit pars illa coniugii : quæ pecore depasta : et si non penitus gratiam amisit herbarum : nullam tamen florum retinet dignitatem . Illa uero : quam porci pecora immunda foderunt : fornicationis imaginem fædam prætendit . Cæterum illa portio : quæ nullam sensit iniuriam : gloriam uirginitatis ostendit . Hærbis fæcunda luxuriat : feni in ea fructus exhuberat : et ultra omnem speciem distincta floribus quasi gemmis micantibus ornata radiat . Beata species et deo digna . Nihil enim uirginitati est comparandum . Ita et illi qui coniungia fornicationi comparant : uæhementer errant . Et illi qui coniugia uirginitati æquanda existimant : miseri penitus et stulti sunt . Verum hæc a sa | pientibus tenenda distinctio est : ut coniugium pertineat ad ueniam : uirginitas spectet ad gloriam : fornicatio deputetur ad pœnam : nisi satisfactione purgetur . Miles quidam cingulum in ecclesia monachorum professus abiecerat : cellulam sibi eminus in remoto quasi heremita uicturus erexerat . Interea astutus inimicus uariis cogitationibus brutum pecus agitabat : ut coniugem suam : quam Martinus in monasterio puellarum esse preceperat : uoluntate mutata secum potius uellet habitare . Adit ergo Martinum fortis heremita : et quid haberet animi confitetur . Ille uero uæhementer abnuere : fœminam uiro rursus iam monacho non marito incongrua ratione misceri . Postremo cum miles instaret affirmans nihil hoc proposito esse nociturum : se solo coniugis uti uelle solatio . Porro ne rursum se in sua reuoluerent non esse metuendum : se esse militem Christi : illam quoque in eadem eiusdem militiæ sacramenta iurasse : pateretur episcopus sanctus eos sexum suum fidei merito nescientes pariter militare : tum Martinus uerba uobis ipsa dicturus sum : Dic mihi inquit : si unquam in bello fuisti : si in acie constitisti . At ille respondens frequenter inquit in acie steti : et bello frequenter interfui . Ad hæc Martinus : Dic mihi ergo : Nunquid in illa acie quæ armata in prælium parabatur : ut iam aduersus hostilem exercitum collocato cominus pede districto ense pugnabat : ullam fœminam stare aut pugnare uidisti ? Tum demum miles confusus erubuit : gratias agens errori suo se non fuisse permissum : nec aspera increpatione uerborum sed uera et rationabili secundum personam militis comparatione correctum . Martinus autem conuersus ad nos sicut eum fratrum turba uallauerat : mulier inquit uirorum castra non adeat : acies militum separata consistat . Procul fœmina in suo degens tabernaculo sit remota . Contemptibilem enim reddit exercitum : si uirorum chortibus† turba fœminea misceatur . Miles in acie miles pugnet in campo : mulier se intra murorum munimenta contineat . Habet et illa gloriam suam : si pudiciciam uiro absente seruauerit . Cuius hæc prima uirtus et con || summata uictoria est : non uideri . Illud uero Sulpici meminisse te credo : quo affectu nobis dum et tu coram adesses illam uirginem prædicarit : quæ ita se penitus ab omnium uirorum oculis remouisset : ut ne ipsum quidem ad se Martinum : cum eam ille officii causa uisitare uellet : admiserit . Nam cum per agellulum illius præteriret : in quo se iam ante complures annos pudica cohibebat audita fide illius

atque uirtute deuertit : ut tam illustris meriti puellam religioso officio episcopus honoraret . Nos consequenter gauisuram illam uirginem putabamus : si quidem hoc in testimonium uirtutis suæ esset habitura : ad quam tanti nominis sacerdos deposito propositi rigore uenisset . Vere illa fortissima uincula propositi : ne Martini quidem contemplatione laxauit . Ita uir beatus accepta per aliam fœminam excusatione laudabili ab illius foribus : quæ se uidendam salutandamque non dederat : lætus abscessit . O uirginem gloriosam quæ ne a Martino quidem passa est se uideri . O Martinum beatum : qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit : sed magnificans illius cum exultatione uirtutem inusitatum in his duntaxat regionibus gaudebat exemplum . Ergo cum haud longe ab illa uillula nos manere nox imminens coegisset : exennium beato uiro eadem illa uirgo transmisit : fecitque Martinus quod ante non fecerat . Nullius enim ille unquam exennium : nullius munus accepit . Nihil ex his quæ uirgo uenerabilis miserat refutauit : dicens benedictionem illius a sacerdote minime respuendam : quæ esset multis sacerdotibus præferenda . Audiant quæso uirgines istud exemplum : ut fores suas : si eas mali obsidere uoluerint : etiam bonis claudant . et ne ad se improbis sit liber accessus : non uereantur excludere etiam sacerdotes . Totus hoc mundus exaudiat : uideri se a Martino uirgo non passa est . Non utique illa quemcumque a se repulit sacerdotem : sed in eius uiri conspectum puella non uenit : quem uidere salus uidentium fuit . Quis autem hoc alius præter Martinum sacerdos non ad suam iniuriam retulisset ? Quos aduersus sanctam uirginem motus : quantasque iras mente concepisset : hæreticam iudicasset : et anatematizandum esse de | creuisset : quam uero illi beatæ animæ illas uirgines prætulisset : quæ crebris occursibus utique se præbent obuias sacerdotibus : quæ conuiuia sumptuosa disponunt : quæ una pariter accumbunt ? Sed quo me ducit oratio ? Paululum iste liberior sermo reprimendus est : ne in aliquorum forsitan incurrat offensam . Etenim infidelibus obiurgationis uerba non proderunt : fidelibus autem satisfaciet exemplum . Verum ego ita uirtutem huius uirginis prædicabo : ut tamen nihil illis quæ ad Martinum uidendum ex longinquis regionibus sæpe uenerunt arbitrer derogandum . Si quidem hoc beatum uirum frequenter affectu etiam angeli frequentarunt . Cæterum id quod dicturus sum Postumiane hoc tibi me autem intuebatur teste perhibeo . Quodam die ego et iste Sulpicius pro foribus illius excubantes iam per aliquot horas cum silentio sedebamus ingenti honore et tremore : ac si ante angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus . Cum quidem clauso cellulæ suæ hostio nos ibi esse nesciret . Interim colloquentium murmur audimus : et mox horrore quodam circumfundimur : ac obstupentes nec ignorare potuimus nescio quid fuisse diuinum . Post duas fere horas ad nos Martinus egreditur : ac tum eum iste Sulpicius : sicut apud eum nemo familiarius loquebatur : cœpit orare : ut pie quærentibus indicaret : quid illud diuini fuisset horroris : quod fatebamur nos ambo sensisse : uel cum quibus fuisset in cellula collocutus : tenuem enim nos licet et uix intelligibilem sermocinantium sonum pro foribus audisse . Tum ille diu multumque cunctatus : sed nihil erat quod ei Sulpicius non extorqneret † inuito : incredibilia forte dicturus sum : sed Christo teste non mentior : nisi quisquam est tams acrilegus† : ut Martinum extimet fuisse mentitum : dicam inquit uobis : sed uos ipsi nulli quæso dicatis : Agnes Thecla et Maria mecum fuerunt . Referebat autem nobis uultum atque habitum singularum . Nec uero illo tantum die : sed frequenter se ab eis confessus est uisitari . Petrum etiam et Paulum apostolos uideri a se sæpius non negauit . Iam uero dæmones prout ad eum quisque uenisset suis no || minibus increpabat : Mercurium maxime patiebatur infestum : Iouem brutum atque hebetem esse dicebat . Nec plerisque etiam in eodem monasterio constitutis incredibilia uidebantur : ne dum ego confidam omnes qui hæc audient crédituros . Nam nisi inextimabilem uitam atque uirtutem Martinus egisset : nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur . Quamquam quid mirum si in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit : cum multos hodieque uideamus nec euangeliis quidem credidisse ?

A Mrtino† autem sepæ angelos uisos familiariter et sensimus et experti sumus . Rem minimam dicturus sum : sed tamen dicam . Apud Emausum episcoporum sinodus habebatur : ad quam quidem ire noluerat : sed quid gestum esset : scire cupiebat . Casu cum eo iste Sulpicius nauigabat : sed procul ut semper a cæteris solus in remota nauis parte residebat . Ibi ei angelus quod gestum esset in sinodo nunciauit . Nos postea tempus habiti consilii solicite requirentes satis conpertum habuimus ipsum

diem fuisse conuentus : et ea ibi ab episcopis fuisse decreta : quæ Martino angelus nunciarat . Cæterum cum de fine sæculi quæreremus : ait nobis Neronem et Antichristum prius esse uenturos . Neronem in occidentali plaga subactis decem regibus imperaturum : persecutionemque ab eo eatenus exercendam : ut idola gentium coli cogat . ab Antichristo uero primum orientis esse capiendum imperium : ipsumque caput regni in hierosolima habiturum : ab illo urbem et templum reparanda . Illius enim persecutione futurum dicebat : ut Christum deum cogat negari : se potius Christum esse confirmans : omnesque secundum legem iubeat circumcidi . Ipsum denique Neronem ab Antichristo esse perimendum : atque ita sub illius potestate uniuersum orbem cunctasque gentes esse redigendas : donec Christi aduentu impius opprimatur . hæc cum maxime Gallus necdum explicitis quæ statuerat referre loqueretur : puer famililiaris† ingressus est : nuncians Refrigerium presbyterum stare pro foribus . Dubitare cœpimus utrum Gallum adhuc esset melius audire : an ex optatissimo nobis uiro qui officii causa ad nos ueniebat occurrere . | Tum Gallus : Etiam si non ob aduentum sanctissimi sacerdotis relinquenda nobis esset oratio : nox ipsa cogebat hucusque protractum finire sermonem . Verum quia de Martini uirtutibus nequaquam explicari uniuersa potuerunt hæc uos hodie audisse sufficiat : cras reliqua dicemus . Ita pariter accepta hac Galli responsione surreximus .

DE VITA SANCTI MARTINI LIBER SECVNDVS .

Lucescit o Galle : surgendum est . Nam ut uides et Postumianus instat : et hic presbyter qui hesternum auditorium amisit expectat : ut quæ de Martino in hodiernum diem explicanda distuleras : debitor sponsionis euoluas . Non ignarus quidem iste omnium quæcumque memoranda sunt : sed dulcis et grata cognitio est etiam nota relegenti : si quidem naturæ ita comparatum sit : ut meliore quis conscientia se nosse congaudeat : quæ multorum testimonio non esse incerta cognoscat . Nam et hic a prima adolescentia Martinum : secutus nouit quidem omnia : sed libenter cognita recognoscit . Fatebor enim tibi Galle : Martini mihi sæpius auditas esse uirtutes : quippe qui de eo etiam litteris multa mandauerim : sed per gestorum ammirationem semper mihi noua sunt : quæ de illo licet audita sæpius reuoluuntur . Proinde additum nobis refrigerium auditorem eo impensius gratulamur : quo promptius Postumianus iste qui hæc orienti inferre festinat : quasi sub testibus consignatam abs te accepturus est ueritatem . Hæc me loquente : et Gallo ad narrandum parato : irruit turba monachorum . Euagrius presbyter : Aper Sebastianus Agricola et post paululum ingreditur presbyter noster Eteruis† cum Calipione diacono et Amatore subdiacono : postremus Aurelius presbyter dulcissimus meus longiore uia ueniens annahelus occurrit . Quid uos inquam tam subito : tam insperati : tam ex diuersis regionibus : tam mane concurritis . Nos inquiunt hesterno cognouimus Gallum istum : per totum diem Martini narrasse uirtutes et reliqua in hodiernum diem quia nox oppresserat distulisse : propterea maturauimus frequens auditorium facere tantam materiam locuturo . Interea || nunciatur multos sæcularium stare pro foribus nec ingredi audentes : sed ut admitterentur orantes . Tum Aper nequaquam inquit istos nobis admisceri conuenit : quia ad audiendum curiositate potius quam religione uenerunt . Confusus ego illorum uice : quos non admittendos esse censebat : ægre tamen obtinui : ut Eucherium ex uicariis et Celsum admitterent consularem . Cæteri sunt repulsi . Tum Gallum media in sede componimus : Qui cum diu nobili sua uerecundia silentium tenuisset : tandem ita exorsus est . Conuenistis inquit ad me audiendum et sancti et diserti : sed religiosas potius quam doctas aures ut arbitror attulistis : audituri me fide testis non oratoris copia locuturum . Quæ autem hesterno dicta sunt . non reuoluam . Illa qui non audierunt : ex scriptis recognoscent . Noua Postumianus expectet nunciaturus orienti : ne se in comparatione Martini præferat occidenti . Ac primum cogitat : cupit : desyderat : gestit animus : quod Refrigerius in aurem suggerit explicare . Res in Carnoto gesta est ciuitate . Pater filiam duodecennem ab utero mutam Martino cœpit offerre : poscens ut linguam ligatam meritis suis sanctus absolueret . Ille cedens episcopis qui tum forte latus illius inambiebant Valentiniano atque Victricio imparem se esse tantæ moli : sed illis quasi sanctioribus nihil impossibile fatebatur . At illi pias preces una cum patre supplici uoce iungentes cœperunt orare Martinum : ut sperata præstaret .

Nec cunctatus ultra utrumque præclarum et ostendendo humilitatem nec differendo pietatem : iubet circunstantis populi multitudinem submoueri Episcopis tantum et puelle patre assistentibus : in orationem suo illo more prosternitur . Dein pauxillum olei cum exorcismi præfatione benedicit : atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem : cum et linguam illius digitis teneret : infudit . Nec fefellit sanctum uirtutis euentus : patris nomen interrogat : mox illa respondit . Proclamat pater cum gaudio pariter et lachrymis Martini genua complexus et hanc primam se filiæ audisse uocem cunctis stupentibus fatebatur . Ac ne cuiquam id forte incredibile uideatur : perhibeat no | bis præsens Euagrius testimonium ueritatis . Nam res ipso præsente tum gesta est . Paruum illud est : quod nuper Arpagio presbytero referente cognoui : sed non prætermittendum uidetur . Auitiani comitis uxorem misisse Martino oleum quod ad diuersas morborum causas necessarium : sicut est consuetudo : benediceret : ampullam uitream istiusmodi fuisse : ut rotunda in uentrem cresceret ore producto : sed oris extantis concauum non repletum : quia ita moris sit uascula illa compleri : ut pars umbonibus obstruendis libera relinquatur . Testabatur presbyter uidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse : quoad exundante copia supernæ difflueret : eandemque dum ad matremfamilias uasculum referretur seruasse uirtutem . Nam inter manus pueri reportantis ita semper exundasse oleum : ut omne illius uestimentum copia superfusi liquoris operiret : matronam ita usque ad summum labrum plenum uasculum recepisse : ut presbyter hodieque fateatur : obdendi pessuli quo claudi diligentius seruanda consueuerunt . in uitro illo spacium non fuisse . Mirum et illud : quod huic : me autem intuebatur : memini contigisse . Vas uitreum cum oleo : quod Martinus benedixerat in fenestra paululum editiore deposuit : puer familiaris incautior linteum superpositum ampullam ibi esse ignarus attraxit : uas super constratum marmore pauimentum decidit . Cunctis metu exterritis : ne benedictio deperisset : ampulla proinde incolumis est reperta : ac si super plumas mollissimas decidisset . Quæ res non potius ad casum quam ad Martini est referenda uirtutem : cuius benedictio perire non potuit . Quid illud quod factum est a quodam : cuius nomen quia præsens est : et prodi se uetuit supprimetur ? Cui quidem tempori : hic etiam Saturninus interfuit . Canis nobis importunior oblatrabat . In nomine inquit Martini iubeo te obmutescere . Cani hæsit latratus in gutture : ita ut linguam abscisam putares obmutuit . Ita parum est ipsum Martinum fecisse uirtutes : credite mihi quia etiam alii in nomine eius multa fecerunt . Auitiani quondam comitis noueratis barbaram nimis et ultra omnia cruentam feritatem . Hic rabido spi || ritu ingressus turonum ciuitatem sequentibus cum miserabili facie ordinibus cathenatis : diuersa perdendis parari iubet genera pœnarum : disponens postero die attonita ciuitate ad opus tam triste procedere : Quod ubi Martino compertum est : solus paulo ante mediam noctem ad prætorium bestiæ illius tendit . Sed cum profundæ noctis silentio quiescentibus cunctis : nullus foribus obseratis pateret ingressus : ante limina cruenta prosternitur . Interea Auitianus graui somno sepultus : angelo ingruente percellitur . Seruus inquit dei ad tua limina iacet : et tu quiescis ? Qua ille uoce percepta lecto suo turbatus excutitur . Conuocatisque seruis : trepidus exclamat Martinum esse pro foribus . Irent protinus claustra reserarent : ne dei seruus iniuriam pateretur . Sed illi ut est omnium natura seruorum uix prima limina egressi irridentes dominum suum quod somno fuisset illusus : negant quemque esse pro foribus : ex suomet ingenio coniectantes neminem nocte posse uigilare : ne dum illi crederent in illo noctis horrore iacere ante aliena limina sacerdotem . Idque Auitiano facile persuasum : rursum soluitur in soporem . Sed mox ui maiore concussus exclamat Martinum stare pro foribus : sibi ideo nullam quietem animi corporisque permitti . Tardantibus seruis ipse usque ad limina exteriora progreditur Ibi Martinum ut senserat depræhendit . percussus miser tantæ manifestatione uirtutis : quid inquit mihi hoc domine fecisti ? Nihil te loqui necesse est . scio quid desyderes . uideo quid requiras . Discede quantocyus : ne me ob iniuriam tuam cælestis ira consumat . Satis soluerim hucusque pœnarum : crede : quia non leuiter apud me actum est : ut ipse procederem . Post discessum autem sancti aduocat officiales suos : iubet omnes custodias relaxari : et mox ipse proficiscitur . Ita fugato Auitiano lætata est se ciuitas liberatam . Hæc cum multis Auitiano referente comperta sint : tum nuper Refrigerius presbyter quem coram uidetis ab Agarido fideli uiro ex tribunis sub innocatione† diuinæ maiestatis audiuit : qui sibi hoc ab ipso Auitiano iuratum esse dicebat . Cæterum nolo

miremini : me hodie facere quod hesterno non feci ? ut ad singulas quasque | uirtutes nomina testium personasque subnectam . Ad quas si quis fuerit incredulus : quia adhuc in corpore sunt recurrat . Exigit id infidelitas plurimorum : qui in aliquibus quæ hesterno memorata sunt nutare dicuntur . Accipiant ergo testes adhuc incolumes atque uiuentes : quibus quia de fide nostra dubitant : magis credant . Sed si adeo infideles sunt : profiteor quia nec illis sunt credituri : Miror autem quenquam qui uel tenuem sensum religionis habeat : tantum piaculi uelle committere : ut putet quenquam de Martino posse mentiri . Facessat a quoquam qui sub deo uiuit ista suspicio . Neque enim Martinus hoc indiget ut mendaciis asseratur : sed tamen totius sermonis fidem apud te Christe depromimus : nos nec alia dixisse nec alia dicturos : quam quæ aut ipsi uidimus : aut quæ manifestis auctoribus uel plærumque ipso referente cognouimus . Cæterum et si dialogi speciem quo ad leuandum fastidium lectio uariaretur assumpsimus : pie nos præstare profitemur historiæ ueritatem : Hæc me extrinsecus inserere nonnullorum incredulitas non sine meo dolore compulerit : sed redeat ad nostrum sermo consensum . In quo me cum tam studiose audiri uideam : fatebor necesse est Aprum fecisse constanter : qui repulit infideles eos : tantum iudicans audire debere qui crederent .

Efferor si quid creditis spiritu et præ dolore totus insanio : quia non credunt Martini uirtutibus christiani : quas dæmones fatebantur . Monasterium beati uiri duobus a ciuitate erat millibus disparatum . Sed si quotiens uenturus ad ecclesiam pede extra cellulæ suæ limen extulerat : uideres per totam ecclesiam inerguminos rugientes : et quasi audiente iudice agmina damnanda trepidare : ut aduentum episcopi clericis qui uenturum esse nescirent dæmoniorum gemitus indicaret : Vidi quendam appropinquante Martino in aera raptum manibus extensis in sublime suspendi : ut nequaquam solum pedibus attingeret . Siquando autem exorcizandorum dæmonum Martinus operam recepisset : neminem manibus attrectabat : neminem sermonibus increpabat : sicut plærumque per clericos rotatur turbo uerborum : sed amotis inerguminis cæteros iubebat abscedere || ac foribus obseratis in medio ecclesiæ cylicio circumtectus cinere respersus solo stratus orabat . Tum uero cerneres miseros diuerso exitu perurgeri : hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere : nec tamen uestes defluere super faciem : ne faceret uerecundiam nudata pars corporum . At in parte alia uideres uiros sine interrogatione uexatos : et sua crimina confitentes . Nomina etiam nullo interrogante prodebant . Ille se Iouem : iste Mercurium fatebatur . Postremo cunctos diaboli ministros cum ipso cerneres auctore cruciari : ut iam in Martino illud fateamur impletum : quod scriptum est : quoniam sancti de angelis iudicabunt .

Pagum quendam in senonico : annis singulis grando uastabat . Compulsi extremis malis incolæ a Martino auxilium poposcerunt : missa per Auspicium præfectorium urumi† satis fida legatione : cuius agros specialiter grauius quam cæterorum assueuerat procella populari . Sed facta ibi oratione Martinus ita uniuersam penitus liberauit ab ingruenti peste regionem : ut per uiginti annos quibus postea mansit in corpore grandinem in illis locis nemo pertulerit . Quod ne fortuitum esse et non potius Martino præstitum putaretur : eo anno quo ille defunctus est rursus incubuit rediuiua tempestas . Adeo sensit et mundus uiri fidelis excessum : ut cuius uita iure gaudebat : eiusdem mortem lugeret . Cæterum si ad hæc probanda quæ diximus testes etiam infirmior auditor exegerit : non unum ego hominem sed multa millia producam : et totam in testimonium uirtutis expertam Senonum aduocabo regionem . Et tamen tu Refrigeri presbyter credo meministi nuper nobis super hoc cum Romulo Auspicii illius filio honorato et religioso uiro fuisse sermonem : qui hæc nobis tanquam incomperta referebat : et cum futuris prouentibus per assidua damna trepidaret : ut ipse uidisti magno secum mærore lugebat Martinum non in hæc tempora reseruatum .

Sed ut ad Auitianum recurram : qui cum in omnibus locis cunctisque in urbibus† ederet crudelitatis suæ infanda monumenta : turonis tantum innocens erat . et illa bestia quæ humano sanguine et infelicium mortibus ale | bantur : mitem se atque tranquillum beato uiro præsente præstabat . Memini quodam die ad eum uenisse Martinum : qui ubi secretarium eius ingressus est : uidet post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem : Quem eminus : ut uerbo : quia ita necesse : parum latino loquamur : exufflans : Auitianus se exufflari existimans : quid me inquit sancte

sic accipis ? Tum Martinus non te inquit : sed eum qui ceruici tuæ teter incumbit . Cessit diabolus : et reliquit familiare subsellium . Satisque constat post illum diem Auitianum mitiorem fuisse : seu quod intellexerit egisse se semper assidentis sibi diaboli uoluntatem : seu quod immundus spiritus ab illius consensu per Martinum fugatus priuatus est potestate crassandi : cum erubesceret minister auctorem : nec ministrum auctor urgeret . In uico autem ambatiensi id est castello illo ueteri : quod nunc frequens habitatur a fratribus : idolum noueratis grandi opere constructum . Politissimis saxis moles turrita surrexerat : quæ in thronum sublime procedens superstitionem loci operis dignitate seruabat . Huius destructionem Marcello ibidem† consistenti presbytero uir beatus sæpe mandauerat . Post aliquantum tempus regressus increpat presbyterum : cur adhuc idoli structura consisteret . Ille causatus uix militari manu et ui publicæ multitudinis tantam molem posse subuerti : nedum id facile putaret per imbecillos clericos aut infirmos monachos quiuisse curari . Tum Martinus recurrens ad nota præsidia noctem totam in oratione peruigilat . Mane orta tempestas edem idoli usque ad fundamentum prouoluit . Verum hæc Marcello teste dicta sunt . Aliam eius non dissimilem in simili opere uirtutem Refrigerio astipulante perhibeo : Columnam immensæ molis : cui idolum superstabat : parabat euertere : sed nulla erat facultas : qua id daretur effectui . Tum ad orationem suo more conuertitur . Visam certum est parilem quodammodo columnam ruere de cælo : quæ impacta idolo totam illam inexpugnabilem molem soluit in puluerem . Parum scilicet esset : si inuisibiliter cæli uirtutibus uteretur : nisi ipse uirtutes uisibiliter ser || uire Martino humanis etiam oculis cernerentur . Idem autem Refrigerius mihi testis est : mulierem profluuio sanguinis laborantem : cum Martini uestem exemplo mulieris illius euangelicæ contigisset : sub momento temporis fuisse sanatam . Serpens flumen secabat : et ripæ in qua constiterat annatabat . In nomine inquit domini iubeo te redire . Mox se mala bestia ad uerbum sancti retorsit : et in ulteriorem ripam nobis inspectantibus transmeauit . Quod cum omnes non sine miraculo cerneremus : altius ingemiscens ait . Serpentes me audiunt : et homines non audiunt .

Piscem paschæ diebus edere consuetus paulo ante horam refectionis interrogat : an haberetur in promptu . Tum Cato diaconus ad quem monasterii administratio pertinebat : doctus ipse piscari negat per totum diem sibi ullam cessisse capturam : sed neque alios piscatores qui uendere solebant quicquam agere quiuisse . Vade inquit mitte linum tuum . captura proueniet . Contiguum flumini : ut Sulpicius iste descripsit : habebamus habitaculum . Processimus cuncti ut pote feriatis diebus uidere piscantem : omnium spebus intentis non incassum futura temptamina : quibus piscis Martino auctore Martini usibus quæreretur . Ad primum iactum in ræte permodico immanem Isocem diaconus extraxit : ad monasterium lætus accurrens . Nimirum ut dixit poeta nescio quis : utimur enim uersu scholastico : quia inter scholasticos fabulamur :

captiuumque suem mirantibus intulit Argis .

Vere iste Christi discipulus gestarum a saluatore uirtutum : quas in exemplum sanctis suis : edidit æmulator Christum in se monstrabat operantem : qui sanctum suum usquequaque glorificans diuersarium munera gratiarum in unum hominem conferebat . Testatur Arborius ex præfecto uidisse se Martini manum sacrificium† offerentis uestitam quodammodo nobilissimis gemmis : luce micare purpurea : et motu dextere collisarum inter se fragorem audisse gemmarum . Veniam ad illud : quod propter temporum notam semper occultauit : sed nos celare non potuit . In quo illud est miraculi : quod facie ad faciem cum eo est angelus collocutus . Maximus imperator alias sane bonus depraua | tus consiliis sacerdotum post Priscilliani necem Ithacium episcopum Priscilliani accusatorem cæterosque illius socios : quos nominari non est necesse : ui regia tuebatur : ne quis ei crimini daret opera illius cuiuscumque modi hominem fuisse damnatum . Interea Martinus multis grauibusque laborantium causis ad comitatum ire compulsus procellam ipsam totius tempestatis incurrit . Congregati apud Treueros episcopi tenebantur : qui quottidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant . His ubi nunciatum est inopinantibus adesse Martinum totis animis labefactati mussare et trepidare cœperunt . Et iam pridem imperator ex eorum sententia decreuerat tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere : qui

hereticos inquirerent : deprehensis uitam et bona adimerent . Nec dubium erat . quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas ista depopulatura esset : paruo discrimine inter hominum genera . Etenim solis oculis iudicabatur : cum quis pallore potius aut ueste quam fide hæreticus extimaretur . Hæc nequaquam placitura Martino episcopi sentiebant : sed male consciis illa uel molestissima erat cura : ne se ab eorum communione adueniens abstineret : non de futuris qui tanti uiri constantiam premissa auctoritate sequerentur . Ineunt cum imperatore consilium ut missis obuiam magistri officialibus urbem illam propius uetaretur accedere : nisi se cum pace episcoporum ibi consistentium affore fateretur . Quos ille callide est frustratus : profitetur se cum pace Christi esse uenturum . Postremo ingressus nocturno tempore adit ecclesiam tantum orationis gratia . Postero die palatium petit . Præter multas quas euoluere longum est : has principales petitiones habebat pro Narsete comite et Leucadio preside : quorum ambo gratia partium fuerant pertinacioribus studiis : quibus non est nnnc† temporis explicare iram intentionis et meriti . Illa præcipue cura : ne tribuni cum iure gladiorum ad Hispanias mitterentur . Pia enim erat sollicitudo Martino : ut non solum christianos qui sub illa erant occasione uexandi : sed ipsos etiam hereticos liberaret . Verum || primo die atque altero suspendit hominem callidus imperator : siue ut rei pondus imponeret : siue quia obnoxius sibi implacabilis erat : seu quia ut plærique tum arbitrabantur auaricia repugnabat : si quidem in bona eorum inhiauerat . Fertur enim uir ille multis bonisque actibus præditus aduersus auariciam parum consuluisse : nisi si regni necessitas quippe exhausto a superioribus principibus reipublicæ ærario pene semper in expectatione atque procinctu bellorum ciuilium constitutus : facile excusabitur quibuslibet occasionibus subsidia imperio parauisse . Interea episcopi quorum communionem non inibat Martinus trepidi ad regem concurrunt prædamnatos se conquærentes : actum esse de suo omnium statu : si Theognisti pertinaciam qui eos solos palam lata sententia condemnauerat Martini armaret auctoritas : non oportuisse hominem recipi menibus : illum iam non defensorem hæreticorum sed uindicem : nil actum morte Prisciliani : si Martinus exerceat illius ultionem . Postremo prostrati cum flætu et lamentatione potestatem regiam implorant : ut utatur aduersus unum hominem ui sua : Nec multum abeerat† : quin cogeretur Imperator Martinum cum hæreticorum sorte miscere . Sed ille licet episcopis nimio fauore esset obnoxius : non erat nescius Martinum fide sancticate† ac uirtute cunctis præstare mortalibus . Alia longe uia sanctum uincere parat : ac primum secreto accersitum blande appellat hæreticos iure damnandos more iudiciorum publicorum potius quam insectationibus sacerdotum non esse causam qua Ithacii cæterorumque partis eius communionem putaret esse damnandam . Theognistum odio potius quam causa fecisse dissidium : eundemque tamen solum esse : qui se a communione interim separarit a reliquis nihil nouatum : quin etiam ante paucos dies habita sinodus Ithacium pronuntiauerat culpa non teneri : Quibus cum Martinus parum moueretur : rex ira accenditur : ac se de conspectu eius abripit : et mox percussores piis pro quibus Martinus rogauerat diriguntur : quod ubi Martino compertum iam noctis tempore est : palatium irrupit : spondet : si parceretur se communicaturum : tantummodo ut et tribuni iam in excidium | ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur . Nec mora Maximus indulget omnia Postero die Felicis episcopi ordinatio parabatur : sanctissimi sane uiri et plane digni : qui meliore tempore sacerdos fieret . Huiusmodi eis communionem Martinus iniit : satius estimans ad horam cedere quam his non consulere : quorum ceruicibus gladius imminebat . Verumtamen summa ui episcopis nitentibus ut communionem illam subscriptione firmaret : extorqueri non potuit . Postero die se inde proripiens : cum reuertens in uia mæstus ingemisceret se uel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum : haud longe a uico cui nomen est Andethanna : qua uastas sollitudines syluarum secreta patiuntur : processis paululum comitibus ille subsedit : Causam doloris et facti accusante aç defendente inuicem cogitatione peruoluens . Astitit ei repente angelus : merito inquit Martine compungeris : sed aliter exire nequisti . Repara uirtutem : resume constantiam : ne iam non periculum gloriæ sed salutis incurreris . Itaque ab illo tempore satis cauit cum illa ithacianæ partis communione misceri . Cæterum cum quosdam ex inerguminis tardius quam solebat et gratia minore curaret : subinde nobis cum lachrymis fatebatur se propter communionis illius malum : cui se uel puncto temporis necessitate non spiritu miscuisset : detrimentum sentire uirtutis . Sexdecim postea uixit

annos nullam sinodum adiit ab omnibus episcoporum conuentibus se remouit . Sed plane ut experti sumus imminutam ad tempus gratiam multiplicata mercede reparauit . Vidi postea ad pseudophorum monasterii ipsius adductum inerguminum : et priusquam limen attingeret fuisse curatum . Testantem quendam nuper audiui : cum in tirrheno mari cursu illo quo Romam tenditur nauigaret : subito turbinibus exortis extremum uitæ omnium fuisse discrimen : ad quod quidam ægiptius negotiator necdum christianus magna uoce clamauerit : deus Martini eripe nos : mox tempestatem fuisse sedatam : seque optatum cursum cum summa placidi æquoris quiete tenuisse . Ycontius ex uicariis uir fidelis cum familiam illius lues extrema uexaret : et inaudite calamitatis exemplo per totam do || mum corpora ægra procumberent : Martini per litteras implorauit auxilium . Quo tempore uir beatus rem esse promisit difficilem impetrari : nam spiritu sentiebat domum illam diuino numine uerberari : tamen non prius destitit : septem totos dies totidemque noctes orando et ieiunando continuans : quam id quod exorandum receperat impetraret . Mox ad eum Lycontius diuina expertus beneficia peruolauit : nuncians simul et agens gratias domum suam omni periculo liberatam . Centum etiam libras argenti obtulit : quas uir beatus nec respuit nec recepit : sed priusquam illud pondus monasterii limen attingeret : redimendis id captiuis continuo deputauit . Et cum ei suggereretur a fratribus : ut aliquid ex eo in sumptum monasterii reseruaret : omnibus in augusto† esse uictum : multis deesse uestitum : nos inquit ecclesia et pascat et uestiat : dummodo nihil nostris usibus quæsisse uideamur . Sucurrunt hoc loco illius uiri magna miracula : quæ facilius admirari possumus quam referre . Agnoscitis profecto : quod dico : multa sunt• illius quæ non queant explicari . ueluti istud est : quod nescio an ita ut gestum est : a nobis possit exponi . Quidam e fratribus nomen non ignoratis : sed celanda persona est : ne sancto uiro uerecundiam fecerimus . Quidam ergo cum ad fornaculam illius carbonum copiam reperisset : et ammota sibi sellula diuaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret : continuo Martinus factam sacro tegmini sensit iniuriam : magna uoce proclamans : Quis inquit nudato inguine nostrum incestat habitaculum ? Hoc ubi ille frater audiuit : et ex conscientia qnod† increpabatur agnouit : continuo ad nos cucurrit exanimis pudorem suum non sine Martini uirtute confessus . Quodam itidem die dum in area quæ parua admodum tabernaculum illius ambiebat : in illo suo quod nostis omnes sedili ligneo resedisset : uidet duos dæmones in excelsa illa quæ monasterio supereminet rupe consistere : inde alacres ac lætos uocem istiusmodi adhortationis emittere : Heia te Briccio : credo cernebant miserum eminus propinquantem : conscii quantam illi rabiem sui spiritus suscitassent . Nec mora Briccio furibun | dus irrupit : ibi plenus insaniæ euomuit in Martinum mille conuitia . Obiurgatus enim pridie fuerat : cur qui nihil umquam ante clericatum quippe in monasterio ab ipso Martino nutritus habuisset : equos aleret : mancipia compararet . Nam iam illo tempore arguebatur a multis : non solum pueros barbaros : sed etiam puellas scitis uultibus emisse : Quibus rebus infelicissimus insano felle commotus : et ut credo præcipue dæmonum illorum agitatus instinctu Martinum ita aggressus est : ut uix manibus temperaret : cum quidem sanctus uultu placido mente tranquilla infelicis amentiam per mitia uerba cohiberet . Sed ita in eo nequam spiritus redundabat : ut ne sua quidem illi quamuis uana admodum mens subesset : trementibus labiis incertoque uultu decolor præ furore rotabat uerba peccati : se asserens sanctiorem . Quippe quia a primis annis in monasterio inter sacras ecclesiæ disciplinas ipso Martino educante creuisset : Martinum uero et a principio quod diffiteri non posset militiæ actibus sorduisse . et nunc per inanes supersticiones et phantasmata uisionum ridicula prorsus et inter delyramenta senuisse . Hæc cum multa atque alia etiam quæ reticere melius est acerbiora uomuisset : egressus tandem furore saciato : quasi qui se penitus uindicasset : rapidis ea parte qua uenerat gressibus recurrebat . Cum interea credo per Martini orationes fugatis ab illius corde dæmonibus reductus in pœnitentiam mox reuertitur : atque ad Martini se genua prosternit : ueniam poscit . fatetur errorem : nec sine dæmone se fuisse tandem sanior confitetur . Non erat apud Martinum labor iste difficilis : ut ignosceret supplicanti . Tunc et ipsi et nobis omnibus sanctis exposuit : qualiter illum uidisset a dæmoniis agitari : se conuiciis non moueri : quæ magis illi a quo essent effusa nocuissent . Exinde cum idem Briccio multis apud eum magnisque criminibus persepe premeretur : cogi non potuit : ut eum a presbyterio

submoueret : ne suam persequi uideretur iniuriam : illud sæpe commemorans : si Christus Iudam passus est : cur ego non patiar Briccionem ? Ad hæc Postumianus : Audiat inquit etiam || istud exemplum noster iste de proximo : qui cum sit sapiens immemor presentium immemor futurorum si :† fuerit offensus insanit : in sua se non habens potestate . Sæuit in clericos : crassatur in laicos : totumque terrarum orbem in suam commouet ultionem . In qua per triennium iugiter dimicatione consistens nec tempore nec ratione sedatur . Dolenda hominis et miseranda conditio etiam si in hac sola insanabilis mali peste premeretur . Verum ista ei pœnitentie et tranquillitatis exempla referre† sæpius Galle debueras : ut nesciret irasci : et sciret ignoscere . Qui si istum ipsum breuiter insertum sermonem meum in se prolatum forte cognouerit : sciat non magis ore inimici quam amici animo me locutum : Quia si fieri posset : optarem ut Martino potius episcopo quam Phalari tiramno similis diceretur . Sed istum cuius commemoratio parum suauis est transeamus : ad Martinum nostrum Gale redeamus . Tum ego cum adesse uesperum occiduo sole sentirem : dies inquam abiit Postumiane : surgendum est : simul tam studiosis auditoribus cæna debetur . De Martino autem expectare non debes : ut ulla sit meta referendi . Latius ille diffunditur : quam ut ullo ualeat sermone concludi . Ista interim de illo uiro portabis orienti : sed dum recurris diuersas oras . loca . portus . insulas : urbesque præterlegis : Martini gloriam sparge per populos . In primis memento : non præterire Campaniam : et si maxime cursus in deuio sit . Non tamen tibi tanti sint uel magnarum morarum ulla dispendia : quin illic adeas illustrem uirum : ac toto laudatum orbe Paulinum . Illi quæso te primum sermonis nostri :- quod uel hesterno confecimus : uel hodie diximus uolumen euolue . Illi omnia referes . illi cuncta recitabis : ut mox per illum sacras uiri laudes Roma cognoscat . Sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum sed etiam per totum diffudit Illyricum . Ille Martini non inuidus gloriarum sanctarumque in Christo uirtutum piissimus extimator non abnuit præsulem nostrum cum suo Felice componere . Inde si forte ad Aphricam transfretabis : referes audita Carthagini . Licet iam pridem ut ipse dixisti uirum nouerit : tamen nunc precipue de eo plu | ra cognoscat : ne solum ibi Ciprianum martyrem suum quamuis sancto illius sanguine consecrata miretur . Iam si ad leuam Achaiæ sinum paululum deuexus : intraueris : sciat Corynthus sciant Athene non sapientiorem in Achademia Platonem : nec Socratem in carcere fortiorem . felicem quidem Græciam quæ meruerit audire apostolum prædicantem : sed nequaquam a Christo gallias derelictas : quibus donauerit habere Martinum . Cum uero Aegyptum usque perueneris : quanquam illa suorum sanctorum numero et uirtutibus sit superba : tamen non dedignetur audire : qua illi uel uniuersæ Asiæ in solo Martino Europa non cesserit . Cæterum cum hierosolimam inde petiturus uentis rursum uela commiseris : negotium tibi nostri doloris iniungo : ut si unquam illustris illius plutomaidis littus accesseris : sollicitus inquiras : ubi sit consepultus noster ille Pomponius : nec fastidias uisitare ossa peregrina . Multas illic lachrymas tam ex affectu tuo quam ex nostris funde uisceribus : ac licet inani munere solum ipsum flore purpureo† ex suaue redolentibus sparge graminibus . Dices tamen illi sed non aspere : non acerbe : compatientis alloquio non exprobrantis elogio quod si uel te quondam uel me audire uoluisset : et Martinum magis quam illum quem nominare nolo fuisset imitatus : nunquam a me tam crudeliter disparatus ignoti pulueris regione tegeretur : naufragii forte pedonis passus in medio mari mortem et uix in extremo nactus littore sepulturam . Videant hoc opus suum : quicumque ex illius abscessu mihi nocere uoluerunt . Videant gloriam suam : et uel nunc aduersum nos crassari desinant uindicati . Hæc cum maxime flebili uoce gemeremus : omnium lachrymis per nostra lamenta commotis cum magna quidem Martini ammiratione sed non minore ex nostris flætibus dolore discessum est .

DE TRANSITV SANCTI MARTINI

[M]artinus igitur obitum suum longe ante præsciuit : dixitque fratribus dissolutionem sui corporis imminere . interea causa extitit : qua condatensem diocesim uisitaret . Nam clericis inter se ecclesie illius discordantibus pacem cupiens reformare : licet finem dierum || suorum non ignoraret : proficisci tamen ob istiusmodi causam non recusauit : bonam hanc uirtutum suarum consummationem existimans :

si pacem ecclesiæ redditam reliquisset : Ita profectus cum suo illo ut semper frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu mergos in flumine conspicatur piscium prædam sequi : et rapacem ingluuiem singulis urgere capturis . Forma inquit hæc dæmonum est . Insidiantur incautis : capiunt nescientes : captos deuorant : exaturarique non queunt deuoratis . Imperat dein potenti uirtute uerborum : ut eum cui innatabant gurgitem relinquentes : aridas peterent desertasque regiones : eo miro circa aues illas usus imperio : quo dæmones fugare consueuerat . Ita grege facto : omnes in unum illæ uolucres congregatæ relicto flumine montes syluasque petierunt : non sine ammiratione multorum : qui tantam in Martino uirtutem uiderent : ut etiam auibus imperaret . Aliquandiu ergo in uico illo uel in ecclesia ad quam ierat commoratus : pace inter clericos restituta : cum regredi ad monasterium cogitaret : uiribus corporis cœpit repente destitui . Conuocatisque discipulis : indicat se iam resolui . Tum uero mæror et luctus omnium : uox una plangentium . Cur nos pater deseris : aut cui nos desolatos relinquis ? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces . Et quis eos a morsibus nostris percusso pastore prohibebit ? Scimus quidem desyderare te Christum : sed salua tibi sunt tua præmia : nec dilata minuentur : nostri potius miserere : quos deseris . Tunc ille motus his flætibus ut totus semper in domino misericordiæ uisceribus affluebat : lachrymasse perhibetur . Conuersusque ad dominum : hac tantum flentibus uoce respondit : Domine si adhuc populo tuo sum necessarius : non recuso laborem : fiat uoluntas tua . Nimirum inter spem amoremque positus : dubitauit pene quid mallet : quia nec hos deserere : nec a Christo uolebat diutius seperari . Nihil tamen in uoto suo ponens : aut uoluntati relinquens : totum se domini arbitrio potestatique commisit . Nonne tibi his paucissimis uerbis dicere uidetur ? Grauis quidem est domine corporeæ pugna militiæ : et iam satis est : quod huc usque certa | ui . Sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis : non recuso : nec fatiscentem causabor ætatem . Munia tua deuotus implebo . sub signis tuis quoad ipse iusseris militabo . Et quamuis optata sit seni sessio post laborem : est tamen animus uictor annorum : et cedere nescius senectuti . Ac si iam parcis ætati : bonum mihi est domine uoluntas tua . Hos uero quibus timeo : ipse custodias . O uirum ineffabilem : nec labore uictum : nec morte uincendum : qui in nullam se partem pronior inclinauerit : nec mori timuerit : nec uiuere recusarit . Itaque cum iam per aliquot dies ui febrium teneretur : non tamen a dei opere cessabat : pernox in orationibus et uigiliis fatiscentes artus spiritui seruire cogebat : nobili illo stratu suo in cinere et cylicio recubans : et cum a discipulis rogaretur : ut saltem uilia sibi sineret stramenta supponi : non decet inquit filii christianum nisi in cinere mori . Ego si aliud uobis exemplum relinquo : ipse peccaui . Oculis ac manibus in cælum semper intentus inuictum ab oratione spiritum non relaxabat . Et cum a presbyteris : qui tum ad eum confluxerant : rogaretur : ut corpusculum lateris mutatione releuaret : sinite inquit : sinite me fratres cælum potius respicere quam terram : et suo iam itinere iturus ad dominum spiritus dirigatur : Hæc locutus diabolum uidit propter assistere . Quid hic inquit astas cruenta bestia ? Nihil in me funeste repperies : Abraæ me ipsum sinus recipit . Cum hac ergo uoce : flagitatum diuinis operibus spiritum cælo reddidit : Testatique nobis sunt : qui affuerant : iam exanimi corpore glorificati hominis uidisse se gloriam . Vultus luce clarior renitebat : cum membra cætera ne tenuis quidem macula fuscaret . In aliis etiam et in illo tantum artubus non pudendis : septennis quodammodo pueri gratia uidebatur . Quis istum unquam cylicio tectum : quis cineribus crederet inuolutum ? Ita uitro purior : lacte candidior : iam in quadam futuræ resurrectionis gloria et natura demutatæ carnis ostensus est . Iam uero in obsequium funeris credi non potest : quanta hominum multitudo conuenerrit . tota obiuiam† corpori ciuitas || ruit . Cuncti ex agris atque uicis muliique† ex uicinis urbibus affuerunt . O quantus luctus omnium : quanta præcipue mærentium lamenta monachorum : qui eo die fere ad duo milia conuenisse dicuntur . Specialis Martini gloria eius exemplo in domini seruitutem stirps tanta fructificauerat . Agebat nimirum ante se pastor extinctus greges suos sanctæ illius multitudinis pallidas turbas agmina palliata : et aut emeritorum laborum senes aut iuratos Christi in sacramenta tyrones . Tam uirginum chorus flætu abstinens præ pudore : cum lætandum potius illi esse sentiret : quem iam suo dominus gremio confoueret : quam sancto dissimulabat gaudio quod dolebat . Siquidem fides flære prohiberet : gemitum extor-

queret affectus . Et enim tam erat sancta de illius gloria exultatio : quam pia de morte confusio . Ignosceres flæntibus : gratulareris gaudentibus : quia et pium est gaudere Martino : et pium est flere Martinum : dum unusquisque et sibi ipsi præstat ut doleat : et illi debet : ut gaudeat . Hoc igitur beati uiri corpus usque ad locum sepulchri hymnis canora cælestis turba prosequitur . Comparetur si placet sæcularis illa pompa non dicam funeris sed triumphi . Quid simile Martini exequiis conferetur ? ducant illi præ curribus suis uinctos post terga captiuos : Martini corpus hi qui mundum ducatu illius uicerant prosecuntur . Illos confusis plausibus populorum honoret insania : Martino diuinis plauditur psalmis : Martinus hymnis cælestibus honoratur . Illi post triumphos suos in tartara sæua trudentur : Martinus Abraæ sinu lætus excipitur . Martinus hic pauper et modicus cælum diues ingreditur .

Archadio igitur et Honorio imperantibus . sanctus Martinus turonorum episcopus plenus uirtutibus et sanctitate præbens infirmis multa beneficia octogesimo primo ætatis suæ anno episcopatus autem uicesimo sexto : apud condatensem diocesis suæ uicum excedens a sæculo feliciter migrauit ad Christum . Transit autem media nocte : quæ dominica habebatur : Attico Cæsarioque consulibus . Multi enim in eius transitu psallentium uoces audierunt in cælo : quod in libro uirtutum eius pri | mo plenius exposuimus . Nam cum primum sanctus dei apud condatensem ut diximus uicum egrotare cœpisset : pictaui populi ad eius transitum sicut turonici conuenerunt : Quo migrante grandis altercatio inter utrumque populum surrexit . Dicebant enim pictaui : Noster est monachus : nobis abbas extitit . nos requirimus commendatum . Sufficiat uobis : quia dum esset in mundo : usi fuistis eius colloquio : participastis conuiuio : firmati fuistis benedictionibus : insuper et uirtutibus iucundati . Sufficiant uobis ista omnia : nobis liceat auferre uel cadauer exanime . Ad hæc turonici respondebant : Si uirtutes nobis factas sufficere dicitis : scitote quia uobiscum positus amplius est : quam hic operatus . Nam ut pretermitamus plurima : uobis suscitauit duos mortuos : nobis unum . Et ut ipse sæpe dicebat : maior ei uirtus ante episcopatum fuit : quam post episcopatum . Ergo necesse est : ut quod nobis non adimpleuit uiuus : expleat uel defunctus . Vobis est enim ablatus : nobis a deo donatus . Verum si mos antiquitus institutus seruatur : in urbe qua ordinatus est habebit deo iubente sepulchrum . Certe si pro monasterii priuilegio eum cupitis uendicare : scitote quia primum ei monasterium cum mediolanensibus fuit . His ergo litigantibus : sole ruente dies clauditur : corpusque in medio positum ab utroque populo custoditur : futurum ut mane facto a pictauis per uiolentiam auferretur . Sed deus omnipotens noluit urbem turonicam proprio frustrari patrono . Denique nocte media omnes pictaui a somno falaciæ comprimuntur : nec ullus superfuit : qui ex hac multitudine uigilaret . Igitur ubi turonici eos conspiciunt obdormisse : appræhensam sanctissimam glebam alii per fenestram eiciunt : alii a foris suscipiunt . Positumque in nauim cum omn† populo per uiennam fluuium descendunt : Ingressique Ligeris alueum ad urbem turonicam cum magnis laudibus psallentium dirigunt gressum . De quorum uocibus pictaui expergefacti : nihil de thesauro quem custodiebant habentes : cum magna confusione ad propria sunt reuersi : Et ciues turonici tripudiantes cum sanctissimi uiri corpore ad urbem turonicam suut† || regressi . beatus autem Seuerinus coloniensis ciuitatis episcopus uir honestæ uitæ et per cuncta laudabilis : dum die dominico loca sancta ex consuetudine post matutinos cum suis clericis circuiret : illa hora qua uir beatus obiit audiuit chorum canentium in sublimi . Vocatoque archidiacono interrogat : si aures eius percuterent uoces : quas ille attentius audiret . Respondit : nequaquam . Tunc ille : Diligenter inquit ausculta . Archidiaconus autem cœpit sursum collum extendere : aures erigere : et super summis articulis baculo sustentante stare . Sed credo eum non fuisse æqualis meriti : a quo hæc non merebantur audiri . Tunc prostrati terræ ipse pariter et beatus episcopus dominum precantur : ut hoc ei diuina pietas audire permitteret . Erectis autem rursum interrogat senex : Quid audis ? Qui ait : Voces psallentium tanquam in cælo audio : sed quid sit prorsus ignoro . Cui ille : Ego tibi quid sit narrabo . Dominus meus Martinus episcopus migrauit ex hoc mundo : et nunc angeli canendo eum deferunt in excelsum : Et ut parumper mora esset : ut hæc audirentur : diabolus eum cum iniquis angelis retinere temptauit . Nihilque suum in eodem reperiens confusus abscessit . Quid ergo de nobis peccatoribus erit : si tantum sacerdotem uoluit pas iniqua nocere ?

Hæc sacerdote loquente : notato tempore : archidiaconus turonis misit uelociter : qui hæc diligenter inquireret : Qui ueniens : eodem die horaque manifestissime cognouit transisse beatum uirum : quo sanctus Seuerinus audiuit psallentium chorum . Sed et si ad Seueri recurramus hystoriam : ipsa hora eum sibi scripsit cum libro uitæ suæ fuisse reuelatum . Eo namque tempore beatus Ambrosius cuius hodie flores eloquii per totam ecclesiam redolent : mediolanensi ciuitati præerat episcopus : cui cælebranti festa dominicæ diei ista erat consuetudo : ut ueniens lector cum libro non antea legere præsumeret : quam sanctus mitis iussisset . Factum est autem : ut illa die dominica prophetica lectione iam lecta ante altare stante : qui lectionem beati Pauli proferret : beatissimus antistes Ambrosius super sanctum altare obdormiret : Quod uidentes multi cum nullus eum penitus excitare præsumeret : transa | ctis fere duarum aut trium horarum spaciis excitauerunt eum dicentes : Iam hora præteriit : iubeat dominus lectori lectionem legere . Expectat enim populus ualde iam lassus . Respondens autem beatus Ambrosius : nolite inquit turbari . Multum enim mihi ualet sic obdormisse : cui tale miraculum dominus ostendere dignatus sit . Nam noueritis fratrem meum Martinum sacerdotem egressum de corpore fuisse : me autem eius funeri obsequium præbuisse . Peractoque ex more seruitio : capitellum tantum uobis excitantibus non expleui Tunc illi stupefacti pariter et ammirantes : diem et tempus notant : sollicite requirentes : Qui ipsam diem tempusque reperiunt : quo beatus confessor dixerat : se eius obsequiis deseruisse . O beatum uirum : in cuius transitu sanctorum canit numerus : angelorum exultat chorus : omniumque cælestium uirtutum occurrit exercitus : diabolus præsumptione confunditur : ecclesia uirtute roboratur : sacerdotes reuelatione glorificantur . Quem Michael assumpsit cum angelis : Maria suscepit cum uirginum choris : paradisus retinet lætum cum sanctis . Sed quid nos in laudem eius temptamus : quod non sufficimus adimplere ? Ipse est enim laus illius : cuius laus ab eius ore nunquam recessit . Nam nos utinam uel simplicem possimus historiam explicare . Igitur si quis requirat : cur post transitum Gratiani episcopi unus tantum id est Lidorius usque ac sanctum Martinum fuisset : nouerit quod obsistentibus paganis diu ciuitas turonica sine benedictione sacerdotali fuit . Nam christiani qui eo tempore esse uidebantur : occulte per latebras diuinum officium cælebrabant . Nam si qui a paganis reperti fuissent christiani : aut afficiebantur uerberibus : aut gladio truncabantur . A passione ergo domini usque ad transitum sancti Martini anni quadringenti duodecim computantur .

GLORIOSISSIMAE MARTHE CHRISTI HOSPITAE VITA A BEATA MARCILIA EIVS FAMVLA ET FILIOLA IN EBREO PRIVS EDITA ET POSTEA IN LATINVM SERMONEM PER SINTICEN DE EBREO TRANSLATA . ||

Sanctæ ecclesiæ typum beata Martha Christi discipula suis piis essentiis cum teneat : et uita eius ingenti uolumine ad sensus indigeat misticos : idcirco uitæ eius insigniis dimissis eius typicis intellectibus iuxta euangeliorum assertionem paucis scribamus : quatinus eius uitæ prolixitas lectoribus non sit fastidium nec audientium memoriæ onerosum : sed fidelium mentibus piæ imitationis fiat exemplum . Beatissima igitur et ueneranda hospita Christi Martha pago hierosolymitano oppido Betanico regalis prosapiæ Syro patre Eucaria matre extitit oriunda : cuius Vterini fuere beata Maria magdalenæ et Lazarus : quem busto suscitauit eorum uerus hospes omnium sæculorum Christus suscitator .

Nobilis antiqua decurrens prole parentum .
Nobilior gestis nunc super astra manet .

Hæc nanque ab infantia omnium creatorem ualde dilexit ebraicis apicibus docta primæ legis præceptis subdita corpore uenusta muliebribus operibus pulchre erudita : inter omnes matronas piis moribus excellens culmine . prima persona sensu et opere : non

secunda caritate : redundans castitate : pollens uirilis contactus omnino uitabat . Nusquam legitur hanc aut uirum habuisse : aut hominis contubernium subisse : quamuis eius pater Siriæ et Maritone multarumque orarum dux extitisset egregius : qui post discipulorum domini eorum dispersionem atheniensium ciuium prædicator fuit fidelissimus : tamen hæc cum præfato fratre et sorore tria oppida Magdalum silicet et Bethaniam utramque hierosolymitanæ urbis partem iure hæreditatis maternæ possidebat : et præ cunctis parentibus dominium habebat : quoniam sensu et probitate abundantior et potentior erat : Cunctisque gazis optima militibus et familiis suis datrix non stricta conuiua famosa : in administratione dapum ualde perita : quoniam ut sacra asserunt euangelia ubicumque ad conuiuia dominus et illa intererat . Martha amore domini ex more ministrabat . Nam cum esset dominus Iesus in Bethania in domo Symonis leprosi : et facerent ibi cænam magnam : | Martha ministrabat ad decus illius : qui Lazarum resuscitauerat . Et alibi inquit : quia Martha satagebat circa frequens ministerium . In hospitalitate quæ apud nos non debet obliuisci : per quam Habraam Loth et Iosue et multi alii placuerunt deo et angelis etiam in hospitio susceptis : ualde fuit intenta omnium sedula hospitatrix piissima : omnes tam domesticos quam barbaros susciperet : Vnde contigit : ut ipsum dominum hæc agendo diligere cœperit : et illum hospitabatur : et ipse qui amator est omnium et in omnibus nobis ut in beato Petro dilectionem requirit dicens : Petre amas me : eam tantum diligebat : quod in eius æde quam alibi hospitari malebat . Nam cum ipse dominus ut euangelium tradit die quadam Hierusalem prædicaret : sero reuertebatur Bethanniam : ubi erat amicus eius Lazarus cum Maria et Martha sororibus : apud quas hospitabatur.

Quomodo Christum æde suscepit .

Hinc accidit : ut dominus castrorum et urbium quibus predicabat : itinere utpote carnaliter fessus : die quadam Luca testante intrauit in quoddam castellum : et hæc mulier Martha nomine excepit illum in domum suam . impleta prophetia quæ dicit : quasi colonus uenturus est in terra : et quasi uiator declinans ad manendum : in æde silicet Marthæ . o uere felicem et gloriosam : quæ tantum hospitem meruit habere angelorum panem pascentem : a quo ipsa pascebatur . quam felix et gloriosa est mulier illa : quam Iesus tantum dilexit : quod apud eam hospitari uoluit et pasci . Illum magnum et admirabilem hospitem suscepit : qui angelos et homines hospitatur et pascit . Illum cibauit : qui omnes pascit creaturas . Hæc maius quid quam Abraam hospitio suscepit deum silicet et hominem . Illum magnum regem regum et dominum dominorum : qui solo palmo omnia concludit : qui ut Iob refert cælo est excelsior : inferno profundior terra longior : mari latior : quem multi prophetæ et reges uoluerunt uidere : et non uiderunt : et audire : et non audierunt : ipsum hospitio suscepit et pauit . Res magna et laude digna hospitato domino in æde ; unaqueque duarum sororum Martha silicet et Maria magdalenæ sibi proprium ministerium agendum quo magis deo placeret ele || git . Maria sedens secus pedes domini audiebat uerba oris eius : pasci quam pascere malens . Martha autem satagebat circa frequens ministerium ciborum : Ideoque quod tantum ac talem hospitem æde susceperat : cura cum summa studuit illi seruire . Larem mundare : accubitus ornare : cibaria præparare : sed non satis uidebatur : eo quod etiam tota domus familia sufficere non posset illi tanto labore ad seruiendum : nisi eius soror ad præparanda ei subueniret . Volebat enim : ut uniuersaliter omnis contio domus dapes præpararet . Idcirco stetit ante dominum stupefacta : et ei super hac re conquærens ait : Domine non est tibi curæ : quod soror mea reliquit me solam ministrare ? Dic ergo illi : ut me adiuuet . At ipse qui non est personarum acceptor : qui diuersorum seruientium diuersa sibi illata seruitia amat et recipit : sic officium unius laudat : ut alterius non uituperet . Martha inquiens Martha sollicita es : et turbaris erga plurima . Porro unum est necessarium . Maria optimam partem id est uitam spiritalem elegit sibi : quæ non auferetur ab ea : quia cum illa uitam percipiet æternam . Vnaquæque uestrum officium quod sibi elegit perficiat et saluabitur . Ipsa pro salute animæ pugnat : tu uero pro corporis salute laboras . Age quod cœpisti : et saluaberis . Nam bonum opus inchoantibus corona promittitur : sed perseuerantibus datur : et omnis laus in fine canitur . Hinc patet : quia

actiua uita in sancta ecclesia quam Martha significat absque contemplatiua uita quam Maria designat siue actiua persistere aut etiam regi summo placere nullatenus ualet : quapropter unicuique istarum sanctarum fœminarum officium et suum electum clæmens hospes concessit . Quid plura ? Lætis animis more festiuo utraque die illa comederunt . steterunt in domo : et quieuerunt . Ab hinc ex more saluator in æde beatæ Marthæ sibi gratum suscepit hospitium .

Quomodo sua præce Lazarus suscitatur .

Quanta bona salubria hospitalitatis gratia bono cuilibet hospiti : iqui† sedule hilari animo egenos in domo sua suscipit proueniant : in huius mulieris hospitalitate comprobatur . Nam per amiciciam hospitalitatis beatæ Marthæ su | scitauit dominus fratrem eius Lazarum a morte . diligebat enim inquit euangelista dominus Iesus Martham et sororem eius Mariam et Lazarum . O generatio felix et laudabilis : quam Christus inter cæteras magis dilexit . Patris sapientia quamuis dicat : ego diligentes me diligo : raro tamen in scripturis fideles reperiuntur : qui specialiter a domino diligi ex nomine designentur . Et quia a pio hospite suo se diligi beata Martha sciebat : et ab eo aliquid se posse impetrare non dubitabat : et quia audierat archisynagogi filiam et uiduæ filium resuscitatum ab eo fuisse : super fratris morte conquerens reuertenti Bethaniam domino dixit : Domine si fuisses hic : frater meus non esset mortuus . Sed et nunc scio : quia quæcumque petieris a deo dabit tibi deus . O certa fides piæ mulieris : deum trinum et unum credebat : filium dei quem sub trabea carnis humanæ uidebat latentem : patrem quem non uidebat : a quo filii postulationem adimplendam nullatenus dubitabat : imo spiritum sanctum quasi quoddam indissolubile amoris uinculum inter patrem et filium credebat : per quem pater filio postulante fratrem suum resuscitaret : Idcirco hæc omnia credenti mulieri dominus dixit : Resurget fratrer† tuus : Cui protinus Martha : scio inquit quia resurget in nouissimo die . Patet qualiter hæc sancta mulier primæ legis documentis erat imbuta : legeral in prophetis exurgent mortui : et resurgent qui in monumentis sunt . Nouissimam et uniuersalem resurrectionem credebat : sed præsentem fratris quam postea uidit adhuc dubitabat : qua propter dominus ego sum inquit ei resurrectio et uita . qui credit in me : etiam si mortuus fuerit : uiuet . Et omnis qui uiuit : et credit in me : non morietur in æternum . Credis hoc ? Ait illi : Vtique domine . O quanta fides quam uera confessio redundat in hac sancta muliere . Ait enim ego credidi : quia tu es Christus filius dei : qui in hunc mundum uenisti . Consors principis apostolorum Petri : consors Iob : consors Habraæ : consors etiam diuæ uirginis beata Martha efficitur . Consors Petrie st† : quia sicut ille credendo patrem et filium et spiiritumsanctum† filio dixit : tu es Christus || filius dei uiui illud idem hæc confitendo ait : tu es Christus filius dei : qui in hunc mundum uenisti consors sancti Iob est : quoniam sicut ille dixit credo quod in nouissimo die de terra surrecturus sim : et rursum circundabor pelle mea : et in carne mea uidebo deum saluatorem meum : sic et hæc credendo resurrectionem futuram ait : scio quia frater meus resurget in resurrectione in nouissimo die Consors Abraæ : quoniam sicut Abraam tres angelos hospitio sub sanctæ trinitatis fide suscepit : sic et hæc trinum et unum deum : et quod maius est deum et hominem in domo sua recepit . Consors quoque diuæ uirginis in parte efficitur . Suscepit enim gloriosa uirgo Maria deum et hominem in thalamo pii uentris : suscepit et ista deum et hominem in sui hospitio laris . Illaque membra diuina quæ sanctissima pio gremio suo nutriuit : hæc pia hospita Martha æde propria fouit : Quem illa genuit ista fouit : Ideoque consors diuæ uirginis efficitur : sed dispar . Dispar est merito : quoniam illa quæ est benedicta inter omnes mulieres : cui nulla dignitate consimilis est : in uirginali thalamo intacto filium dei suscepit : Hæc corruptibili tabernaculo ipsum deuote recepit : Illa paruum puerum : hæc hominem triginta refocilauit annorum . Itaque quia fidem prophetarum : et confessionem apostolorum corde credidit : et opere tenuit : iure et consors et particeps illorum est in cælestibus regnis . Et quia omnia possibilia sunt credenti : merito accepit quod a domino petiit : quod desyderauit tenuit . fratrem de morte suscepit : quia ad uocem domini iubentis : Lazare ueni foras : qui quatriduanis fuerat reuixit . Interim sollemnia tantorum gaudiorum cæna facta in domo Symonis leprosi tam a Iudeis quam a fidelibus celebrantur : et Martha

ministrabat : et ut nulla esset dubitatio miraculi : Lazarus ex discumbentibus erat : credendum est inde : quod sicut ab orco et busto fratrem beatæ Marthæ piis precibus dominus resuscitauit : sic quemlibet peccatorem uere pœnitentem eumque bono corde inuocantem . pro quo deum exorauerit : pius hospes eius amore a peccatis releuabit : et saluum faciet eum . Imperator cælorum humillimus quantum beatam Martham | dilexit patet : Vt enim diuæ uirginis amplexibus illi placuit teneri : sic regum uitans palatia : in eius æde placuit hospitari . pasci . portari et quiescere in eius domo sacrata : totam religionem omnium religiosorum et sanctæ ecclesiæ sacramenta instituit et patefecit . In eius domo pia sanctam ecclesiam informauit . et duas uitas contemplatiuam silicet et actiuam quibus piæ mulieres Maria et Martha saluatoris gratiam acquisierunt : ei aptauit : et successoribus christicolis ecclesiasticis recte uiuere desyderantibus tenendas ostendit . In hiis duabus uitis omnes regulæ cunctorum religiosorum ueteris et noui testamenti dogmata pendent et adimplentur : quibus omnes sancti et electi dei ierunt et ituri sunt ad superna polorum regna proximum nostrum ut nos metipsos amando : in cunctis necessariis secundum posse ei subueniendo : in actiua uita cum Martha manebimus : deum super omnia diligendo eius solo amore terrena postponendo : cælestia intuendo . in contemplatiua uita cum Maria lætabimur . Sic sunt tractanda terrena : ut non amittantur cælestia . Sic transeamus per bona temporalia : ut non amitamus æterna : nec pro cælestibus terrena aut pro terrenis cælestia sunt relinquenda : quibus et nos salubriter deo donante perfrui mereamur : quatinus regnum cælorum possidere ualeamus . Hactenus de sacra hospita . Christi euangeliorum sub testimonio hæc dixerimus : cæterum ipsius uita finisque qualis deinceps fuerit breui penna percurramus .

Quomodo suum proprium dimisit .

Igitur beata Martha medullitus audita et percepta sententia domini dicentis : omnis qui reliquerit patrem et matrem aut uxorem aut filios aut agros propter nomen meum : centuplum accipiet : et uitam æternam possidebit : omnem facultatem suam in tribus diuisit .† partibus primam sorori suæ Mariæ magdalene dedit : ex qua ipsa domino et apostolis uictum et uestitum illis annexa prebuit . Secundam partem fratri suo Lazaro dedit . Tertiam uero partem sibi retinuit : unde uiuebat et saluatorem et discipulos dum ad eam uenirent pascebat . Residuum uero et quidquid habere potuit post Christi ascensionem ad cælos dum multitudinis credentium erat cor || unum et anima una : et nemo dicebat sibi aliquid proprium : sed erant illis omnia communia : pedibus apostolorum obtulit : ut esset credentibus in commune : quoniam ut philosophus ait : omne bonum in commune deductum clarius lucescit : et efficitur Martha cum apostolis apostola et cum discipulis discipula . Tunc crescente numero discipulorum creuit austeritas Iudeorum adeo : ut eos repellerent a finibus suis . Qaosdam ut Petrum et alios apostolos in custodia publica manciparunt . quosdam ut Iacobum peremerunt . quosdam ratibus arcentes ablatis remis uelis et gubernaculis omnibusque alimentis desolatos alta tendendo effugarunt . Sed quos dira Iudeorum sæuitia a finibus suis proiecit : hos diuina prouidentia in melioribus regionibus ditauit . Ditauit uillis et castellis et urbibus : locupletauit gazis multis . Dotauit ecclesiis . multiplicauit seruis et honoribus : et adhuc hos ditat in cælestibus mansionibus . Vnicuique dedit urbem et patriam . Arelate Trophino . Narbonam Paulo . Tolosam et Vaschoniam Saturnino . Lemonitas Martiali . Sconnas et Aquitaniam Eutropio . Cenamannum et Bittaniam Iuliano . Bituricas Vrcissino . Turronum Graciano . Lugdunum Irrenea . Bisuntium Ferrucio . Aurasicam alii Eutropio . Petragoricas Frontoni . Vellaitum Georgio totam .† Galliam Dionysio . singulis singulos præbuit pagos . Videte quanta in barbaris regionibus clæmentia dei illis adhuc clare non cessat . petuntur eorum`cineres ossa pia et busta a populis mortui etiam sunt : et uiuis subueniunt . Ad eorum namque busta sanantur aduenientes ægri clarificantur cæci . eriguuntur claudi . liberantur .† dæmoniaci datur consolatio mæstis . crimina peccatoribus condonantur Idcirco noluit illis deus dare in oris hierosolymitanis hereditatem : quia maius alibi dedit . Similiter non uult deus homini dare perfectam hæreditatem nisi in cælestibus regnis : quam pro eo fecit . Sicut dixit Abraæ : Exi de terra tua et de cognatione tua : et ueni in terram : quam monstrauero tibi : et faciam te crescere in gentem magnam . Sic fecit

deus homini primo . De paradiso illum exulando mancipauit in hunc mundum . Deinde in hortum : post hæc posuit eum in cælum . Sic fecit fi | liis Israel de Aegypto transtulit illos per mare rubrum : in terram desyderabilem . Sic fecit et sibi de sinu patris descendit in beatæ uirginis aluum . Deinde in mundum de hinc in bustum post in hortum : hinc ad resurrectionem : inde ad cælos regreditur . Similiter unicuique nostrum dominus tres mansiones præbet : et ex alia ad aliam oportet nos transire . Dat mundum : in quo manemus . dat antrum : in quo putrescit corpus . dat cælum : in quo demum manebimus . Comes mors amara in mundo : uermis in antro : angelus in cælo . Sic beatam Martham hospitam suam ablatis etiam propriis gazis in barbaris regionibus dictauit .

Quomodo mare transiuit cum beato Maximino aquensi antistite qui fuit ex septuaginta discipulis .

Sicut dominus gloriosam matrem suam sancto Iohanni euangelistæ : sic beato Maximino Martham et Mariam magdalenam spiritus sanctus sociauit : Vt qui eas olim baptizauerat : Ipse bone conuersationis exemplo ad regnum cælorum eas perduceret : qui nauim ingressi cum multis aliis et quibusdam ex præfatis prospero cursu ad portum Marsiliæ domino ducente peruenerunt . Tunc territorium aquense adeunt : et ieiuniis et præcibus instantes populum incredulum miraculorum signis et prædicationibus ad Christi fidem conuertunt . Gloriosæ Marthæ dominus dedit et gratiam sanitatum super omnes ægros et diuinæ prædicationis facundiam . Erat enim ut diximus corpore uenusta : facie decora et gratiosa : eloquiis acuta : lingua deserta et ante reges et nobiles recipiebantur eius sermones : et præ cæteris sodalibus in conuertendo populos magis proficiebat . prædicante namque beato Maximino et Martha et Maria maxima pars populorum illius pagi conuersa est ad Christum .

Quomodo draconem manu sua alligauit .

Erat tunc temporis super Rhodanum iuxta rupem ingentem in nemore quodam inter Arelatem et Auinionem uersus occidentalem plagam draco ingens : medius animal terrestre : medius piscis : qui multos transeuntes et superuenientes homines : asinos etiam et equos perimebat . Naues etiam quæ per Rhodanum transibant subuertebat . || Veniebant ibi gentes sæpe et populi armati : nec illum perimere ualebant : quoniam proiectus a nemore in flumine latebat . Et erat grossior bone† : longior equo os :† et caput habens leoninum . Dentes ut spata acutos : comas equinas . Dorsum acutum ut dolabrum : squamas hirsutas ut tarauos scindentes senos pedes et ungues ursinas . caudam uipeream binis parmis ut tortua utraque parte munitus . Duodecim leones aut totidem ursi : illum superare nequibant . cum autem incolæ eum nullo modo perimere nequissent : audierunt fama præconante beatam Martham miraculis coruscantem : et dæmonia eiicientem : ueneruntque ad eam rogantes : ut ueniret : et draconem a finibus suis expelleret . perrexit itaque ad locum sancta dei amica : Christi hospita confidens in uero hospite suo : reperitque draconem in nemore : hominem quem iugulauerat comedentem : et iacta super eum aqua sacrata quam secum tulerat et signo ligneo sanctæ crucis ei ostenso : draco stetit uictus ut ouis : et beata proprio cingulo eum alligauit : et illico a populo lanceis et lapidibus attritus est totus . Nuncupatur autem draco ille Tirascurus : unde locus ille abhinc postea uocatus est Tirasconus : qui antea uocabatur Nerluc : id est niger lucus : eo quod ibi erant nemora umbrosa et nigra . Erat enim ut pote draco ex genere illius : qui uocatur in libro Iob leuiathan : qui absorbuit fluuios : et non miratur : sed habuit fiduciam : quod influeret Iordanis in os eius . Venerat enim per mare de galatia Asiæ generatus a leuiatan : qui est serpens aquosus et ferocissimus et a Bonacho animali . Bonachum animal galatia regio gignit : quod stercus fluens et urens insectatores suos submonet† : quod per spacium ingens uelut spiculum dirigit : et quidquid tetigerit : uelut incendium urit .

Quomodo mansit in hæremo Tirasconi .

Postea multis petitionibus populi et hæroum illius patriæ et uenia magistri sui præfati Maximini sororisque suæ Mariæ magdalenæ ibi beata Martha remansit : et quandiu uixit : ieiuniis uigiliis et precibus stetit . Quot labores : quot angustias : quot egritudines : quantas persecutiones quantasque anxieta | tes . et fames ibi substinuit : quis est qui ualeat dicere ? Nam in primis septem annis radicibus hærbisque crudis ac pomis syluestribus uescitur et affrondilius et arborum boletus fercula erant sibi meliora . Postea coadunato fratrum et sororum per se commorantium conuentu et ædificata sub honore sancti Christi et beatæ Mariæ uirginis maxima basilica satis ibi asperam duxit uitam . carnem et omnem pinguedinem oua et caseum et uina uitans . semel in die edebat . hyeme pellicia ouina et pallio æstate tunica et byrrho . interula caprina iuxta carnem suam ex more induebatur . nudis pedibus incedens albam cameli mitram capite gerens . cingulo nodoso de setis equinis facto sacrum aluum suum ita sedule stringebat : quod uermes ex corrupta et putrefacta carne sæpe efluebant . Extensis solo ramis arboreis uel uitibus quolibet lapide capiti supposito cylicio recumbebat : precibus et obsecrationibus sedule semper uacabat : In celestibus semper intenta : nunquam in terrenis tuta . Mente in cælo corpore in terra conuersabatur . Centies die . totidemque nocte genua ad terram flectabat . fide spe et caritate cunctisque uirtutibus pollebat . hospitalitate qua apud Bettaniam utebatur semper fulgebat . Mensa eius cum peregrinis et hospitibus erat ex more . Diuinis prædicationibus os eius non cessabat . crebris manuum operibus utebatur . Sæpe domi cum conuentu suo stabat . sæpe ad castella et urbes et uicina loca pergens gentium caterius† diuini uerbi sæmina erogahat† . Verba quæ proferebat miraculis asserebat . Super auscultantes se manus imponebat : et spiritumsanctum accipiebant . Super ægros manus imponebat : et spiritumsanctum accipiebant . Super ægros manus imponebat : et bene habebant . Hæc agendo dilecta a deo et hominibus felix extitit Martha . Quot gentium millia exhortatione sua ad Christi fidem conuertuntur et baptizantur longum est enarrare .

Quomodo mortuum suscitauit .

Porro cum apud Abinionum ante fores urbanas in quodam loco amœno inter urbem et fluuium Rhodanum egregia Christi discipula sanaret ægros sibi oblatos : et prædicaret : ecce iuuenis quidam qui erat ultra flumen || uidit citra gentium cateruas sanctam auscultantes : animatus eam uidere et audire : nauigio carnes† : fluuiumque transmeare cupiens natare nudatus cœpit . Qui cum in medium pelagi nataudo† ueniret : subito ueloci cursu ferocissimi fluminis impeditus mergitur raptus in profundum . Quid plura ? Tota die illa a ciuibus nauigiis cum per fluuium reperiri non potuisset : secunda die circa nouam† inuentum corpus exanimatum ponitur ante pedes beatæ Marthæ . mox egregia amica Christi corde compuncta ammonuit populum : ut solo prostrata deum exoraret : ut sua clæmentia suscitare a morte puerum dignaretur . Illa uero iuxta corpus in modum crucis solo prostrata : dominum orauit : adonai inquit Iesu Christe qui tua sancta ineffabili clementia fratrem meum Lazarum dilectum tuum olim a mortuis suscitasti : qui tenes claues mortis et uitæ : qui morti imperas : et a facie tua fugit : qui mortuos inuocas : et resurgunt : respice mi hospes care ad fidem et precem circum astantium : et resuscita puerum istum : quo et audientes uirtutes tuas credant in te Adonay Iesu Christe : qui uiuis et regnas cum patre et spiritu sancto et matre uirgine Maria in sæcula sæculorum Amen . Mox Christi egregia hospita sensit de cælo dei uirtutem aduenisse : erexit se : et apræhensa manu pueri dixit ei . Surge puer in nomine domini nostri Iesu Christi : Statimque uiuus et incolumis surrexit : et baptismum in nomine sanctæ trinitatis subiit . Oh beatam Christi hospitam quæ Christo operante orchum expoliauit : et hominem qui bina morte ante damnatus fuerat gemina resurrectione Christi fidei restaurauit . Illico omnes ciues et suburbani crediderunt in dominum nostrum Iesum Christum : et baptismum subierunt . his ita gestis Martha antea celebris amodo celebrior cunctis extitit .

Eo etiam tempore Maximinus aquensis præsul et Trophinus arelatensis et Eutropius aurasicensis hii tres uisitationis causa non moniti : altero etiam de altero ignorante ad

eam uenerunt : et eius precatu sancti Cqristi† nomine eiusque genitricis honore sextodecimo calendas ianuarias eius ecclesiam consecrarunt . | Ad quorum cænam uino deficiente lympha in bachum conuertitur . Tunc per eundem Maximinum eidem Marthæ Maria soror eius mandans promisit se eam uisitaturam : quod non uiua sed mortua impleuit . Transacto uero tempore non longo a beato Pe† Petro apostolo ordinati antistites beatus Fronto petra goracensis et sanctissimus Georgius uellaicensis : ille scilicet qui mortuus fuerat et reuixit : e propriis urbibus eorum prædicationem tunc respuentibus eiecti : ad eius presidium uelut ad matris suæ asyllum cum accessissent : et per aliquot dies cum ea morarentur : beathæ Marthæ fusis deo precibus : ciuibus suis reconciliati sunt . Erat enim episcopa omnium credentium tunc temporis mater pia et nutrix . Nutriebat cunctos ut gallina pullos . Nam credentium multitudines ad eam confluentes animæ et corporis necessaria ministrabant . Tunc uni illorum sanctorum Fotoni scilicet seniori peccamina sua confitendo non post longo tempore futura† beata Martha mortem suam predixit : cui etiam ille : si deus sibi facultatem tandiu uiuendi preberet : pollicitus est se ad eam uenturum tempore dissolutionis suæ . Sed quia cuncta prodigia quæ ultra mare et citra egit et crebra miracula eius longum est enarare : qualiter de bona uita ad meliorem transierit breuiter dicamus .

De transitu eius .

Cum beata hospita Christi suo pio hospiti per omnia bene operans placeret : meritorum eius stipendia ei credere uolens ille pius hospes suus innotuit ei prophetiæ spiritu longe ante spacio unius anni imminere exitus sui diem : quod fratribus et sororibus illa postea indicauit : Cumque per totum fere annum febribus agitaretur ante suam dissolutionem die octauo angelicos choros sororis suæ Mariæ magdalenæ migrantis animam in cælum ferentes audiuit : quod omni contioni suæ illico patefecit . O mei inquit comites et dulcissimi alumni quæso congratulamini : quoniam angelicas phalanges sororis nostræ animam ad celestes sedes ferentes et ouantes ceruo† . O pulcherrima felix et dilecta mi soror non attendisti : quod mihi pollicita es : ut me uisitando lætificares . Viuas cum magistro et || uero hospite nostro in sede beata . Quantus et quam inextimabilis amor inter duas sorores erat : ostenditur . Octaua die obitus alterius : obiit altera . Altera alteram traxit ad paradisum . Statimque beata Martha plus solito grata lecto languescere cœpit : et conuocatis fratribus et sororibus suis iter suum ad cælum eucharistia et confessione muniuit : resque ecclesiæ suæ congrue disposuit : alumnosque suos in fide christiana et relligione tenenda fortiter corroborauit . Tunc eos : ut eadem die nocteque accensis in domo luminariis precibus etiam diuinis usque ad obitum suum indesinenter peruigilarent : dulciter orauit : quod ipsi diligenter egerunt .

Quomodo ad eius obitum dæmones uenerunt .

Nocte uero media ante transitus sui diem custodibus somno grauatis : turbo uenti a parte maligna ueniens septem cereos non modicos et tres lampadas in æde ardentes uelocissimis insufflationibus extinxit . Illico beata tetrorum spirituum turbam ante se cernens orare cœpit . Mi pater inquit Heli mi hospes care congregati sunt ad deuorandum me seductores mei scripta tenentes mala : quæ gessi . ergo uociferantur dicentes : deus dereliquit eam . persequimini : et compræhendite eam : quia non est : qui liberet eam . Heli ne elongeris a me . Heli in auxilium meum respice . Heli in adiutorium meum intende . delicta iuuentutis meæ et ignorantias meas ne memineris Adonai et ne auertas faciem tuam a me : quoniam tribulor uelociter exaudi me Adonai . Ad sonitum cuius uocis custodes euigilati : dum in aliis ædibus loci rogum peterent : et non reperientes moram facerent : ecce uidit beata occurrere sororem suam Mariam magdalenam igneam facem manu tenentem : unde lampades et cerei omnes illico accenderunt . Vix hoc expleto dum altera alteram proprio nomine uocaret : ecce pius hospes eius dicens : Veni dilecta hospita mea exi de carnis ergastulo . transi ad palatium cæli : quæ me hospitio tuo suscepisti . Et ubi ego sum o ministra mea : illic mecum eris . Tu me suscepisti in hospitio tuo . Ego te recipiam in icælo† meo . Gratiam consolandi desolatos : quam tibi olim dedi post transitum tuum a te non aufe-

ram . Illos qui ad sepulchrum tuum super necessitate sua conqueren | tes deuote confessi uenerint exaudiam amore tuo : Cumque illa post tergum eius palpitare uoluisset : sta inquit ille secure : adhuc ueniam ad te . His dictis uix domino et Maria semotis inde : ecce a rogo non reperto redeuntes custodes domum intrant : et ultra quam dici fas est mirantur intra se : scisitantes : quis sic studiose luminaria quæ extincta dimiserant accenderat : dei magnalia quæ gesta fuerant adhuc nescientes : sed illa quæ sibi acciderant sanctioribus fratribus domus statim patefecit . Ecce præterita nocte illa aduenit transitus sui dies opportunus . Tunc iussit se extra larem retro basilicam quo cælum uidere posset sub arbore quadam platea perpulchra deferri : et super cineream crucem paucis paleis suppositis supponi : et cylicio operiri : sanctæque crucis lignum ante se teneri : sicque agitur . Tunc fratres et sorores diligenter præcata est : ut pro se orarent . Statim cum totis animi sui uiribus in cælum conuersaretur : et ipsum polum sine intermissione aspiceret : cœpit orare dicens : Heli deus patrum nostrorum Adonay Iesu Christe fili dei æterni nate et intactæ uirginis Mariæ : qui pro nobis natus es passus mortuus resuscitatus et cælos regressus : suscipe spiritum meum in requiem tuam . Non me permittas teneri manibus tetrorum angelorum nec Acheruntis claustris dilaniari : sed sicut mecum dignatus es hospitari : sic suscipe me in hospitio tuo cælesti . Hospes mi care hanc pauperculam familiolam tuam custodi : et foue : omnesque illos qui post transitum meum hunc locum obseruauerint cælesti remuneratione eos remunerare digneris . Tunc præcepit legi passionem dominicam : quam hebraice scriptam hierosolymitanis oris secum attulerat : Quæ dum secundo legeretur : et lector diceret : pater in manus tuas commendo spiritum meum : illa dei amica dormiuit : et animam suam dignam amplexibus tradidit archangeli Mihaelis† : qui cum angelis suis per medias acies principum infernalium qui animabus peccatorum a corporibus exeuntibus in aera insidiantur transiens inter sacra cælorum secreta eam obtulit summo regi . O genus dignum gloriosæ mortis . Quis unquam tam dignam tamque prætiosam mortem audiuit ? Non est || mors sed uita : quæ absorta est in uictoria : quam pretiosa est in conspectu domini mors sanctæ hospitæ eius . Tertiodecimo lustro totius uitæ suæ expleto in heremo scilicet septeno et semi quattuor calendas augusti sexta feria hora nona qua Christus mundum redemit : egregia hospita Christi transiuit ad gaudium angelorum : ubi gaudet et exultat sine fine cum bono hospite suo domino nostro Iesu Christo . Viri famosi et religiosi alumni eius domestici Euchodius et Sintex et Germanus et Epaphras et Sostenes Pauli prius clientes et Trophini comites et Parmenas : qui fuit ex septem diaconibus apostolorum et Martilla beatæ Marthæ famula et filiola de ortu baptismi : illa scilicet quæ extollens uocem de turba dixerat domino Iesu : Beatus uenter qui te portauit et hubera : quæ suxisti : hii uitam spiritalem ducentes cum ea usque ad eius transitum cum aliis multis perseuerauerunt in loco ipsius . Ipsi fideles comites eius funebria procurarunt : et iuxta :† eamdem basilicam quam ipsa ædificauerat : eius sepulchrum decenter ornauerunt : et tribus diebus totidemque noctibus una cum innumeris populorum :† turbis qui de castellis et urbibus circumstantibus ad eius uenerandum transitum uenerant : cereis et lampadibus magnisque ignibus per nemora accensis honorifice peruigilarunt .

Quomodo dominus et beatus Fronto eam sepelierunt .

Sequenti uero die dominica in medio basilicæ omnis congregatio religiosorum omnesque populorum cateruæ cum circa corpus starent : et obsequium funebrium sicut mox est agere uellent : et alii psallerent : aliique flærent . ecce hora tertia apud petragoricas missam cellebranti lecta iam epistola in cathedra ante altare dormitanti in ecclesia sua beato Frontoni episcopo apparuit dominus dicens : Dilecte mi Fronto si uis implere quæ hospitæ nostræ olim pollicitus es : ueni ad eius funebria . uelociter curre . sequere me . Ilico solo momento Tarasconum ambo perrecti ecclesiam diuæ hospitæ ingressi cum aliis circa corpus psallentibus psallere cœperunt : et totum officium manu etiam tenentes codices a principio usque ad finem aliis respondentibus | et auxiliantibus peregerunt : et ambo corpus in antro ponentes sepelierunt . Sed dum hæc agerentur : ecce Leuita apud petragoricas finitis cantibus clæricorum ad euangelium legendum paratus benedictionem petendo antistitem dormitantem in cathedra pulsat : cui ille adhuc nullum dat responsum : unde totus clerus et uiri ciues ad mis-

sam astantes mirantur scisitantes : quare presul tantam faceret moram . Tunc sanctus presul quasi de dulci somno euigilans omnibus ait : fratres mei quid egistis ? quare me euigilastis ? Res mira nobis euenit . Dominus noster Iesus Christus duxit me ad funebria hospitæ suæ Marthæ : et tradidimus eam sepulturæ : ut nos illi olim uiuenti transacto anno promisimus . Dirigite ergo quæso nuncios ueloces illuc : ut nobis afferant anulum nostrum aureum et chirothechas chryseas : quas dum ad corpus in antrum ponendum me aptarem illius ecclesiæ sacristæ commendaui : quæ etiam obliuioni tradidi : dum ab ecclesia exirem : quandoquidem uos me tam cito euigilastis . Missi cito nuntii rem peractam ut presul dixerat et anullum solamque chirothecam attulerunt : aliam uero sacrista ob testimonium tante rei retinuit . Post hæc cum iterum fratribus suis beatæ Martbæ† funebria idem Fronto narraret dicebat : Postquam illam sepelliumus† : ab ecclesia exeuntes nos secutus est quidam frater eiusdem loci litteris peritus : interrogauitque dominum : quis : uel unde esset : uel quó nomine uteretur : Cui ille nil respondens ostendit codicem : quem manu tenebat apertum : in quo nihil aliud erat scriptum : nisi uersiculus psalmistæ hoc modo : In memoria æterna erit iusta hospita mea ab auditu malo non timebit in die nouissima . Cum uero codicem reuoluisset cunctis foliis hoc reperit scriptum . Qua propter patet : quia merito in memoria æterna angelorum et hominum est iusta hospita Christi et ab auditu malo non timebit : dum mali audient discedite a me maledicti : In pace ergo factus est locus eius et in Syon cælesti habitatio eius . Itaque ualde eius animam Christus dilexit : qui corpus eius sepeliuit .

De rege Dodoneo† .

Quot uel quantæ multitudines languen || tium nobilium et ignobilium claudorum : cæcorum : aridorum : mutorum : surdorum : lunaticorum : dæmoniacorum omniumque morborum generum ad eius mausoleum tunc et post aduenientes petita accipiebant : nullus est qui ennarrare queat . Res mira quidquid petit accipit omnis . Inter quos Clodoneus† qui prius rex Francorum et Teuthonicorum fuit christianus baptizatus a beato Remigio remorum archiepiscopo : et dictus est Ludouicus auditis diuæ hospitæ Christi rumoribus grauem morbum renum passus ad locum eius uenit . Mox ut sacrum eius tumulum tetigit : sanitatem illius morbi a quo olim nullam poterat inuenire medelam se recepisse lætatus est . Qua propter beatæ Marthæ et loco eius anuli sui chirographo trium milliariorum spacio integro ex utraque parte Rhodani terram et uillas et castella dedit : fecitque locum illum et ecclesiam liberam : scribens : ne alicui potestati laicæ quandoque subderetur .

De uindicta dei in loco .

De cætero est unum : quod non est bonum reticeri . Tempore namque eius et citra si quis furtum uel raptum uel falsum iusiurandum uel adulterum† uel aliquam insaniam loco eius fecerit : uel res eiusdem loci fraudauerit : tempore breui diuina ultio quoquomodo uindicauit . Quod si postea non contigit : quoniam diuina dextera uindictam suam quod peius est reseruat in futuro : Quia nec bonum irrenumeratum† nec malum impunitum erit : Ante dei uultum nil pertransibit inultum . Paueant ergo habitantes in illo loco : et resipiscant a suis nequitiis . Marcilla et Syntex et Epaphras castissimi et apostolici uiri Sclauoniam perrexerunt : et prædicato ibi euangelio Christi perseuerauerunt in bonis operibus . Marcilla uero post beatam Martham decem annis uixit : cuius uitam non paruo lumine hæbraicæ edidit . deinde ego Syntex ipsam multa prætermittens latine transcripsi . Euchodius uero et Germanus et Sostenes beatæ Marthæ alumni sacrum corpus diuæ hospitæ peruigilarunt quandiu uixerunt : et beato fine ibi quieuerunt . Habeamus ergo fratres hanc beatam : cuius uitam audiuimus in memoriam : quatinus memorum suorum ipsa sit memor ante deum : ut dignis meritis ipsius | post bona temporalia in cælesti regno cum ea regnare ualeamus . Hæc est Martha hospita Christi presentium et futurorum forma actiue uitæ : qua iusti suis ædibus suscipientes egenos ibunt ad regna cælorum : quando illis a domino dicetur . Venite benedicti patris mei . percipite regnum meum . Quia esuriui : et dedistis mihi manducare : quod ipse nobis prestare dignetur : cuius regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum Amen .

Beatissima igitur Martha felix et carissima hospita Christi et fidelis et dilectissima eius discipula congregatis apud Tarasconem instinctu diuino causa uisitandi eam et consecrandi ecclesiam quam nomine sancti Christi et beatæ Mariæ ibi construxerat tribus episcopis ex septuaginta duobus discipulis Christi Iesu Trophino silicet arelatense Maximino aquense Etropio aurasicense et aliis pluribus religiosis uiris mulieribusque reconditis ibidem multis sacris et pretiosis reliquiis quas secum magno studio et labore e partibus ultramarinis atulerat : prædictam ecclesiam a tribus præfatis episcopis fecit solemniter consecrari : ad quorum cænam uino deficiente lympha in bacchum conuertitur . Tunc per eundem Maximinum eidem Marthæ Maria soror eius mandans promisit se uisitaturam : quod non uiua sed mortua impleuit . Prælibata uero ecclesia ex more honorifice dedicata supradicti sancti antistites cum beata Martha et quibusdam aliis quattuor episcopis de numero septuaginta duorum discipulorum Iesu christi Martiali silicet lomonitense : Sergio Paulo Narbonensi : Saturnino tholosanensi : Frontone petra goricensi . hii omnes oraculo diuino ammoniti apud Arelatum urbem : quam egregius doctor gentium Paulus apostolus ad fidem conuertit in loco : qui dicitur Ayliscampis : ubi beatus Trophinus apostoli Pauli discipulus et ab eodem in prædicta urbe episcopus constitutus quoddam oratorium in honorem genitricis dei Mariæ construxerat : ad consecrationem cymiterii in quo fidelium utriusque sexus et ætatis in pace debeant sepelliri : pariter conuenerunt : Qood† cum dominus Iesus per manus illorum septem antistitum diuinitus || consecrasset corporalem præsentiam suam in loco illo eis dignatus est exhibere : itaque septem episcopi et omnes alii qui aderant cognouerunt eum : non interrogantes ipsum : tu quis es : scientes quia dominus est . Tunc dominus Iesus eleuatis manibus benedixit eis una cum cymiterio : in quo erant : et confortans eos et docens de regno suo consecrationem ipsius cymiterii : quam eo cohoperante et auctoritatem suam eis impartiente consumauerant approbauit : et confirmauit : et specialiter concessit : et indulsit : ut nullus christianæ fidei caractere insignitas et in ea usque in finem perseuerans ab illius cymiterii sepultura unquam prohibeatur : ingens meritum et grande præmium illis in æterna uita promittens : quæ communione ecclesiæ decedentes illic catholicæ fuerint tumulati : Nihilominus etiam illorum corpora ab illusione et uexatione dæmonum ille qui fidelis est in omnibus uerbis suis spopondit esse tuta et immunia : ne in eorum monumentis immundi spiritus ualeant habitare . Desyderant enim in sepulchris mortuorum manere iuxta illud euangelii : Exeunti Iesu de naui occurrit de monumentis homo in spiritu immundo : qui domicilium habebat in monumentis . Et præterea ne corporum illorum hominum materia tanquam figmento uel organo maligni spiritus utantur : cum ex se incorporei et inuisibiles in forma etiam corporali et uisibili uolunt aliquibus apparere . Ipse enim Sathanas transfigurat se in angelum lucis : quod deus occulto iudicio facit aut permissu suo ita fieri sinit . His itaque ad laudem et gloriam et robur et munimen christiani nominis de dei ineffabili bonitate peractis unigenitus dei filius iterum benedicens illis et cymiterio suo et uale dicens omnibusque contendens ex oculis eorum exiit ad dexteram maiestatis in excelsis . Discipuli uero diuinæ uisionis et cælestis muneris supra quam dici possit gratia iucunditati : summæ trinitati simplici deo de tantis beneficiis gratias exhibentes : in memoriam dominicæ uisionis et apparitionis in loco ubi steterunt pedes eius : et se ipsum eis corporaliter exhibuit : in honorem gloriosæ et beatæ semper uirginis dei genitricis Mariæ erexerunt altare de terra iuxta ritum ueteris te | stamenti : ut pote altare de terra facietis mihi et illud debita summa cum deuotione et reuerentia cum oratorio : quod beatus Trophinus ephesinus arelatensis archiepiscopus ad ortum solis construxerat calendis Ianuarii consecrauerunt . Ipsi aræ marmoreæ caute ad posterorum memoriam græca elementa arctius imprimentes : quæ summatim hæc omnia tangunt : et recte intelligentibus manifestant : Et statim ipsum altare diuinis officiorum obsequiis ordinare studuerunt : ubi et ipse beatus Trophinus se cum debitum carnis munus exoluerit a fratribus suis sepelliendum præcepit : et affectuose rogauit . iisque omnibus rite peractis : omnes cum gaudio ad propria remearunt .

PASSIO SANCTORVM MARII ET MARTHAE AVDIFACIS ET ABBACCI MARTYRVM.

Temporibus Claudii uenit quidam uir de persidis partibus nomine Marius cum uxore sua Martha et filiis Audiface et Abbacco christianissimi ad orationem apostolorum : Venientes autem Romam cœperunt corpora sanctorum per carceres et sepulturas conquirere : Et dum frequenter et curiose quærerent : uenientes in castrum transtyberim inuenerunt in carcere hominem uenerabilem nomine Quirinum : qui iam multa uerbera pro Christi nomine perpessus fuerat : facultate sua nudatus : ad quem uenientes miserunt se ad pedes eius Marius et Martha uxor eius cum duobus filiis Audiface et Abbaco : ut oraret pro eis : et ibi manserunt diebus octo : cœperuntque de facultatibus suis mistrare† beato Quirino : et lauare pedes eorum : qui uinculis constricti erant : et in capita sua uel filiorum suorum fundere . Eodem tempore iussit Claudius : ut si qui christiani inuenti fuissent : uel uulgo aut in custodia sine interrogatione punirentur . Ipso præceptum diuulgante tenuit ducentos sexaginta duos christianos uia Salaria : qui harenam fodientes damnati fuerant pro nomine Christi : quos iussit ut in Fligina† foras muros portæ Salariæ du || cerentur et in eodem loco clausi sunt in ciuitatis amphiteatro : ubi eos per milites sagittis iussit interfici . Hoc cum factum fuisset : contristati nimis Marius et Martha uxor cum filiis suis Audiface et Abbaco uenerunt ad locum ubi corpora sanctorum interfecta fuerant una cum beato Iohanne presbytero : inueneruntque super corpora sancta ignem superpositum . exeuntes cœperunt corpora subtrahere et sepelire cum linteaminibus et facultatibus suis : quia uir locuples erat cum filiis suis et uxore . Et quantum potuerunt sepelierunt in cripta uia Salaria in cliuium cucumeris . Tunc sepelierunt cum eis quendam tribunum Claudii nomine Blaustum : et in eodem loco uigilias et ieiunia cum orationibus multis diebus cum beato Iohanne celebrauerunt . Audiens hæc Claudius cœpit curiose quærere Marium et Martham uxorem eius : et non inuenit eos : quia occulte hoc faciebant . Venientes uero Romam uenerunt ad castrum requirentes beatum Quirinum : quem non inuenientes contristati sunt nimis . Inuenerunt tamen quendam presbyterum nomine Pastorem : qui enarrauit eis : quæ facta fuerant . Et quomodo noctu interfectus fuerat gladio beatus Quirinus : et iactatus fuerat in Thyberim : Cuius corpus remansit in insula Lycaoniæ : Et pergentes noctu cum familia sua et beato pastore : collegerunt corpus eius : et sepelierunt in cymiterio Pontiani in cripta octauo calendas apriles . Venientes beati Marius et Martha cum filiis suis noctu audierunt in loco transtyberim in quodam cænaculo multitudinem christianorum psallentium : Quod intuiti cum gaudio pulsauerunt ianuam cænaculi . Illi autem timentes noluerunt aperire eis . In eodem autem loco erat episcopus nomine Calistus : qui cum audisset pulsantes : dixit ad sanctos Christi : Confortamini : et nolite timere : Christus pulsat hostium nostrum . Aperiamus os nostrum : et plus confortantes collaudemus dominum : qui ipse nos uocat : et confestim ipse pergit ad ianuam : et aperuit hostium : quem uidentes Marius et Martha uxor eius una cum filiis suis Audiface et Abbaco iuuenibus miserunt se ad pedes beati Calisti episcopi : quos ut uiderunt omnes christiani : gauisi sunt et osculati sunt se inuicem . Dedit autem beatus | Calistus orationem in ipsa hora dicens : Deus pater domini nostri Iesu Christi qui dispersa congregas et congregata conseruas : auge fidem et fiduciam seruis tuis per Christum dominum nostrum : qui uiuis cum deo patre omnipotente et spiritu sancto in sæcula sæculorum . Et responderunt omnes populi : amen . Et fuerunt in eodem loco mensibus duobus in abscondito . Tunc tenuit Claudius quendam uenerabilem uirum Valentinum nomine presbyterum : et reclusit in carcere in compedibus et cathenis : quem post biduum iussit sibi præsentari in palatio suo iuxta amphiteatrum : qui dum præsentatus fuisset aspectibus eius : dixit ad eum . Quare non amicicia nostra frueris : et uiuis cum cœtu rei publice nostræ ? Satis mirandam sapientiam de uobis audio : et dum sis sapiens : offendis in superstitione uanitatis . Respondit Valentinus præsbiter : et dixit : Si scires donum dei :

gauderes et tu et respublica tua : ut refutares dæmones et idola manufacta : et confitereris unum patrem deum omnipotentem et Iesum Christum filium eius creatorem omnium rerum : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt . Respondit quidam legis consultor : qui Claudio astabat : et dixit uoce clara ad beatum Valentinum presbyterum . Et quid disputas de deo Ioue uel Mercurio ? Respondit Valentinus presbiter : et dixit : oh homines miserrimos et turpes : qui per tempus uitæ suæ semper immunditiis et delectationibus et contumeliis corporum suorum male uixerunt . Sed ostende mihi genelogiam† eorum : et uidebis : quam turpes fuerint . Resplegis consultor respondit . Blasphemauit deos et gubernatores reipublicæ . Eodem die Claudius magis patienter audiebat : et respondens ad Valentinum dixit : Si Christus deus est : quare non diuulgas : quod uerum est ? Respondit Valentinus presbyter : et dixit : Audiat pietas uestra . Tu uero audi me rex : et salua erit anima tua : et respublica tua augebitur : et inimici tui extinguentur : et tu in omnibus nictor† eris : et hic regno frueris et in sæculo futuro . Hoc tantum commoneo : ut pœniteat te sanguinis sanctorum : quem effudisti : et credas Chri ||stum : et baptizans te saluus eris . Respondit Claudius : Audite ciues romani et cœtus reipublicæ : quam sana doctrina diuulgatur ab homine isto . Respondit Calphurnius præfectus . Seductus es princeps in doctrina falsa : Et si iustum est ut derelinquamus quod a cunnabulis nostris coluimus et adorauimus uos iudicate . Eadem hora mutatum est cor Claudii : et cum tristicia tradidit eum Calphurnio præfecto dicens : Patienter audi eum : et si sanum consilium non est : quod declarat : fac in eum : quod in sacrilegum leges prædixerunt . Sin uero : audiatur iusta postulatio eius . Tunc Calphurnius præfectus suscipiens Valentinum presbyterum dedit eum cuidam Asterio principi suo dicens : Si potueris eum mollibus sermonibus humiliare : intimabo doctrinam tuam Claudio et cæteris eius amicis : et multiplicaberis diuitiis et facultatibus . Accipiens autem eum Asterius duxit eum in domum suam . Atque dum introisset domum Austerii Valentinus presbyter genibus positis orauit dicens : Deus omnium rerum uisibilium et inuisibilium factor et creator generis humani : qui misisti filium tuum dominum Iesum Christum : ut nos de præsenti sæculo liberares : et de tenebris ad lucem ueram perduceres ad Christum : qui nobis præcipiens dixit : uenite ad me omnes : qui laboratis et onerati estis et ego reficiam uos : tu conuerte domum hanc : et da ei lumen post tenebras et cognoscat te deum et Christum in unitate spiritussancti in sæcula sæculorum amen . Audiens hoc Asterius princeps : dixit ad Valentinum presbyterum : Miror prudentiam tuam : ut dicas : quia Christus uerum lumen est . Respondit Valentinus et uere quia dominus Iesus christus qui natus est de spiritusancto et de Maria uirgine lumen uerum est : qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum . Respondit Asterius : Si illuminat omnem hominem : modo probabo si deus est : aut fallaciam tuam extinguo . Tunc ait : habeo filiam adoptiuam : quam diligo a cunabulis . Et subito fere ante annos duos hypocematis obscuritate fædata est . Ipsam adducam ad te : et dum curata fuerit : quecumque præceperis faciam . Respondit Valentinus presbyter : et dixit : In nomine domini Ie | su Christi adduc eam ad me . Currens uero Asterius adduxit puellam cæcam ad beatum Valentinum presbyterum . Eleuans autem manus in cælum et lachrymans dixit : domine deus omnipotens pater domini nostri Iesu Christi pater misericordiarum : qui misisti filium tuum dominum nostrum ut nos de tenebris ad lucem ueram perduceres : te inuoco ego peccator indignus . Sed quia omnes animas saluas : et neminem uis perire : ego precor misericordiam tuam : ut cognoscant te omnes : quia tu es deus et pater omnium et creator : qui cæco nato oculos aperuisti : et iam fætentem Lazarum de monumento suscitasti : Te inuoco : qui lumen es uerum : et dominus omnium principum et potestatum : non mea uoluntas sed tua fiat : super hanc famulam tuam ut digneris eam illuminare lumine intelligentiæ tuæ : Et posuit manum suam super oculos eius dicens : Domine Iesu Christe illumina famulam tuam : quia tu es deus lumen uerum . Et cum hoc dixisset aperti sunt oculi eius . Hoc cum uidisset Asterius : cecidit cum uxore sua ad pedes beati Valentini : et ita dicebant : Per Christum per quem lumen cognouimus precamur : ut quod scis facias tantum ut saluentur animæ nostræ . Respondit Valentinus et dixit : Ergo facite : quod dico : et si ex toto corde creditis : confringite omnia idola : et ieiunate et relaxate culpas omnibus : Et baptizetur unisquisque† in confessione sua : et saluus erit . Tunc

indixit eis triduo ieiunium : Et quia multos habebat Asterius in custodia de christianis relaxauit omnes . Et tribus consumatis diebus die sancto dominico baptizauit Asterium cum omni domo sua . Et conuocauit ad se sanctum Calistum episcopum : et consignauit Asterium cum omni domo sua animas fere promiscui sexus numero quadraginta sex . Hoc factum audiuit Marius et Martha uxor cum filiis suis Audiface et Abbaco : quia cæca illuminata est a beato Valentino et per illuminationem eius omnis domus Asterii credidit : uenerunt cum gaudio ad domum Asterii gratias agentes : et fuerunt ibi diebus triginta duobus . Post hos dies requisiuit Claudius Asterium principem et nunciatum est illi : quia illuminata fuisset puella || in domo eius : et per hoc signum baptizatus esset in nomine Christi cum omni domo sua per Valentinum presbyterum : qui iratus misit milites : et tenuit omnes : quos inuenit in domo eius : qui cum adducti fuissent uincti inter quos erant . Marius et Martha Audifax et Abbacus nobilissimi ex perside qui uenerunt ad orationem sanctorum apostolorum : iussit eos seperari a congregatione eorum . Et præcipiens Asterium cum omni domo sua duci uinctum in ciuitatem Hostiam : et ibi eos sub pœnarum examinatione exhalare spiritum . Marium autem et Martham Audifacem et Abbacum per se audire . Valentinum uero presbyterum fustibus cædi : et subire sententiam : ut capite truncaretur : qui decollatus est uia flaminea decimosexto calendas martias : Cuius corpus collegit quædam matrona Sauinilla : et sepelliuit in eodem loco : ubi decollatus est . Iussit itaque Claudius presentari aspectibus suis Marium Martham Audifacem et Abbacum Qui cum presentati fuissent existimans Claudius : quia pecunias cumulauissent : sic aggreditur eos dicens : Vnde estis ? Respondit Audifax filius eorum maior : et dixit . De Perside . Ad quem Claudius : quam generositatem inter uos confertis ? Respondit Audifax : Ego et Abbacus filii istorum sumus . Claudius dixit : Ob quam causam ad patriam superiorem deuoluistis ? Respondit Audifax : Desyderio desyderauimus ad pedes apostolorum ad orationem occurrere . Claudius dixit : Et quæ facultas in uobis fuit : ut tantum itineris expenderetis ? Vel qui natales uestri sunt indicate . Responderunt Marius et Martha dicentes : Dominus omnipotens nouit : quia nobiles nati ex omni generatione : Nam ut scias nos nobiles esse . ego filius sum imperatoris Maromei : et hæc filia Culsuntis subreguli . Claudius dixit : Et quare iudicium parentum uestrorum non sequimini : ut deseratis deos : quos parentes uestri coluerunt : et hominem mortuum quæratis ? Respondit Marius : Nos famulos Christi seruos et apostolos eius uenimus exorare : ut ipsi interuenire dignentur pro nobis . Et Claudius : Facultas uestra præsto est ? Marius respondit : Facultatem nostram dedimus ei : qui hoc nobis | ad tempus paucum dedit : domino . Claudius audiens hunc sermonem iratus tradidit eos uicario Musciano dicens : Si non sacrificauerint et non dereliquerint superstitionem hanc : diuersa in eos tormentia† exerce . Eadem die iussit sibi in tellure gremium præparari et omnia genera tormentorum deferri : qui cum adducti fuissent in conspectum eius : furore repletus dixit : Intimatum uobis est : quid preceperunt principes nostri : et omnis res publica ? Respondit autem Audifax : Nescimus . Muscianus uicarius dixit . Ergo uultis cognoscere decretum ? Responderunt Marius et Martha : desyderamus audire : quid iussum tibi fuisset . Musciamus† uicarius dixit : Deferantur tormenta . At ubi allata sunt : dixit : Omnia genera tormentorum in uobis expenduntur : si decretum non feceritis . Sin uero audieritis preceptum principum : et natales uestri renouantur : et dignitate fulgebitis præcelsa . Hoc iusserunt uictores reipublicæ : ut sacrificetis diis sine mora : et sitis amici principum . Respondit Audifax filius maior : et dixit : Stultam rem locutus es : Dicit Muscianus ad Marium Martham et Abbacum : Vos quid dicitis ? Responderunt : omnes quasi uno ore locuti sumus . Muscianus iussit expolliari eos : et fustibus cædi : Martham uero stare ante eos : qui dum cæderentur sub uoce preconia dicente : precepta principum nolite contemnere : Martha gaudens dicebat : Filii constantes estote . Marius uero laudabat dominum dicens : Gloria tibi domine Iesu Christe . Muscianus uicarius iussit eos leuari a terra : et suspendi in equuleo : qui dum funibus traherentur : uoce clara clamabat Audifax filius maior : Gloria tibi domine Iesu Christe qui dignatus es dinumerare nos cum seruis tuis . Iratus Muscianus iussit ignem ad latera eorum poni : et ungulis ferreis radi . Illi autem uultu alacri clamabant : Gratias tibi agimus domine . Muscianus iussit eos deponi de equuleo in conspectu Marthæ : et manus eorum præcidi . Et dum præcisæ fuissent : cœpit

sanguis emanare . Martha autem colligens sanguinem mariti et filiorum caput suum linebat† cum gaudio . Tunc iussit : ut manibus ad colla ligatis sic per ciuitatem circuirent sub uoce || preconia dicentis : Deos blasphemare nolite . Clamabant enim Marius Audifax et Abbacus : Non sunt dii sed dæmones : qui uos perdere hebent† et principem uestrum . Eodem die dedit sententiam : ut decollarentur : qui ducti uia cornelia milliario tertiodecimo ad nymphas Catabassi : ibi in eodem loco decollati sunt sub harenario Marius Audifax et Abbacus . Martha uero in nympha necari : quorum corpora iterum iussit incendi : ne sepulturam haberent . Matrona uero nomine Felicitas rapuit corpora eorum semiusta : et in predio suo sepeliuit . Martham uero leuauit de puteo : et iunxit corporibus sanctis tertiodecimo calendas februarias : Vbi prestantur benefitia domini nostri Iesu Christi usque in hodiernum diem Regnante eodem domino nostro Iesu Christo qui uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTI MARTIANI EEPISCOPI† MARTYRIS ECCLESIAE DERTONENSIS .

Regnante Aoriano† imperatore in ciuitate mepiolanensi† erat quidam Sapricius nomine ualde paganus . Hic militabat in palatio primicerius candidatorum hunc ordinauit Adrianus uices gerere Antiochi : cui sic precepit : Mittimus te ad alpes cotias : uices gerere Antiochi : ita ut quosque inueneris christianos gladio eos animaduertas : qui perceptis sacris profectus est : Et cum ingressus esset in ciuitatem astensem : erat ibi quidam illustris nomine Secundus : qui magno opere idola uenerabatur . Hic multa a sancto Calocero didicerat : atque frequenter ad eum in custodiam introibat . cum uero audisset in ciuitatem ingressum Sapricium : ad salutandum eum perrexit : Cui dtxit† : Frater carisime Saprici quid egit mali homo ille : qui in custodia detinetur ? Sapricius dixit : Deos quos imperatores nostri cum grandi ueneratione adorant : iste suadet uiros et mulieres ut eos pro nihilo respuant . Nam repertum mihi est in dertonensi ciuitate es | se christianum nomine Martianum illuc proficisci uolo : Cui Secundus resppndit† : Si dignum ducis : proficiscamur simul : quia mihi ualde est necessarium uenire uobiscum . Hæc dicebat : ut per sancti Martiani confessionem : perfectus ad ciuitatem suam rediret . Sapricius dixit : Ego plurimum precor solatium tuum . Regressus est autem Secundus domum suam : Et cum inuenisset opportunitatem ad Calocerum in custodiam ingredi : sic eum allocutus est : Calocere ora deum tuum : qui est iu† cælis : ut possim uidere gloriam dei . Calocerus dixit : Secunde uade dominus cæli sit tecum : et sicut desyderas : accipies baptismum Christi : et ueniens in ciuitatem meam accipies coronam martyrii tui . Tunc Secundus osculatus est manus beati Caloceri dicens : Modo merui manus tuas osculari : cum regressus fuero merear pacem tuam percipere : Cui uale facto abiit Secundus domum suam . Mandat ei . Sapricius : ut cum eodem dertonensem ciuitatem sicut statuerat pergeret . Cum uero profectus fuisset Secundus cum Sapricio foris ciuitatem astensem : uenit supra Secundum columba seditque in capite eius : Cui dixit Sapricius : Vide Secunde signum deorum cæleste : quomodo te diligunt : ut ut† aues cælestes ad te uisitandum dirigant . Secundus respondit : Hæc uisitatio non est teerena† : sed de cælo : Cumque peruenissent ad Tanarum flumen : Vidit Secundus angelum super aquam ambulantem et dicentem sibi : Secunde fidem habeto : et sic ambulabis super cultores idolorum . Conuersus ad eum Sapricius dixit : Frater Secunde qualem uocem ad te deorum nostrorum audio concessam ? Secondus† respondit : Ambulemus ad desyderia cordis nostri : Cumque uenissent ad Burmiam flumen : iterato astiterunt angeli in medio flumine : et dixerunt ad Secundum : Secunde credis in deum : aut forte dubitas ? Secundus dixit : credo in ueri atem† passionis eius . Sapricius dixit ad Secundum : Quid est quod audio ? Secundus dixit : Vocem quidem audis : sed uultum loquentis uidere non potes . Cum autem ingrederentur in ciuitatem detonensem† : occurrit ei beatus Martianus ad portam ciuitatis : et dixit : Intra Secunde uiam ueritatis : et perge . || ut accipias palmam fidei . Sapricius dixit : Quis est iste homo : qui nobis talia loquitur

quasi de somno ? Secundus dixit : Tibi quidem somnus uidetur : mihi autem ammonitio est et confortatio . Sapricius dixit : quid facimus : aut quomodo possumus inuenire istos contemptores legum inuictissimorum principum ? Tunc dixit Secundus : Rogo te frater Sapricii : ut des mihi uehicula publica usque ad Mediolanum ad gloriosum principem nostrum . Sapricius dixit : Vade frater carissime : reconcilia te in conspectu principis nostri . Tunc acceptis uehiculis Secundus abiit cum duobus seruis suis : Cumque ingressi fuissent Mediolanum quasi hora circiter sexta : cœpit in semetipso cruciari : qualiter ad sanctos martyres dei peruenirent . ecce angelus domini apparuit ei dicens : Secunde uade foras muros ciuitatis in dexteram partem muri : ego enim adducam ad te Faustinum et Iouitam . Audiens Secundus uerba angeli : gaudio repletus perrexit ad locum . Angelus uero domini abiit ad carcerem : et dixit : Faustine et Iouita et consortes nostri uenite mecum : quia uenit ad uos uir sapiens : ut accipiat baptismum Christi : est enim ualde eruditus a Calocero . Faustinus et Iouita dixerunt : Gratias tibi agimus domine : quia uisitasti nos : et misisti ad nos salutem Caloceri serui tui . Tunc perrexerunt ad locum cum angelo : ubi erat Secundus : Qui uidens eos a longe : proiecit se in terram ante conspectum eorum : et dixit . Redimite animam meam de manu inferi : ut liber ad deum cælorum perueniam . Faustinus dixit : Domine respice super fidem famuli tui : ut perueniat ad desyderium suum . Et cum hæc uerba orationis finita fuissent : ecce subito apparuit tanquam columna nubis emittens aquam . Tunc dixit angelus domini : Faustine ecce aqua quam desyderabas . Videns Faustiuus† : quia dei præcepto Secundus uenerat ad eum : appræhendit Secundum : et posuit eum sub aqua fluente dicens : In nomine patris et filii et spiritussancti baptizo te : Et eleuans eum de fonte consignauit eum . Et ecce columba more suo attulit corpus et sanguinem domini : et posuit super manus Faustini dicens : Ecce panis uiuus : qui de cælo descendit : et dat ui | tam mundo huic . Tunc tradidit ei corpus et sanguinem domini dicens : Vade sustine : et accipe palmam iusticiæ in ciuitate tua : Et data ei pace dixerunt : Audiamus de te cursum consumationis fidei tuæ : Et dederunt ei denuo pacem dicentes : Hoc corpus commixtum in sanguine domini porta ad fratres nostros Calocerum et Martianum : quem per fontem domini renouatum esse scimus . Et facta oratione fecit eis uale : et ascendit uehicula : in quibus uenerat . eadem die exiit ab eis : qui ubi uenit ad ripam Padi : cœpit contristari corde : et ecce angelus domini affuit Secundo dicens : Quid dubitas ? Secundus dixit : Video me retineri a flumine : et quomodo transeam : tribulor : Cui angelus dixit : Ascende uehiculum tuum : et ueni sequere me . Factus est autem subito angelus sedens super uehiculum et appræhendit frenum de equo Secundi : et abierunt super aquas Padi . pueris suis uero dixit Secundus : expectate hic donec luceat sequimini me . Secundus uero abiit cum angelo ambulans super aquas padi : usque dum transirent . Exeuntes autem de flumine dixit angelus domini ad Secundum : crastina die Martianus accipiet coronam martyrii : tu uero uade : et sepelli eum : quia per ipsum ad martyrium uenies secundum desyderium tuum . Secundus dixit : Rogo te in conspectu dei ut eum in corpore inuenire possim . Angelus dixit : Secunde prius uenies ad ciuitatem : quam Martianus uadat ad passionem . Secundus uero repletus est gaudio magno . Angelus autem domini deducebat Secundum per totam noctem illam : usque quo peruenirent ad ciuitatem dertonensem . Erat enim prope mediam noctem . Secundus dixit : Quid modo faciemus : ut possimus ingredi ciuitatem ? At angelus dixit : Vide Secunde fidem tuam : ecce modo aperietur porta ciuitatis : et ducam te ad Martianum : ut uideas eum antequam ad passionem ducatur . Secundus respondit : obsecro te : ut facias secundum uerbum tuum : Et ingressus urbem Dertonam : dixit Secundus ad angelum : Rogo te produc me ad Martianum : ut eum salutem : et tradam ei transmissum Faustini et Iouite . Tunc angelus duxit eum ad locum : ubi erat beatus Martianus in custodia . Et cum ingressi fuissent in carcerem : || salutauerunt sanctum Martianum dicentes : Gaude : et lætare sapiens cultor dei . Secundus dixit : Ecce quod tibi dominus transmisit : mittentibus Faustino et Iouita . Accipiens Martianus corpus et sanguinem domini sumpsit sibi dicens : Corpus et sanguis domini sit mecum in uitam æternam . Et osculatus est Secundum dicens : Pacem meam portabis fratri Calocero : Et gaudentes pariter psallebant cum angelo usque ad lucem . Facta oratione exierunt de custodia Martiano dicentes : Hodie luctaberis cum diabolo : et accipies palmam iusticiæ : Cui Secundus dixit . Memor

esto mei : cum ingressus fueris ante conspectum domini : Et cum hæc dixisset : abiit cum angelo usque ad ecclesiam domini : ubi dixit angelus ad Secundum : Vere tibi dico : quia fidem tuam deus elegit : et in istos tres dies exibis de fallacia huius mundi . Vade modo : ut uideas Martianum pugnantem contra artes diaboli . Tunc Secundus dixit : Adiutorium uestrum precor : ut uincam diabolum : Cui iterum angelus dixit : Vade in nomine dei securus : accipies petitionem tuam : quo audito gaudio plenus factus abiit domum suam . Erat autem quasi hora prima cum sederet Sapricius in templo Iouis : iussit itaque adduci Martianum : Cumque uenisset ante eum : Sapricius dixit ei . Martiane ex qua progenie es tu : aut quem deum colis ? Martianus respondit : Si uis scire : ego ab infantia mea deum qui in cælis est omni amore adoro . Nam idola dæmonum tanquam lutum platearum semper duxi : et qui eis obediunt tanquam stercora respui . Sapricius dixit : Misit me inuictissimus princeps propter tuam perfidiam : ut aut sacrifices : aut gladio pereas . Martianus dixit : gladius dei te percutiet : cuius plaga nunquam sanatur . Sapricius dixit ad ministros : Afferte massas ferri de fornace : et ponite supra uentrem eius ut discoquantur intestina eius : ut putrefiat in semetipso . Ministri uero attulerunt de fornace massas ferri : eiusque supra uentrem posuerunt sicut iussit Sapricius : exibat de corpore eius fumus tamquam multorum pigmentorum odoris flagrantis . Ministri uero incessanter afferebant e fornace massas : et ponebant supra eum . Martianus autem clamabat : Sapricii miser nihil est : quod mihi facis : | neque sentio pœnas : quas mihi adhibes . Ad hæc Sapricius : Erigite eum a terra : ut uideamus qualiter est attractus uenter eius . Tunc ministri erigentes eum a terra mirabantur . Masse cadebant : et ministros uulnerabant : ita ut se mouere nullo modo possent . Stabat autem beatus Martianus episcopus illæsus coram omni populo : inspiciensque cælum dicebat : Domine libera animam meam a labiis iniquis et lingua dolosa . Sic uero stabat beatus Martianus gaudens : quasi nihil perpessus fuisset . Et erat totus nitidus : nec illa arsura penitus comparuit in eo : ita ut omnes mirarentur astantes . Tum Sapricius : Quid inquit stamus Martiane ? Accede : et sacrifica diis : ut uiuere possis . Respondit ille : Confundet te dominus meus : Cui ego seruio ex toto corde meo . Ad quem Sapricius : Tu si seruiebas Ioui deo : multum te uenerabamur . Martianus respondit : Quem tu dicis esse deum Iouem ille in inferno crematur in stridore dentium : ubi et tibi locus præparatur . Sapricius dixit : Aut sacrifica : aut faciam te gladio puniri : et per te metum aliis ingeram . Martianus episcopus respondit : Ego sacrificabo deo meo hostiam laudis : et circundabo altare eius cum omnibus sanctis : qui seruiunt ei . Tunc Sapricius factus est iratus : dixitque ad ministros . Tollite istum contemptorem foris ciuitatem : et auferte caput ipsius : Ego enim mundabo istam prouinciam de contemptoribus legum . Tunc beatus Martianus episcopus sublatus est foris muros ciuitatis Dertonensis : Ille uero hilari admodum uultu dominum præcabatur dicens : Tu domine seruabis me : et custodies animam meam ab inimicis meis . Subito facta est uox de cælo : dicens : Martiane ueni ad præparatam tibi habitationem . Tunc ipse beatus Martianus posuit genua : et tunc spiculator amputauit caput eius . Secundus uero misit se et rapuit corpus eius : et sepeliuit eum cum omni studio sexto calendas apriles . Fudit igitur beatissimus Martianus episcopus sanguinem suum pro Christi nomine et adeptus est coronam martyrii . Regnante domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat deus Amen . ||

PASSIO SANCTAE MARTINAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Alexander cæsar quarto anno imperii eius proposuit præceptum nouum et pessimum in toto orbe : ut aut sacrificent Galilei . aut si non sacrificauerint morti tradantur . Direxit uero præsides et iudices cum feruenti comminatione : quatinus dissiparetur christianorum cultus . Qui uero talia susceperunt precæpta imperialem imaginem deferentes : nouamque propositionem sacrificia nequissimorum ac pollutorum deorum suorum demonstrantes : quam præcepit Imperator fieri et consentientes immolare : honoribus magnis effici dignos : Contemptores uero et nolentes immolare tormentis crudelibus submitti ac mori . Horum uero omnium ac talium perficientium

Alexander imperator sacrificia exhibebat Romæ Apollini : et iussit magno terrore compræhendi ab optimatibus suis eos : qui religionem christianam habere noscuntur uirorum ac mulierum : ut cum pœnis et uiolentiis sacrificarent Apollini . et enim illi Sathanæ ministri erant maligni uiri Vitalis autem quidam honorem habens comitis qui super throno imperiali præerat et Gaius domesticus uere eorum pollutæ et nequissimæ sæctæ ministri : qui directi sunt ad dissipandum cultum christianorum . Venientes autem erga ecclesiam : quæ est sita Rome : cum uididissent† beatam Martianam† orantem : et alacri uultu altissimum prospitientem : existebant uero ei serui ac ancillæ : Erat enim ex sublimi genere : et pater eius ter consul diues nimis et misericors omnibus egentibus : et legem sanctæ trinitatis conseruans . Hæc quidem per donum dei diacona erat tota cum omnibus sanctis operibus et gratiæ dei moribusque ornata : nequitiis diaboli firmiter resistendo lumbosque ueraciter precinctos habens . Ministri uero tenentes dicunt ad eam : dominus orbis Alexander ueneratur te sicut nobilem et decoratam et genere primam romanorum existentem : sciens tuam honorificam conuersationem obsecrat : ut quasi magno deo Apollini eminens sacraficium† sponte offeras . Beata uero et deo amabilis martyr : læto uul | tu dixit ad eos : Prius ingrediar ad sanctam dei ecclesiam : et commendo me deo et Christo filio eius et spiritui sancto et sanctissimo et honorifico episcopo : et qui strenue atque alacriter per fidem Christo deseruiunt sacerdotibus et omni benedicto ouili ecclesiæ : et tum cum pace proficiscamur . Oportet enim ire pro Christo aduersum incompositum et mendacem deum : et confundere pestiferum et indignum imperii . Alexandrum : et uictricem saluatori nostro assistere : ingressaque compleuit petitionem suam : et orans properauit cum eis ad imperatorem splendida facie et speciæ preclara . Ingressi uero impiæ sectæ ministri intimauerunt imperatori stare ante palatium primam ac eminentem de galileis quæ imperii tui iusioni consentiens uoluntarie immolare diis parata est : omnibusque suadere christianis subsequi eam : quæ Imperator audiens gauisus est ualde : Et iussit eam in palatium et imperialia ingredi loca : in quo ipse degebat ingressa est . Post ubi imperator pulchritudinem eius admirans placatus est : magis autem claro eius generi quod audiebat de ipsa et ait : Magnus es deus Apollo : qui glorificaris ab omnibus diis : qui talem in genere et tantam in decore et gloria speciosissimam mentem composuisti : ut cum gaudio tibi sacrificium ingerat : Et hæc dicens ait ad beatam Martinam : mentem habens bonam et ingenium et propositum caritatis : et placabilibus muneribus præcipuum ac multifarium ritum deorum exhibens immola Apollini : Et enim adhæsione tua cogitaui : ut imperii mei potentiam faciam te dominam demonstrari . Ad hæc beata Martina ait imperatori : Iube me immolare sine sanguine inimculato† deo : qui non existentia omnia existere fecit : ut per id sacrificium ostendam Apollini arguens eum : et faciens dimittere eum animas sperantes in saluatore et domino nostro Iesu Christo . Imperator uero audiens ea : quæ ab ipsa dicebantur et non intelligens ea : quæ ab ea dicta sunt : iussit eam in templo Apollinis ingredientem immolare . Sancta uero iussa introire hilari uultu dixit imperatori : Ingredere tu et sacerdotes Apollinis et quanticumque amatores sunt : et uideant quomoedo† since || riter intemeratus et misericors et sanctus deus intemerata et immaculata sacrificia benigniter suscipiat a me . Imperator uero iussit omnes astantes et omnes ministros ingredientes prompte prospicere : quæ ab ipsa fiebant . Stans uero deo amabilis et simplex martyr murum sibi fecit signaculum Christi . Apparuit autem astantibus angelica gloria coexistens cum ea . Beata uero simplici facie leuatisque oculis in cælum et manus extendens sicut dei famula dixit : Gratias tibi pater gloriæ et Iesu Christe glorificate deus cum sancto spiritu sanctitate plenus : et scientiæ largitor sine inuidia et immaculate sempiternæ : rex deus misericordiarum et dominus omnium uisibilium : qui in gratia tuæ clæmentiæ nomen diuinitatis Christi filii tui confitentes corroboras . te inuoco : qui es et qui præsens es : et qui manes in sæcula deus : et peto precans magnitudinem : quæ in te est : confessionem meam complere : et nunc præcipita hoc immobile et non uidens et surdum idolum : quod mortiferam et occultam proditionem tribuit eis : qui in ipso crediderint : qui impotens est in exitu pereuntium . Lutum enim est taciturnitate obstructum : et fædat credentes in se : sed tu domine deus noster exaudi me humilem et peccatricem : et cognoscat malorum adinuentor imperator iste : qui uanam spem habet in idolis suis ; quia alium deum non debemus adorare nisi te : qui dixisti : Ego occidam et uiuere

faciam : percutiam : et ego sanabo : quia gloriosum est nomen tuum in sæcula amen . Hæc ea orante statim terremotus factus est magnus : ut ciuitas concuteretur et corruit Apollo : et comminutus est . Simili modo quarta pars templi et ipsa destructa est : et oppressit multitudinem magnam cum sacerdotibus : qui directi fuerant ab imperatore ad beatam Martinam . Etenim terremotus multis horis stetit : ut paueafactus imperator fugam peteret : ait ad eum beata Martina : Imperator sta : et adiuua : quia confractus est Apollo : et congrega fragmenta eius . Et ostende similibus tuis : quem colunt insuper et sacerdotibus eius oppressis a ruinis : nunc surgat : et adiuuet uos . Et mox dæmon qui in idolo Apollinis habitabat uolutans | se in puluerem idoli in præsentia plurimorum uirorum ac mulierum : clamauit uoce magna dicens : O uirgo Martina magni dei qui in cælis est ancilla : quæ præcepta eius custodis : et me nudasti ab habitaculo meo . et deformem me ostendisti . habitaui enim in eo annis nonaginta octo : sub Cæsare augusto annis triginta septem : sub Antonino annis quadraginta quinque : et sub Alexandro qui tradidit me tibi : et pro immolatione perditionem faciens mihi annos quindecim . Multi uero sanctorum passionem ac martyrum perficientes minime me manifestauerunt usque nunc : cum essem in potestate multa : et habens sub me spiritus nequissimos quadringentos septuaginta duos . Præcipiebam enim eis : et offerebant per unumquemque eorum animas hominum quottidie septuaginta . Et eorum princeps nomine Effugien qui super mechitatem atque maleficia deputatus offerebat mihi animas hominum triginta sex : quos habebam sub mea potestate . Tu autem me effugasti : manifestans me : et igni tartarico tradens : non inuenio locum : ad quem proficiscar . Comenda me magno angelo Vrieli : qui omnem exitum meum conbussit . O Alexander attritor christianorum inuenisti animam sanctam : per quam me effugares : et imperium tuum turpitudine multa finiatur . Et hoc cum magna uoce et lamento dicebat dæmon : per aerem clamans et stridens : quo uero proficiscebatur : tenebre uidebantur : omnes prospicientes multo amplius consternati dubitatione repleti sunt . Mirantes autem erant gratiam dei : qui in cælis est . Imperator uero non intelligens : quia per diuinam gratiam ac iussionem idolum Apollinis comminutum est : et quia abhominabilium pessimorumque spirituum conglobatio a dei ueritate euanuit et sacrificiorum eius nequissimus ritus idolatriæ sanctæ uirginis oratione dispersus est : et secundum promissionem sanctæ Martinæ idolorum destructio peruenit : idolum Apollinis confregit : et maleficia et ariolos et haruspices idolorumque sacerdotes dissipauit ac mortificauit : iussit alapis faciem eius cædi : et uncinis palpebras eius disrumpere . Et dum diu hoc fieret : qui in hoc deputati erant || carnifices defecerunt : et clamabant dicentes : uæ nobis peccatoribus . Vere nos magis cruciamur : quam hæc . Manus enim nostræ decidunt . intollerabiles enim dolores coartant nos . Ipsa uero sicut sine uinculis solida permanet : et nos cædit . precamur te imperator : iube eam a nobis tolli : uidemus enim quattuor uiros splendidos ante eam : et quas ei nitimur ingerere pœnas magis nos ab illis in facies nostras suscipimus . uerus est deus : qui cum ipsa est : et non sinens pœnam aliquam preualere in eam . Imperator uero iratus ualde erga eos : et comminans ac prospiciens eos furiose : quasi negligenter pœnas ingererent : præcepit testas eos leuare et in faciem cædere beatam Martinam . Illa uero respiciens in cælum dixit : Benedictus es domine Iesu Christe : qui eternam gratiam das eis : qui in te spem habent . Benedictum nomen terribile gloriæ tuæ et honorificum et potens et omni sanctitate plenum domine . Et benedicta sancta et substantialis cum patre et cum spritu† sancto trinitas tua : quæ perfecte dissoluat et dissipet contrarios . Exaudi me precantem ad te ultimam ancillam tuam : et concede mihi carnis tolerantiam : et eos qui me cruciant conuerte in bonam conuersationem et gratiam deitatis tuæ . Et cum hanc orationem dedisset : circumdedit eam lumen . Qui autem eam cruciabant erant fere uiri octo . Et uox de cælo facta est dicens : Nisi pro famula mea Martina olim iam mortificarem uos . Volens iam inimicum mortificare et existentem populum mihimetipsi fauere : peperci uobis . Tu autem filia confide : et noli timere . Ego enim sum : quem adoras : et inuocas deum . Non te deseram : nec permittam dominari ab inuerecundo : et impio ac rebelli dæmone . His uero dictis imperator Alexander amens effectus est ualde : qui uero eam cruciabant uiri audientes miracula ceciderunt in faciem : et beatam Martinam precabantur : ut indulgentiam mererentur per ipsam ante deum de eis : quæ impulsi presumpserant . Beata uero martyr dixit ad eos . Si conuersi fueritis ad dominum

meum Iesum Christum : et cognoueritis ex toto corde : quia retribuet unicuique iuxta opera sua : perfruemini mercede : quæ in celis est . Sin uero et aliter sentietis æterna et feruida | supplicia : quæ suscipient uos . Illi enim quasi ex uno ore dixerunt : Domina nostra martyr melius nobis est : ut ostendas Christum : ut uidentes amplius credamus ei . Si uero non est possibile in hac carne prospicere eum : nos serui ipsius sumus et ministri et ipsi sibi credimus adoramus et colimus . Alexandrum autem qui contempnit saluatoris nostri precepta quamuis imperator sit non tenemus . Beata autem martyr dixit : Consilium uobis do filii : Ex corde mundo credite sine simulatione in Christo : et cognoscetis : quid tribuet uobis deus in illo sæculo : et quid putet nunc Alexander : qui præsenti gloria hic frætus est . illi autem inspirati a dei gratia dixerunt : Credimus domina nostra : ut magnus est deus christianorum : ad quem nos confugimus . Robusta autem facie et una uoce aduersus Alexandrum facti sunt . Hos quidem qui dicuntur dii olim seducti non adoramus cognoscentes per beatam martyrem Martinam uirtutem omnipotentis dei : et filii eius unigeniti saluatoris nostri Iesu Christi . Alexander uero iratus dixit : Irati estis nequissimi pro incantationibus crucifixi : in quihus† confiditis ? At illi responderunt : uere tu es sceleratus et draco habitat in te : quia non cognoscis eum : qui fecit te : et dedit tibi hanc potestatem coinquinantem usque in finem animam tuam : qui iratus suspensis eis iussit spatis carnes eorum lacerari . Incisi uero nihil loquebantur : nisi solum in cælum prospiciebant . Et in hoc uero amplius nequissimus super eis iratus capitalem sententiam aduersus eos dedit : timens : nequando cæteri satisfacti ab eis eandem uiam sectarentur . Martyres uero inclyti Christi ducti cum gaudio ad perfectam et sine dubitatione uiam prospicientes in cælum dixerunt : Omnium domine unigenite Iesu Christe fili dei quem nos ignorabamus seruientes olim in errore et fæda exhibitione nobis cognitus es per sanctam tuam et inclytam Martinam . Tu deus cæli ac terræ : qui creasti orbem omnem et omnia : quæ in eo sunt : qui per sanctam tuam Martiram† idola gentium in puluerem redigisti : quem nunc cognouimus ante luciferum genitum : quem omnis abyssus metuit : || et omnis mons et collis tremit audientes terribile et gloriosum nomen tuum . Tu uero domine Iesu Christe . spes eorum es qui ad te confugiunt : et liberas : qui in te sperant : respice de cælo et miserere nobis : et suscipe animas nostras in pace : non reputans nobis delicta nostra : quæ ignorantes et existentes in altitudine earum tenebrarum in te peregimus . Orantes uero et signaculum Christi in fronte facientes tendentesque simul capita sua prompte cum læticia magna finem sæculi huius susceperunt . Et sic per proprium sanguinem gratiam dei sibimetipsis in memoriam æternam instruxerunt . Finiuntur mense nouembrio septimodecimo calendas hora quarta in Christo Iesu domino nostro : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen . Dum uero audisset imperator Alexander : quia cum magno gaudio reddiderunt spiritum sancti martyres : amplius contristatus est : quoniam multo amplius eos non cruciauit . Alia uero die sedens pro tribunali dixit : Introducatur iniusta incantatrix : quatinus uideamus eius incantationem . Ingressa autem ea dixit imperator : uel nunc consenti mihi et sacrifica diis : per quos orbis subsistit : Aut adhuc magias Christi tui attendis ? At illa respondit : Cessa sceleratissime : et omnium bestiarum ferocior : et non erubescis a muliere superari magis et conculcari ? Me minime poteris inclinare ad sacrificandum idolis . Vnde si aliquas pœnas cæteras consyderas : et uerbera quæ tu præparas : adhibe mihi . Ego enim tuis abhominationibus non sacrifico : nec eloquentem timeo . Deo enim soli et Christo eius et sancto spiritui commendaui memetipsam : et credo : quia nulla mihi nocebunt : quæ a te inferantur tormenta : deo tolerantiam mihi tribuente . Tunc iratus imperator : iussit eam expoliari : et circumcinctam eam iussit incidi . Ministri uero eius fecerunt : quæ iussi sunt . Sancta autem Martina ostendebatur candida sicut nix : Cuius splendebat corpus : et nitor claritatis eius caligare faciebat respicientes in eam . Inciso autem corpore eius emanabat lac pro sanguine : et odor magnus factus est sicut uas aromatum eiusdem ore effusum . Beata autem cum incideretur : dicebat ad do | minum : Voce mea ad dominum clamaui : et exaudiuit me in certamine passionis meæ . Laus mea in conspectu tuo fiat : gemitus dororum† meorum in conspectu tuo introeat . In saluem† animæ meæ inuocaui te domine : et in tribulatione inimicorum meorum dedisti mihi dorsum perseuero . supplicia hæc cognitio mea : quia apud te est domine sicut fons spiritus . Abraam pater Isaac filium suum obtulit deitati tuæ in

sacrificium salutis : quia ex fide te confitebatur : et suscepisti eum . Sic et meum certamen suscipe deus : et comple illud in multis certaminibus : et cugnoscant† perditionis instructores : quia tu es qui imaginem auream dissipasti : et Bel destruxisti : et perditionis operarium seruis tuis manifestum demonstrasti : sicut in mea humilitate ostendisti ueridicam gloriam deitatis tuæ : Apollinis idolum contriuisti : et alienum ueritatis Alexandrum confusionem circuamiciens† : et lumine tuo terribili splendidam fecisti ancillam tuam : ut per supplicia corporis effugerem stimulos malorum inuentores et incœstores sathanæ . Imperator uero iratus et ualde consternatus dixit : Valde maleficiis uincis inrubida : et seducis ut puta qui adstant . Beata Martina dixit imperatori : pater tuus Sathanas princeps est omnis maleficii et incantationis : fornicatores diligens et maleficos amplectens et omnes : qui incœstis desyderiis deseruiunt amplectitur in proprio gremio . Et quomodo potest mihi indulgere : me contemnente eum et minime faciente aliquid tale sicut dicis ? Meus autem deus et saluator meus Christus omnes qui contrarie agunt et custodiunt damnat : in eternam pœnam iubens eos existere . Tu ergo imperator fortioribus et potentioribus pœnis promereris affligi : sciens : quia maleficiis et incantationibus ut tu asseris non uinco : sed nomine solo Christi : qui omnem atrocitatem pœnarum tuarum quæ inserte sunt in agonem meum dissipauit : Imperator uero expoliauit eam : et cætera membra in quattuor palis extendi et fustibus cædi iussit a duobus centurionibus . Illa autem alacri uultu signo crucis sanctum corpus suum dextra læuaque muro circumsepsit : et cæsa dicebat Magnum mihi desyderium ad te domine et gloria || deitatis tuæ quæ me adiuuat . Dedi dorsum meum in flagellis : et carnes meas in suppliciis : faciem autem meam pro nomine tuo glorioso non auerti a tædio et mærore . Tu autem domine ne tardes in adiutorium meum : sed festina misericordias tuas : et dirige a sancto habitaculo tuo medelam super me : quia pro tua deitate flagelor . Et hæc dicente ea mutauerunt centuriones septem aut octo . Sed omnes dissoluti sunt† tam in manibus quam omnibus suis membris : et uoce magna dixerunt : precamur te imperator : libera nos de pœnis . Angeli enim domini repercutiunt nos uectibus ferreis : et incidimur in neruis et medullis : insuper et ossa nostra et carnes sicut ab igne magno cremantur . Sed obsecramus te : libera nos a puella hac . Imperator autem iussit eam amplius fustibus cædi . Sancta uero deornata : supplicia sibi inserta surridens facie dixit : O iniuste et damnande iudicio dei cælestis inimice : et impugnator serutator malorum similium tuorum Alexander non sentis beneficia : quæ ab æterno conditore in me efficiuntur ? Quia insipiens existens insensatis addidisti te metipsum : et perdidisti in obprobrium Apollinem et sacerdotem eius . Nempe uero ad honorem et adiutorium dei mei qui omnia fecit liberata effecta sum per angelicam exercitationem . Et hoc autem cognosce insensate canis eo quod duodecim centuriones succesiue inferentes mihi plagas ad interimendum me fecisti supponere . Me autem per nomen Christi qui pro me decertat salutem meam pœna non tetigit : neque tangit mihi aliquid carnis . In ipso enim habeo spem : qui et post mortem hominum uitam tribuit : qui ipsum in ueritate confitentur . Eumenius autem quidam diues ualde parens imperatoris dixit ei : hæc polluta non propter gloriam christianorum et crucifixi hæc supplicia sustinet : et sapientissimis sermonibus arripiens et insensatis libris circumfreta omnes nos facit infirmos sicut radius solis circumfulgens : et sic omnia sperat se obtinere . Tua potestas hanc in crastinum iubeat in carcerem† retrudi : et pinguedines adipum feruide dissoluens lauari : et sic coinquinamus eius claritatem . Iussit uero imperator statim sanctam properare in carcerem usque in crastinum . Dum dedu | cta a custodibus in carcere fuisset beata Martina : exclamauit coram populo : Pax multa iis . qui nomen Christi nominant . In pace Christi iter istud pergam . Et ingressa est in carcerem gaudens : et glorificans deum ac dicens : Custodi me domine ut pupillam oculi : et sub umbra alarum tuarum protege me . Gratias ago sanctæ uirtuti tuæ Iesu Christe : et obsecro pretiosam et terribilem tuam gratiam . Custodi me a nequissimo et contaminato Alexandro : qui tuam bonitatem pro nihilo reputat . Mortui enim sunt in tormentis pessimis et intollerabilibus centuriones nouem : et cæteri dissoluti sunt ab humeris suis . Erat enim immutans centuriones quattuordecim . Per totam autem noctem erat in carcere hymnum canens : et glorificans deum . Voces autem uirorum multorum audiebantur glorificantium deum cum ipsa . Mane autem iussit Limenium quendam tribunum ambulare in carcerem : ante autem adipibus et pinguedinibus eam perungi .

Procedens autem Limenius de palatio odoratus est suauitates aromatum multorum : et repletus dixit comittibus suis : Odoratis et uos odorem nimium ? Erat enim cum populo multo . At illi dixerunt : odorem hunc ciues fecerunt pro dilecta Martina . Et omnes dicebant : quia dii propitii apparuerunt ei . Venientes uero ad carcerem multo amplius inuenerunt suauitatis odorem . Aperiens primam ianuam uidit lucem magnam circumfulgentem eam . Ingresso autem eo in propinquum habitaculum : erat enim carcer habens habitacula multa : circumfulsit eum sicut fulgor : ut pre timore omnes tremerent . Ipso uero præ timore in pauimento cadente . et necessitate surgente : ingressus est in tertium habitaculum : et uidit beatam Martinam sedentem in sede imperlali† : et multitudo uirorum fortium eam circumdabant : quorum non erat consyderare claritatem : omnes erant in albis . Ipsa autem tabulam tenebat et legebat hæc : quam magnificata sunt opera tua domine : omnia in sapia† fecisti . Et timens Limenius egressus est inde : et ambulauit palatium : et an .† nunciauit imperatori mirabilia dei magni Omnes autem in palatio existentes simul cum Alexandro sacerdotes et scolastici dicebant : Seduxit eum maleficiis suis : huic non indul || geatur : sed magis a feris discerpatur : ut cognoscat quia melius est diis piis immolare : quam in crucifixo confidere : et in ipso spem habere . Et iussit imperator uenire eam ad templum idoli Artemidis : ut aut sacrificans uiuat : aut non sacrificans feris tradatur . Ambulauit iterum Limenius cum duobus sacerdotibus principibus idolatriæ : et populi multi circa carcerem erant : et simili modo ipsi inuenerunt eam sedentem in sede imperiali et eosdem uiros in albis stantes . Et dissecabantur . Beata autem Martina dicebat : Viam mandatorum tuorum cucurri : iustificationes tuas doce me : ut discam mirabilia deitatis tuæ . Libera me a suppliciis hominum : ut custodiam mandata tua . Canes enim maligni circundederunt mea : uolentes discerpere ouem tuam : sed tu domine deus humilitatis meæ suscipe deprecationem meam ; et non prosperentur : sicut cogitant ; sed obcæca sensus cordis eorum : et dirige eum ; quem tribus pueris direxisti . Dicentem autem hæc : eam decreuerunt subuertere de sede . Viri autem stantes erga eam in albis nusquam comparuerunt existentes numero quasi septingenti . Et ciecerunt eam de carcere : et adduxerunt in templo idoli Artemidis . Imperator autem prospiciens uultum eius alacriorem magis quam prius fuerat : et sicut certatricis fortissimi corpus enutritum dicit ad eam : Corripuisti te metipsam iam : et conuertisti diis immolare benignis : aut amplius sicut uidemus in prioribus tuis malis permanes ? Illa uero dixit ad eum : Imperator mea conuersio completa est : quia non me suades in tuis controuersiis adesse . liberata enim sum a uanitatibus tuis ; et ab impietatibus uanissimarum seductionum huius sæculi : præceptum accipiens a domino meo . Mihi autem adherere deo bonum est : et ponere in domino deo spem meam : qui ueritatem continet . Et nihil mihi deerit : quoniam omnipotens est deus meus . Seductio sermonum tuorum iacula acuta , tenebrosa est : dirigens in uia tertia Ego enim habeo cælestem gratiam et gloriam semper illuminantem oculos cordis mei : quæ te postponens mancipabit æternis pœnis Artemidem peruersam : thesauros dispositionis imperii tui . Me autem lætificat mors sanctorum : qui me circundederunt : et omnia con | inuuerunt† obligauerunt patrem uestrum diabolum . Iustus autem in imbutione diuinarum scripturarum sicut palma florebit arefaciens malignorum seductiones calle hanchoram statuens meam cum nauicula ex procellosi pelagi fluctibus per fidelem gubernatorem : qui animam suam gubernat in tranquillum portum confugiens : et anchoram iactans : ut ulciscatur de inimicis : et uictoriam sumat de eis . Et ego transfretaui pelagus : dexteram mihi extendente Christo ad præsidium ueræ spei : ut uincam seductionis tuæ nequissimum cursum . Videam uero Christum coronantem me : qui iuste mihi tribuit arma iustitiæ circa nequitiam patris tui diaboli . Imperator uero iratus dixit ad eam : Non moreris Martina : sed ingressa sanctifica honorificentissime deæ Artemidi : magni et purissimi dii pulchritudinis tuæ cognitionem inquirunt . Non ergo cogites blasphemare eam : Deo uero laudabilis martyr dixit : Iubes me imperator ingredi templum in quo habitat : qui cohoperatur tibi immobili atque surdo et cæco decore amictum idolum ? ad hæc Alexander dixit : ingredere : et sacrifica prompte : ut non feris pereas . Sancta martyr dixit : Deo meo gratias largiente : certanti mihi humili et te iubente ingrediar . Cognouit uero dæmon : qui habitabat in idolo Artemidis quia uenit sancta perdere eum : et clamabat uoce magna dicens : uæ mihi : quo fugiam a spiritu tuo deus cæli ? Ignis me persequitur ; a quattuor angulis

templi . ingressa autem est beata in Christi nomine sibi faciens crucem et respiciens statuam idoli dæmoniacam dixit imperatori : Vide seducionem† imperator : oculos non uidentes : aures non audientes : manus non palpantes : pedes non ambulantes : uana specie effigie ornata . Vis ergo imperator : ut sacrificem ei ? Alexander uero subito gaudibundus effectus non intelligens quia irrideretur : dixit : uiuant dii : quia consensisti mihi . Et apropinquauit ad idolum Artemidis : et dixit : Tibi dico : qui habitas in hoc idolo muto : moue te : et stride dentibus : et egredere . de seductione : qui tibi insensate sacrificant . Hæc dicens ad idolum orationem effudit ad dominum dicens : Omnium rex æternæ deus qui thronum inuisibilis gloriæ contines : qui || cælos stabilisti : et terram fundasti : qui aquas condidisti : qui draconem contriuisti : et legionem effugasti in tartarico chaosmate : qui confusos periclitantes in serenum portum introducis : qui principalem ptestatem† diaboli in temporis hominum ad nihilum redegisti : qui ab omni gloria trementi te cum timore adoraris : qui angelica agmina deputasti te adorare solum : qui tantam in cæli sapienter in stellis deornasti : et splendorem solis iustitiam instituisti : qui lucentis ambitum lunæ ordinate cursum suum perficere statuisti : qui contaminata et æterua† præceptorum tuorum reposita manifestasti . Te lucem iugem æternam cum tremore adorans precor non me deseras domine : sed suscipe preces meas : et irreuerendam et multimodam fæditatem dæmonis damnationi mancipa et idolum hoc manu hominis factum destrue : ut seductionem multimodi et omnis maliciæ pleni Alexandrum in diuersis suppliciis cognoscere facias : quia tu es uerus deus : qui destructionem de his qui in idolis habitant fecisti : et sacerdotes eorum destruxisti : quia benedictus es in sæcula† amen . Et mox tonitruum cum fulgure factum est : et ignis cæcidit de cælo : combusitque sacerdotes de templo : et multitudo populi mortua est : et imperatoris partem dexteram purpuræ eius combusit : et idolum Artemidis in fauilam redegit . Beata uero Martina dixit : Gloria in excelsis deo : et in terra pax hominibus : qui das pacem diligentibus te et inuocantibus nomen tuum in ueritate . Et iratus imperator neque consyderans miraculum neque uirtutem inuisibilis dei dixit ad Iustinum præfectum . Accipe iniustam hanc : et suscipe eam et extende cum spatis et accutis uncis ferreis citius : quatenus lucem istius sæculi derelinquat . Ego enim ualde mærore sum plenus : et uidens eam consternatus prosisto : et quid faciam nescio . Præfectus autem suscipiens eam mox ambulauit ad prætorium : et sedens pro tribunali præcepit introduci beatam Martinam dicens . Ingrediatur destructrix templi : et uideam : quid uelit . Ipsa autem ingressa est surridens . Præfectus autem dixit : Irrides me iniusta : quia adhuc dereliqui te uiuere ? Per solem mundissimum faciam interiora tua proiicere canibus : si non | sacrificaueris diis : ut uideam : quale solatium adhibet tibi Christus tuus . Sancta martyr dixit : Non habeo irridere o impie de potentia imperatoris tui : quia uictus est a muliere per Christum ? Et iterum me tibi tradidit . Præfectus dixit : dominus est potestatem habens : et mihi te tradidit : ut aut sacrifices : aut pœnis intereas . Martina dixit : Ecce non sacrifico exerce pœnam quantum uis Tunc iussit præfectus extendi eam in conto : et cum spatis incidi membra eius . Cum autem incideretur : clamabat crux Christi adiuua me : quia ad te confugi . Prefectus dixit : Circa mammillas ungulas attractate eam dicentes : Liberet te deus tuus . Quæ ungulis attractata nihil omnino loquebatur : nisi solis oculis ad deum respiciebat . Accipiente ea decem et octo incisiones ab uncis et sperante præfecto Iustino : quod iam expirasset : præcepit carnificibus ut ab ea cessarent Pendente ea interrogauit eam prefectus dicens : Vis Martina sacrificare : et euadere cætera tormenta : aut adhuc permanes in tua fide ? Martina respondit : Ego Christum habeo : qui me confortat : et non sacrifico abominabilibus diis tuis : neque sentio illata mihi supplitia per eum : qui mihi misertus est dominus Iesus Christus : Præfectus autem amens per multas horas iussit eam deponi . Sed non ualente præ pœnis ambulare : iussit eam in grabatum poni : et deportari in carcerem . Ipsa autem constringens sanctum suum corpus : et capillos capitis muniens : propellensque carnifices citius ingressa est carcerem . Præfectus autem in equo sedens profectus est in carcerem : et inuenit sanctam iterum in sede sublimem : et splendidam habentem faciem sicut radium solis . Multum uero afflictus egressus est et clausit carcerem : et signauit anullo suo firmiter : et custodes fere centum dereliquit : et ambulauit ad imperatorem . Erat autem sancta psallens et glorificans deum : et lumen magnum erat in habitaculo illo . Ingresso autem eo ad Alexandrum in pala-

tium : inuenit eum cænantem : Quem imperator admirans dixit : Quid huc uenisti prefectæ tali hora ? Qui dixit : Sicut iussit imperium tuum : iniustam Martinam pœnis affligendam : spatis incidendam : et ungulis attrectandam : || ipse eam exhibui a mane usque nunc sicut prospicis indumentum meum . Et appensa atque pœnis tradita nec mortua est : sed quod plus est per nos conflicta non sentit : flagellis cæsa cursim ingressa est in carcerem me sperante : quia pendens expirasset : Ecce quæ præcepta sunt mihi a tuo imperio feci : tuum uero est cogitare : quod iubes de ea . Alexander autem dixit ei : Patet fidutia securitatis eius : quam habet per incantationes . Feris tradatur : ut discerpatur : et dissipata intereat : Porro Iustinus tacuit . Mane autem dirrexit carnifices ad eam . Ingressus autem ad eum† . Præfectus dixit : Imperator Alexander iussit te sacrificare : si uero non sacrificaueris feris te tradere . Beata autem Martina effulgens sicut radius solis dixit : Ego in nomine Christi qui passus est pro nobis in eo credentibus in gloria permanens credo uincere te . Aliquando enim per angelicam uirtutem per terræmotum Apollinem subuerti : et ad nihilum redegi . Iterum lampo et throno decoratam deam Artemidem igni tradidi : et mirabilia quæ in uirtute dei facta sunt ignorabat : et obduratus est . Multimoda autem peruersitate inimici induratus es surda dissolutione et profunda : cenum indigestibile : naufragium animæ tuæ in chaosmate tartarico deposuisti . Hæc audiens Iustinus præfectus dixit : parate existant feræ : donec reuertar a palatio . propero enim accersire imperatorem : quatinus ueniat in amphiteatrum : Dum uero introisset in palatium : dixit imperatori : Obsecro meum dominum uenire in amphiteatrum . Cum ipso uero protinus ambulauit : et fecerunt eas utrique inter feras iactari . Sancta autem martyr dixit : Videte et meum sacrificium . Præfectus dixit : Vide imperator istam quæ deos nostros comminuit . Discerpatur ista a feris . Erat autem Leo immanissimus : qui comedebat quadraginta libras carnis quottidie : et de pane mundo libras uiginti et octo : in potu eius tysanas decimatas octo . Hic non comederat per dies triginta : ut deuoraret beatam . Sedens autem imperator et tristis existens : eam præcepit introire . Ingressa autem illa sonus magnus de cælo factus est : ut omnes tremerent : et dixit ei imperator . Crede mihi sicut patri tuo : et con | senti mihi : diligo enim te ualde per deos meos : ut dissoluas iram magnam : quæ circumdedit te : faciam enim te dominam palatii mei : et omnibus cognitam esse imperatricem . Vel uerbo dic pro satisfactione astantis populi et non sacrifices : sed tantum dic : quia magnus est deus Ieus Zeus . Sic enim et uirtutem et timorem omnium deorum contines : et satisfacta uiues compatiens imperio meo . Sancta autem martyr eleuans oculos in cælum : extendit manus : et orauit dicens : Lumen meum domine Iesu christe inextinguibile lumen meum impoluta claritas Rex æterne : qui thronum immortalitatis habes : qui cognitionem deitatis tuæ manifestasti : et sanctos tuos coronasti : præfectam me in agone hoc custodi . Ad imperatorem autem dixi : Deminorata coguitio comminans mihi : ut terrens præpares mihi mortem ? Cognosce uero quia magis consentio me a feris deuorari : ut uitam beatam æternam : quæ apud Christum est merear : quoniam tuæ seductioni consentiens in laqueum incidam mortis æternæ . Imperator autem iussit absoluere leonem : ut deuoraret eam . Erat enim leo rugiens in cubili suo : ut omnes terreret . Venator uero qui eum nutriebat aperuit leoni : et egressus leo rugiit super sanctam : non terrorem ostendens sed delectationem . Et pro ea dolorem insinuans agitabat uultum faciei suæ dilectionem demonstrans . Et cursum arripiens ambulauit ad sanctam : et inclinans se adorabat pedes eius : Sancta autem dixit : fulges uirtutibus tuis deus . Agmen enim gloriosum circa passionem meam subsistens prospicio a dextris et sinistris glorificantes angelos deitatem tuam : et contradicentes contrarias uirtutes ferarum immanium et rugitum earum in coreptione Alexandri . mansuetos mores ferarum translatantes : quos pro cognitione ueritatis et obdures multimodam et decipientem gloriam qui te odio habent . Non me communicare cum eis permittas : in pœnali agone me existentem integram et sospitem conserues in tua misericordia deus meus . Et hæc dicens ait imperatori : Vide imperator quam mihi intulisti pœnarum et ferarum uirtutem : quia Christus qui fecit cælum et terram et omnia quæ in eis sunt uoluntate patris uictoriosissimus est . Ipsi enim soli omnia subiiciuntur . Alexander dixit : Quomodo ergo furor leonis || subiecit se tibi ? Sancta uirgo dixit : Non habeat in incertum ueritatem . sed dilige Christum : qui et Appolinem tuum in puluerem redegit : et Artemidem seductoresque

interemit . Cognosce Christum : qui angelis præcepit : et desertam et contritam Artemidem cum habitante in ea in fauillam afflatio mancipauit . Cognosce deum qui illuminauit priores tenebras : et conuertit errantes . et leonem pacificantem : et pro cognitione tui erroris et conuersione tuæ feritatis mitiorem naturam leonis ostendit . Imperator autem uidens leonem mansuetis modis et reuerentiam amoris erga sanctam faciens et alacrem Christi famulam in tormentis omnibus constanter existere : dixit ad eam : humilia temetipsam moribus : et confitere omnia : ipse enim est : qui te adiuuat . Sancta uirgo dixit : quam ualde diligis Appollinem : qui animam tuam in perditionem deposuit : non adiuuauit : neque Artemidem : et omnem nequitiam eius eripuit . Et quomodo me potest adiuuare ? In nomine domini mei Iesu Christi per agonem meum et martyrium ad nihilum redacti sunt . Imperator iussit leonem remitti in caueam : sonum fecit aliquando uenator : et surgens impetum fecit : et cœpit Eumenium parentem imperatoris : et interfecit eum . Et omnes clamauerunt uoce magna dicentes : Salua imperator quam deus et feræ miserantur : et absolue per quam et dii perierunt : Per quam deus qui in cælis habitat manifestauit eos : qui habitabant dæmones in idolis : quos effugauit . Imperator uero dixit : Nomina Martina omnia dia deum : et absolueris . Et illa : Ego Christum deum confiteor : qui dat mihi et illis potestatem : qui confitentur eum destruere mendaces deos . Hunc autem quem tu dicis dian confiteor esse æreum : et in ipso habitare dæmonem malefactorem : neque audientem neque uidentem : quem per orationem fidelissimam similem effeci Appolini . Memor enim dicere Christum per apostolum Paulum in spiritu sancto : Lex enim subintrauit : ut ingrediens abundet peccatum . Vbi enim abundauit iniquitas : superabundabit gratia . Lex introiuit imperatoris : quam facio . Adnunciauerunt prophetæ : et prædicauerunt apostoli legem Christi . In te autem superabundauit peccatum per malignam tuam impietatem : æterno in | teritu temetipsum obligans ·. Tu uero peccato et male conuersationi superabundabit gratia Christi : ut dissipet tuum sacrificium malignum in hiis : qui conuertuntur a uiis uestris et patris tui diaboli . Tunc Alexander iratus iussit sanctam in carcerem trudi . Impulsa autem gratia dei ambulabat dicens : Diligam tabernacula tua domine : Desyderat anima mea : et adhæsit post te deum uiuentem in sæcula . Custodi me a laqueo : quem statuerunt mihi : et a scandalis operantium iniquitatem . Doce animam meam domine in iustificationes mandatorum tuorum : et miserere secundum magnam misericordiam tuam : et introiuit in carcerem glorificans deum . Et erat cum sanctis triumphans et gaudens atque festa agens per totam noctem : eique qui eam saluat Christo . Post uero duos dies processit imperator sacrificium facere in templo ubi erant duodecim idola : et præcepit adduci sanctam : quæ sicut sol splendida uenit dixitque ad eam : Inuoca omnia dia deum : et saluaris . Sancta uero uirgo dixit : Ego nomino eum idolum spiritum immundum . Fac ergo quod uis . Me enim non inclinas pro eo : qui mecum est deus meus Christus . Tunc præcepit eam suspendi : et ungulis radi . attrectata uero dicebat Letificasti me domine in uoluntate tua : et in opera manuum tuarum exultabo . Nota fecisti ancillæ tuæ mirabilia tua . Iusticia tua iusticia in æternum . Iudicia tua lumen uerum æternum : et ingressæ sunt incisiones usque ad ossa eius . Clamabat autem preco dicens : Confitere Martina omnia dia deum : et saluaris . Illa uero dicebat : christiana sum : et Christum confiteor . Amplius uero cruciabant eam . Ipsa autem dicebat : Lux † Christi orta est iustis et rectis corde lætitia . Indoluerunt omnes : qui eam cruciabant usque ad ossa ad medulas eorum . Et dixerunt ad imperatorem : Precamur te libera nos de pœnis istis : Angeli enim dei cruciant nos : et dissoluti sunt ab humeris carnifices . præcepit enim eam igni tradi : et consumi . Ministri uero faciebant : quæ iussa sunt : et incenderunt ignem copiosum : et iactauerunt eam medium : et clamauit uoce magna : et dixit Domine qui de cælo in terram prospexisti : ut uideas si est intelligens aut requirens deum : adiuua me humilem . Iusticia || enim de cælo prospexit : et ueritas de terra orta est . Et dixit imperatori : Audi imperator . Didici sacras litteras : quæ instruxerunt animam meam : qui dicunt mihi per apostolicam uocem omnia sufferri : tribulationes et angustas † supplicia et necessitates : per hæc habere sublissimam fidem per quam cognoscitur Christus spes christianorum : per quam cognitus est deus retributor ab eis : qui nomen suum inuocant . Caritas enim crescit multiplicans mandata : et qui patitur pro nomine Christi coronatur . Imperator autem ualde tristis erat :

quia uincebatur a beata . Et mox pluuia facta est magna cum sonitu uenti : et dispersa est flamma : et incendit : qui circumstabant omnes . Pestilens uero et inconstans Alexander maleficiis multis deputabat mirabilia dei : Et præcepit comam capitis eius radi . Dicebat enim : quia in capillis eius iacent maleficia ipsius : quia uictoriam per ipsos sperat facere . Et fecerunt ministri quæ præcepta sunt : et raserunt caput eius . Dixit ei imperator . quid est Martina quod habes facere ? Ecce uicta est magica tua . Confitere magno deo Ioui : et humiliare ei . Illa dixit : Scriptum est : Mulier si habuerit comam : gloria eius est . Tu autem gloriam quam deus dedit in mundum : propriam eius facturam amputasti . Auferat deus regnum tuum a te præsente : qui gloriam dei persequeris : Et in dolore nimio confusione indutus mortem expectabis . et iussit eam ambulare in templum : in quo erat Ieus Zeus : et includi . Ingressa autem ea clausit imperator ianuam templi : et signauit anulo suo : et rediit in palatium suum . Sancta uero erat glorificans deum per totam noctem et diem . Omni autem die imperator et sacerdotes ingrediebantur templum : et minime ingrediebantur ad illam : quia audiebantur uoces sanctorum angellorum : et imperator dicebat ad eos : qui cum ipso erant : Magnus deus Iupiter omnes deos congregauit : quatinus instruant et muniant Martinam . Tertia autem die taurorum immolationem præcepit fieri : et instructam beatam sedentem in sede : et cum ea existentes : quorum pulchritudo ennarrari non potest : et incensorum magnum odorem : Iouem autem cecidisse auditum est . Stupefactus autem imperator in tanta exultatione sanctæ Mar | tinæ dixit ad eam : Vbi est deus Iupiter ? ad quem sancta Martina : Rationem fecit Christus de Appolline et Artemide quod non dixerunt ueritatem : et tradidit eos cum angelis tartaricis . et cominuerunt eam sicut Appoliinem† . Et tuum imperium quod magna confusione indutum est postponens instituit . Tunc iratus imperator iussit eam duci foris ciuitatem : et gladio caput eius amputari . Sancta autem martyr gaudens in exitu laboriosi huius sæculi orauit dicens : Gratias tibi domine deus : qui sanctorum choros confirmasti : et magnum et gloriosum et terribile nomen deitatis tuæ adoro : qui manifeste tenebrosum inimicum dispersisti : et insensatos et immobiles seductionis eorum dæmones in puluerem redegisti : Quo glorioso intellectu ancillam tuam in perfectionem confessionis tuæ instituisti : qui innumerabilem gratiam patris tui et dei nostri domine Iesu Christe donasti nobis : qui sanctum Iob probans per nequissimum diabolum et non inuenisti in eo maculam : cui et testificatus es . Tu ergo saluator qui beatum Tobiam castigasti et pro ea quam in te habuit irreprehensibilem dilectionem . ei pietate tua misertus es : cuique manifestasti caligines tenebrarum : et ueritatem declarasti : qui destruxisti medium parietem : te metipsum ostendens in opere caritatis : qui mortificasti tenebras : et destruxisti dolores perditionis : qui redegisti : quæ de terra sunt in terram . et quæ de cælo sunt in cælis esse : qui esuristi : et passus es : et crucem sustinuisti pro nobis : qui in profundo tartarico ut tua morte nos immortales constiueres† : illuminasti priores tenebras . Domine Iesu Christe instrue animam meam a dulcedine uiscerum misericordiæ tuæ : et connumera me cum fidelibus tuis : qui tibi fideliter placuerunt : quia tu es : qui electionem fecisti sanctorum . Te inuoco domine Iesu Christe liberator omnium : et te adoro et te præcor : et tibi supplico : qui liberasti me de multis malis : quæ mihi ostensa sunt . Lumen uerum in lumine uero tue deitatis . Salua me cælestis domine Iesu Christe : apud quem non est personarum acceptio . Perfectam me fac : in tui nominis confessionem . Iube me suscipi in tuam gloriam ut splendide effugiam malum : quo circundata sum . Redde uero maligno Alexandro sicut operatus est nocenter in tuam || ancillam . Afflige uero eius incredulum cor : et obdura lapideum spiritum eius ad correptionem eorum : qui contemnunt tuam magnitudinem . Ego enim et si pauper sim et peccatrix : rogo me apud sanctam tuam pietatem mundam inueniri : quia pro ueritate filii tui domini Iesu Christi decertaui : cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum amen . Et post hæc carnificibus ait : complete tandem quæ uobis iussa sunt . Et ita per gladium uitam finiuit . Et uox de cælo facta est . Quæ certasti pro nomine meo Martina : ingredere cum omnibus sanctis confessionem complens in regno cælorum . Et hodie mecum eris in paradiso . lætare cum patribus tuis . Tunc uenit episcopus Ritorius et omne sacerdotium romanum : et adduxerunt sanctum corpus eius cum canticis et hymnis spiritualibus in sextam regionem . Et posuerunt in onichinum larnacem : glorificantes

omnipotentem deum : qui in cælis est : in hortum qui uocatur mirabilis . Erat enim pulcherrimus locus . Imperator autem Alexander percussus est dolore cordis eadem die : et sicut rapidus† canis comedebat suas carnes : et dicebat gemens et tremens : Miserere mei deus christianorum : sciens quia transgressus sum præcepta tua Christe : et exacerbaui te : et nomen tuum persecutus sum et ancillam tuam grauius affeci . Iuste a te crucior : sicut feci : retribuisti mihi . Et expirauit Et uox de cælo facta est : Ingredere Alexander in clibanum gehennæ : Vade in tenebras exteriores . Tibi enim preparata est tenebrosa pœna ad quam damnatus es . Factus est autem terræmotus magnus : et crediderunt in deo in eadem die : qui erant in urbe Roma pro uoce : quæ facta est de cælo animæ ad duo milia et trecentum . Et post dies octo passionis eius regnauit Claudius Cæsar : et suscepit eum omnis romanus senatus . Completum est autem martyrium sanctæ Martinæ calendis ianuariis . Honorantes autem huius sanctæ fidem et passionem : oremus fratres ut mereamur cum omnibus sanctis consortes fieri et gratiam apud dominum nostrum Iesum Christum inuenire : cui est honor et gloria cum deo patre in unitate spiritus sancti in sæcula sæculorum amen . |

PASSIO SANCTAE MARTIANAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Beata uirgo Martiana insueguritani municipii pulcherrima et genere nobilis fuit : quæ contemptis diuitiis ad Cæsaream ueniens accola cellula habitauit . Quadam die procedens ad publicum : et ignotam se turbis ambulantibus aggregans : Dianæ simulacrum uidit in platea : sub cuius pedibus aqua per lapides decurrebat in patena marmorea : nec illud stare passa est : nam truncato capite totam confregit statuam . Quod ubi nefarii municipes aspexerunt : statim eam cæde macerantes totam liuoribus usque ad atria prætrorii† congeminatis cædibus pertraxerunt : quæ ante interrogationem iudicis deum confessa est : et inania figmenta damnaauit† . Iratus iudex dictis eius questionariorum manibus alapis cæsam in ludo gladiatorio iussit induci . Tradatur inquit uni : et seruiat plurimis : ut illic et corpus et pertinax animus puniatur . Illa gaudens ad custodiam ibat : quia pudiciciam suam deo custode seruabat : Cumque nocte illa in oratione uigilante gladiator nomine Flammeus : cui tradita erat : ut captiuitatem pudoris sustineret per tenebras ad eius cubile uenire contenderat : subito paries angularis lapidea mole constructus est : et ille suo deceptus errore deo interdicente : usque mane uirginem inuenire permissus non est . Tunc eam rogare cœpit : ut sibi ueniam daret : ac pro eo ueniam a domino peteret : ut de ludo gladiatorio uiuus euaderet : Cui illa respondit : Deus meus qui meam castitatem defendit : ipse te eo die quo martyrium sumpsero liberabit . Alia die illud parietis interpositi miraculum omnes loquebantur populi : qui sermo usque ad aures iudicis uenit . Mox furore succensus alterum gladiatorem mutari iussit : et Ipsum similiter paries natus a sancto corpore seperauit . Tertio quoque tradita fuit : et huic similiter accidit . Tandem uero idus Ianuuarii† dies exoptata passionis uenit . Et primo mane dum gladiatores ex more ornati de ludo descenderunt in harenam : ut dieta† martyris compleretur : gladiator ille Flameus libertatem ac || cepit : sed multitudo quæ ad spectaculum confluxerat clamare cœpit : ut Matiana† feris obiiceretur . Ligatur itaque ad stipitem uirgo : et dimissus est ferocissimus leo : qui cum impetu magno ueniens erectas manus in puellæ pectus imposuit . Sanctum quoque corpus odoratus eam ultro non contigit . Omnis pene populus mirari cœpit : et christianam puellam dicere dimittendam . Sed Budarius archisynagogus cum filiis suis et aliquot Iudæis : quos ad studium clamoris collegerat : in sedicionem uociferantur : ut taurum iudex produci iubeat : quo facto iniectis cornibus percussit eam fortiter in papillam : statim cruor exiuit : et illa seminamis† in terram cecidit : intra portarum claustra reperitur : et ad aliam coronæ pugnam siccato sanguine reuocatur : post ad stipitem ligatur : exclamansque ait : Te uideo te sequor Christe . suscipe animam famulæ tuæ . Iudice amplius irascente Leopardus ingens et crudelis producitur : qui exiliens uno morsu euulsa pene omnium membrorum cute animam martyris coegit exire . Eodem temporis puncto Budarii blasphema domus cum omnibus quæ ibi fuerant diuino arsit incendio . Nam et ante beata martyr dum esset in ludo gladiatorio ab eiusdem Budarii filia uel filiis uel aliquantis

iudeorum uocibus de ipsa domo quæ in uicino erat iniuria grauissima lacessita prophetica uoce coacta fuerat imprecari diuinas insultando Flammas . Hæc domus inquit cælesti ardeat incendio : ut in perpetuum reparari non possit : Sicque factum est . Nam et a iudeis frequenter reædificari temptata est : et semper cecidit .

PASSIO SANCTI MATVRINI MARTYRIS .

Fuit sanctus Maturinus diocesis senonensis accola : cuius pater Marinus ex præcepto Maximiani christianos persequebatur . Sed filius a puericia occultus christi discipulus deque parentum perdicione dolens pro eorum conuersione sæpenumero deum orabat . Audiuit in somnis uocem dicentem sibi : Maturine famule meus ecce quæ petisti fideliter efficaciterque impetrasti : qui consurgens gratias | egit : et mater eius diuino instinctu admonita superuenit dicens : O fili quid nobis erit commodi : si ut frequenter postulas credam in Christum ? Magnum inquit : cum et corpus innouatum fuerit gloria resurrectionis : et anima per gratiam baptismatis agnitione ueritatis . Cumque illa piam suggestionem filii uiro retulisset : ille ait : Vidi et ego hac nocte in uisione : quod hic filius noster ouille quoddam ingressus esset : et multitudinis ouium grex ei traditus fuisset . Ambo itaque a quodam sancto Polycarpo episcopo susceperunt baptismum : a quo et ipse Maturinus uigesimum agens annum ordinatus est in presbyterum . Hic ut fertur cum post beati Mauritii sotiorumque eius martyrium romanus populus diuersis cladibus afficeretur : filia quoque Maximiani immundo spiritu ageretur : et pater magicis artibus ageret : ut eam liberaret clamante dæmon per os puellæ o imperator deficient maleficia tua : donec ex partibus Maturinus seruus Christi ueniat : qui precibus suis populum et filiam tuam saluti restituat : qui accersitus ab imperatore cum militibus Romam perrexit . Prius tamen ab eis sacramento recepto : quod si in regionibus illis eum migrare contingeret : corpus eius terræ humandum ad locum suum referrent . Romam igitur perueniens obuia turba cum gloria succeptus† imperatoris filiam a dæmonio liberauit : alios autem omnes infirmos sibi oblatos curauit : et tandem ipso die calendarum nouembrium lætus domino spiritum reddidit : Cuius corpus aromatibus conditum cum sepellissent : humatum relinquissent : mane reuertentes inuenerunt illud super terram reiectum : et stupefacti nesciebant : quid agerent . Tunc unus militum qui eum de Gallia adduxerunt pacti sui reminiscens causam retulit : et ad locum suum corpus cum honore relatum est iussu imperatoris : ubi ad eius sepulchrum deus multa miracula declarauit .

PASSIO SANCTI MATHEI APOSTOLI ET EVANGELISTAE .

Quoniam deo cura est de hominibus : ut plus animarum eorum curam gerat quam corporum : plærumque enim accedit læticia corporalis : et clausit tempo || ralis : et in lubrico posita : et magis quasi desinendo incipiat : quam manendo æternam animæ tribulationem infligt† . Ex ipsa enim uniuersa peccata nascuntur . Ideo dixi deum nostrum plus animarum curam gerere : Dum ex aliquo casu natas tristicias temporales quæ corporibus sunt molestæ permittit interim immorari : quoniam ex ipsis eterna gaudia oriuntur . Cura ergo ut inchoauimus loqui deo nostro de hominibus magna est : et maioribus morbis maiora genera medicinæ procurat . Erant itaque duo magi Zaroes et Arphaxat arabes apud et æthiopias in ciuitate eorum magna : quæ dicitur Naddabher : in qua erat rex Eglippus . Hunc itaque ludificabant hii duo magi : ut dicerent se deos esse et credebat eis omnis populus et iam post rex memoratæ urbis et ibat opinio eorum per totam Aethiopiam : ita ut ex longinquis regionibus Aethiopiæ uenissent et adorarent eos . Faciebant enim subito hominum gressus figi tam diu immobiles stare : quamdiu ipsi uoluissent . Similiter et uisus hominis et auditus a suo offitio refrenabant . Imperabant serpentibus : ut percuterent : quod utique magi facere solent et ipsi incantando curabant : et ut dici uulgo solet : malignis maior reuerentia

exhibetur timoris quam benigni amoris . Cum iam ergo ut sæpe dictum ast† deus hominum curam gerens Matheum contra hos apostolum misit : qui ingressus ciuitatem cœpit detegere præstigia eorum . Omnes enim quos illi figebant : hic in nomine Iesu Christi soluebat : quos illi cecabant : hic illuminabat : quibus illi auditum tulerant : iste reddebat : Serpentes quoque quos illi ad percutiendos homines excitabant : Hic conuertebant in somnum : et percussiones eorum facto signo domini percurabat . Hunc cum uidisset Aethiops eunuchus Candacis nomine qui fuerat a Philippo baptizatus procidit ad pedes eius adorans et dicens . Quia respexit deus ciuitatem suam : ut liberaret eam de manu duorum magorum horum : quos putant stulti homines deos esse . Et suscepit eum in domum suam et ueniebant ad eum omnes amici Candacis eunuchi : et audientes uerbum uttæ† credebant in Christo Iesu domino nostro : et baptizabantur plurmii† uidentes : quod omnia quæ magi faciebant mala hominibus : hic dei apostolus cua | cuaret : Illi enim ideo uulnerabant quos poterant : et uulnerati ipsos rogarent : qui ideo curare putabantur : quoniam a læsione cessabant . Matthæus autem apostolus Christi non solum hos curabat : quos illi lædebant : sed etiam omnes qui ad eum afferebantur infirmitatibus diuersis obsessi . prædicabat autem ueritatem dei : ut omnes mirarentur de eloquentia eius . Tunc Candacis eunuchus qui eum susceperat cum omni affectione interrogauit eum dicens : Obsecro te : ut digneris indicare mihi quomodo cum sis hebreus nosti grecam et ægyptiacam et ethiopicam sermocinationem : ut hi qui in eis nati sunt ita loqui non possint . Apostolus respondit . Totus muudus† unam sermocinationem omnium hominum habuisse cognoscitur . Sed nata est presumptio hominum talis : quæ eos turrim tantæ magnitudinis facere hortaretur : ut cacumen eius perueniret ad cælum . Hanc presumptionem deus molientium hoc ordine repressit : ut nullus ullum posset sibi loquentem aduertere . Facta sunt autem plurima linguarum genera : et diuisa est illa conspiratio : quæ per unam linguæ intelligentiam consistebat . Bona quidem uoluntas ut fieret turris : cuius cacumen perueniret ad cælum sed mala presumptio quæ non sanctis meritis ire uolebat ad cælum . Veniens autem filius dei omnipotentis ostendereque uolens quo ordine perueniamus ædificando ad cælos : nobis duodecim discipulis suis misit spiritum sanctum de cælo : cum in unum essemus locum : uenit super unum quemque nostrum inflammatus ab igne . Post hæc cum a nobis pauor simul et splendor abscessit : cœpimusque uariis linguis loqui gentibus magnalia dei : natiuittatem Christi : quo ordine sit natus deus : qui originem non habet . Qualiter sit natus ab intacta uirgine : et ablactatus et enutritus : et temptatus : et passus : et mortuus : et sepultus : et die tertio resurrexerit : et in cælos ascenderit : et ad dexteram dei patris omnipotentis sedeat : unde sit uenturus : ut iudicet omne sæculum per ignem . Non ergo ut putas istas quattuor sed omnium linguas scimus nos duodecim discipuli eius non mediocriter sed perfecte . Et ad quamcumque gentem peruenire poterimus : loquelam eius perfecte cognoscimus . Nunc ergo ædificatur turris non de lapidi || bus se† de uirtutibus Christi . Omnibus enim qui baptizantur in nomine patris et filii et spiritus sancti aperitur turrris† : quam Christus extruxit : et per ipsam tandiu ascendunt ædificantes : usque quo ad cælorum regnum atingant . Hæc et his similia multa cum mystico sermone dissereret : uenit qui diceret magos illos cum singulis draconibus aduenire . Dracones autem erant galeati . Flatus eorum flamini fero ardore emanabat sulfure et æstu : Et spargebant auras naribus : quarum odor homines interficiebat . Tunc consignans se Mathæus apostolus : cœpit exire . Prohibebat autem illum Candacis eunuchus clausis ostiis dicens : Per fenestram si iubes loquere magis istis . Dicit illi apostolus : Tu mihi aperi et per fenestram tu consydera magorum istorum audaciam . Aperiens autem apostolus hostium mox ut egressus est : ecce et illi magi duo singulos dracones ante se habentes ueniebant . Mox autem ut uenerunt ambo dracones ante pedes apostoli obdormierunt . Tunc dicit apostolus magis illis : Vbi est arsura† ? Si potestis excitare eos . Ego autem si rogassem dominum meum Iesum Christum omnem furorem quem in me exacuistis in uos retorserat . sed quousque omnis populus conueniat : et quia nullus accedere huc ausus est : ego excitabo eos : et iubeo illis redire ad locum suum cum omni mansuetudine . Conabantur autem arte sua magica excitare eos : et penitus non poterant : neque oculos aperire nec etiam penitus commouere se se . Rogabant autem populi dicentes apostolo : Rogamus te domine ut liberes populum et ciuitatem ab his bestiis : Dicit eis apostolus Mattheus : Nolite timere . Ego eos faciam hinc

cum omni mansuetudine abscedere : Et conuersus dixit : In nomine domini mei Iesu Christi qui natus est ex spiritu sancto de Maria uirgine : quem tradidit Iudas phariseis : et illi eum crucifixerunt : qui post crucem sepultus tertia die resurrexit a mortuis et conuersatus nobiscum per quadraginta dies docuit nos ea : quæ ante passionem docuerat commemorans uniuersa quæ dixerat . Post quadraginta uero dies uidentibus nobis ascendit in cælos : et sedet nunc ad dexteram dei patris : unde uenturus est iudicare uiuos et mortuos . In | ipsius nomine et uirtute adiuro te maligne spiritus : cui omnes dracones in potestatem deus dedit : ut tu suscites eos : et cum omni mansuetudine facias eos redire ad locum suum . Ita ut nullum contingant . nullum lædant neque hominem : neque quadrupedem : neque uolucrem . Ad hanc uocem leuantes caput serpentes cœperunt ire : atque apertis portis egressi urbem nusquam comparuerunt . Tunc omnem populum beatus apostolus Matheus ita allocutus est . Audite fratres et filii : et omnes qui uultis liberare animas uestras a dracone diabolo . Propter uestram salutem misit me deus ad uos : ut relicta uanitate idolorum : ad ipsum conuertamini : qui uos creauit . Deus enim quando fecit hominem primum : posuit eum in paradiso delitiarum cum uxore sua : quam de costa eius tulerat . Paradisus autem delitiarum eminet omnibus montibus et uicinus est cælo . Non habet aliquid in se quod possit esse saluti hominis inimicum . Non aues terrentur ad sonitum hominis : et non spinæ nascuntur et tribuli : non rosæ marcescunt : non lilia non aliqui ibi prætereunt flores : non anni senectutem generant ætatibus : non labor fatigationibus subiacet : Non infirmitas aliqua sanitati sucedit . Tristicia flætus et mors ibi penitus locum non habet . Auræ enim ibi blandiuntur potius quam perflant : æternitatem naribus inferunt . Nam sicut tymiamatis fumus excludit putores : ita nares ibi uitam æternam adspirant : quæ non permittit hominem nec fatigationem incurrere nec dolorem . Sed semper æqualem : semper iuuenem semper lætum semper immobilem permanere . Sonant ibi organa angelorum : et uoces melliffuæ auribus inferuntur . Serpens ibi locum non habet scorpius non sphalangius : non musca aliqua saluti hominis inimica . Famulantur ibi hominibus leones et tigres et pardi : et quidquid Iusserit homo : habebit . At feræ etiam quasi cuerissimo† dilecto dei obtemperant cum reuerentia iussioni eius . Quattuor quoque flumina inde fluunt unus fluuius dicitur Geon : secundus Phisson : tercius Tigris : quartus Euphrates : hi omne genus piscium habent : Et cum desyderauerit homo illa uel illa genera piscium optimorum : statim inundat ante pedes eius copia multiplex piscium diuersorum : Ita ut quos uo || luerit : manu eligat : quos uero noluerit : aquis restituat . Similiter aues et uniuersa quadrupedia : quæ pssunt† humanis delitiis famulari iussui astant ea optantium mactanda ad escam sed delitiis hoc ordine seruitura . Angelorumque agmina ad hoc ibi sunt posita : ita ut agnoscant : quid de auibus quid de pecudibus unusquisque desyderet : ob quam causam etiam presentatur et cum omnia illæsa permaneant inuisibili potentia ab omni potente concessa parata sunt . Et fiunt epulæ conuiuiorum : ex earum pecudum carnibus : quæ præsto fuerint cum nullum eorum percussum sit occisum aut læsum . Similiter et pocula eorum ministerio gemmeis poculis hauriuntur . Vt hoc sapiat unicuique : quod uoluptuosus eius animus imperauerit . Nulla digestione sordium secutura : quæ de cibo geruntur et potu . Nullus ibi est latratus canum : nullus leonum rugitus : omnia ibi blanda sunt : omnia mansueta omnia quieta . Nunquam ibi facies cæli nubium tegminibus obumbratur . Nunquam ibi fulgora coruscant nunquam tonitrua concrepant sed est ibi exaltatio sine fine et festiuitas : quæ terminum non habet : Quare autem ante paululum memorauerim quod ibi serpens penitus non sit per ipsum enim angelus inuidiæ suæ laborem exercuit . Et ita malidictus est : ut in loco benedicto maledictus esse non possit liuor : labor autem angelo huic natus est : quod uidit imaginem dei in homine : et similitudinem extitisse : et quoniam homini possibile erat in hac regione persistere beatam : et cum cunctis animantibus loqueretur : Hinc angelus concepit inuidiam per potentiam angelicam serpentem ingressus suasit uxori Adæ : ut de pomo arboris mandncaret† : quod deus fieri sub interminatione mortis prohibuerat post hæc etiam uxor seduxit uirum : Cumque ambo præuaricatores existerent : huc in istam terram exules facti sunt : proiecti de regione uitæ in regionem mortis . Ipse uero auctor sceleris simul in serpente inuentus maledictionem æternam accepit . Nunc uero ipse dei filius : qui cum patre suo et cum spiritu sancto hominem fecit dignatus est hominem assumere : et non cessando quod

deus est : homo factus est : Factum autem dico non ab alio aliquo sed a semetipso deus factus homo . Homo ipse per uuluam uirginis natus . Virgo ipsa per | aures pregnans facta audiendo uerbum ex ore angeli et credendo fide ipsa uxor extitit spiritus sancti . Hanc enim spiritus sanctus adamauit uirginem immaculatam : et quoniam inuenit in ea corpus integrum : animam integram : fidem integram : in utero eius integrum hominem fabricauit : sicut olim predixerat per Salomonem : quod sapientia dei ipsa sibi ædificaret domum . Hic ergo homo Christus Iesus recuperauit illum hominem : qui suasione diabolica uictus in istam regionem deuenit . Et quia ipse homo quando de limo terræ factus est de terra uirgo fuerat nec peccato polluta nec effusione sanguinis immaculata nec sepultura mortui alicuius communis effecta : oportuit ut hunc dum recuperare uoluit nasceretur ex uirgine : et dum uinceret ieiunando qui certator contra uoluntatem domini manducantem uicit et hunc contemnendo diuitias et mundi potentias uicit : humilitatem seruando . Hunc patiendo crucem irrisiones insultationes uicit etiam mortem moriendo : ut paradisum resurgendo aperiret . Nam : ut nulli sit dubium : illuc omnes Christo credentes intrare primum latronem in ipsum Christus hi† duxit : cui in ligno crucis positus lignum præuaricationis exclusit : et interim paradisum animabus de hoc corpore exeuntibus aperuit sanctis . In die autem nouissima se sequentibus et iam regna cælestia ut intrare ualeant patefecit . Iam modo qui non ut a morte ad uitam currat : et ad paradisum redeat : unde pater noster carnalis foras missus in isto nos omnes generat exilio . Apperuit nobis dominus paradisi ianuas ut ad patriam illam reuertamur : in qua mors locum non habet : in qua iuge gandium† perseuerat . Cum hæc et his similia loqueretur apostolus : ecce tumultus luctuosus subito ortus est : in quo regis filius mortuus plangebatur : ad cuius funus stabant magi : qui cum non possent suscitare eum : suadebant regi hunc a diis raptum et in collegio eorum positum ut sit unus ex diis : cui oporteret et simulacrum fabricari et templum : Tunc ingressus Candacis eunuchus ad reginam dixit : Iitos† magos iubete custodiri : et rogate : ut ueniat ad nos apostolus dei Mathæus : et si ipse : eum uobis suscitauerit : istos iubete uiuos incendi : quia omnia mala per ipsos in ciuitate uestra eueniunt || Quare missi sunt cum Candacis eunuco uiri a latere regis : qui rogarent apostolum : et cum honore introduxerunt eum ad regem . Ingredienti autem Matheo prostrauit se Euphinissa regina Aethiopum ad genua eius : et dixit : Agnoui te apostolum a deo missum pro salute hominum : eius te esse discipulum : qui mortuos suscitabat : et omnes egritudines ab hominibus suo pellebat imperio . Nunc ergo ueni et inuoca nomen eius super defunctum filium meum : et credo : quod si hoc feceris reuiuiscat . Dicit ei apostolus : Adhuc prædicationem domini mei Iesu Christi ex ore meo non audisti : et dicis credo ? Ideoque scias tibi redditurum filium tuum : Ingressus autem apostolus expandensque manus suas ad cælum dixit : Deus Abraam deus Isaac deus Iacob qui ad restaurationem nostram unigenitum filium tuum de cælo ad terram misisti : qui nos ab errore conuerteret : memor esto dicentis domini nostri Iesu Christi filii tui : amen dico uobis : quoniam omnia quæ in nomine meo petieritis a patre meo dabuntur uobis . Vt cognoscant ergo gentes : quia præter te non est alius omnipotens : et si uera est assertio oris mei : excitetur puer iste : et apprehendens manum defuncti ait : In nomine domini mei Iesu Christi crucifixi surge Euphranon : et confestim exurrexit puer . Ad hoc factum expauit cor regis : et statim iussit deferri coronas ei et purpuram . Et precones misit per ciuitatem et per diuersas prouintias Aetiopiæ dicentes : Venite ad ciuitatem : et uidete deum in effigie hominis latentem : Cumque uenisset omnis multitudo cum cereis cum lampadibus cum diuersis thimiamatibus cum diuerso sacrificiorum ritu : sanctus Mathæus hac uoce omnes alloquitur : Ego deus non sum : sed seruus domini mei Iesu Christi filii dei omnipotentis sum : qui me misit ad uos : ut relicto errore simulacrorum uestrorum ad uerum deum conuertamini . quod si me hominem similiem† uobis putatis deum : quanto magis hunc deum debetis credere : cuius me seruum esse confiteor ? In cuius nomine ego mortuum hunc regis filium excitaui ? Et nunc omnes qui capaces estis tam euidentissimæ rationis : aurum et coronas aureas et argentum ab oculis meis tollite : et ite et templum domino fabricate : ut ubi congre | gemini ad audiendum uerbum dei : quo audito intra triginta dies sexaginta millia hominum sanctam ecclesiam consumauerunt : Et uocauit nomen ecclesiæ Mathæus resurrectionem : Quoniam per resurrectionem occasio ædificationis eius extiterat . Sedit autem in hac

ecclesia Mathæus annis quindecim : et constituit presbyteros et diacones et per ciuitates et castella ordinauit episcopos : et multas fabricauit ecclesias . Baptizatus est autem rex Eglippus et regina eius Ephinissa et filius eius qui suscitatus est Euphranon et filia eius Ephigenia baptizata uirgo Christo permansit . Et quoniam longum est narrare : quanti leprosi mundati : quanti a dæmoniis liberati : quanti etiam mortui suscitati : quam christianissimus fuerit rex : quam religiosissima eius coniux : quam deuotus omnis exercitus : quo modo omnia simulacra omniaque templa destructa sunt iussu dei et apostoli eius Mathæi : hæc omnia propter nimietatem uerborum prætermittentes quo ordine passionem sanctam celebrauerit : reteximus . Rex Eglippus senectute expleta perrexit ad dominum . accepit Hirtacus exadelph† eius imperium . Is cum uellet accipere Ephigeniam filiam defuncti regis uxorem iam Christo dicatam : quæ sacrum uelamen acceperat de manu apostoli : et quæ erat iam præposita uirginum amplius quam ducentarum . Sperabat Hirtacus rex : quod per apostolum posset eius animum promouere . Cœpit ergo cum sancto Mathæo agere dicens : Dimidium regni mei accipe tantum : ut Ephigeniam possim meo matrimonio copulare : Cui beatus apostolus ait : Iuxta bonum propositum præcessoris tui regis : quo omni die sabbato conueniebat : ubi uerbum dei prædicabam : illic iube conueniri uniuersas uirgines : quæ cum ea sunt simul cum ipsa : et audies in populo quanta bona de bono coniugo loquar . Quoniam satis deo accepta sunt sancta coniugia : quo audito Hirtachus gratulatus est : et iussit congregationi illi interesse etiam Ephigeniam quasi audituram ex ore apostoli ut coniunx fieret Hirtaci : et consentiret ei . Facto autem in congregatione magno silentio aperiens os suum apostolus dixit . Audite sermonem meum omnes filii ecclesiæ . audite : et intelligite omnia : quæ auditis : ut maneant scripta in cordibus uestris . Deus noster nu || ptias benedixit : et ipse permisit amorem corporibus dominari in sensibus carnis . Ad hoc ut uir diligat uxorem suam : et mulier diligat uirum suum . Ecce enim uidemus frequenter euenisse : ut et uxor uirum suum execretur usque ad interitum : et uenenum et gladium et repudium . Similiter et uir suæ coniugi moliatur interitum : cum sit carnis tanta caritas : ut stimulet mentis incœstum . Quid si non esset iste stimulus amoris ? Ergo hic stimulus si cum timore dei usum suum exhibeat : et amore filiorum uir mulierem accipiat : et mulier uirum ita : ut mulier alterum uirum penitus nesciat : similiter et uir omnino alteram fœminam perhorrescat : dei regula custodita sic coniuges a sorde commixtionis emundantur . Sordes enim corporum sunt : quæ a deo lauantur per eleimosynas et opera misericordiæ : non crimina quæ non lauantur nisi per lachrymas penitentu† . coniugum ergo commixtiones pollutionem habent : crimen non habent . Denique diebus certis siue quadragisimæ siue legitimorum ieiuniorum temporibus tam ab edacitate carnium quam a commixtione corporis qui non abstinuerit . non pollutionem solum sed etiam simul crimen incurrit . Neque enim manducare crimen est : sed incongrue manducare peccatum et crimen . Denique si aliquis prius cibum carnalem accipiat : et postea ipsa die quo iam cibo carnali refectus est : cibum spiritalem præsumat : ex utroque cibo reus criminis et inhonestatis et præsumptionis efficitur : Non ideo quia manducauit : sed quia contra ordinem et contra iusticiam et contra regulam dei cibo carnali prius refectus : postea spiritali pastus est . Non ergo reum facit aliqua operatio hominem : sed irrationabilitas eius operis sui damnat auctorem . Denique et homicidam sæpe uidemus in statuis et imaginibus adorari . Homicida itaque qui hominem pacis inimicum aut barbarum aut latronem occiderit : non ideo iam quia hoc homicidium bonum est : erit bonum homicidium hominis innocentis . Frequenter etiam et mendacium cum per naturam sui malum sit : bonum fieri uidetur ex causa . Nam si te inimico tuo uolenti te percutere : possit quis aliqua ratione abscondere : et se omnino ubi nam occulteris non solum negare sed etiam peierare : duo quidem mala sunt mendacii et periurii : sed utraque ma | la bonum prorumpere probantur in fructum . Deus enim non arte nostri operis scribitur : quasi ut dicas : In iudicio eius timui mentiri : ideo hominem tradidi : aut si dicas timui perdere numum æris : Ideo damnum immensi ponderis incurri . Non ergo sunt aliqua opera sic mala : ut per naturam mala sint : sed per intemperantiam . Nam si presumat sacramentorum mysteria sumere is qui nondum est cælesti unda perfusus : rem bonam conuertit in crimen : Et inde reatum æternæ pœnæ incurrit : unde a reatu æternæ pœnæ fuerat liberatus : ita et nuptiarum bonum : cum a deo

benedicantur coniugia a deo sanctificentur : ac per sacerdotum benedictiones a deo specialiter consecrentur : uidentur aliquibus aliqua habere diuinæ indignationis offensam . Hæc dicente Mathæo : rex Hirtacus clamosis laudibus cum suis comitibus perstrepebat existimans : hæc ideo dicere : ut animum Ephigenie ad eius coniugium inclinaret . Sed postquam diutissime clamatum est in eius laudem : sermonem repetiuit facto silentio apostolus Christi : et dixit : Videte filioli et fratres quantum noster sermo proruperit ut etiam bonum posse fieri probaremus : cum is occiditur : qui si non esset ipse solus occisus nocens : multos occideret innocentes : sicut est occisus Golias : sicut est occisus Sisarac : sicut est occisus Aman : sicut est truncatus Holofernes : sicut occisi si qui uestris sedibus inimicabantur et regnis : sic ergo et matrimonia dum copulantur boni operis honestate ornantur : si sanctæ et Iuste et integre et irreprehensibiliter copulentur . Nam si hodie sponsam regis seruus regis usurpare audeat : non solum offensam sed etiam crimen tam graue incurrisse dignoscitur : ut merito uiuens tradatur flammarum incendiis : non ideo quia duxit uxorem : sed quia sponsam regis sui aut melioris se uel certe sui domini usurpare studuit : Ita etiam et tu o fili carissime rex Hirtace sciens Ephigeniam filiam regis decessoris tui sponsam regis cælestis effectam : et sacro uelamine consecratam : qno† modo poteris sponsam potentioris te tollere : et tuo eam matrimonio copulare ? Ad hunc sermonem Hirtacus qui per singulas distinctiones apostoli laudator extiterat : ira accensus abscessit . Apostolus ‖ autem intrepidus et constans eo magis alacrior docebat in nomine domini nostri Iesu Christi quæ prosecutus est dicens : Audite me : qui timetis deum : rex terrenus pauci temporis dominationem habere cogniscitur† . Rex autem cælestis æternum imperium tenet : et sicut inenarrabilia gaudia habere facit eos : qui fidem suam ipsi custodiunt : sic inenarrabilia tormenta irrogat iis : qui a fide eius et sanctitate discedunt . quod si timenda est ira regis : cuius magis ira timenda est ? hominis : an dei ? Nam ira hominis siue suppliciis siue ignibus siue ferro quo torqueat intra momenta temporum desinit : Ira autem dei æternæ gehennæ peccantibus† flammas accendit . Vnde dominus et magister ueritatis Iesus Christus præscius futurorum dixit : Apud reges et præsides stabitis : qui cum flagellauerint aut occiderint uos : Post hæc non habent : quid faciant : et ideo dico uobis : ne timueritis eos . Illum autem timete : qui postquam occiderit : potestatem habet perdere in gehennam . Dico uobis hunc timete . Tunc Ephigenia prostrauit se coram omni populo ad pedes apostoli Mathæi dicens : Obsecro te per ipsum : cuius apostolus es : ut ponas super me manum tuam et super omnes has uirgines per uerbum tuuum† domino consecratas : ut possimus euadere minas eius : quia adhuc uiuente patre meo et matre multa minabatur : et multis minis terrebat me : Et si hoc uiuentibus illis audebat : et temptabat : quid modo facturum putas ? Tunc apostolus confidentiam habens in deum suum et penitus non timens Hirtacum imposuit uelamen super eius caput : et super capita omnium uirginum : quæ cum ea erant . et hanc benedictionem dixit : Deus plasmator corporum afflator animarum : qui nullam spernis ætatem non sexum reprobas : non ullam conditionem gratiæ tuæ ducis indignam : sed omnium creator æqualis es et redemptor : tu has famulas tuas quas ex omni numero gregis bonus pastor eligere ad conseruandam coronam perpetuæ uirginitatis et ad castimoniam animarum dignatus es : tuæ protectionis scuto circuntege et ad omne opus uirtutis et gloriæ docente sapientia preparato : ut uincentes carnis illecebras et licita connubia recusantes inso | lubilem filii tui domini nostri Iesu Christi copulam mereantur . His petimus domine arma suggeras non carnalia sed spiritualia et uirtute potentia : ut te muniente earum sensus et membra in earum corpore non possit dominari peccatum . atque sub tua gratia uiuere cupientibus nihil sibi defensor malorum et inimicus bonorum de his uasis iam tuo nomini consecratis praeualeat uindicare : omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ tuæ cælestis extinguat : Lumen uero perpetuæ castitatis in eis accendat : facies scandalis pudica non pateat : nec incautis occasionem tribuat negligentia delinquendi : sitque in eis cauta uirginitas et ornata pariter et armata fide integra : spe certa : caritate sincera : ut præparatis animis ad continentiam uirtus tanta prestetur : quæ superet diaboli uniuersa figmenta : atque contemnentes presentia futura sectentur : Ieiunia epulis carnalibus præferant : et lectiones sacras conuiuiis et potationibus anteponant : Vt orationibus pastæ et eruditionibus expolitæ illuminate uigiliis opus gratiæ uirginalis exerceant . His uirtutum armis has tuas

famulas interius exteriusque communiens præsta eas : inoffensum cursum uirginitatis implere . Per ipsum dominum nostrum Iesum Christum : qui tecum et cum spritu† sancto uiuit et regnat in æterna sæcula sæculorum : cumque omnes respondissent : amen : et mysteria domini celebrata et missas accepisset omnis ecclesia : et unusquisque domum propriam remearet : Matheum apostolum suum Christus in ecclesia retinuit : Vt iuxta altare ubi corpus ab eo Christi fuerat confectum : illic martyrium apostolicum exultaret : Nam expansis manibus orantem spiculator missus ab Hirtaco a tergo puncti ictu gladio feriens apostolum dei Christi martyrem fecit : quo audito omnis populus ad palatium cum igne pergebat : Cui furenti populo occurrerunt omnes presbyteri et diacones et clerici atque religiosi uiri cum discipulis defuncti Mathei apostoli dicentes : Nolite fratres contra preceptum domini agere . Nam Petrus apostolus arrepto gladio amputauit auriculam cuiusdam Malchi : qui dominum tenebat cum suis : et ne uideretur læsus uicem rependere læsionis : iussit ipsam auriculam amputatam || loco suo reponi . Et reposita ab apostolo solidata est . Id dixit Petro dominus : Nunquid si uellem non mihi exhiberet pater meus plus quam duodecim legiones angelorum ? Celebremus omnes ergo cum gaudio martyrium beati apostoli : et quid deus ordinare uoluerit expectemus . Ephigenia autem sacratissima uirgo Christi quidquid in auro et argento et gemmis habere potuit ex amissis contulit sacerdotibus et omni clero dicens : Posteaquam dignam apostolo Christi fabricaueritis basilicam quidquid superfuerit pauperibus erogabitis : me autem oportet certamen habere cum Hirtaco . Factum est autem post hæc secundum uerbum Ephigeniæ omnium nobilium uxores fecit uenire ad eam : sperans quod aliqua ratione possit ad eius peruenire consensum : quod cum penitus non posset : conuocauit magos : ut dæmonum illam ministerio raperet : quod cum nulla hoc posset facere ratione : fecit circundari igne prætorium in quo cum uirginibus Christi commanens deo suo die noctuque famulabatur . Sed cum per circuitum ignis arderet : apparuit angelus domini cum Mathæo apostolo : et dixit ei : Ephigenia firma esto : et noli expauescere hos ignes. ad illum enim a quo tibi sunt suppositi uertentur . Igitur cum per gyrum prætorii sanctæ Ephigeniæ flamma perstreperet : excitauit dominus uentum ualidissimum : et mundauit omne illud incendium a domo uirginis suæ : et ita consumpsit palatium Hirtaci : ut non inde potuerit aliquid ex facultatibus regis liberari . Ipse autem Hirtacus cum suo filio unico uix euasit : sed melius illi fuerat incendio interire . Nam filium eius uæhementissimus dæmon impleuit . qui illum cursu rapidissimo ad apostoli Mathæi sepulchrum adducens : a tergo manibus ab ipso diabolo colligatis confiteri eum paterna crimina compellebat . Ipsum autem Hirtacum Elephantiæ uulnere a capite usque ad ultima pedum uestigia ligauerunt . quod cum medici curare non possent : ipse in se gladium ponens occubuit . Vt quod a tergo apostolum domini patefecit : ipse recto se ipsum stomacho perforaret . Omnis autem populus insultans morti eius comprehendit cum omni exercitu fratrem Ephigeniæ nomine Beor qui per Ephigeniam ger | manam suam de manu Mathei fuerat gratiam domini consecutus . Hic cum esset iuuenis uicesimoquinto ætatis suæ anno cœpit regnare : et regnauit per annos sexaginta tres . Facti snnt† autem omnes anni eius quibus uixit octoginta octo et se uiuente constituit unum filium suum ducem super omnem exercitum : alterum uero regem et uidit filios filiorum suorum usque in quartam generationem : et habuit pacem firmissimam cum romanis et persis . Omnes autem prouinciæ æthiopum ecclesiis replete catholicis usque in hodiernum diem per Ephigeniam benedicunt deum . Et fiunt mirabilia magna ad confessionem beati apostoli Mathæi : qui primus de hebreo sermone scripsit euangelium domini nostri Iesu Christi : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum amen . Zaroes autem et Arfaxar illi duo magi ab ea hora qua suscitauit Mathæus in nomine domini nostri Iesu Christi filium regis mortuum : Fugientes ab Aethiopia in persidem deuoluti sunt : ibi nihilominus peiora facientes . Sed : sicut præfati sumus : quia deo cura est de hominibus : et est homo carum animal deo si se ipse uilem non faciat negligendo . Missi sunt ad persidem sancti apostoli duo Iudas Zelotes et Simon chananeus : qui qualiter cum eis conflixerint et superauerint in dei nomine sequens libellus ostendit .

VITA BEATISSIMI MATERNI MEDIOLANENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS.

In illis diebus succiso radicitus per diuinam securim inutili fructice Decii : qui ferina rabie et uipermo† liuore turgidus innumeras breui tempore inenarrabilium pœnarum clades Christi cultoribus euomuerat : adeo ut extinctis maxime pastoribus ecclesiarum dumtaxat presulibus et magistris : dispersis quoque secundum quod consequens fuerat gregibus uniuersis : heriles caulas se euacuasse ac destituisse putans immensas pio defensori Christo domino laudes fidelium ubique per orhem† populus ore licet gemibundo profudit : Et quoniam non modo quam || libet Europæ Hesperiæque partem sed totas mundi plagas seuæ persecutionis turbo depopulari ad horam uisus est : multis ut fertur diebus clericalis ordo et sacerdotalis cathedræ sucessio cessauit . Verum dempto maliciæ huius incentore : cum Gallus romani imperii dignitatem suscepisset : quamuis et ipse insanus : Atamen paulominus erga christianos agens : cœpere mox credentium animi consurgere : et recreari quodammodo : qui paulo ante per latebras occultati uisi fuerant titubasse . Inuisunt si qui supererant derelicta ouilia pastores : et dispersas metu luporum ouiculas ad suas quique caulas reducunt . Vt uero mediolanensis ecclesiæ clerus simul et populus quotquot lanistarum manus euaserant ad philippeam recollecti basilicam conueniunt : expurgantes idolatriarum spurcicicias† : quæ iniecte fuerant : et ad cælorum dominum suppliciter exclamant : ut suæ misereatur de cætero hæreditati : eiusque perditionem non ultra dissimulet . Præterea pastoris iam dudum cum Christo sociati diutina absentia uiduatam plebem grauiter suspirantes : quod facto opus esset inuicem sciscitantur . Sacerdotum quidem nemo erat huiuscemodi honoris dignus uel potius oneris capax : latorem capacem dicens : quanto minus clericorum : quorumuis inferioris gradus . Quem ergo eligendum : quem sibi præponendum : cui suas preces suaque uota committenda censerent : diligentī trutina perpensantes : diem inpasti noctesque peruigiles commitantur : Tandem uni ex consacerdotibus : quem longæua senectus et meritorum gratia insignibat per ectasin sanctus nunciat spiritus : quem ex omnium collegio superni censura iudicis ad sacerdotale pondus æquanimiter subuehendum : quem ue in procinctu temporis aptum uiribus fortem animo et corpore designanter elegerat . Erat enim per idem tempus*. Sed ut proposita prosequar Gallus Cæsar cum non pleno biennio imperium tenuisset : rebus humanis uitaque priuatus Valeriano principatum reliquit . Hic primo imperii sui tempore humanus multum dei famulis ac benignissimus extitit : adeo ut uenerationi apud ipsum habiti essent : et suæ domus familiam Cbristi† efficeret ecelesiam† . Credo equidem | predecessorum suorum subitaneam ueritus extirpationem : quam sola christiani nominis uexatione illatam nemo est : qui dubitauerit . Interea ubi processu temporis magi cuiusdam pessimo sese subdidit magisterio deprauatus mente : et a solido præcipitatus christianorum pedagogos persequi . et exterminari precepit : tanquam magicarum quibus se dederat proditores artium . et cum per dies sigulos† Cæsaris male fascinati furor excrescens alios spiculatorum gladiis ingularet : alios suppliciis et diuersis cruciatuum generibus affligeret : nonnullos squalore carcerum et cathenarum ponderibus enecaret : et insuper ne quis ad eos prorsus excederet : simili pœna interminaretur : concessit tamen omnipotentis dei prouida maiestas confessorem suum sanctum Maternum episcopum inter tot bella quietum uelut quem ad futura certamina reseruare disponens tranquilitatem sibi non sine ingenti præiudicio commoneret esse collatam : Quam rem uir domini sagaci perpendens animo instanter tam sibi quam commisse plebi iusticiæ arma fabricabat exhibendo se suosque dei ministros in multa patientia in uigiliis et in ieiuniis multis et apostolicam tubam iugiter insonando . Ecce nunc inquiens tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis . Ac deinceps sollicili aiebat estote fratres et filii mei : et oculis mentis simul ut corporis uigilate : ne uos inopinata temporis quies inertes reddens ac desides superuenture iræ turbinem æquanimiter sufferre non patiatur . Nolite quæso cedere : nolite uel ad momentum armis

nudari spiritalibus . Nondum hostis interiit : nondum furiarum incentiua extincta sunt . Habet adhuc aliquid : quod superaddat doli totius fraudisque magister : Qui si nos torpentes atque imparatos inuenerit : miserabiliter trucidabit . Sin uero stantes super custodias nostras ac loricatos perspexerit : ubi nec quicquam ex aduerso telorum imbrem intorserit : uictus atque confusus aufugiet illico : omnesque deinceps uersutiæ illius habebuntur pro nichilo . Ergo dum uacat : aduersum omnes eius insidias christianas acies præparemus : et contra unum quodque diaboli lœtum par missile fabricemus . Illecebras suministrans uincendiis† est per continentiam . Iniurias et tormenta infligens : uin || cendus est per patientiam . O quam felices erunt qui uicerint . His et aliis multis quæ conpendio inexpediunt adhortationibus et præceptis magnificus antistes suorum iugiter mentes auditorum* in ordine præfate ecclesiæ uir quidam reuerentissimus doctor et primicerius lectorum uirtutem nominis dulcibus exprimens moribus cognomento Maternus : Qui omnibus clericis ita carus erat : ut pro pietate multimoda et benignissima caritate quas in conuulse suomet insertas pectori bene prodigus aliis sibimet reseruabat : Vniuersi illum nimio amore diligirent : et ipse Maternum circa omnes affectum impenderet : sic eos fouens : monens : et corrigens ut filios : sic ab eis amatus amplexatus semper et expectatus ut mater . Hunc ergo apprehensum senex ille canitie ac meritis uenerandus pertrahit ad medium : et cunctis circunstantibus uoce qua potuit exclamauit : Quem expectatis ? Adest . ecce pastor : quem cupitis . Mihi credite : iste cælesti præelectus examine et presenti gregi præesse : et lupis ualet circunlatrantibus præualere diuino fretus ut credo iuuamine : Nolite inquam metuere nec pastorem proprium ex alienis ouilibus amplius operiri . En habetis Maternum sanctissimum : dignum in cunctis depositi patroni uirtutum gradibus uicarium . Nam sicut Helias Heliseum relinquens duplici uirtute ditauit : ita et celebrandæ memoriæ præsul eximius Monas Maternum corpore non fide deserens geminum præbuit hæreditariæ uirtutis augmentum . Itaque his atque aliis optimi senis qui aderant animati sermonibus : annuunt diuinæ reuelationi : ac uirum domini Maternum : ut pastoris obsequium non contemnendum ducat : supplices precantur . Ille quia erat piissimus : et ad postulata procliuior : Vtrum preci cedere an obniti congrueret : diu uixque deliberans : flæuit non lachrymans : et attonitis in medio constitit auribus . At uero clerus simul et plebs insistunt precibus . Iterum atque iterum ut sibi non obsistat flæbiliter ingeminant . Quis ualeret denegare : quod tantopere fidelis caterua deo inspirante petebat : Cessit ergo clementer intelligens diuinæ prædestinationis examen : suorumque confratrum necessariam non | renuit functionem . Quoniam autem feruor adhuc succense per Decium persecutionis nec dum fuerat extinctus : sed succedentibus sibi inuicem ministris diabolicis ac suæ uesanie fomitem suggerentibus atrocior subinde per mundi clymata supra quam fari potest aduersum christianos uiros æstus incitabatur . Huius de quo loquimur pastoris uigilantissimi hæc cura sollicitudoque fuit : ut positos in ergastulis milites Christi patientiæ armis indueret : certandi audacia imbueret : ac triumphandi fiducia recrearet : eorum si qui forte oppetissent : aut gladiali sententia detruncati : aut acrioribus tormentis examinati : condigne corpora sepulturæ mandaret : iugibus excubiis pernoctanter inuiseret : minime quoque ex ipsis particule uelut pretiosissimæ cælestis thesauri Margaritæ ne disperirent aliquo modo sollicitus satageret : inuentasque condignius illico thecis reponeret . His atque huiuscemodi uir sanctus uirtutum studiis intentus maximam apud deum et apud homines prerogatiuam sanctitatis obtinuit : Eatenus ut ab ipsis crudelitatis principibus pro sui magnitudine ac serenæ mentis hilaritate paternæ ut ita dicam addictus uenerationi meritoque cnmulatus† honore pater patriæ uocaretur . Et nisi eos insensate mentis atque infandæ seruitutis redargueret : nullam ipse uel ipsius pedisequi perferre ultra sinerentur calumniam : Ad cuius rei iudicium certus ipsius discipulatui Christicolarum delegatus fuerat numerus : quatenus eo christianæ fidei regula imbuto secumque libere quo uellet loco uersanti cæteros imperialibus permitteret cultibus lusibusque theatralibus occupari . Denique haud dubium erat plurimos regalis aulæ ministros christianæ doctrinæ cultoribus affectando blandiri : Qnandoquidem† non nulli quorum mens partim diuina fuerat adacta cuspide : partim uenatorum spiritalium clamoribus excitata : iam tunc non modice uererentur militari : chlamyde circundari : pileo redimiri : trabea decorari : Vix dum Cæsarem consulem uel comitati raro amphiteatrum ingredi raro concursibus publi-

cisque lusibus permisceri soliti : Mirum ualde transmutatos subito ex diuturna radice multorum uires affectus : et qua de causa || id acciderit : m nime† peruideres . Sed illi diuinorum consciii† secretorum sub ueteri habitu ad tempus occultari nouum indui hominem malebant : notantes sedulo in secreto mentis cubiculo : non pendula Apollinis oracula sed Christi potius exempla atque præcepta salubria . Aliqui uero ex eis agones´martyrum sollicite contemplati ad posteritatis memoriam carnis tradere : et christianis bybliotecis fideliter inserere : prout uidere contingit : non tardabant : quatenus his relictis succedentium militum animi recreati : simile robur mente conciperent : et momentanea certantium dispendia non curarent . Ergo : ut prius dicere debui : quædam tunc ex insperato diuina pietate procurata Christique Iesu arte perquisita sese mediolanensium plebi medicinā† profuderat . Cum et antistiti Materno christiana liberalitate cum suis donato quocumque uellet procedere liceret . Et quanquam præfixus abbreuiatus ac imminutus esse deberet edicto pendente christianorum terminus non minus tamen dilatabatur : multiplicabatur quod quottidie ipsius ad fidem conuolantibus lanistis et carnificibus dispesante† scilicet iusto iudice Christo per :† quem omne quod uesani principes suis cultoribus† proponebant ad pœnam altiori consilio uertebatur ad gloriam* a secretis . a caliculis . a cubili regis : Christi lauacro abluti sunt chlamyde tereni imperii . Iesu Christi milites sacramentis cælestibus coniurati latebant : Quorum obtentu plurimi ecclesiarum antistites imperiale susceperant edictum : licite quos uellent suo magisterio informandi : distributo tam romanæ quam mediolanensis ecclesiæ aliisque non nullis metropolitanæ sedis presulibus prefixo ut supra dixi fidelium numero . Verum longe aliter superni satoris industria sacro euangelii semini prouidente : quantomagis prefinita maceria dominicam inuidi partem cingere nitebatur : tanto amplius diuaricatis uagabundam oleuisse compagibus cæli ac terræ totius completa superficie : confusi nimium atque stupentes attendere non ualebant . Hac de causa primo omnium inter militares uiros persecutionis scintilla coalescens immensum toto mundo suscitauit incendium . Nam facta discusione : si qui essent ex militibus christiani | ut aut immolarent : aut militiam pariter uitamque deponerent . plurimi† militiam pro fide Christi aliqui etiam animas posuerunt . Hinc flamma summens exordium cunctos penæ christiani nominis cultores uno conflagrauit incendio : Impossibile dictu : quot ex militari ordine uiros nobiles et industrios honore ac sæculi dignitate sublimes uorax breui ira flamma consumpserit . Denique procedente tempore æstu inuidiæ suscitate de die in dies ingrauescente innumerabiles per singulas quasque urbes et prouincias martyres efficiebantur quottidie . Accidit etiam cum dies sollemnis paschæ immineret : ut edicta principum cunctis† palam religerentur populis : omnes per orbem destrui fundotenus ecclesias : infames fieri christianorum nobiles : in uincula coniici uniuersos eorum antistites : suppliciisque grauibus ad immolandum diis cogi præcipientia . Tum uero ingens spectaculum sarerdotes† ubique domini huic mundo et angelis et hominibus effecti sunt . Cerneres Christi presules et ministros reorum more cathenarum nexibus alligatos : horrendis recludi carceribus : et adulterorum ac paricidarum custodiæ mancipari . Simul etiam cum ipsis uiros illustres matronasque nobiles edictis principalibus urgeri : aut negare christianitatem : aut romanam linquere libertatem . Nolentes inuerecundæ et inhoneste ad publicum trahi palam cunctis denudari : et latronum legibus uirgis plumbatis ac fustibus cædi . Vbique luctum : ubique mærorem : ubique fœdum ac miserabile spectaculum . Sacras orationis domos et ecclesias dei uiuentis ab ipsis subuersas ac diruttas fundamentis . Proh nefas diuinæ scripturæ libros in medio platearum igni crematos . In urbibus subitum a dei laudibus silentium : in carceribus iuges ac suaues Christi famulorum modulationes . Per plateas ex clero nullum : per carceres uacuum cleri ordinibus locum nullum . Non est huius operis tantæ illius enormitatem metiri persecutionis . Igitur cum hæc apud Nicomediam orientis urbem flamma crudelitatis per Dioclitianum succensa innumeras iuxta longeque positas prouincias : quasi cruentus leo et ferox auctor ipse crudelitatis piorum semper inihians† ad dissipandum potius sibi quam ad regendum prælegerat ebulisset : || haud segnior apud occidentis partes coherede et participe regni simul atque militiæ paribus succenso furiis aduersum dei ecclesiam : quinimo dispar ei in nullo nec ferina rabies nec furor effrenatæ mentis fuit . Totas Italiæ urbes uniuersaque occidentis loca perlustrantes : si quem forte Christi cultorem repperit :

aut gladio iugulari : aut ignibus cremari : aut flagris discerpi : aut ungulis rimari : uel quibuscumque tormentis exanimari uel precipiens ab incepto non distulit : quoadusque precessisse collegam : in cunctis facinorum generibus uisus est . Namque ubi in mediolanensium mœnia edictis præcedentibus intrauit : mox preconis uoce in tota clamatum est urbe . Imperator Cæsar Herculius Maximianus augustus semper inuictus triumphator maximus aduenit . ecce concurrite ciues . deos reportate patrios . concurrite ciues : et ueneramini . Vos uos procul ab urbe profani : uobis dicitur . recedite christiani : Cumque die altero tribunal ex alto in hippodromo circi imperiali fastu præparatum diademate irradians consedisset : astantibus populis lacialiater concionatus est . Oportet inquiens o generosi ciues paternorum sequi statuta morum : et his mentes informare peruigiles : ne forte luxuriando per alia simul nostra dignitate pariter ac libertate degeneremus : Vnde ad sacro sanctam deorum culturam reuocantes memoriam omnipotentibus numinibus gratanter litate sacrificiorum libamina : porro exsufflato profanæ superstitionis ritu : et eis qui huiusmodi affectant explosis in nullo participari uelitis . Quin potius illos ad nostram pertrahi facite audaciam : pompantes : ut digni sunt : et ad aliorum exemplum turpiter denudatos per plateas cædentes . Fit clamor ingens pagani populi . Cæsari maximo semper uincenti aurea sæcula feliciter aduehenti : æternum decus diutius precantur : Impleturque illico illud domini prædicentis : Tradet inquit frater fratrem in mortem et pater filium : et insurgent filii in parentes : et morte eos afficient . Non enim aliquos consanguinitatis affestus† non amicissimorum intuitus a proditionis scelere ualuit inhibere . Prodidere matres unicas filias : quascumque† Christianæ fidei anulos subaratas | nouerant . Nec minus et patres natos christianissimos ad amphiteatrum pertrahendos : ut profanos amentes atque epilenticos domibus expulere . E contra non nulli genitores proprios turpiter infamantes tortoribus martyrum * comminuens cunctos penæ de martyrii gloria fecit esse feruentes . Illud præcipue in cunctis beati uiri meritis : ut laudabile fuit ita etiam nec occultum : Quia inter predicandum aut cuiuspiam boni operis agendum : quidam mentis compassione tactus intrinsecus : frequentibus lachrymarum fontibus ora pectusque rigabat . Et quamuis cura gregis sibi commendati non parum angeretur : nunquam tamen interni affectum luminis ab assidua oratione claudebat . Mirantibus discipulis et quam ob causam ita flæret sciscitantibus : quodam temporæ fertur ita respondisse : Non ego filii rerum damna fragilium : sed humanarum animarum miserias lugeo . Dum illos sub graui seruitutis uinculo subiugatos uideo : quos ad summam ibertatis† gloriam : a conditore omnium ex nihilo factos scio . En homo qui ad laudandum deum fuerat creatus : dæmonum obsequiis miser se plaudit mancipatum . Nec recogitat insanus : quia illis ponit libamina : qui secum inferno arsuri erunt per sæcula . Qua de re multum doleo : ut aliquando† resipiscant per mediatorem Christum orare non cesso : Quin etiam pro his qui christianæ professionis calumnia carcerum horroribus : cathenarum ponderibus : eculeis : flagris : metallis : exiliis : adustionibus : obtruncationibus uariisque tormentorum generibus affligi contigit : summo conamine non desino interpellare : ut uniuersis pro sua causa dimicantibus ille cælestis medicus rorem superfundat misericordiæ tribuens eis indefessam mentis constantiam inuictam patientiam : certamque superandi fidutiam : Quatenus non illis præualeat hostis inuidia persequentis sed uincat potius fortis dextera coronantis . Me quoque me tanto pastoris officio ualde immeritum ante omnia et post omnia lugeo : magnipendens pastorum principis tremendam de creditis ouibus discussionem : ne aliqua fraude circunstrepentium luporum amittam eos : quos mihi occulta sui dispensatione iuditii mundi totius arbiter educandos || in fide ac sanctitate commisit : pro qnibus† etiam atque etiam ingemisco frequenter : et deflæo : clamans humiliter cum eodem Christo Iesu : et dicens : Pater sanctæ serua eos in ueritate tua : quos dedisti mihi . Nunc nunc o dilectissimi nunc illud nobis propheticum occurrat oraculum : Cibabis nos domine deus pane lachrymarum : et potum dabis nobis lachrymis in mensura . Confido inquam : quoniam in mensura quia non patietur nos temptari supra id quod possumus ferre : neque in perpetuum indignabitur nobis : sed repropitiabitur seruis suis : dans solitum misericordiæ suæ temperamentum : ut possimus sustinere . Hæc de sancti uiri dictis annotaui : ut facile possit agnosci : quantæ sanctitatis : quantæque mansuetudinis habuerit plenitudinem . Nunc ad reliqua eius gesta uertatur articulus : quæ adeo sunt multis ignota : ut longi temporis alluuione omnium pene memoriæ

abolita putentur . In tempore illo Dioclitianus et Maximianus suscepto augustalis apicis diademate mites sese ac blandos cunctorum ostentui dedere . Coniuges filias et totius pene domus familiam christianæ fidei doctrinis imbui nequaquam aspernati sunt . Iamque etiam hi qui erant* puniendos tradere . Sed ut cœpta prosequar : inter hæc discrimina : uir domini Maternus de suorum gemens concussione filiorum : ut turris fortissima immobilis persistebat : nunc hos nunc illos frementis aduersarii ictus inconcusso mentis fundamine sufferens : et sibi commissos bellantium ordines impenetrabili muro securissimos efficiens . Quotiens inter alios uinctus cathenis : quotiens principi nequissimo præsentatus cum reliquis : interdum etiam carceris ergastulo includi iussus flagris atrocibus quantotiens affectus non ualet huius pagina compendii perfacile compræhendi : Inter quæ Christi semper clipeo protectus et galea hostiles impetus miles egregius contrastabat . Hæc itaque et huiusmodi plura gerens : quæ proferre per nos atque exprimere : ut dignum est : non potest sermo pauperculus : melius uobis ea uester dicet affectus summæ alacritatis . Instantiæ fuit cultor : et custos animarum : cupiditates resecans : iras conprimens : malicias extirpans . His magis uir iste tempori | bus necessarius fuit : quibus tanta iniquitas sumptis quottidie deficiente iustitia uiribus conualescit . Et quidem ille in hac peregrinatione solo corpore constitutus cogitatione et auiditate in illa æterna patria conuersatus est . Et quasi bonus ratiocinator uelut ad centuplum manum porrigens semper de sinistra transmisit ad dextram : et in cælo reposuit sudores suos . Nam et si hic opera eius uidentur : illuc operum merita transierunt . Illius in quantum possimus uestigiis insistamus : qui per illam nimis arctam uiam ad cæli ampla festinans quam consequeremur ostendit . Depositus est idem Christi confessor sub Maximiano imperatore quintodecimo calendas augustas . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen .

PROLOGVS IN VITAM SANCTI MATHIAE APOSTOLI .

Maathias† hebraice latine dicitur donatus ut subaudiatur pro Iuda Scarioth . Iste enim in loco eius duodecimus ab apostolis electus est : cum pro duobus sors mitteretur . Hic sine cognomine solus habetur : cui datur euangelii prædicatio in Iudæa : cuius festum celebratur sexto calendas martias : fuit enim de septuaginta discipulis unus .

Inclytam et gloriosam festiuitatem beati Mathiæ apostoli domini nostri Iesu Christi tanta deuotione uenerari et glorificare oportet : quanta† illum diuina gratia dispensante ad apostolicam dignitatem electum esse cognoscimus : Sed qualiter uel quo ordine per sanctos apostolos patratum sit : et quid exinde sancti patres in eius laude mirifice protulerunt : per sacræ scripturæ seriem pandere curamus . Saluator et euim† dominus noster Iesus Christus humani generis conditor atque redemptor cum propensiore consilio arcanoque censuisset mundum languidum clæmentissime uisitare : suumque plasma de potestate diabolicæ fraudis mirabiliter eripere : quod per quinque millia et eo amplius annorum possederat : ille qui erat || rex regum et dominus dominantium sub potestate augusti Cæsaris Octauiani scilicet humiliter nasci dignatus est . Ac perinde per incrementa crescens ut effectum ueræ incarnationis suæ ostenderet : quoniam quidem ille esset uerus dies qui duodecim horis lucebat : duodecim apostolos eligere censuit . Deinde ad similitudinem septuagintaduarum linguarum septuaginta duos discipulos assumpsit : binosque misit ad prædicandum : Inter quos si quidem beatus Mathias sanctæ prædicationis ministerium suscipiens : ita se diuinis præceptis humiliter subdidit : ita feliciter prædicando ad sanctæ matris ecclesiæ gremium ethnicum populum perducere curauit : ut admodum acceptabilis et deuotissimus deo factus : cum traditor ille Iudas deum perderet Christum : suique homicida effectus apostolatum perderet : iste uir domini in loco illius sorte et oratione sanctorum apostolorum duodecimus apostolus ordinaretur : Cui datur sacri euangelii prædicatio in Iudæa : sicuti sanctis apostolis in singulis regionibus . Verum si in regione christicolarum omnium festa sanctorum celebrari condecet : quantomagis beatorum apostolorum : qui specialiter Christo adhæserunt : colloquium cum illo

habuerunt : comederunt : ac biberunt : omnemque illius efficaciam sitibundo pectore hauserunt ? Quique etiam ab ipso domino fratres et amici appellari meruerunt : cum diceret : Iam non dicam uos scruos† sed amicos meos . Et alibi : Hi sunt fratres mei : magnamque uicissitudinem illis conferens : Gaudete inquit : et exultate : quod nomina uestra scripta sunt in cælis hoc quia ipso annuente ita conuenit . propter hanc excellentiam illorum sollemnitas sub una festiuitate merito celebrari congruum fuerat : sicuti communem uitam atque consortium cum domino habuerunt . Nam et beatus Hieronymus hoc astruens in martyrologio quod cromatio et Helyodoro episcopis edidit : coniunctos eos censuit ordinare dicens : Sane in prima parte libelli mei omnium apostolorum festa oportunissime scripsimus : ut diebus uariis non diuidere uideamur : quos una dignitas apostolatus in cælesti gloria fecit esse sublimes . Sed quia mos obtinuit intus sancta secunda† ecclesia : ut uniuscuiusque apostoli specialiter festa quo die | cælo sit natus et coronatus in illo celebrentur : nos hodierna die beati Mathiæ duodecimi apostoli natalem tanta ueneratione excolere debemus : quanta ut prædictum est inter apostolos mirabiliter electum esse comperimus . Sed quemadmodum beati Petri apostoli elogio imo spiritus sancti gratia sit patratum : quia magnæ auctoritatis magnæque excellentiæ sacramentum est et a beato Luca euangelista narratum : ad laudem domini nostri Iesu Christi atque ipsius sancti et gloriosi apostoli gloriam decentius condecet enarrare . Ait enim præfatus euangelista : Exurgens autem Petrus in medio fratrum dixit : Erat autem turba hominum simul fere centum uiginti : uiri fratres : oportet impleri scripturam : quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda : qni† fuit dux eorum : qui conprehenderunt Iesum : qui connumeratus erat in nobis : et sortitus est locum ministerii huius . Et hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis : et suspensus medius crepuit : et diffusa sunt omnia uiscera eius : et notum factum est omnibus habitantibus Hierusalem . Scriptum est enim in libro psalmorum : Fiat habitatio eius deserta : et non sit : qui habitet in ea : et episcopatum eius accipiat alter . Oportet ergo ex his uiris qui nobiscum congregati sunt in omni tempore quo intrauit et exiuit inter nos dominus Iesus incipiens a baptismate Iohannis usque in diem : quo assumptus est a nobis : testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis . Et statuerunt duos Ioseph : qui cognominatus est Iustus : et Mathiam : et orantes dixerunt : Tu domine : qui nosti corda hominum : ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii huius et apostolatus : de quo preuaricatus est Iudas : ut habitet in locum suum . Et dederunt sortes eis . Et cecidit sors super Mathiam : et annumeratus est cum undecim apostolis . In hac itaque electione huius sanctissimi apostoli consyderanda est et ammiranda dispensatio diuinæ potentiæ atque humane gloriæ : Quoniam quidem sicut diuina scriptnra† denunciat non sicut uidet homo ita preuidet deus . Ille enim Ioseph qui uocabatur Barsabas : qui cognominatus est iustus : ab homnibus† est electus . Mathias autem qui interpretatur dei paruus || siue donatus spiritussancti electione factus est magnus : quoniam humilis factus sectando siquidem uestigia domini sui dicentis : Non ueni ministrari sed ministrare : et dare animam meam redemptionem pro multis . Et illud quod in alio loco dicit : cum Zebedei filios ad sanctam cogeret humilitatem : Qui se exaltat humiliabitur : et qui se humiliat exaltabitur . Et donatus idem Mathias dicitur : a quo uel quare ? ab ipso utique domino Iesu Christo : qui cum† præcognitum habuit ante mnndi† constitutionem : ante suam sanctam incarnationem : quatinus cum ueniret olim plenitudo temporis : cum ex sacra sumeret uirgine carnem : cum nasceretur : a quo suo post discipulo traderetur : Donatus ab ipso domino in duodenario numero exaltaretur atque glorificaretur : et duodenarius numerus perfectus inueniretur . Nec mirum : nec incredibile : nihil enim dei sapientiæ imposibile nihilque incognitum esse creditur . Omnia enim quæcumque uoluit fecit in cælo et in terra in mari et in omnibus abyssis . Oh quantum distant humana merita a supernis iudiciis atque diuinis . Oh quantum humana sapientia ab illa sapientia de qua dicit apostolus : O altitudo diuitiarum sapientiæ et scientiæ : quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uiæ eius . Hanc enim sapientiam completam uidemus in beati Mathiæ electione : quem dei sapientia reconditum habuit humilem et paruum . sed tamen uoluit in sæculo pandere magnum et gloriosum : scilicet in throno illum duodecimo exaltaret . Excipiamus ergo eum tanquam a deo donatum : tamquam ab ipso præordinatum : ueneremur illum et tanquam ab ipso inter disci-

pulos ualde glorificatum . Non autem ille prædictus Barsabas extimandus est ille Barnabas comes beati Pauli apostoli . Nam ille filius consolationis : hic autem filius quietis interpretatur . Ait Lucas euangelista : Et dederunt eis sortes : et cecidit sors super Mathiam . Neque etiam hoc exemplo uel quia Ionas propheta sorte deprehensus sit : indifferenter sortibus est credendum : cum priuilegia singularia comunem legem facere omnino non possint . Nam in sorte Ionæ prophetæ gentiles tempestate coacti auctorem periculi sorte quærebant : Et hic beatus Mathias | dilectus dei sorte eligitur . Ne eius electio a lege ueteris testamenti discrepare uideretur : ubi summus sacerdos sorte quæri uidebatur : sicut de Zacharia dicitur : Secundum consuetudinem sacerdotii sorte exiit : ut incensum poneret . Sed hanc figuram licuit excerceri : donec ueritas per Iesum conpleretur : cuius hostia tempore pascæ immolata : sed die pentecostes spiritusancto in igne apparente uere consumata est . Inde est : quod beatus Mathias ante pentecosten sorte ordinatur : septem uero diacones inter quos beatissimus martyr primus ipse Stephanus qui glorificando Iesum Christum a dextris dei stantem illum cernere meruit : postea nequaquam sortis agitatione sed discipulorum tantum electione apostolorum uero oratione et manus impositione snnt† ordinati : Qui autem hanc regulam exemplo apostolorum tenere uoluerint : caueant : et uideant hoc beatos apostolos non egisse : nisi fratrum cœtu collecto et precibus effusis ad dominum . Quis enim hæc dei misericordia perfecta : quis eius dispensationis gratiam præualet enarrare ? Ipse utique sui apostoli electionem per ignem spiritussancti confirmare dignatus est : qui hostiam sui corporis quam pro nobis obtulit die pentecostes per ignem spiritussancti mirabiliter consumauit . Sic et enim ordo sacræ scripturæ per beatum euangelistam denunciat dicens : Et dum complerentur dies pentecostes : erant omnes discipuli pariter in eodem loco : Et factus est repente de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus uæhementis : et repleuit totam domum : ubi erant sedentes . Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis : seditque supra singulos eorum . Et repleti sunt omnes spiritusancto : et ceperunt loqui uariis linguis : prout spiritussanctus dabat eloqui illis . Illa namque in lege hostia acceptabilis deo erat : quæ cælesti igne consumebatur : sicuti diuinitus actum legimus in holocausto iusti Abel et Menne patris scilicet fortissimi Sampson atque Heliæ et cæterorum prophetarum : Nam ubi legimus : respexit deus munera Abel : in græco dictum est : inflamauit . Ergo beati Mathiæ apostoli hostia electionis sacræ scripturæ documento habet maximam sanctionem : possedit firmitatem . Vnde igit† et ex quo ? quoniam confirmans approbat il || lam de cælo dominus : dando ignem spiritussancti omnibus apostolis utique et ipsi beato Mathiæ : ut omnium gentium linguis perpetuo loquerentur . Sed forsitan dicit aliquis fuit utique spiritussanctus apostolis et beato Mathiæ datus tantummodo illo in tempore et in illo loco : postea uero ablatus est sicut ab omnibus prophetis et a beato Helyseo : qui dicit de muliere orbata prole ad puerum : Dimitte illam : quoniam anima eius in amaritudine est : et dominus celauit a me : et non indicauit mihi . Absit hoc absit a catholica ueritate . Nam si beato Helyseo ac cæteris prophetis fuit olim spiritussanctus datus et ablatus : sed nequaquam a sanctis apostolis et a beato Mathia . Illis et enim et si ad tempus fuit datus et ablatus : ita expediebat : ita congruum fuit : sicut prophetantibus ueritatem : Cum autem Christus ueritas uenit : sanctis apostolis spiritussanctus peremniter est datus et confirmatus : sicut et gratia omnium linguarum . Et merito : non ne magna est differentia apud dominum inter apostolos et prophetas . Illi enim ut famuli aduentum domini prædicauerunt : et crediderunt : isti uero uenientem uiderunt comederunt cum illo : et biberunt : et : ut prædictum est : amici ab eo appellari meruerunt : insuper etiam pro eius amore sanguinem suum fuderunt . Approbat hoc idem dominus Christus : cum dicit : Multi reges et prophetæ uoluerunt uidere : quæ uos uidetis : et non uiderunt : et audire : quæ auditis : et non audierunt . Qui autem hoc proterue improbare uoluerint : caueant omnino : ne ueritati resistant : et ne a ueritate recedant : quæ est Christus . Ipse enim hanc sententiam confirmat : inquiens apostolis : Si diligitis me : mandata mea seruate : et ego rogabo patrem : et alium paracletum dabit uobis : ut maneat uobiscum in æternum . Animaduertendum est utique : quid sit in æternum manere . Quid est enim in æternum manere ? hoc est quod nunquam finitur : quod nunquam recedit non habens finem neque occasum . Et re uera non ait hodie uel cras uel tot diebus uel annis : sed in æternum . Hoc

sentiens beatus Hieronymus : affirmat illud in duodecim quæstionibus indubie dicens : Ego utique audacter ac tota libertate pronuncio : ex eo tempo | re quo apostoli in domino crediderunt : semper eos habuisse spiritumsanctum : nec potuisse signa facere absque spiritus dei gratia . Et infra de gratia omnium linguarum : Magis inquit necessarium fuit apostolis uarietate linguarum cunctarum gentium loqui : ut annunciaturi Christum nullo egerent interprete . Vnde in lycaonia cum audissent accolæ Paulum et Barnabam loqui linguis suis : deos in homines conuersos eos extimabant : Idemque apostolus in epistola sua approbans ait : Gratias ago deo : quod omnium gentium linguis loquor . hoc ideo insinuando protulimus : ut intelligamus ad quantam perfectionis gratiam beatus Mathias est electus : qui inter duodecim apostolos duodecimi apostolatus culmen scandere meruit . Ac per inde cum dominus ad iudicium uenerit : gloriosus cum illo residens apparebit : De huius quoque apostoli Mathiæ mirabili electione textum beati Lucæ euangelistæ prosequens Arator sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconus quod beatus Petrus apostolus sua oratione perdocuit ille uersibus heroicis depromit dicens :

Primus apostolico siquidem de pupe uocatus .
Agmine Petrus erat : quo piscatore solebat .
Squamea turba capi : subito de littore uisus :
Surgit : et insinuans diuina negocia coram
Sic uenerandus ait : nostis quia proditor amens .
Corruit : ipse suam stringens in gutture uocem .
Mercedem sceleris soluit sibi tædia noxæ .
Aeris ut medio communi poneret hosti .
Debita pœna locum : cælo terræque perosus .
Inter utrumque perit nullo condenda sepulchro .
uiscera rupta cadunt : tenuesque elapsus in auras .
nunc opus est uotis quod uerba prophetica clamant :
Quem liceat supplere uices . tunc summe precantes :
constituere duos Ioseph cognomine iustum .
Mathiamque dei paruum quod nomen ut aiunt
hebreo sermone sonat : humilemque uocando .
Comprobat oh quantum distant humana supernis .
Iudiciis parui merito transcenditur ille
laude hominum : qui iustus erat . duodena refulgent
signa : choris terrisque iubar iaculatur olympi .

Verumtamen si aliqui imperiti et sanctarum scripturarum minus idonei documentis de huius sanctissimi apostoli electione obsistere uoluerint dicentes : si beatus || Mathias duodenarii numeri apostolatum expleuit : et duodecimus sedebit cum Christo ad iudicandum : ergo beatus Paulus apostolus ab ista sessione sequestratus erit . Nouerint utique : quia duodenarius numerus in hac re uel cæteris sacræ scripturæ elogiis secundum tropum qui dicitur synecdoce pars pro toto accipitur : Qua ratione proculdubio et beatus Paulus apostolus et cæteri sancti sedebunt cum domino ad iudicandum . Hoc namque uerissime approbat beatus Augustinus in explanatione euangelii de uilico inquiens : Videmus apostolum dei Paulum sine ulla ambiguitate dixisse : Nescitis quia angelos iudicabimus ? Quos utique angelos nisi malos ? et ipsum eorum principem posuit . Ergo sedebit ipse apostolus in duodecim sedibus : de quibus dominus ait : Sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel . sed ipse non eret† inter duodecim apostolos ? Ideo suggero : ut noueritis iutelligere† duodecim sedes . Nouimus enim qui primitus a deo electi duodecim : et quis inde unus ceciderit : et quis in loco eius fuerit subrogatus est beatus Mathias . Si enim singuli in singulis sedibus sedebunt : iam impletus est numerus . Vbi ergo sedebit Paulus apostolns† ? An forte indebitam sibi sedem usurpauit : quando dixit : nescitis : quia angelos iudicabimus ? Duodecim ergo sedes uniuersæ sunt sedes : in quibus et apostoli et cæteri sancti sedebunt cum domino ad iudicandum : His ita difinitis breuiter ad laudem beati Mathiæ apostoli deuotissime reuertamur . Glorificemus illum : et ueneremur : ac triumphali laude perpetuis preconiis declaremus :

Imitantes interim sanctam illius humilitatem : quæ est mater omnium sanctarum uirtutum . Caueamus superbiam : quæ est radix omnium malorum : quam sequendo ille qui primus eiectus est et princeps extitit omnium malorum in æternam precipitatus est damnationem : Vnde deus noster clæmens et omnipotens non tantam passus damnationem in cælesti patria permanere : nouos angelos recreans nouamque creaturam ad imaginem et similitudinem suam hominem plasmare dignatus est : Ex cuius progenie tantos illuc ascendere statuit cum ipsa uidelicet instauratione decimi ordinis : quantos illic ange | los remansisse creditur : Dicente sancto propheta : Statuit terminos gentium secundum numerum angelorum dei . Ab ipsa namque ruina superbiæ dominus Christus discipulos suos eruere precauens cum dixissent ei domine etiam dæmonia subiciuntur nobis : ait illis : uidebam Sathan quasi fulgur cadentem de cælo . Ac si diceret : Stude in omnibus humiliter uiuere : et de miraculis nolite gloriari : ne cadatis similiter sicut et ille : qui talia dilexit . Proinde hoc preceptum domini beatissimus dei apostolus Mathias amplectendo in caritatis fundamento solidatus in humilitatis nectare connexus humiliter uiuere studuit : ut inter septuaginta duos discipulos diuina gratia electus ad apostolatus gloriam conscendere meruerit . Habet ergo apostolus domini gloriosus habet profecto prærogatiuam excellentiam apostolicæ dignitatis non supra omnes sed cum omnibus . Non excelsior conctis sed omnibus coequalis . Pro eo utique quod dominus Christus cum potestatem tribueret beato Petro apostolo ligandi atque soluendi in cælo et in terra : non illi solummodo tale priuilegium dedit . sed omnibus nimirum apostolis omnibusque sacerdotali dignitate locatis : Vnde sicut ad increpationem beati Petri apostoli Annnania† et Saphyra teste beati Benedicti abatis regula corpore utique non anima mortui sunt : ita et increpatione beati Pauli apostoli barien qui et elyuias† magus lumine priuatus est : Idemque apostolus stupratorem nouercæ suæ sola missione epistolæ dæmoni tradidit : et rursum cum uoluit restaurauit dicens : confirmate in illum caritatem : ne forte habundantiori tristicia absorbeatur frater : qui eiusmodi est : similiter autem Symonem illum magum de sublimi aere cum coapostolo suo Petro mirabiliter præcipitauit . De hinc cum illos Christus instrueret dicens : qui credit in me : opera quæ ego facio ipse faciet et maiora horum faciet : Quod de semicinthiis et umbra postea factum legimus Luca referente in actibus apostolorum : non prætulit aliquem : sed omnibus æqualiter contribuit potestatem . Si autem queritur : utrum miraculorum uirtutibus tantus apostolus domini specialiter claruerit : sciendum est per omnia quia multas et stupendas uirtutes cum cæteris || apostolis et apostolicis uiris operatus sit . Nam utique inter illos erat : quibus Christus contulit potestatem dicens : Signa quæ ego facio et uos facietis : Et in alio loco : Si dixeritis monti huic : transi hinc : commouebit se de loco suo . Identidem : habete potestatem calcandi super bestias et scorpiones : Si enim Christo attestante qui ueraciter ueritas est de miraculorum uirtutibus retinendum est : quod iste uir domini inter cæteros apostolos operatus sit : quantas illum credimus exercuisse uirtutes miraculorum : in prouintia scilicet Iudææ : quæ illi in sorte prædicationis aduenit ? Neque enim incredulum populum ad fidem Christi conuertere ualuisset sine miraculorum patratione : sicut de sanctis apostolis legimus : Per manus autem apostolorum fiebant signa et prodigia . Et de beato Stephano scriptum est . Stephunus† autem plenus gratia et fortitudine : faciebat prodigia et signa magna in populo . Sed quia minime scripta sunt miracula sancti Matthiæ : non incredibilia tamen : cum de ipso domino saluatore scriptum sit : Multa quidem et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum : quæ non sunt scripta in libro hoc . Et ut potiora inferamus : sciendum est utique quod tot mortuos suscitauerit : quot ab æternæ damnationis morte salutifera prædicatione eripuit . Quod nam per omnia excellentius atque gloriosius esse decernitur a morte peccati animam defunctam Christo restituere : quam morituro corpori uitam donare. Quanto enim melius beatissimum Paulum a morte animæ resuscitatum : quam Lazarum a morte corporis uidemus ? Interea neque de huius apostoli gratia hoc pretermittendum est : quoniam quidem quanquam omnes apostoli ante sæcula electi a domino esse credantur docente apostolo : qui elegit nos ante mundi constitutionem : ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius : tamen non de quolibet sicut de hoc sancto apostolo dominus Christus contulit mentionem : cum diceret in euangelio : Non ne duodecim sunt horæ diei ? Sanctos uidelicet apostolos significans et Iudam

inter eos . Si enim horæ erant : sancto Augustino dicente lucebant . Si lucebant : quomodo Iudas diem Christum ad mortem tradebat ? Ergo non Iudam | dicit in hoc loco traditorem : sed beatum Mathiam successorem et prædicatorem . Hunc ergo preuidit . hunc insinuauit : quem in loco alterius postea mirabiliter ordinauit . Ipse et enim in cælo iam regnans apostolum illum constituit : qui in terris positus cæteros elegit apostolos . Nam et in cælis tunc cum patre regnabat : et in terris eos ut filios gubernabat . Sicuti pollicens ait : Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi . Ac per hoc datur intelligi : ut sicuti decimum ordinem in cælesti gloria restituit duodenarium de beati Mathiæ digna electione . Passio namque illius si quæritur haberi : sicuti cæterorum apostolorum manifestissime constat : quod ipse sibi intulerit passionem : et crucem suam ferendo Christum fuerit secutus dicendo cum apostolo : Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini nostri Iesu Christi per quem mihi mundus crucifixus est : et ego mundo . Cum enim manifestum sit : quod duo sunt genera passionum unum in occulto alterum in manifesto : patet nimirum quoniam quidem illi crucifixus erat mundus : quia odio illum habebat et tanquam mortuum extimabat : Similiter et ille mundo : quia illum ad sua gaudia trahere non ualebat . Quis enim sapiens ignorat duriora esse supplicia : quottidie spiritualiter in acie stare : diabolicæ fraudi resistere : quam uno momento tyrannico gladio uitam finire ? Hoc sentiens beatus Petrus apostolus : commonere curauit dicens : Aduersarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit : quærens quem deuoret : Cui resistite fortes in fide . Et beatus Paulus similiter : State inquit succincti lumbos uestros in ueritate : ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : et galeam salutis assumite et gladium spiritus quod est uerbum dei . Non ne magnus Iacobus herodis gladio trucidatus : sed dilectus a domino in pace sanctæ ecclesiæ a Christo uocatus et coronatus est . Ergo nimis beate apostole Christi Matthia exulta : et gloriare in domino Iesu Christo . Gaude iam lætus gaudio sempiterno : et merito : quoniam præsago nomine uocitatus et a Christo donatus iam non paruus sed magnus : Non infimus in sæcula sed gloriosus fulgens in cælo . Et quare hco† ? quo pacto ? || qua gratia ? Pro eo scilicet : quoniam cum esses humilis in corde tuo nec laudes hominum cuperes nec fauorem nec gemmas nec fluxa sæculi regna : Pro terrenis cælestem patriam : pro perituris gaudiis adeptus es paradisi amœnitatem . Nam te mirabiliter ut apostolum Paulum placide uocauit e cælo . Illum namque prius preclaro lumine priuans ad gremium sanctæ ecclesiæ cælitus destinauit . Te quoque per cœtum sanctum per sancti spiritus actum Celsum et apostolicum fecit conscendere thronum . Ille te nimirum elegit de grege discipulorum : qui Petrum et Andream Iacobum et Iobannem† de littore ethnicorum . Plaude ergo nimis . plaude per cuncta beatus : iam cœtibus angelicis sociatus iam Christi nectare satiatus . Inter apostolicas sedes in iudicio magno cum iudicabit orbem terræ in æquitate cum Christo domino nostro es exaltatus . Sed quia hoc totum donauit tibi gratia Christi : suppliciter petimus : humiliter postulamus : illum pro nobis exorare digneris : ut nos clementer exaudiat postulantes : et placide remuneret decertantes . Postquam uero Iudæam patriam predicando quam in sorte predicationis acceperat plurimos ethnicos ad fidem catholicam conuertit beatus Mathias apostolus : migrauit ad dominum nostrum Iesum Christum : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat deus per infinita sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTI MARCELLI MARTYRIS .

Cum Lugduni sanctus Photinus episcopus aliique quadragintaocto comprehensi essent . et quinquaginta animæ deum confitentes in unum carcerem retruse starent : Ex his Marcellus et Valerianus nocte ab angelo euocati pariter ac soluti alter eorum Sequanorum et alter Eduorum prouincias petierunt . Itaque testis dei Marcellus ad profanum conuiuium inuitatus : et huius epulas errore profano pollutas execratus conuiuas obiurgandos potius credidit quam uitanqos† : cumque se christianum interrogatus fiqucialiter† prodidisset : nouis afficiendum cru | ciatibus protinus sæui presidis decreuit imperium . Sic ergo cum uinculis elatus in arborem per dissidentes

ramos in omni corpore laqueis impositis tenderetur : et membrorum compage districta extenti artus astricti nexibus disiungerentur uetustum Adæ terrenum patris crimen consumpsit in arbore . Cælestis Christi regeneratoris noui gloriam domini inuitatus declarauit in ligno : ut dum pomiferum contemnit edulium : inuictum crucis procederet ad triumphum : Dumque in proposito sanctus Marcellus uicino mortis frigore calore fidei immobilis perduraret : persecutoris nequissimo tractu competentius uisum est : ut in conspectu populi allatis suppliciis puniretur . Tunc ait crudelissimus Priscus preses : Nomen tuum Marcelle et errorem tuum comperimus . Sacratissimi imperatores nostri diu talia præcepta constituerunt : ut qui uenerandorum numinum principatum Saturnum patrem ac Iouem omnipotentem eorumque propinquos adorare detractauerint : capite puniantur . Quod si non feceris : trucibus suppliciis punieris . Sanctus Marcellus respondit : Simulacra ista quæ nominas a deo fuerunt mortalia : ut suis polluta criminibus dudum mortua : et in infernum sepulta perierunt : quibus si quis crediderit : omnipotentis : qui et sæcula fecit ac semper est semper futurus : æternum ac tremendum pœnarum iudicium sustinebit . christianus sum . Iesum Christum dei filium sancto patri coequalem cæli et terræ marisque factorem et quæ sunt rerum omnium conditorem me credere libera et irreuocabili denuntiatione profiteor . Priscus uero animi indignatione succensus sanctum Marcellum martyrem impiis trucidandum carnificibus assignauit : quem cum in suppliciis diuini fauoris gratia aduerteret fortiorem : inaudito crudelitatis exemplo plus furore persecutoris insaniens : defodere erectum cingulo tenus iussit : Atque ita medius iam sepultus sed totus uiuus ad cæli regna festinans terræ supplicia non refugit : sic triduo in laudibus Christi omnipotentis domini ac dei sui ore et amore perdurans : terris interim terrena membra commendans spiritum misit ad cælos . Acta sunt hæc in urbe cabilonensi sub Antonini persecutione . ||

PASSIO DECEMOCTO MARTYRVM QVI DICVNTVR MASSA CANDIDA .

Sub Dioclitiano Hispaniæ preside passi sunt decemocto martyres . Quintillianus scilicet et Cassianus cæterique : quorum natale celebratur sextodecimo calendas maii : Cui etiam copioso martyrio tyrannus impiissimus addidit sacratam dei uirginem Eugram purpereo† sanguinis sui cruore respersam . Videns denique christianorum deuotionem se superare non posse tormentis : satellitum turbis ad se uocatis ait : Nihil in hoc certamine laborando proficimus : quia dum christianos atrocius sæuiendo uincere cupimus : eorum uictoriis affatim deseruimus . Sit itaque consilium nostrum eis occultum : et totam urbem percurrant officia preconum : ut eorum multitudo quæ domibus occultatur quasi concessa sibi licentia legibus suis uti quantocyus ab hac urbe propellatur . uos autem nostri commilitones armis abdita locorum occupate : et inde contra inermes hostes subito prosilentes eos certatim obruite . Quid plura ? data uoce preconum : exeunt cateruatim agmina christianorum sponte relinquentes aperta suarum claustra domorum consona uoce lætantes atque psallentes : Gloria in excelsis deo et cætera . obserantur post hæc omnes portæ ciuitatis : ut nullus eorum regrediendi aditum inueniret . ex occultis illico prosilentes armati cum ensibus irruerunt : et uelut agnos sibi non resistentes prosternunt . Nec sic quoque defunctorum innocentum nece satiatur : sed iussu Daciani coram omnibus occisorum corpora in unum congesta comburuntur . Et ne christianorum quis latens cineres martyrum sibi raperet : iussit e carceribus diuersorum criminum reos produci : et eorum capitibus amputatis cadauera sanctorum corporibus sociari : simulque comburi : sicque secuti sunt caput suum Iesum Christum : qui crucifixus est in medio latronum . Hi pre innumera multitudine Massa sancta uel candida appellantur . Eorumque passio nono calendas septembres annotatur .

VITA BEATI MAVRILII ANDECAVORVM EPISCOPI . |

Maurilius mediolanensis oppidi fuit indigena parentibus splendidissimus et ab ipsis pene cunnabulis a beato Martino qui illis temporibus Mediolani sibi monasterium collocauerat : sacris litteris et liberalibus studiis institutus : Sed beato Martino Arrhyanorum perfidia de ciuitate illa expulso : factus iam Maurilius tam amore quam magnorum preceptis parentum : qui Martinum sequi prius concupierat : ibidem demoratus est : quousque a beato Ambrosio ipsius ciuitatis episcopo officium lectoris accepit . Interea obiit pater ipsius qui nobilitate ac uiribus totam pene regebat patriam . Maurilius uero uerissimus iam euangelici cultor precepti dicentis : qui reliquerit patrem aut matrem uel agros propter me : centuplum accipiet : et uitam æternam possidebit : relicta matre omniumque rerum suarum cupiditate : sub Iuliano tunc Cæsare : Martinum : cuius primo profecerat instrumentis : cuiusque uirtutes per totum prope romanorum diuulgabantur imperium : qui quidem cogentibus populis turonicam in Gallia iam regebat metropolim : expetiit . Et tandiu cum eo commoratus est diuinis semper occupatus officiis : dum cæteros ecclesiasticos gradus gratiamque sacerdotii inuitus Martino cogente susceperit . Adepto namque sacerdotii honore arctiorem quam inter monachos duceret diligens uitam : ut solus solum liberius dominum sequi ualeret : Martini admodum doctrinis eruditus atque benedictionibus roboratus : sese inuicem osculantes et multum flæntes : ab eodem ipso nolente discessit . Pretiosus denique dei sacerdos Maurilius turonis egressus : quo solitariam potius : quam diligebat : eligeret si posset sibi uitam : andecauorum aggressus est urbem . Audiens autem haud longe ab ipsa super Legerim fluuium in uilla quadam cui prisca uetustas Calomiæ nomen indiderat : fanum fore antiquissimum diuersis idolorum culturis dedicatum : uti maiori illic iniuria quateretur : et simul animans : ut ipsum : quia non pauca ibi uulgarium superstitio seruabatur : euerteret : ibidem aduenit . Videns uero : quia nisi uirtus illud diuina dirueret : eo quod dignitatem loci tenebat hu || mana non posset manu diuelli : tota ad dominum mente conuersus expetiuit : ut qui ad petitionem quandam Heliæ prophetæ ignem de sublimi deposuit : qui infideles quinquagenos primo ac secundo exussit : ipse fanum demoniis consecratum : ubi diuersis erroribus mentes fraudabantur humanæ : quod ille non poterat ipse destrueret . Mox uero diuinus ignis e cælo dimissus quidquid simulacrorum et immundiciæ ibidem reperit sub momenti hora consumpsit . Eliminata igitur omni spurcitia honorabilem Christi ibi fundauit ecclesiam : et ut dedicaretur obtinuit : ipsamque postmodum fore uicum instituit . Ibi enim bissenos degens per annos multis se ieiuniis et orationibus sedule domino mancipabat . Quantas qualesue ibidem dominus per ipsum uirtutes operatus sit : non est nostræ facultatis euoluere . Nam quantum in ipso fuit omnes uirtutes suas occultare maluit : Sed quia quæ in sanctis suis omnipotens operatur : coram hominibus† fieri et lucere præcepit : licet occultare uoluerit : ex toto celare non potuit . Nos uero ex ipsius miraculis deo tribuente : licet pauca sed tamen deo teste uerissima corrigemus . In prædio uero cui Ponciacinse nomen est : erat uir quidam Saturnus nomine : quem ex utero matris suæ ambas manus aridas habentem in hanc mortalem uitam natura ipsa produxerat : qui cum manuum destitutus officiis deuotorum semper altus alimoniis ad plenam peruenisset ætatem : quadam nocte ammonitus per uisum audiuit uocem dicentem sibi : Vade ad uirum dei Maurilium : et deprecare ipsum : ut signum sanctæ crucis super manus tuas faciat : et statim sanaberis . Expergefactus autem properante crastina luce et ipse pariter propere cucurrit ad uirum . Prouolutus uero sancti pedibus confessoris totus effusus in lachrymis suppliciter precabatur : ut sibi manum imponeret . exponens illi pariter et ipsam quam de se ipso uiderat uisione† . Tunc beatus Maurilius totus ut erat uerecondissimus diutius erubescens tota die et nocte illa ieiunans et in precibus solo prostratus : perseuerans dominum pro ægroto fideliter precabatur . Reddito uero mane mox ut sacerdos uenerabile crucis signum super manus infirmi deposuit ru | bescentibus uenis et directis neruis geminas manus extemplo sanatas in usus operandi direxit . Non multo post tempore mulier quædam

nauetensis† pagi incola male a dæmonio uexabatur : quod non solum illam toto corpore debilem sed etiam cæcam ex pluribus iam præcedentibus annis lumine priuato reddiderat : quæ geminis uincta cathenis ad ædem beati uiri fidelium fide ac deuotione deducitur . Altera uero die ubi in eam pius confessor sancta sua lumina direxit : mox illam dæmonium deseruit : luminaque quæ illi uis inimica subtraxerat signo sanctæ crucis imposito fides addita confessoris mulieri restituit . Fœmina uero quæ ferreis uincta cathenis ad beati uiri deducta fuerat ecclesiam : libera et incolumis ad patriam rediit . Sub ipso fere tempore dum pastores quidam in eadem regione dominorum suorum pecora pascerentur : et peruigiles quibusdam noctibus redderentur : eorum unus dum noctu pecora custodiret mordetur a uipera . Bestiæ uero uirus se repente per omnes pueri uenas infudit : et totum hominem in tumorem conuertit : De quo cum nihil aliud præstolaretur nisi interitum : qui iam semiuiuus iacebat extensus : cæteri pecorum pastores fide communiti infirmum presentiæ deferunt confessoris . Sanctus autem Maurilius eum intuitus eaque fide repletus : qua fuerat beatus Paulus apostolus : quando in proprio digito uiperam pendentem excussit in ignem : et nihil mali passus est : uniuersa pueri membra signauit : et oculos ad cælum erigens in ipso uulnusculo per quod uipera uirus inflixerat : de propria saliua signum crucis impressit . Statimque uenenum ex omnibus corporis partibus reuocatum cucurrit ad ipsum : per quod se immerserat locum . Integræ igitur sanitati mox redditus ad domini sui quod inuito reliquerat incolumis seruitium recurrit . Andecauensis territorii matrona quædam pernobilis nexa tamen uinculo coniugali ex tempore suæ copulationis sterilis permanebat : quæ dum pro adipiscenda prole dominum precaretur assidue : et nequaquam uotum suum obtinere ualeret : ac procederet matura in annis desperationis adepturæ iam prolis ad beatum uirum se tota mente conuertit sedule flagitans : ut quod illa non merebatur : ipse apud dominum || suis meritis et intercessionibus obtineret : et suis precibus seni fœminæ filium impetrare potuisset : ipsum se domino oblaturum : et perpetuo seruiturum tota fide ac uoto pollicebatur . Intuens autem uir beatus mulieris mentem et fidem ac flætuum ubertatem : nihilque apud dominum impossibile esse confidens : qui partum uetulæ Sarræ et ad petitionem Heli sacerdotis filium Samuelem scilicet prophetam sub sponso uoto sterili concessit Annæ : dominum pro fœmina precaturus accessit : exaudiuitque dominus uirum et deprecanti fœminæ conceptum dedit partum : quem illa sicut promisserat domino consecrauit habendum : Qualem uero quantumque miraculum super eundem dominus per beatum Maurilium : postquam sanctæ andecauensis ecclesiæ episcopatus honorem accepit operatus est puerum ad corroborandam fidem fidelium : licet illud beatus Fortunatus propter minus credentes omiserat : nos quia uerum est : et res est digna memoriæ non tacebimus : Quod tamen quia post acceptum episcopatum id ipsum dominus pro eo fecit : suo in loco melius exponemus . hic uero quæ ante episcopatum per eum dominus fecerat in ordine describemus . Non longe uero a præscripto uico Calamiæ : cui uir beatus preerat : quemque sedulus incolebat : erat quidam collis Prisiacus nomine diuersis idolorum titulis decoratus . Maurilius uero dolens illam longius manere superstitionem : ubi diuersarum animarum credebat in esse perditionem : quadam die adhibitis secum paucis fidelibus uiris perrexit ad locum : Cumque peruenisset ad idolum : ut illud euerteret : dæmonia quæ ibi latebant statim clamare cœperunt dicendo : Quid nos et hic Maurili persequeris ? In his regionibus nullus est locus : quo te euadere ualeamus . Illa namque in aduerso signo sanctæ crucis opposito dæmonia repente eleuato magno mugitu non sine inmenso fætore fugeruut† . Ille autem omnium idolorum simulacra coadunari precepit : et ignibus concremans in fauillam redegit : deinde mundans diligentius locum : ibidem honorabile statuit monasterium : quod ad gloriam Christi et laudem nunc usque sui permanet confessoris . Monachus quidam clæmens nomine per tres | iugiter annos quartanis febribus urebatur . Atterebat enim illum nimius æstus cum frigore : et erat ei horror cibi : cum fatigatus febri præ dolore deficeret uirtus stomachi : Cumque tali dolore deficeret : iamque de præsenti uita omnimodis desperaret : amicorum monitu ad beatum uirum se transferri præcepit : qui ut eius præsentiam uinere† promeruit : eulogias salutis sibi dari ab eodem fideliter postulauit : quas dum beatus sacerdos sanctificatas illi de more porrigeret : languor qui monachum diu fatigauerat ut fumus euanuit : Moxque omni uirtute roboratus propriis regressus est uestigiis :

qui ad beatum uirum amminiculis uenerat alienis . Proximis sane exinde diebus dum negotiatores inter diuersarum spetierum et mercium copias sitos utriusque sexus iuuenes uenales haberent : et cum eisdem ad Hispanias tenderent : aut necessitudine commeandi aut desyderio sacerdotis uisendi per Calomiæ predium iter agebant . Prætereuntibus autem secus ædem beati confessoris : unus eorum qui uændendi ducebantur magno prosiliens impetu ecclesiam ingressus est : et prouolutus cum lachrimis pedibus cofessoris† orabat : ut suis precibus aut preciis sese pro dei amore redimeret : secumque retineret . Qui furtim de propria captiuatus patria uændendus ducebatur in alienam : Cuius uerbis et flætibus suum patrioticum recognoscens commotus pia mente sacerdos : nec mora : pro captiuo ipsius dominum supplicaturus egreditur : humiliterque supplicabat : ut sibi uænderetur : quatinus a se seruitio absolutus liber ad patriam reuerteretur . Sed cum dominus ipsius summa obstinatione nequaquam id fieri posse negaret : annuit suis : ut ipsum de ecclesia uelociter extraherent . Cedentibus autem ministris uimque facientibus ac domini sui preceptum exequentibus : immensis captiuus clamare uocibus cœpit : Miserere et succurre serue dei : quem deuote liberandus expetii . Sacerdos uero flexis solo paululum genibus rursusque eleuatis ad cælum manibus inquit : Domine deus omnipotens qui in angustia constitutis : et de tua misericordia uere confidentibus celeri pietate sucurris : subueni huic captiuo : pro quo te supplex exoro . Ad hanc nempe sacerdotis uocem tanta uis || febrium dominum ipsius arripuit : ut antequam pœnitentia succurreret : spiritum exhalaret . Tum tanta formidine cæteri percelluntur metuentes : ne sese uiuos terra absorberet : ut unanimes expeterent sacerdotem flæbiliter postulantes : quatinus et sibi indulgentiam et defuncto suis meritis acquireret uitam . Vir uero beatus nimium metuens : ne ipse occasio et causa illius esset perditionis : prostratus terræ immensis planctibus et crebris singultibus inuocat Iesum Christum : ut defuncto redderet animam : Nec antea surrexit ab ipso solo : donec et defuncto uitam et captiuo acquireret libertatem . Negotiatores denique : ut sibi retroacta presumptio dimitteretur : multis donariis ipsum honorauerunt et locum : quæ prope omnia uir beatus in usus pauperum deputauit . Nimirum preterea : ut necessitudo compellit humana : argis haud modica mercibus referta per Ligerim uehebatur : quæ cum contra Caloniam ascenderet : subito turbata cum flamine ponto nauis in uertiginem rotabatur . Frangitur antemna : et nunc prora subrigitur eleuata in fluctus : nunc puppis deprimitur inter undarum hyatus . Victi ergo nautæ : tantæque tempestatis timore perterriti de presenti iam desperantes salute obliti omnia nauis armamenta iecerunt . solum tamen præstolantes interitum cum repente immensis clamare uocibus cœperunt dicentes : Miserere uir Christi Maurili : nostro sucurre naufragio . Potes enim hoc obtinere cum Christo : qui post funus uitam acquisisti defuncto : Ad quorum uoces exurgens ab oratione Maurilius festine cucurrit ad littus : et eleuato in aduerso crucis signo imperat procelle : ne sæuiret . Cedunt mox deposito rigore spiramina . tumescentes unde uertuntur in æquora : subsequiturque serena tranquilitas . Illæsi ergo nautæ ut cœperant nauigium expleuerunt : et ad optatum portum sacerdotis adiuti suffragio feliciter peruenerunt . Erat enim familiare beato uiro : ut nunc ecclesias nunc infirmos euangelicum semper cupiens implere preceptum uerbique dei fidelissimus dispensator sedule circuiret : et ne ultra modum fatigatus corpore defecisset : habebat humilis sessor asellum : quo sæpius utebatur . Quem nocturnis latro tem | poribus apprehensum furari non metuit . Sed infelix dum furatur asellum : arripitur a dæmonio : et sic clæmens per totam noctem uagabundus illuditur . Mane autem reddito ante fores beati uiri affuit extensis† ipse pariter cum asello . Crimen quod commiserat inuito primitus confitetur : deinde arreptus a dæmonio fugere nititur : ne curetur . Sed uir beatus furiosum per exorcismi gratiam prius a dæmone liherauit† : et postmodum ab omni crimine recepto asino miratus absoluit . Verumtamen pro nocturna quam perpessus fuerat latro iniuria : neue uoto priori priuaretur ex toto qui necessitate cœperat inuolare non uitio : tres illi sacerdos aureos dedit : sicque liberum abire permisit . Matrona quædam nobilis prediues opibus senatorio ex genere oriunda Amelia nomine graui cœperat incomodo urgeri : quod cum per duodecim annos pertulisset : omnesque fere res suas in medicorum expensis impenderet : nullum incolumitatis remedium assequi merebatur . Sed quanto curiosius totum artis suæ ingenium in illam impendere studuisset : tanto semper deterius

incommodo grauabatur : Cum de eius sanitate desperantes parentes ipsius de solis sepulturæ necessariis ammonebant dicentes : Non enim proficere potest perituræ ulla uis medicaminis nostri . Tum illa inquit amicis : Ite . ite . currite quantocyus ad beatum uirum Maurilium : Et si obtinere potueritis : ut ab illo merear uisitari : confido enim quod per illum restituar sanitati . Tunc parentes ipsius et amici præpete cursu pro femina beatum Maurilium adierunt piis precibus postulantes : ut ægrotam diutius languentem sua miseratione uisitaret . Ille ubi hoc audiuit : reminiscens illud dicentis domini bene dictum : infirmus fui et uisitasti : me : nec mora : proficiscitur cum eisdem . Vento autem illo ad domum de more proprio prius prostrauit se ad orationem . Deinde ægram intuens : accepto benedicti olei liquore : mulieris membra perunxit . Expleto namque unctionis officio fœmina surrexit incolumis . Itaque extemplo restituta est sanitati : ut nihil hactenus aliquid putaretur pertulisse incommodi . Interea dum talibus uir beatus in predio Calomiæ flæreret† meritis et uirtutibus. urbs Andecaua proprio pastore uiduabatur || Tunc plebs urbana uel rustica nec non et uniuersa nobilitas collectis etiam undique sacerdotibus in unum uenere concillium : conquirentes eorum substitui debere in pontificale ministerium . Sed re uera aut uentoso nobilitatis fauore aut pecuniis subrogati ad tanti culminis dignitatem quidam alios præferebant . Ideoque in unum non ualebant uenire decretum : eo quod etiam scriptum sit per prophetam Dominus scit cogitationes hominum : quoniam uanæ sunt . Et iterum : Quod non est a sæculo consilium : nunquam potest stabiliri sed solui . Dum igitur hæc inuicem uoluerent : nec diffinire ualerent : subito sanctissimum sanctæ sedis turonicæ archiepiscopum : cuius et potior erat potestas andecauensi ecclesiæ pontificem eligere : nuntiatur ad esse Martinum . huius dum pene omnes sententiam prestolarentur : ait : Viri fratres audite et attendite consilium bonum : Qui a deo uobis electus est pontifex : ipsum suscipite sacerdotem . Sane Maurilius calomiensis ecclesiæ presbyter erit pontifex uester : quod audientes primo mirati sunt . Sed quia simul Maurilii iam nouerant et uirtutes et merita : postposita statim omni priore ignorantia : mox pari mente ac uoto in unam uenere sententiam : Acceptoque domini archiepiscopi præcepto cælerrime diriguntur ad uirum : quem fræti episcopi auctoritate de propria raptum ecclesia Martini prensentiæ† nolentem sistunt : qui cum beato Martino iam ecclesiam ingrederetur statim ad declaranda tanti sacerdotis merita niueo candore columba diuinitus elapsa super caput ipsius descendit : ac sedit : quod uidentes multi ad beati Martini mox sese genua prostrauerunt unanimes una uoce fideliter acclamantes Maurilium episcopatu esse dignissimum non ab hominibus tantum sed ab omnipotente electum fore ac demonstratum . Tum Maurilius tali uel miraculo uel precibus uictus pariter et addictus : ut erat humilis et mitissimus : non contempsit imperium : sed implens præceptum suscepit sacerdotium . Nam et multi uidere meruerunt quotienscumque beatus Martinus ad sacram consecrandi antistitis benedictionem super caput eius extendisset manum : semper ei præfata aditum dabat columba . Tali igitur miraculo sanctæ andecauensi matri ecclesiæ Maurilio | pontifice substituto et beato Martino ad propriam sedem regresso idem pretiosissimus Christi confessor Martinus referre sæpius erat solitus : quod ad benedicendum Maurilium antistitem non solum in specie columbe spiritus sanctus sed etiam affuerat angelorum exercitus . Ordinato itaque in pontificali cathedra ad pastoralis curæ ministerium et custodiam Christi ouium Maurilio pontifice tanta in eo domini gratia rutilabat : ut non minora per eum quam dudum per apostolos signa et miracula fierent . Nam uerbis tantum dæmones effugabat . Egrotos uero sola oratione curabat . Sed et cæcis imposito crucis signo uisum reddebat . Sane paralyticos sæpissime ad pristinam corporis soliditatem uerus medicus merito medicante reuocabat . Sunt etiam et quam plurima alia eius miracula et exempla : quæ licet scripta non inueniantur : tamen quia clara sunt : deficere non possunt : sed multorum ore celebrantur . Talis igitur uir dei antistes Maurilius apostolica simplicitate redimitus cordisque puritate perlucidus sine intermissione pro sibi commisso Christi grege in uigiliis et orationibus atque ieiuniis totum sese domino mancipabat : ut antiquus hostis diabolus qui circuit tanquam leo : quærens de unitate quem deuoret ecclesiæ : nullam ex sibi ouibus creditis temptando posset lædere aut auferre . Proximo autem post accepta episcopatus dignitate tempore dum de basilica beati Petri apostoli egrederetur : ubi peruigil in orationibus totam noctem insomnem duxe-

rat obuium habuit quendam cæcum ex utero matris carentem lumine : quod cum sibi a domino tribui per merita beati Maurilii fideliter postularet : beatus antistes paulisper erubuit . Sed cum super oculos ipsius signum sanctæ crucis imprimeret : erumpente mox sanguine cum dolore lumen : quod numquam habuerat : habere promeruit . Tamen homo ipse pro amore beati Maurlii† eidem beati Petri traditur basilicæ : cui quamdiu in reliquum aduixit fideliter deseruiuit . Sequenti si quidem die beato Maurilio antistite in eadem beati Petri apostoli basilica sancta sollemnia celebrante aduenit cum morienti puero matrona : cui quondam sterili eundem ut nasceretur ante episcopatum apud dominum suis meritis obtinuerat postu || lans : ut filio suo quem domino habendum obtulerat manuum suarum impositione spiritum sanctum daret ante quam obiret . Sed remorante in sancta corporis ac sanguinis Christi consecratione paululum presule puer excessit . Quantum uero miraculum super eundem puerum post septimum depositionis ipsius annum per pretiosissimum antistitem suum Maurilium dominus operari dignatus est : quanquam uti iam diximus illud Fortunatus omiserit : nos tamen minime reticebimus : quod uerum esse scimus : quia ad gloriam Christi laudemque antistitis sui res est condigna describi : Nam nouimus dicente propheta : quia omnia quæcumque uoluit dominus fecit in cælo et in terra in mari et in omnibus abyssis : Et iterum quia in sanctis suis idem est ipse mirabilis : Si enim credimus : quod fide obtenta ad iussionem unius hominis sol luna cæteraque sydera spatio unius diei immobilia substitere : et quod ad percussionem uirge Moysi mare rubrum in geminas est partes diuisum . siccaque Oreb petra perlargas euomuit undas : quodque contra naturam intelligibiles asina edidit pauefacta loquelas : ad petitionemque Heliæ tribus annis cum dimidio ne plueret reseratum est cælum : iterumque cum uoluit suis precibus adapertum : quodque est mirabilius quod ad redemptionem humani generis mirabili et indicibili spiritussancti opere uerbum patris uerus processit deus et homo de uirgine : idemque per crucis misterium mortis destruxit imperium : quodque etiam per ipsum in fine sæculi deus pater mortuorum hominum omnium ex initio in cineres redacta sub momento resucitabit corpora : aut ad gloriam aut ad pœnam sine fine uictura : quod per beatum Maurilium gloriosum antistitem suum post septimum depositionis annum mortuum suscitauerit puerum : satis credere possumus . Sane beato testante papa Gregorio fides non habet meritum : cui humana ratio præbet experimentum . miraculum ergo qui non istud firme crediderit : in sanctis et per sanctos suos alia multa quæ et purissimus dominus operari dignatus est semper et operatur nequaquam credere ualebit . Beatissimus igitur Maurilius expleto sanctæ sollemnitatis capitello : obituque pueri qui absque carismatis dono excesserat percognito : totum id suæ desidiæ de | putauit : lachrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ : Cui cum nec ista sufficerent : diu multumque quid ageret secum animo colluctante : tandem reperit : quod inter conciues tantæ neglegentiæ piaculum plene expiare nequiret : ni singularis elapsus patriam propriam ciuesque relinquerit . Tali igitur reperto consilio occulte exinde semetipsum eripuit : et sanctorum reliquiis quibus sancta andecauensis mater ecclesia decorabatur secum claues exportat . Cum autem peruenisset ad mare : diuina omnipotentis dei prouidente clæmentia : qui manebat in littore diem transitus sui exarauit in lapide . Sicque ascensa pupi inchoatum iter cœpit maturare : cumque processisset in altum : et quare reliquiarum claues secum detulerit cogitaret : insidiante humani generis inimico : ut dolorem sancto uiro super dolorem imponeret : repente claues de manibus elapsæ submerguntur in æquore . Tunc cum lachrimis id fertur exclamasse Maurilius : quod postea rei probauit euentus : Nisi inquit has claues uidere meruero : patriam urbemque nunquam repetam quam effugio . Transmisso igitur mari : quo quis .esset abscondere potuisset : mutato habitu uni regionis principum adhæsit professus se hortulanum fore . Quatenus corpus quod ieiuniis uigiliis et orationibus castigare decreuerat : ne ex toto deficere potuisset proprio labore pauisset : qui cum tali profiteretur ministerio tantam copiam eius meritis dominus oleribus dabat : ut et omnibus quibuscumque necesse fuerat ex eisdem sufficienter tribueret : et tamen olera nunquam defecerunt : Vnde quam pluribus placebat : et pene ab omnibus amabatur . Interea plebs Andecauorum cælitus sibi quondam dato uiduata pastore non minimo pauore percellitur : crebrisque uisionibus minatur persæpe : et iam ammonetur uti proprium pastorem circumquaque perquirerent :

nisique Maurilius iuuentus† suæ redderetur ecclesiæ† : urbem andecauam celerius subuersuram : Vnde eiusdem regionis tota nobilitas sed et uulgaris immensitas collatione facta in unum uenere decretum : ut eligerent de conciuibus quattuor diffusæ uirtutis ac fidei uiros : quibus qui necessarii ad tanti itineris erant supplenda negotia sumptibus ex uoto collatis præcipiunt : ne || nunquam reuerterentur : nisi prius proprium inuenissent patronum : qui functi legatione et deuotius iussa sequentes urbes omnes oppidaque uel uicos preterlegunt : Omnique fere Europa circuita : tandem septimo in partes Galliæ reuertentes anno : et quem quærebant non inuenientes diuino ductu ad portum oceani maris qui in Britania manet minori cursu auido peruenerunt : Quatinus cis mare quem inuenire non poterant : trans mare quærere niterentur. Præstolantes igitur nauem cum qua cœptum explere ualerent obsequium : dum residerent in littore : scriptum quod supra diximus in scilice inuenerunt . Hinc transit Maurilius andecauorum episcopus . De tam euidenti igitur alacres effecti indicio trans pontum abiere securi . Haud longe autem adhuc acta pnppis† a littore cum eius flatibus et pendulo uelo ac mari tranquillo medios iam salis fluctus sulcare secura cœpisset : repente immanis emersus e gurgite piscis prosiliit in marginem : De quo cum deo gratias retulissent : ipsumque piscem exenterare cœpissent reliquiarum claues quas Maurilius in mari perdiderat in piscis iecore reperiunt : Quas recognoscentes nimiumque mirantes turbabantur attoniti metuentes : ne cum ipsis Maurilius naufragium passus hominem exisset . Demissis igitur de naui anchoris et cogitarent ut de mari reuerterentur asserentibus nautis Maurilium esse defunctum : cum uero singuli sequenti nocte unum eundemque uisum domino tribuente uiderunt . Nolite metuere : nec uereamini de itinere cœptum maturare negotium . proculdubio diu quesitum et hucusque dilatum uestrum inuenietis desyderium . Mane autem reddito quid singuli uisderant† inuicem referebant . Vnde admodum roborati quod cœperant auidius peragebant : Vnde factum est : ut angelico ductu domum principis cum quo Maurilius habitabat recto itinere ducerentur . Ingressi autem : illico uocari Maurilium ut cum oleribus quibus rex uti consueuerat audierunt accurrere . Oculorum ergo aciem in partem quam illum in clamore audierant dirigentes : nec mora cum oleribus accurrere Maurilium perspexerunt : quem cum recognouissent prostrati pedibus ipsius cum magno flætu rogabant : ut propriæ subueniret ecclesiæ atque ciuitati : quæ eius absen | tia nil iam aliud nisi supremum præstolaretur exitium : Ad quorum flætum cum se negare non posset : obstupefactus cum lachrymis repugnare cœpit obnixius dicens : Voto me me constrinxi cum iuramento nunquam me in patriam reuersurum : nisi claues uidere merear iterum : quas amisi : quas statim exhibitas quicquid in mari uiderant et pertulerant ex ordine referebant . Interea istiusmodi circumquaque negotii fama peruolitat : ipsumque sollicitat regem . mirantur cuncti : et quem ut hortulanum habuerant : nunc ut sanctissimum presulem uenerantes adorant multis eum muneribus et donariis honorare quantocius concertantes : Vt qui quasi pauper et peregrinus ad eos uenerat : felix et diues reuerteretur ad propria . Tum Maurilius tot precibus ut regrederetur et miraculis uictus : dum sollicitior de reuersione cunctaretur et uigiliis atque orationibus insomnem ducere sequentem disponeret noctem : tandem fatigatus ieiunio . paululum obdormiens : uidit angelum dicentem sibi : Surge Maurili : Et populorum te requirentium præsens exequere uotum . Ecce enim tuis precibus atque meritis tibi commissas seruauit dominus oues : pro quibus rogasti : et insuper reddidit tibi puerum : quem diutius plorans quæsisti . Quid multis . Mane reddito concurrentibus undique populis cum magno honore deducitur ad nauem : et traducto ponte cum nec minore gloria a propria excipitur patria . Taliterque propriam regressus ad urbem nimirum spectantibus turbis de domini promissione securus uenit ad pueri tumulum : quem rastris discohopertum inuocat diutissime planctibus Christum . Tandem autem explēta cum la† lachrymis oratione uterque consurgit : Maurilius de oratione et puer de morte : quo septiformis spiritus gratia consecrato ex euentu uocauit eum Renatum : qui diuinis cultibus illico mancipatus et a beato Maurilio diligentius eruditus tantis promeruit florere uirtutibus : ut post Maurilium pontificalem andecauensis ecclesiæ cathedram et posthumus sortiretur et hæres . Quod si quis fortuitu estimauerit fabulosum : andecauam recurrat ad urbem . Ibi enim inueniet pretiosissimum confessorem Christi Maurilium immensis uirtutibus florentem : et nec minus Renatum || antistitem succes-

sorem Christi Maurilium immensis uirtutibus corruscantem præstante domino nostro Iesu Christo : qui cum parte† et spiritu sancto uiuit et regnat omnipotens deus per infinita sæcula sæculorum Amen . Quidam e ciuibus paralysis distentus incommodo per triginta annos tenebatur : qui cum psallentium chorum Maurilium deferentium audisset : e lectulo statim exiliens quasi ceruus nemine prohibente beati Maurilii peruenit ad corpus : Tactoque et osculato beati funeris feretro pristinam sanitatem fide plenus recipere meruit . In tanti igitur honoris gloria sepultus : quanti qualisque meriti apud dominum fuerit : dum quottidianis uirtutibus et miraculis eius exornat tumulum : dominus ostendit omnibus post sepulchrum . Annuente sacro miraculo destructor tartari uoranias† nobis penetrari sinas . Almifico fauente Maurilio fabricator polorum miserere nostri . Beato Maurilio interueniente mundi redemptor miserere nostri . Intercedente mellifluo Maurilio orbis saluator nos tuere dignare .

PASSIO SANCTI MAVRI MONACHI ET QVORVMDAM ALIORVM .

Sub Numeriano imperatore et Celerio† urbis Romæ præfecto passus est sanctus Maurus : cuius passio recolitur undecimo calendas septembres . Mam† cum in Aphrica esset iste uir a parentibus christianis multam substantiam habens orationibus et eleimosynis uigiter† insistens nutu dei inspiratus monasterium ingressus sic a fratribus amabatur : ut omnes eum quasi patrem uenerarentur : Cumque decimumoctauum annum agens monachi uitam complesset : Romam uenit : ut sancti Petri corpus uisitaret : Vbi audiens uocem rabidam Celerini præfecti christianos persequentis de urbe se subtraxit : et in quadam spelunca latuit : Cumque illic tribus mensibus moraretur : media nocte post orationem soporatus est : et uidit uirum splendidissimum uirgam ferentem quasi auream in manu sua dicentemque sibi : Surge Maure : quia non te despexit deus : qem† | diligis toto corde . et urbem sine mora ingredere : Quod cum fecisset et christianus peregrinus esse depræhensus fuisset : ad Celerinum præfectum ductus est . a quo interrogatus cum sacrificare nollet : sed idola uana et fragilia diceret : iratus ille uæhementer iussit eum in equuleo suspendi : et ungulis radi : lateribus quoque eius lampades ardentes applicari : et tandem capitalem subire sententiam .

PASSIO SANCTI MAVRITII ET EIVS COMMILITONVM .

Passionem sanctorum martyrum qui hunc locum glorioso sanguine illustrant pro honore gestorum stilo explicamus : ea utique fide qua ad nos Martyrii ordo peruenit . Nam per succedentium relationem rei gestæ memoriam nondum intercepit obliuio : Et si pro martyribus singulis loca singula quæ eos possident uel singulæ urbes insignes habentur : Nec in merito : quia pro deo summo pretiosas sancti animas refuderunt : quanta excolendus est reuerentia sacer hic locus : in quo tot pro Christo martyrum millia ferro cæsa referuntur . Nunc iam ipsam beatissime passionis causam loquamur . Sub Maximiano qui romanæ rei publice Dioclitiano collega imperium tenuit per diuersas fere prouincias laniati aut interfecti sunt martyrum populi . Idem namque Maximianus sicut avaricia . libidine . crudelitate cæterisque uitiis obsessus furebat : ita etiam execrandis gentilium ritibus et erga deum cæli profanus impietatem suam ad extinguendum christianitatis nomen armauerat . Si qui tunc dei ueri cultum profiteri audebant sparsis usquequaque militum turmis uel ad supplicia uel ad necem rapiebantur : uelut uacatione barbaris data prorsus in religionem arma commouerat . Erat eodem tempore in exercitu . legio militum qui Thebæi appellabantur legio autem uocabatur : quæ tunc sex millia ac sexcentos uiros in armis habebat . Hi in auxilio Maximiano ab orientalibus partibus accersiti uenerunt : uiri in rebus bellicis strenui uirtute nobiles : sed fide nobiliores . Erga impe || ratorem fortitudine erga Christum deuotione certabant

euangelici præcepti etiam sub armis non immemores : Reddebant quæ dei erant deo : et quæ Cæsaris : Cæsari restituebant : Itaque cum et hii sicut cæteri milites ad dilaniandam christianorum multitudinem destinarentur : soli crudelitatis ministerium detractare ausi sunt : atque huiusmodi præceptis se obtemperaturos negant . Maximianus non longe aberat . Nam se circa octodori itinere fessus tenebat : Vbi cum ei per nuntium delatum esset : legionem hanc aduersus mandata regia rebellem in his angustiis substitisse : in furorem instinctu indignationis exarsit : sed prius mihi quam reliqua commemorem : situs loci istius relatione inserendus uidetur . locus hic sexaginta fere millibus a genuensi urbe abest . Quattuordecim uero millibus a capite lunannici lacus quod influit Rodanus . Locus hic iam inter alpina iuga in ualle situs est : ad quem pergentibus difficili transitu : asperum atque arctum iter panditur . Infestus .namque Rodanus saxosi montis radicibus uix peruium uiantibus aggerem relinquit : euictis transmisisque angustiarum faucibus : subito nec exiguus inter montium rupes campus aperitur . In hoc legio sancta consederat . Igitur sicut supra diximus cognito Maximianus thebeorum responso precipiti ira feruidus ob neglecta imperia decimum quemque ex eadem legione gladio feriri iubet : quo facilius cæteri regiis preceptis territi metu cederent : redintegratisque mandatis edicit : ut reliqui in persecutione christianorum cogantur . ubi uero ad thebeos denuntiatio iterata peruenit : Cognitumque ab eis est : iniungi sibi rursus executiones profanas : uociferatio passim ac tumultus in castris exoritur affirmantium : numquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros : Idolorum profana semper detestatos sacris et diuinæ religionis cultu institutos : Vnum se æternitatis deum colere : exrtema† experiri satius esse quam aduersus christianam fidem uenire . His deinde compertis Maximianus omni belua cruentior rursns† ad ingenii sæuitiam redit : atque imperat : ut iterum decimus eorum morti detur . cæteri nihilominus ad hæc quæ spernerent conpellerentur . | quibus iussis denuo in castra perlatis : segregatus est atque percussus : qui decimus sorte obuenerat . Reliqua uero se militum multitudo mutuo sermone instigabat : Vt uitam præclaro opere persisteret Incitamentum tamen maximum fidei nullo tempore penes sanctum Mauritium fuit primicerium . Tunc sicut traditur legionis eius : qui cum Exuperio ut :† in exercitu appellant campi ductore et Candido senatore militum accedebat exhortando singulos et monendo fidelium commilitonum etiam martyrum exempla ingerens pro sacramento Christi diuinis legibus : si ita necessitas ferret : omnibus esse moriendum suadebat : sequendosque ammonebat socios illos : et contuberniales suos : qui iam in cælo præcesserant . Flagrabat enim iam tunc in beatissimis uiris martyrii gloriosus ardor . His itaque primoribus suis atque auctoribus animati : Maximiano adhuc insania æstuante : mandata mittunt : sicut pia ita et fortia quæ feruntur fuisse in hoc modo . Milites sumus imperatoris tui . sed tamen serui : quod etiam libere confitemur : dei . Tibi militiam debemus : illi innocentiam : a te stipendium laboris accepimus : ab illo uite exordium sumpsimus . Sequi imperatorem in hoc nequaquam possumus ut auctorem negemus : deum utique auctorem nostrum dominum auctorem uelis nolis tuum . Si non in tam funesta conpelliumr† : ut hunc offendamus : Tibi ut fecimus hactenus adhuc parebimus : sin aliter : Illi parebimus potius quam tibi . Offerimus in quemlibet hostem manus quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus Dexteræ istæ pugnare aduersus impios atque inimicos :† sciunt laniare pios et ciues nesciunt . Meminimus nos pro ciuibus potius quam aduersus ciues arma sumpsisse . Pugnauimus semper pro iusticia : pro pietate : pro innocentium salute . Hæc fuerunt hactenus nobis pretia periculorum . Pugnauimus pro fide : quam quo pacto conseruamus tibi : si hæc deo nostro non exhibemus . Iurauimus primum in sacramenta diuina . Iarauimus† inde in sacramenta regia . Nihil nobis de seundis† credas necesse :† est prima si perrupimus : christianos ad pœnam per nos requiri iubes . Iam tibi ex hoc alii requirendi non sunt . Habes nos hic confitentes deum || patrem auctorem omnium et filium eius Iesum Christum deum credimus . Videmus laborum periculorumque nostrorum sotios : nobis quoque eorum sanguine aspersis trucidare ferro : et tamen sanctissimorum commilitonum mortes et fratrum funera : Non flæuimus : non doluimus : sed potius laudauimus : et gaudio prosecuti sumus : quia digni habiti essent pati pro domino deo eorum : et nunc non nos uel hæc ultimæ uitæ necessitas in rebellionem cogit . Non nos aduersum te imperator armauit ipsa saltem quæ fortissima est in pericul s desperatio . tenemus ecce arma : et non resi-

stimus : quia mori quam occidere satis maluimus : et innocentes interire quam noxii uiuere præoptamus . Si quid in nos ultra statueris : si quid adhuc lusseris† : si quid ammoueris ignes tormenta ferrum subire parati sumus . christianos nos fatemur : persequi christianos non possumus . Cum hæc et alia Maximianus audisset : obstinatosque in fidem Christi cerneret animos uirorum : desperans gloriosam eorum constantiam posse reuocare : una sententia interfici omnes decreuit : et rem confici circumfusis militum agminibus iubet : qui cum missi ad beatissimam legionem uenissent : stringunt in sanctos impium ferrum mori non recusantes uitæ amore . cædebantur itaque passim gladiis non reclamantes saltim aut repugnantes : sed depositis armis ceruices persecutoribus præbentes : et iugulum percussoribus uel intectum corpus offerentes . Non uel ipsa suorum multitudine non armorum munitione : elati sunt ut ferro conarentur adserere iustitiæ causam : sed hæc solum reminiscentes se illum confiteri : qui nec reclamando ad occisionem ductus est : et tamquam agnus non aperuit os suum . Ipsi quoque tamquam grex dominicarum ouium laniari se tamquam ab irruentibus lupis passi sunt . Operta est terra hic procumbentibus in montem corporibus piorum : fluxeruntque pretio sanguinis . Quæ unquam rabies absque bello tantam humanorum corporum stragem dedit . Quæ feritas ex sententia sua tot simul perire uel reos iussit . ne iusti punirentur : multitudo non obtinuit : cum multum esse soleat : quod multitudo delinquit . Hac igitur crudelitate immanissimi tyramni confectus est ille sanctorum populus | qui contempsit rem presentium ob spem futurorum : Sic interfecta est illa plane angelica legio : quæ ut credimus cum illis angelorum legionibus iam collaudant semper in cælis dominum deum Sabaoth . Victor autem martyr nec legionis eiusdem fuit neque miles sed meritæ iam militiæ ueteranus : Hic cum iter agens subito incidisset in hos : qui passim epulabantur læti martyrum spoliis : atque ab his ad conuescendum inuitatus . prolatam ab exultantibus per ordinem causam cognouisset : Detestatus conuiuas : detestatusque conuiuium refugiebat : Requirentibusque ne et ipse forsitan christianus esset : christianum se et semper futurum esse respondit . Ac statim ab irruentibus interfectus cæterisque martyribus in hoc ipso loco sicut morte ita etiam honore coniunctus est . Hæc nobis tantum de numero istorum martyrum comperta sunt nomina id est beatissimorum Mauricii Exuperii Candidi atque Victoris . Cætera uero nobis quidem incognita sed in libro uitæ scripta sunt . Ex eadem legione fuisse dicuntur etiam illi martyres Vrsus et Victor : quos Salodori passos fama confirmat . Salodorum uero castrum est super Arolam fluuium neque longe Rheno positum . Opere pretium est etiam illud indicare : qui deinde Maximianum trucem tyrannum exitus consecutus est . Cum dispositis insidiis genero suo Constantino tunc regnum ille tenente mortem moliretur : Depræhenso dolo illius apud Masiliam captus est : nec multo post strangulatus . teterrimoque hoc supplicio affectus ipsam uitam digna morte finiuit . At uero beatissimorum martyrum corpora post multos passionis annos sancto Theodoro huius loci episcopo reuelata traduntur : in quorum honorem cum extrueretur basilica : quæ uaste tunc adiuncta rupi uno tantum latere accliuis iacebat . Sed nunc iubente præclaro meritis Ambrosio huius loci abbate denuo ædificata bicliuis esse dignoscitur : Neque enim hoc omittendum est : quod post longum temporis tractum beati Innocentii martyris membra Rodanus reuelauit . Iugi enim diluuio uicinum in se hospitem uergens religiosa quadam soli pernicie ad sepulturam martyris famulatrix unda peruenit . Prolatas namque reliquias leuiter || lambens non ideo a sinu terræ protulit : ut in gurgitis sui procellam dimergeret . Sed ob gloriosam deuotionem intra ambitum basilicæ cæterisque martyribus sepultura preciperet sociari : Cuius translationem a sanctæ recordationis Domitiano genuense et Grato augustanæ urbis uel Prothasio tunc temporis huius loci episcopis cælebratam recolentes quottidiana deuotione et laudibus frequentamus . Quid miraculi tunc apparuerit nequaquam tacendum putaui . Accidit : ut inter reliquos artifices qui inuitati uenisse ad hoc opus uidebantur : quidam adesset faber : quem adhuc gentilem esse constaret . Hic cum dominico die quo cæteri ad expectanda diei eius festa abscesserant : in fabrica solus substitisset : illo secreto se subito clara luce manifestantibus sanctis : hic idem faber rapitur : atque ad pœnam uel ad supplicia distenditur : et uisibiliter turbam martyrum cernens : uerberatus etiam increpatus : quod uel die dominico ecclesiæ solusde esset† : uel illud fabricæ opus sanctum suscipere gentilis auderet : Quod ideo misericorditer a sanctis factum

constitit : ut faber ille consternatus et territus salutare sibi nomen posceret : statimque christianus effectus est : Neque illud in sanctorum miraculis pretermittam : quod perinde clarum atque omnibus notum est . Mater familias Quinti egregii atque honorati uiri cum ita paralysi fuisset obstricta : ut ei etiam pedum usus negaretur : a uiro suo ut illic per multum itineris spatium dessereretur† poposcit : quo cum peruenisset : sanctorum martyrum basilicæ famulantium manibus illata : pedibus ad diuersorium rediit : ac sanitate de præmortuis restituta membris miraculum suum circumtulit . Hæc duo tantum mira passionis sanctorum aserrenda duxi . Cæterum satis multa sunt : quæ uel in purgatione dæmonum uel in restauratione claudorum aut sanitate febrientium cæterarumque infirmitatum quottidie hic per seruos suos uirtutes domini operantur . Quia multa narranda sunt : si per singula scribantur : tamen fidelibus cordibus absque lectione cognita esse noscuntur : quæ quanta et qualia miracula per sanctos suos ad honorem et gloriam nominis sui dominus operari non desinit . Quod iubente sancto | et preclaro Christi martyre Sigismundo rege est institutum : hic usque hodie deo protegente est conseruatum . propterea hic laudes serui dei canentes ore persoluunt : cui est honor et gloria imperium et potestas per omnia sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI MARINI PVERI .

Marinus puer sanctus romanæ urbis primarius senatoris cuiusdam filius a Martiano comprehensus est . capesendi enim martirii desiderio tenebatur : a quo nomen suum et genus interrogatus : christianum se esse respondit : Cumque idolis immolare respueret : et minas eius contempneret : iussit eum extendi : et dirissimis loris dorsum eius et uentrem conscidi . Deinde fortiter ligari : et in custodiam mitti : quem sequenti die productum : cum uideret eius constantiam : iussit in equuleo suspendi : et ungulis corpus eius dillaniari . Deinde serram ligneam fieri et machinam lapideam : ut immisso lapide per machinas membra eius diuideret . Ministri ergo diaboli trahentes machinam : dum ille gratias ageret : quasi ad mortem fatigati : dixerunt imperatori ad hominem istum : arborem magnam scindi cuneis per medium : ut immissus in eam sanctus extensus et confractus emitteret spiritum : Cumque delicata eius membra extendissent : arbor diuisa est in duas partes a capite usque ad caput . Deinde iussit Martianus craticulam et plumbum ingens succendi : martyremque superponi : qui super eam ascendens signaculumque crucis faciens : dominum inuocauit : statimque fluuius aquæ inundans ignem extinxit : et ipse stans super aquam deum glorificauit : Tunc Simplicius commentariensis : iussit frixorium afferri : ignemque uæhementissimum supponi : et puerum in eam mitti : qui a ministris illuc proiectus deum glorificauit : et respiciens ad Marcianum ait : Parasti carnes meas ad edendum . iam nunc accipe partem tuam aliquam : et ede : donec aliæ præparentur . Hoc eo dicente ros de cælo ueniens ignem extinxit : et refrigerauit frixorium : ita ut in eo uelut in bono strato iacens || benediceret deum . Culcius uero præses ait Martiano : Iube afferri caldariam : et in eam picem mitti : ut ab igne succensa ebulliat : et capite immerso mittatur in eam . Tunc sanctus ad omnia paratus in cælum aspexit : sicque sponte in caldariam se proiecit : statim in duas partes disrupta est : et pix hinc et inde effusa est : et sanctus in medio stans deum glorificabat . Post hæc Martianus harenam præparari iussit : et sanctum dei martyrem adduci : simulque leonem et leopardum contra eum mitti . Stimulantibus autem ministris leo rugiens de cauea egredi nolebat : et cum diu molestaretur : egreditur cum pardo : et currens ad sanctum puerum complexus eius humeros constringebat . Pardus autem ad pedes eius se uolutans non discedebat : quod uidens Martianus exclamavit : Quæ est ista phantasia quam uideo : Cumque iussisset bestias ammoueri : nullo modo discedebant : et cum Ministri multum eis molesti essent : ut ad caueas redirent : imperante sancto Maurino statim abierunt . Iterum iussit dimitti leænam et ursam . quæ ad sanctum dei currentes et uestimenta eius scindentes : ante pedes eius corruerunt : et mortuæ sunt . Post hæc iussit dimitti pardam cum tigride : quæ accurrentes ascenderunt super collum eius : et complexe sunt eum . Vna quoque ex hiis osculabatur os eius . alia sudorem de facie

eius extergebat . Iussit quoque taurum adduci : et in eius dorso causteria imponi : ac sanctum dei puerum ad eius cornua ligari : quo facto ardentibus cornibus taurus non sentiebat . De causteriis quoque nihil ad eum pertinebat . sed lingua sua sanctum dei martyrem lingebat . Post hæc suadente Simplicio super pyram ingentem ardentemque eum poni fecit : sed ignis eum non tetigit . Ipsum quoque de pyra depositum immiserunt in caminum ualde succensum : et ecce duo angeli aduenientes tenuerunt : unus dexteram eius alter sinistram : et cum eo in igne descenderunt . Thronus autem in medio camino positus erat : statimque ut ingressus est se consignans : omnis ille camini ardor euanuit : et iste in medio sedet glorificans deum . Sequenti die iussit Martianus caminum aperiri : ut uideret si consumptus esset ab igne : uolens puluerem corporis eius ne christiani eum tollerent in | uentum dispergere . Ministri autem aperientes caminum toto igne consumpto non sustinebant calorem : qui egrediebatur de fornace . Martianus autem illo ad se ducto ait : Iterum diabolum istum adduxisti mihi . Sanctus autem Marinus simulauit se uelle acquiescere præcepto imperiali . Tunc ille supra modum lætus iussit theatrum præperari† omnesque ciues romanos adesse : gladiumque et agnam albam afferri : ut immolaret . Sanctus autem genua flectens diu cum orationem consumasset : ad eius imperium statim Serapis et Iupiter cum cæteris diis corruerunt : et in puluerem redacti sunt . Videns hoc populus romanus exclamauit : Vere magnus est deus christianorum . Tunc Martianus multa confusione opertus iussit eum decollari . Sanctus autem in domino exultans ait : Veni pater gloriæ : et accipere caput tui pueri . Ecce enim pro nomine tuo cursum consumaui : suscipe animam serui tui . Pater quoque et mater eius hortabantur eum felici agone cursum suum perficere : scientes eum esse suscepturum coronam uictoriæ : qui oratione facta consignans se pacem dedit fratribus : et flectens genua spiritum deo tradidit . Satelles uero iam mortuum percussit : et caput eius amputauit : cuius corpus ministri diaboli tulerunt : et in præcipitium ubi corpora latronum proiiciebantur : proiecerunt . Præcepit autem Martianus custodiri locum : ne christiani custodes obseruarent : subito factæ sunt tenebræ tonitrua et fulgura et aquarum inundationes quasi diluuium : ita quod ministri territi fugerunt . Sanctus autem Theophilus episcopus cum uiris ecclesiasticis corpus sanctum tulit : et in loco excelso romanæ ciuitatis posuit . Tunc subito factus est sonus de cælo magnus : et multitudo angelorum descendit : qui locum ipsum sacrauerunt . Martianus autem ut dæmens factus accepto consilio a cubiculariis suis ut immolaret diane et Serapi sacerdotes uenire iussit : et occidit albam agnam et columbam : ut lauaretur in sanguine immolationis . præcepit etiam epulas in capitollio præparari : et patrem ac matrem martyris adduci : Qui adducti steterunt coram eo nihil respondentes ei : subito autem cecidit rhumphea de cælo supra pedes Mar || tiani : qui fugiens ad palatium suum corretusque† magnis febribus in lecto suo se collocauit et dixit : Vnde mihi hæc dementia accidit : quam patior ? forsitan propter puerum istum morior . Magnus est deus christianorum . exaudi me : et peccatis meis ignosce . Tunc recedente febre abiit in capitollium adorare Serapin : et ecce ignea uirga de cælo descendit : et percussit eum : omniaque membra eius dissipauit : Cumque iterum festinanter ingressus palatium diceret : Magnus est deus christianorum adiuua me : dolor omnis cessauit . Deinde surgens Serapim inuocauit : et tunc in faciem suam ruit . et uermes de ore eius ebullierunt : et mortuus est pessime : animaque eius in tenebras abiit . Gesta sunt hæc in urbe Roma septimo calendas ianuarias .

DE SANSTO† MELLONO EPISCOPO .

Tempore Valeriani imperatoris Mellonus quidam maioris Britanniæ oriundus Romam uenit : ut patriæ suæ tributum solueret : et imperatori seruiret : Ibique sicut mos erat : cum sociis suis ad templum Martis ductus est : ut sacrificaret . Audiens autem Stephanum papam paucis christianis euangelium Christi prædicantem : uerba eius attendit : et credidit . Baptismum ab eo petiit : et accepit : et ab eo instructus quidquid habebat uendidit : et pauperibus erogauit : Quem præfatus papa sibi adherentem per omnes ecclesiæ gradus usque ad sacerdotium promouit : Cumque ieiuniis et uigiliis

nstaret† : quadam die missam eo celebrante uiderunt ipse et papa angelum dei stantem ad dextram altaris : qui peracta missa dedit ei uirgam pastoralem : quam manu tenebat dicens : Accipe uirgam : sub qua reges populum ciuitatis rothomagensis in Neustriæ finibus . Tibi enim illic preparatus est a deo locus . Licet autem labor incognite uiæ tibi onerosus sit : nequaquam tamen tibi timendum est : quoniam sub umbra alarum suarum proteget te dominus Iesus Christus† . Tunc accepta benedictione a papa iter arripuit : Et cum uenisset Antisiodorum : uirgam tenens quam ab angelo acce | perat : quendam bipenni uulneratum : cuius pes in duas partes diuisus erat : oratione facta illico sanauit . Denique rothomagum ueniens et ministerium suum fideliter implens : multis uirtutibus et miraculis clarus tandem quieuit in pace . Huius festum recolitur undecimo calendas nouembres .

PASSIO SANCTI MENNAE MARTYRIS .

Anno secundo regni sui Dioclitianus augustus per uniuersas prouintias præcepta destinauit : e quibus talia docebat : quoniam per deorum beneficia in bello ex deuictis tropheum sumpsimus : uniuersos duximus ammonendos : ut omnes homines utriusque sexus uel religionis cuncti fascibus sublimati uel clerici ecclesiarum renunciantes religionibus propriis deorum idest Apollinis . Dianæ et Mineruæ sacrificiis accigantur† . quod si quispiam nostra imperia uel tanta numina crediderit ammouenda : sacrilegii reus iudicii nostri pœna plectetur : Et dum præcepta per ciuitates et omnia loca mandasset : peruenissetque nuntius in ciuitatem Cotiam : quæ non longe est a metropoli Phrygiæ : ubi militabat beatus Mennas : obtulit se præsidi Pirro . Quare acclamatum est : Omnes qui in domo resident : uel in quocumque loco sunt : præceptis obedientes ad deorum sacrificia Appollinis Dianæ et Mineruæ celebranda conueniant : Dumque plærique concurrerent uidens beatus uir dei Mennas superstitionem erroris conualescere : homo qui pro Christi uinctus detinebatur amore : eidem quippe miles futurus deseruit ordinem militiæ : quem inter commilitones agebat beatus Mennas sicut stellas flagrantibus radiis circum positarum sibimet stellarum lumen obtundit . Abiens itaque heremi se habitaculo collocauit . ubi dum positus in dei doctrina in hymnis et uigiliis perduraret : post aliquod tempus uocatus est ad gratiam domini nostri Iesu Christi . cumque fuisset dies festus : quo celebraretur natalis imperatoris in ciuitate quam ditauerat descendens ex heremo ad eandem urbem properauit intrepidus . uidens porro multitudinem ad theatrum euntem repletus sancto || spiritu dixit : Ecce tempus glorificandi nomen tuum domine : et ingressus theatrum sedente iudice psallebat domino dicens : Domine deus respice in me : ne derelinquas me : quoniam inuentus sum non quærentibus me . Palam apparui propter nomen tuum in medio inimicorum tuorum . Hæc eo uociferante factum est silentium : Surgentesque omnes intuebantur eum : ammirantes fiduciam eius . Erat autem uestitus sicut heremita . Tunc præses dix:t† : Quis est hic? Cui respondit beatus Mennas et ait : Cur requiris : quis sim? Ego sum seruus domini mei Iesu Christi : qui factor est cæli et terræ : qui etiam constituit omnia : quæ in eis sunt . Audiens hæc præses interrogauit eum dicens : Hic natus es an ex aliis regionibus aduenisti? Respondit quidam de offitio : et dixit Pyrrho præsidi : Didicimus hunc quinque annis militasse sub termino tribuno : in numero qui dicitur diaco . Tunc præses dixit . Dic mihi : miles es sicut offitium asserit? ad quem beatus Mennas : Militaui equidem regno huic temporali . sed uidens imperatorum præcepta : discessi militia hac : et milito nunc regi æterno domino meo Iesu Christo . Præses dixit : Quamobrem discessisti de militia tua? Et Mennas dixit . Propter Christi amorem heremum petii : ut persisterem in seruitio dei mei : et non communicarem religioni uestræ quæ sine deo est . Tunc præses ergastulum eum subire præcepit : quia ausus est ei iniuriam facere : et in tanta festiuitate non licebat eum audiri . Sequenti autem die publice residente concione iussit sibi præses beatum Mennam de carcere præsentari : cumque fuisset adductus : auditor commentariensum dixit ad beatum Mennam : Ecce nunc assistis examinandus . Præses autem dixit auditori : Require ab eo : cur reliquerit militiam suam : aut unde fuerit : uel unde sit reuersus . Respondit beatus Mennas et dixit :

Ego egyptius sum : etiam pridem dixi : quia propter dilectionem domini Iesu Christi reliqui militiam istam : quæ soluitur . Nam regnum domini mei Iesu Christi incorruptum est in sæcula : Et malui cum feris heremum habitare : quam in medio uestrum perire . Feræ enim deum cognouerunt : et honorauerunt : uos autem dæmonia honoratis : creatorem enim uestrum impie abnegatis . Discessi itaque : ne uestro interessem | errori : quia scriptum est : ne perdas cum impiis deus animam meam : et cum uiris sanguinum uitam meam . Dicit ei Præses sacrifica diis : ut euadas omnia : quæ tibi præparata sunt tormenta : eo quod contemnis principum iussa : et deseruisti militiam tuam confitendo te esse christianum . Itaque consule tibi : et sacrifica diis : et recipies militiam tuam : et honores alios consequeris . ad quem beatus Mennas dixit : Ego oro dominum meum Iesum Christum regem omnium sæculorum : ut ipsi placeam : et ab eo honorem accipiam : quatinus eius sanctam ciuitatem ingrediar . Vestros autem honores uobiscum perituros amitto . Tunc præses uidens constantiam eius dixit ministris . Tendite eum in stipite : et cædite taurinis neruis : dicentes ei : Quoniam militanti precepta imperatoris renuere non licet . Huic beatus Mennas : magnum inquit mihi est hoc pro domino meo Iesu Christo : quoniam aderit mihi pro nomine eius patienti . Vobis enim gehenna parabitur et repleta est in circuitu eius sanguine terra . Astans Pegasius princeps dixit sancto martyri : homo sacrifica diis : antequam carnes tuæ defluant tormentis : quæ tibi parantur : Cui beatus Mennas dixit . Non me terrent minæ tuæ quas dicis . Habeo enim auxiliatorem meum dominum Iesum Christum : sicut scriptum est : Dominus mihi adiutor est non timebo : quid faciat mihi homo immitator tenebrarum : sacrilegii persuasor : quia præsidi tuo non acquieui : ampliora tormenta promittis . Denique ut dixi : dominum babeo† adiutorem diebus ac noctibus : in cuius nomine confido . tormenta quæ subiungis mihi in refrigerium conuertuntur : quæ uos cruciabunt cum principibus uestris in die iudicii : quoniam coegistis seruum eius desistere a deo meo : et sacrificare idolis uestris . Præses dixit ministris : Nec adhuc potuimus uincere duriciam illius . At uero beatus martyr Christi Mennas appensus in ligno dicebat : per pœnas quæ apud me paruæ sunt arbitraris me præses a proposito meo reuocare . An nescis : quia milites imperatoris mei mihi astantes custodinut† me : et confortant : quousque coronam accipiam a domino meo Iesu Christo . præses itaque dixit ministris . Trucidate eum dicentes illi : cum hos imperatores habeas : cur fateris te alterum imperatorem habere ? ad quem beatus Mennas . || Miser es ait et directus : qui nescis dominum cæli et terræ : et blasphemas eum : qui homines fecit : et dedit illis gratiam credendi in filium suum dominum meum Iesum Christum . Cui præses dixit . Quis est iste magnus rex : quem dicis : quia ipse omnia fecerit : et dominatur omni mundo? Respondit Mennas : Dominus Iesus Christus noster filius dei uiui ipse est auctor omnium et creator : ipsi cælestia et terrestria subiecta sunt . Præses dixit ad eum : Nescis : quia imperatores nostri indignantur de isto homine : qui dicitur Christus? Ideoque confitentes eum ipsos præceperunt subiici tormentis : et tu ab hoc homine non recedis? Ait Mennas : imperatores uestri irascuntur propter nomen domini mei : sed oro illum : ut mihi propitius sit : et eripiat a concilio malignantium animam meam . Ad quem præses : Et scit Christus uester quod hcæ† passuri eratis? Beatus Mennas dixit : Scit : quia omnia ipse constituit et solus ipse archana præuidet : et futura cognoscit : qui dedit nobis in mandatis : ut unusquisque nostrum animam suam pro nomine eius ponat dicens : Qui odit animam suam propter me : in uitam æternam inueniet eam . Ad hæc præses : Sacrifica diis immortalibus : ne te faciam incendi . Cui beatus Mennas : Ab initio dixi : quia regi cælorum milito : et quidem tu corpus meum in potestate habes . sed deus omnium et dominus dominorum et rex regum ipse dominabitur animæ meæ : qui corpus quod tu corumpis : ille mihi ipsum integrum restituet in uita æterna . Et præses ad eum : permittam te biduo uel triduo : ut tecum cogites : et discedas ab hac insania . Tum ille : Iam inquit cogitaui ante quam huc uenirem ad te : et uoluntas mea hæc est : ut regem meum æternum non derelinquam . Scito ergo : quia apud me iam triduo quod dixisti tractatum est : et alium sermonem a me non audis nisi bunc† : christianus sum : et idolis tuis non sacrifico . Iratus itaque præses iussit fieri spinas ferreas : præcepitque ligari sanctum martyrem : et sic super easdem trahi : Cumque hoc factum fuisset : beatus Mennas dixit præsidi : Etiam si maora† tormenta exquisieris : quæ in me exerceri uideris

impiissime : ego deum meum uerum non negabo : sed neque sacrificabo idolis | tuis . Tunc præses iussit eum contra humeris eius cædi diutissime : dicens ei : Consule tibi propter tormenta : quæ præparata sunt tibi . Beatus Mennas dixit : Scriptum est : Quis nos seperabit a caritate Christi ? Tribulatio an angustia ? an persecutio ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an gladius ? Scias ergo quia me credente in deum meum uiuum et in filium eius unigenitum dominum nostrum Iesum Christum non iam tormenta me possunt diuidere ab amore creatoris mei . Tunc impiissimus præses Pirrhus iussit deferri cylitia : et eum† ipsis fricari plagas quas diuersa tormenta afflixerant . Beatus autem Christi martyr Mennas dicebat : Non sentio tormenta : quæ mihi infers : quia dominus meus Iesus Christus adiuuat credentem in eum . Tum præses : Ergo tu non sentis tormenta : quæ pateris ? Ad quem Mennas : In ueritate dico : quia non sentio . penitus tormenta tua domino meo adiuuante : et enim omnibus timentibus eum adest Christus : et corroborat : quousque coronentur . Præstans eis refrigerium inter tormenta : et refouet corpora et animas . Tunc iussit præses afferri lampades ardentes : et supponi corpori eius dicens : Vel sic forsitan duriciam eius sedamus . Allato autem igne et supposito ei per duas fere horas nullum uerbum ad præsidem dixit : sed tamen clamabat ad dominum dicens : Christe deus† adiuua me . Dicit ad eum præses : Non sentis ignem ? Et ille : Dominus meus me confortat : pro cuius nomine hæc patior : et ideo tormenta tua non timeo . sicut scriptum est : Nolite timere eos : qui corpus occidunt : animam autem non possunt occidere . Sed potius eum timete : qui corpus et animam potest mittere in gehennam . Dicit ei præses : Homo militaris unde nosti scripturas deificas ? et Mennas : Dominus meus Iesus Christus docuit nos dicens : Cum ducti fueritis ad reges et præsides : nolite cogitare : quomodo aut quid loquamini . Dabitur enim uobis in illa hora : quid dicatis . Non enim uos estis : qni† loqnimiui† : sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis . Tunc impiissimus præses iussit ministris dicens : Cædite uultum eius . Tnnc† Helyodorus curiosus ait : Domine præses audi consilium meum . Quoniam genus christianorum præceptis principium† obe || dire contemnit : et libenter magis habet mori quam uiuere : da illi sententiam : et amplius noli laborare . sed puniri eum iube : ut militem tuum numerum . Iterum autem præses dixit ad beatum martyrem Mennam : Iam sacrifica diis immortalibus : ut dirigam te cum honore ad numerum tuum : et scribam de te tribuno tuo . Beatus autem Mennas respondit ei dicens : honor uester periturus est . Ego autem studeo : ut honorem et militiam in cælis accipiam : sicut scriptum est : Nostra autem militia in cælis est . Ista autem corruptibilis : non est accepta apud deum . Fides autem et confessio domini nostri Iesu Christi lux est sancta et uita æterna : et permanentes in se dominus constituit heredes in regno suo cælesti in sæcula . Tunc uidens impiissimus præses pirrhus constantiam eius : statuit ferre in eum sententiam : atque ita exorsus est : Mennam christianum militem quoniam inuictissimorum imperatorum nostrorum preceptis obedire : et immortalibus diis sacrificare contempsit ad exemplum seruandæ disciplinæ cæteris iubemus capitalem subire sententiam . Tunc sanctus Mennas gratias egit domino Iesu Christo : quod aduenisset ei tempus : ut coronam martyrii acciperet . Eunte autem eo cum gaudio et exultatione : omnis plebs post eius uestigia sequebantur ammirantes fortitudinem animi eius . Ipse autem refouente gratia domini uultu fulgebat : et lætus animo ambulabat quasi pergens ad epulas : et in spiritu sancto canebat dicens : Magna est gloria tua domine in seruis tuis : quos ad te reuocare dignaris . Pro omnibus autem qui sequebantur eum orabat dicens : Adesto domine seruis tuis : et ne deseras usque in finem : et glorificent nomen tuum in sæcula sæculorum . Accelerabat quippe gressum iam prope uictoriam coronandus : extendensque manus suas ad cælum : dixit : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : quia consolata est me uirtus tua : et non permisisti perire animam meam : sed donasti mihi gratiam nominis tui . Confirma nunc domine : quod operatus es in me : ut confundatur aduersantis audacia : et respiciens ad populum dixit : honorate dominum : et timete eum ex toto corde uestro : quia memor est dominus timentium se : antequam exeant | de hoc sæculo : et posteaquam exierint occurrunt eis angeli domini : et deducunt illos ad ciuitatem illius sanctaæ† Ierusalem : in qua regnent in perpetuum : Cumque hæc uerba complesset : dixit turbis : Cum decolatus fuero tollentes corpus meum in camelo imponite et dimittite eum : ita ut nullus præcedat : et tunc uidebitis gloriam domini nostri

Iesu Christi : quoniam ipse deducet eum ad locum : ubi dignatus fuerit : quo debuerit corpus meum tradi sepulturæ : Cumque loquendi finem fecisset : flectens genua parauit ceruicem : et decollatus est in sempiterna fide : et accepit coronam inter agmina angelorum ac martyrum : et sic introiuit in conspectu domini nostri Iesu Christi tertio idus nouembres . Cum ergo defunctus fuisset : et diuina uirtute triumphum fidei meruisset : inuoluentes christiani corpus eius uestibus pretiosis imposuerunt camelo : et dimiserunt eum : sicut ipse præceperat . Camelus autem ambulabat per montem præcedente angelo domini : et in loco quo deus uoluit decubuit : qui autem sequebantur eum : tollentes corpus eius ibidem posuerunt . Postea uero dignam meritis eius basilicam condiderunt : Iu† qua multas uirtutes operatur dominus ad laudem nominis sui : usque in presentem diem : Cui est honor et gloria cum deo patre in unitate spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum Amen .

FINIS ||

PASSIO SANCTORVM NABORIS ET FELICIS MARTYRVM .

Regnante Impio Maximiano Imperatore in ciuitate mediolanensi erat persecutio christianorum . Erant autem ibi quidam milites Nabor et Felix notissimi imperatori . Tunc renunciauerunt ministri imperatori dicentes : Domine clæmentissime imperator Nabor et Felix christiani effecti sunt : et blasphemant deos nostros : et dicunt eos esse dæmonia . Tunc indignatus imperator : iussit eos compræhendi : et ad se perduci : Quibus et dixit singilatim : Nabor miles noster quid tibi deesse estimasti ut te christianum faceres ? Nabor respondit : Non ego nuper christianus effectus sum : sed pene ab ineunte ætate mea . Maximianus imperator dixit : Ergo ut asseris christianus factus es ? Nabor respondit : Ego christianus manifeste sum : et christum filium dei uiui de maria uirgine per spiritum sanctum natum adoro : et credo : et ore non cesso laudare . Tunc Maximianus imperator ira repletus : iussit eum in carcerem mitti : et accersito Felice dixit ad eum : Quid tibi uidetur : an et tu stulte desyderas cum nabore socio tuo perire ? Sacrifica diis : et esto noster amicus . Nam si nec tu sacrificaueris diuersa tormenta uos expectant . Felix respondit : Tormenta tua nihil me terrent : me enim scias uerum dei filium dominum Iesum christum nulla ratione negare : sed magis me ipsum offerre deo uero sacrificium . Maximianus imperator iratus iussit eum in eundem carcerem mitti ubi miserat beatum Naborem : dicens : Certe diuersis uos faciam tormentis spiritum exhalare . Qui ductus est in ipsum carcerem iuxta circum euntibus ad portam ticinensem : et diligenter custodiri eos iussit : dicens : Ite et tractate uobiscum qualiter possitis euadere tormenta horrida : que uos fortiter laniabunt : si sacrificare nolueritis . Missi | itaque in carcere fecerunt dies duodecim : et iussit : ut neque panis neque aqua daretur eis . Tercia decima autem die iussit sibi Maximianus imperator tribunal ex alto in hippodromo circi præparari : et iussit adduci sanctos Naborem et Felicem : et ait ad eos : Quid tractastis amici mei circa salutem uestram ? Sanctus Nabor dixit : Oportet eum tuum amicum fieri : qui non timet suum dominum habere inimicum . Nam quantum mihi amare sunt amiciciæ tuæ : tantum mihi sunt inimiciciæ tuæ dulciores . Maximianus dixit : Tu Felix quid dicis ? Felix dixit : Quod nabor dixit : et ego dico . Vna enim nobis uita et fides est . Maximianus dixit . Ergo hoc uobis placet : ut præcepta mea contemnentes morte moriamini ? ad quem Nabor . Mors quam tu nobis minaris inferre : uita nostra est : Et ideo non timemus iram tuam : quia ex ipsa nostra uita perpetua et corona et palma æterna . Tunc Maximianus iratus dixit Anolino consiliario suo : Cras mane in secretario tuo diuersis uexentur suppliciis : si sacrificare contempserint . Si uero consenserint : et tuo eos amori copula : et meis eos amiciciis representa . Anolinus igitur consiliarius dixit : Quare non sacrificatis diis quos imperator adorat : et quibus ceruicem suam flectit ? At sancti martyres responderunt . Nos præmia a uobis promissa non acipimus : næc poenas uestras timemus sed a domino nostro quottidie accipimus fortitudinem . Tunc annunciauit Anolinus Maximiano Imperatori : et iussit imperator eos in carcerem mitti ad portam quæ dicitur Romana et ibi custodiri a

militibus. Cunque ibi fuissent : diebus quinque reclusi : iussit quinta die de carcere educi : et dixit ad eos imperator : Immolate diis istis : quos uera diuinitas demonstrauit . Sancti martyres dixeunt† . Nos diis paganorum non immolamus et turpe est nobis : ut quod in baptismatis sanctificatione percepimus : homini coruptibili in omni necessitate constituto humiliemur . Non facimus : fac quod facturus es : quia fortior te est : qui pugnat pro nobis || Tunc Maximianus imperator et Anolinus consiliarius eius iusserunt fustes afferri : et extendi eos : et quinque terniones transire : et clamare eis : sacrificate diis : quos imperator et omnes adorant . Nabor dixit Dominus noster rex æternus et uerus dixit : Omnis qui idolis sacrificauerit : eradicabitur : Anolinus dixit . Appendatur eculeo : Cumque fuisset appensus beatus Nabor : et lampadibus ureretur : et ungulis raderetur : dixit . Num tibi dixi quoniam inimiciæ† tuæ me exaltant : et faciunt me gloriam ampliorem in conspectu regis mei acquirere ? Tu interim excogita duriora tormenta . Carnem enim laniare potes : animam uero uincere non potes in fide et ueritate certantem . Anolinus consiliarius dixit . quoniam uideo haec rebelli animo uerbera et tormenta deridere potius quam timere : amouete istum : et collegam eius introducite . Introductus est itaque Felix : et Anolinus dixit : Dic mihi Felix que causa est duriciæ fratris tui : quod tantis uerberibus et eculeo exiccatus : et flammis adustus : et ungulis effossus : nullomodo consentire uoluit : ut sacratissimi imperatoris praecepta compleret : Felix dixit : quoniam ista tormenta finem habent : illa autem tormenta quæ sacrificantibus idolis parata sunt : finem penitus non habent : Anolinus dixit : Vnde hoc nosti ? Felix dixit : Christus filius dei : ut hominibus subueniret hominem assumpsit : quem uirgo concepit . uirgo peperit : et uirgo post partum permansit . Hunc primo omnium natum et in cunnabulis positum angeli descendentes de cælo Laudantes et adorantes pastoribus ouium ostenderunt . Item pastores ouium adorantes eum : quod factum circa se uiderant et audierant . notis suis simpliciter indicarunt . Item magi per stællæ magnæ indicium acciti : ab oriente uenientes : aurum thus et myrrham in suis uasis offerentes adorauerunt eum Hæc† rex herodes dum inter infantes quæreret et non inueniret : omnes bimulos infantes qui erant in Bethleem ciuitate fecit occidi . Hunc pater suus qui regnat in | caelis : cælos aperiens manifestauit : dicens . Hic est filius meus dilectus : in quo mihi complacui . Hic omnia temptamenta diaboli superans ascendit in montem : et aduocans ad se discipulos suos : cœpit beatitudines æternas illis ostendere et per quæ opera possint acquiri . Post haec uero iudaeorum populo dicere cœpit : quoniam exeuntes de corporibus anime si idolatræ fuerint : aut sanguine humano pollutæ : æternis tradentur incendiis . Quæ uero ab his criminibus uel aliis iniquis operibus mundæ fuerint : a pœnis liberæ : deliciis perfruentur æternis . Tunc iudei dixerunt . Vnde haec probare potes ? Dicit eis dominus . Deferte ad me cæcos qui ad eum adducti cum essent : illuminauit eos . Similiter quoque surdis auditum reddidit : claudicantibus gressum : Paraliticis sanitatem restituit : omnes infirmitates sanauit . Dæmonia ab hominibus eiecit : tempestates iussu cohercuit : imperauit uentis : super undas maris siccis pedibus ambulauit . Mortuos ita excitauit : ut etiam quatriduanum fœtentem in sepulchro reuocaret ad uitam . Qui cum hæc faceret : et hanc etiam possibilitatem suis discipulis traderet : dicebat iudæis . Si uerbis non creditis : uel uirtutibus credite . Illi autem non solum non crediderunt : uerum etiam crucifixerunt eum . Quo crucifixo et mortuo : tertia die resurrexit : et per quadraginta dies cum discipulis suis conueniens cibum coram eis accepit . Iussit etiam palpari se . Sed et omnia quæ eis locutus fuerat ante passionem eadem repetiit . Post quadraginta uero dies uidentibus undecim discipulis suis cælos ascendit . Quibus cælum aspicientibus angeli apparuerunt dicentes . Quid statis stupentes in cælum ? Hic Iesus qui a uobis sublatus est sicut uidetis eum euntem ad cælos : ita uenturus est . Hæc fides nostra que est in christo : non tormentis uincitur : non flammis uritur : non gladio supperatur . Tunc Anolinus consiliarius dixit . Vt uideo : deus meus iouis deus uerus est . Nam deus tuus quem tu ipse dixisti . crucifixus est : Iouis uero omnipotentiam suam || nunquam deposuit quin immo imperiis ampliauit : Tunc subridens Felix dixit : Iouis tuus more iuxit† barbarico : adulter uxorum : puerorum stuprator et parricida extitit : Insuper etiam germanam suam uxorem usurpauit . Hunc si deum credideris : cum ipso eris perpetuis incendiis exurendus . Tunc minister consiliarii tunicam suam scindens clamabat . Dii nobis irati erunt : si isti non fuerint ignibus concremati .

Tunc Anolinus consiliarius iussit eos ignibus consumi . Qui cum missi fuissent in ignem : incolumes permanserunt . Tunc iterum iussit eos mitti in carcerem . Qui cum post aliquos dies perrexisset in ciuitatem laudensem : imperator iussit sanctos ad exemplum christianorum uinctos cathenis secum duci : et post diem tertium iussit sibi sessionem parari : extra ciuitatem . Quibus ad medium deductis dixit Maximianus imperator : Iam deponite superbiam uestram : et artem magicam relinquite . Nam uos eritis exemplum omnium . Responderunt beatissimi martyres Nabor et Felix : Nos artem magicam nescimus sed habemus dominum Iesum christum filium dei uiui : in quem credimus : nam minas tuas non pauescimus . Tunc iratus Maximianus iussit eos fustibus cædi : et capitalem subire sententiam : Qui decollati sunt iuxta portam ciuitatis laudensis : circa fluuium nomine scileram : Et illi licet terre se dederunt : nostra tamen sinu suo suscipere et condere meruit terra reliquias : Et sicut olim maternus eos in hac luce edidit uterus : ita et nostre terre uenter resurrecturos perpetuam perducet ad palmam . Hos pia ac religiosa femiua† quedam nomine Sauina mater familias laudensium furto sublatos urbe : et impositos suo uehiculo deduxit mediolanum pleno religionis affectu : nostræque ciuitati donauit . Hæc digna fuit consortio illius uiduæ sancte anne : cui religione et pari similitudine comparatur : Et sicut stellæ in cælo positæ humanum uisum latere non possunt : ita sanctorum meritum per orbem terrarum æluxit : et odor suauitatis dominice per | christi passionem in uniuersum mundum diffusus est . Hi sunt boni milites christi : qui propriis armis muniti sunt : qui fidei lorica et salutis galea et scuto cælesti atque spirituali protecti sunt : Celebremus itaque diem illorum : ut sequamur exempla uel imitationem ipsorum quasi agni incontaminati et immaculati Iesu christi domini nostri . Passi sunt martyres Nabor et Felix quarto iduum iulliarum sub maximiano imperatore . Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

VITA BEATI NARCISSI HIEROSOLYMORVM EPISCOPI .

Natalis Beati Narcissi Hierosolymorum episcopi uiri sanctitate patientia ac fide laudabilis . Accidit aliquamdo in die solemni uigiliarum pacsæ† oleum deesse luminaribus . Cumque id per ministros innotuisset : meror plebi maximus fuit : sed Narcissus fide fidens ministris imperat aurire aquam et infundi luminaribus precepit . Tunc repente miro et sæculis inaudito genere uirtutis natura ipsa aquæ in olei pinguedinem uersa : splendorem luminum etiam plus solito reddidit clariorem . Ad fidem autem rei a plurimis religiosorum fratrum ex eodem oleo quod uersum ex aqua fuerat : reseruatum est . Is namque cum preter cæteras uirtutes suas esset ualde constanti animo et iusti rectique indeclinabiliter tenax : quidam homunculi nequam male sibi conscii metuentes ne criminum suorum si arguerenur† uindictam haudquaquam effugere possent : preueniunt factionibus : et circunuenire parant eum in cuius iudicium uerebantur . Concitant igitur aduersus eum infame satis et noxium crimen : Conueniunt auditores testes et semetipsos producunt : qui sub sacramento iuramenti ea quæ obiciebantur conclamarent : Quorum unus testis ita ne igni consumaretur : || uera se dicere testabatur . Alius ita ne regio morbo corrumperetur . Tertius ita ne luminibus orbaretur : Et quanuis ne iuramentis quidem istis quisquam fidelium et dominum timentium crederet : eo quod uita Narcissi et institutio ac pudicicia ab omnibus nosceretur : ipse tamen eorum quæ nota sunt indignitatem ac molestiam non ferens . simul et secretam ac philosophicam uitam : semper habere desyderans subterfugit ecclesie multitudinem : et in desertis locis : atque flagellis secretioribus delitescit annis quam plurimis . At non ille magnus prouidentiæ diuinæ occulus quiescit in longum . Sed in impios ultionem per ea ipsa sibi quæ in periuriis statuerant maledicta molitur . Primus namque ille testis flammis ultricibus conflagratur . Alius repente ab imis pedibus usque ad summum capitis uerticem morbo regio quo fuerat imprecatus : repletur : atque consumitur . Tertius uero priorum exitus uidens : et oculum diuinum non latius prospiciens se proripit in medium et audientibus cunctis uera poenitentia ductus uniuersum commenti sceleris ordinem pandit . Tantis autem lachrymis imma-

nis admissi facinus deflæuit : atque adeo et die noctuque perdurauit in flætibus donec luminibus orbaretur . Igitur figmenti sui huinscemodi† pœnas dederunt . Narcissus uero cum desertum petisset : ac locis semotis et secretioribus abdidisset : ut ubinam degeret agnosceret nemo . Necessarium est uisum episcopis : ut alium pro ipso ordinarent : cui nomen erat Dius : Quique cum paruo tempore præfuisset ecclesiæ succedit germanio cordius : Cum ecce subito uelut rediuiuus cæloque redditus ex improuiso apparuit Narcissus : et rursus a fratribus ad presidendum rogatur ecclesie . Verum cum ipse iam senio fessus pontificatus ministerio sufficere non posset : Alexandrum qui iam esset episcopus alterius loci diuina dispensatio in adiutorium senis euidentissimis reuelationibus euocauit . Expletis autem centum et sexdecim annis relicta sede beato Alexandro fructum laborum suorum a domino recepit . |

INCIPIT PASSIO SANCTORVM NEREI ET ACHILEI EVTICIS VICTORINI ET MARONIS MARTYRVM .

Eutices Victorinus et Maro serui domini nostri iesu christi mærcello† salutem . Sic uenerunt litteræ tuæ ad sanctos Nereum et Achilleum quasi adhuc uiuerent : cum transierint iam triginta dies quo peruenerant ad coronam . Flauia Domitilla enim uirgo illustrissima cum isti sui eunuchi docuissent eam credere christo : et ipsi suam uirginitatem seruare : Aurelianus sponsus eius contemptus ab ea : fecit eam pro christianitatis titulo in hanc insulam religari . Ipse uero Aurelianus ueniens huc : cœpit sancti Nerei et Achillei animum attemptare putans se per ipsos uirginis animum comouere . Sancti autem exercentes dona eius : et magis Domitillæ fidem corroborantes in deo uerberibus ab eo grauissimis attractati sunt : atque ad terracinam depositi memnuo Ruffo sunt traditi consulari : A quo cum eculeo suspensi . flammis compellerentur ad immolandum idolis : et dicerent se a beato petro apostolo baptizatos nulla ratione posse idolis immolare : capitæ cæsi sunt : Quorum corpora rapuit Auspicius discipulis† eorum : nutritor sancte uirginis Brigide : Quæ etiam nauiculæ imponens adduxit : et prædio Domitillæ in cripta harenaria sepelliuit in uiam ardeatinam a muro urbis miliario uno : et semis iuxta sepulchrum : in quo fuit Petronilla apostoli petri filia . Hæc nos ipso Auspicio referente cognouimus : qui eorum corpora rapuit et sepeliuit . Erit caritatis tuæ sollicitudinem eirca† nos agere : et aliquem talem ad nos dirigere : qui et nos de tua : et de nostra sospitate faciat lætiorem . Dies natalis eorum : quarto idus maias . Acepta hac scripta Marcellus germanum suum misit ad insulam : qui fuit cum his confessoribus christi per annum : postea uero ad Marcellum reuersus || hæc retulit . Cum Aurelianus post martirium Nerei et Achillei ageret ut ad domitillæ posset peruenire consensum : dictum est illi a quodam : quod maiorem haberet caritatem cum Eutice et Victorino et Marone : quam habuerat cum Eunuchis suis Nereo et Achilleo : qui eam docuerant christo credere . Vnde factum est : ut principe nerua cum peterent eos sibi donari : si sacrificare uoluissent : Cumque uiriliter agerent Eutices Victorinus et Maro : atque minas Aureliani penitus non curarent : deposuit de insula : et quasi seruos per sua prædia singulos diuisit . Euticen in sextodecimo ab urbe roma uia momentana† : Victorinum uero in sexagesimo uia salaria : Maronem autem in centesimotricesimo in eadem uia salaria : Iussitque eos terram fodere per totum diem : ad uesperum uero cantabrum manducare . Sed deus omnipotens dedit eis gratiam in locis peregrinis . Nam Eutices conductoris loci filiam a di† diabolo liberauit . Victorinus autem uicedominum loci paralyticum per tres annos de lecto non surgentem : fecit orando incolumem . Maro uero morbo hydropis laborantem : curatorem ciuitatis septempedæ liberauit . Et Interea facientes sermonem ad populum docuerunt multos christo credere : et facti presbiteri populum credentium amplificare . Tunc diabolus repleuit ita mentem Aureliani : et misit qui uario genere pœnarum interficerent eos . Nam Euticen in media uia tam diu cædi iussit : quam diu exhalaret spiritum . Cuius corpus rapuit populus christianorum : et cum honore magno sepulto : in christi nomine super cum† fabricauit Basilicam . Victorinum uero apud eum locum : qui cotilas appellatur ubi putentes aquæ emana-

bant et sulphureæ : in ipsis capite dimersum per horas tres teneri iussit : et iterum suspendi . Hoc per triduum pro nomine christi passus : sanctus Victorinus migrauit ad dominum . Iussit autem Aurelianus corpus eius non sepeliri . Et cum una die apud cotilas iacuisset : uenerunt amiternenses populi christiani : et rapue | runt eum : et in suum territorium transtulernnt† : atque ibi sepelierunt . Maronem uero misso amico suo nomine Turgio iussit duci : et saxo ingenti opprimi . Vnde factum est : ut immanissimam petram quanuix† a troclea pensare septuaginta homines potuerunt : super humeros sancti ponerent . Ipse autem sanctus Maro quasi leues palleas portauit eam per duo miliaria sanus et in eo loco posuit : in quo orare consueuerat : Factumque omnis hoc prouincie populus admiratus credidit christo : et baptizatus est . Consularis autem accepta ab Aureliano præda : interfecit eum . Populi autem excauauerunt petram : quam humeris portauerat : et ibi sepelierunt eum : et ecclesiam christi fabricauerunt in nomine ipsius : In qua prestantur beneficia domini : ad gloriam nominis sui usque in hodiernum diem .

PASSIO SANCTI NICOMEDIS MARTYRIS .

Regnante Maximiano Imperatore in ciuitate roma erat persecutio ingens christianorum : Tum quidam in ipsa ciuitate Nicomedes præsbiter apostolorum discipulus in spelunchis positus : die noctuque piis orationibus domino uacabat : et multos ad fidem christi euangelico documento salubrius imbuebat : Sicque factum est : ut æternæ protectionis munimine : et assiduo suæ prædicationis mysterio infirmos sanaret : dæmones eiiceret : et a cultura idolorum peruersa corda hominum ad dominum omnipotentem eius adiutorio interueniente conuerteret . Audiens hæc Hyrcanus : et cognoscens beatum Nicomedem ad culturam christianæ religionis corda hominum suis prædicationibus inclinare eorumque uana sacra pro nihilo ducere iratus et nimio Zelo uolens satisfacere militiæ citius dicto nunciauit Flacco . Est quidam uir in ciuitate hac Nicomedes nomine seductor multorum : qui contra deos || nostros inuictissimos rebellans : et principum nostrorum iura ac decreta imperatorum contemnens magicis artibus ad se eos conuertit : et numerum nostrorum quottidie minuere non desinit . Si hæc itaque permittinus : deos nostros non propicios : sed omnimodo iratos habebimus . Commotus igitur his Flaccus iussit militibus suis celeriter illum repræsentari ligatum . Qui iussa implere festinantes ad presidem famulum dei uinculis duxerunt astrictum : iudex autem iniquæ dictionis : una cum Hyrcano residens beatum Nicomedem sic alloquitur : Dic mihi homo prouectæ ætatis : cuius professionis es : aut quo nomine diceris . Cui Nicomedes si nomen requiris ait : Nicomedes dicor : si professionis meæ desideras normam : ab ineunte ætate christianus factus : undaque sacri baptismatis perfusus dominum uiuum et uerum qui fecit cælum et terram : et fundauit maria : ego quippe minimus eius seruus adorare non cesso : Ad quem Flaccus acriter turbatus dixit : Tune es ille Nicomedes sacrilegus deorum immortalium contemptor : qui ydola uana et surda prædicas : qui et me totum accusas ad quem Nicomedes clara uoce respondit : Ego ipse sum Nicomedes : de quo uerum dicis : qui semper uana et falsa simulacra et sensu prædicaui et predico adorans creatorem omnium rerum : et contemnens adorare :† quod dicis secundum Dauiticam uocem : Confundantur omnes : qui adorant sculptilia et qui gloriantur in symulacris suis . Similes illis fiant : qui faciunt ea : et omnes qui confidunt in eis . Ad hæc Fleccus† stupefactus inquit : Et quis est deus tuus ? Cui Nicomedes . Dominum meum si scire desyderas : eius nomen Apostoli in toto orbe terrarum gentibus prædicauerunt : quem tu miser penitus ignoras : quem ego corde et ore confiteor : et labiis inuocare non cesso . Flaccus uero his uerbis indignatus dixit : Fustes nodosos afferte : et tergum eius crebris uerberibus dissipate dicentes : Hæc pariant rebelles deorum et imperatorum atque principum contemptores . Sanctus quidem Nicomedes per | seuerans in fide christi subridensque ait : O Flacce iniquissime et perdite furor mentem tuam peruertit . te re uera scire desydero : quoniam hæc tormenta tua non mihi dolorem ingerunt : sed magis refrigerium† præstant . Tibi enim ineendium† mihi regnum promittunt æternum . Tibi supplicium mihi gaudium sine fine mansurum .

Nam ego pro domino meo Iesu christo hæc omnia patior . Flaccus uero magis ac magis insaniens : iussit apparitoribus suis : ut corpore refrigerato tan diu uentrem contunderent : quousque uiscera ipsius ab intimo exhalarent . Beatus uero Nicomedes gaudens et exultans de passione sua in domino : et non tantum eorum in se seuientium principum insaniam ferens : sed oculis in cælum intentis : deo animam commendando dicebat : Benedictus es domine deus pater domini mei Iesu christi : qui mihi donasti misericordia† : quam meritus non sum . Tunc Hyrcanus una cum Flacco sperans eum reuocare a statu mentis suæ : talibus eum affatur blandimentis . Consule senectuti tuæ Nicomedes et cogita circa te : quanta ætati tuæ paranda sit cura . et diligentia morum conferet : quod hæc eadem nullis unquam pascitur deliciis : quæ omni uideatur dolore aliena : Cui sanctus Nicomedes in agone certaminis constitutus . forti animo ita respondit : Discede a me fomes peccati . Anutrimentum facinoris . suasor perditionis . minister Sathanæ . recede inquam : quia blandimenta tua nec me ab integritate reuocare ualent : nec pœne tuæ poterunt me cruciare : quia deus meus mecum est . Flaccus uero furiosa mente inquit : Hæc insania tua quæ te deos immortales blasphemare cogit : te non permittet uiuere . Sanctus uero Nicomedes respondit : Insania tua quam tu turpiter euomis : nullum penitus in me locum habet : quoniam ueritati subditus ueritatem tota mentis intentione prædico . Tu uero qui ista profers : quia insanus es non agnoscens creatorem tuum : hæc uana prosequeris . Flaccus itaque iratus ligari manus et pedes illi præcepit : et ut ferreæ atque || ignæ† craticulæ superposita ligna ad comburendum subministrarent dicentes : Vel sic ab insania tuæ confusionis recede . Beatus uero Nicomedes oculos in cælum erigens : has ad dominum preces fudit : Domine Iesu christe deus immensæ pietatis : cuius misericordiæ non est numerus : qui es omnium rerum splendor mirabilis : qui contritorum corda non despicis : et mærentium non spernis affectum : qui etiam inuocantibus te† præsentiam tuæ defensionis misericorditer impendis : adesto mihi supplici famulo tuo : et erue me de his iguibus† : ut cognoscat iniquissimus Flaccus una cum Hyrcano socio suo : quantam gloriam sanctis tuis fidelibus hic promittis æternam . Hæc eo dicente : subito tanta coruscatio et terremotus factus est in eadem ciuitate : ut extincto igne et quadam regione quæ submente appellatur :† concussa plebs quæ ibidem ritu paganorum libamina diis immolabat : centum ex eorum numero necatis† : dispersa uix liberata est . Flaccus uero hæc audiens territus tanta cæde obstupuit fugam proinde iniens ut leo uiciorum affectibus fremens . dixit Hircano : Vinctis manibus post terga iube illum maleficum duci ad carcerem : ut ibidem possitis custodibus diligenter obseruetur . Ingresso igitur beato Nicomede in carcerem statim affuit angelus domini : signans eum signaculo defensionis suæ : et confirmans eum in ueritate dixit : Pax tibi Nicomede uiriliter age : illuminato corde sequere Iesum christum uocantem te . Et hæc dicens ablatus est a conspectu eius . et erigens se beatus Nicomedes epassis† ad cælum manibus sic ait : Domine Iesu christe sancte pater omnipotens æternæ deus : consolator humane infirmitatis tibi laudes refero : quia dignatus es angelo tuo medelam tuæ consolationis mihi impendere : quia quidem consolatus et confortatus ualidius speculandi gratiam tuæ miserationis resumpsi uires et intuendi lumina beatæ . et iocundæ contemplationis . Altera autem die iussit sibi Flaccus solium in foro ex more parari : propterea quod de rei publicæ necessitate causas per | tractaret . et beatum Nicomedem repræsentari : ut eum ad se uel de suis uanis atque confabulationibus falsis inclinaret : uel uariis atrocitatibus pœnarum affligeret . Cum itaque repræsentatus ante ipsum stetisset . hoc eûm interrogans sermone dixit : Nicomedes uide : næ miserabilis ætas tua periclitetur : et depone iam superbiam tuam : quæ in te acerba supplicia consumet : et ea te merito lacerabunt . Sanctus quidem Nicomedes fide indefessa armatus ut uerus miles christi immobilis intrepidusque respondit : Quid mihi uerborum superflua asseris . Nunquam dæmonibus sacrificaui aut sacrificabo : nec aliquando aliquem coegi ad sacrificandum his : quos miseros adorare colereque cognosco . Soli autem deo meo uiuo et uero quem sancti adorant : quibus ipse hæreditatem dignatus est promittere æternam : me ipsum obtuli : per quem triumphans de uobis currendo ad stadium perfectionis : brauium consolationis et stolam immortalitatis consequi merear . VIdens† autem Flaccus tantam constantiam uiri dei : incrassato corde dixit militibus suis : Cardos afferte ferreos : quibus genua eius affligentur . et inter affligendum dicendo corripite : Vel sic maleficia uel carmina magicæ

superstitionis depone . Beatus igitur Nicomedes acerrima hæc supplicia pro nihilo ducens non cessabat confiteri creatorem suum dicendo : Miser unde tibi tam furiosa mens nata est : quæ in domini seruos ita exardescit : et quæ tam crudelis ambitio et tam nefaria : quæ te a creatore tuo potuit peruertere . Surgens lapidibus gypseisque figuris atque conflatili operi subdis colla . Si enim cecam mentem non haberes : creatorem tuum cognoscere poteras : et consequi salutem nullo fine conclusam . Rugiens hic Flaccus ac perstrepens dixit : Ego ne dæmonibus seruio furcifer ? Per salutem Cæsaris miris modis corpus tuum affligi præcipiam . Cui Nicomedes ait : equidem miror cum tanta miracula uides deum in seruos suos agere : non erubescis : Quæ audiens Flaccus uirique constantiam admirans iussit lapides ardentes lateribus eius applicari . et || fortiter uri dicendo : Deos noli respuere . Sanctus Nicomedes dixit . Noli dicere deos . sed dic dæmones . Lapides enim cum sint inanimatæ substantiae responsa dare nequeunt . Nam diabolus qui uos uinctos tenet : utens quasi organitis fistulis per eos loquitur uobis . Flaccus uero iratus : amplius tormenta augere praecepit . Cui beatus Nicomedes ait : Si totum corpus meum in partes secare contendas : non uales mentem meam a proprio statu reuocare : quoniam dominus meus nunquam suos deserit seruos : qui me confirmat : et a langoribus sanare præualet . Ipse enim salus mea est : cui a cunabulis iunctus cuiusque lacte nutritus : † sum a quo nemo mortalium separare me ualet : quoniam omnem saporem dulcedinis sue pascendo : fragilem in me amaritudinis naturam pro eius amore mortificando despicio . Flaccus dixit . Accede tantum maledicte : ut possis immortales deos habere propicios : ante quam morti te tradas . Cui Nicomedes : Omnes inquit qui eos colunt : et in eis confidunt : maledicti sunt . Ad hæc Flaccus iratus iussit fieri spinas ferreas quibus præcepit ligari sanctum martyrem Nicomedem : et sic super eas trahi . Cum autem hoc factum fuisset : beatus Nicomedes dixit ad Flaccum : Etiam si maiora horum tormenta exquisieris : quam in me exercere iubes impiissime : ego deum meum non negabo : qui natus est de spiritu sancto ex Maria Virgine : quem angeli adorant : quem tu miser non es dignus cognoscere . Ad hæc Flaccus turbatus nimium dixit militibus suis : Mittite eum in caminum ignis . Ministri autem fecerunt ut eis imperatum fuerat . et eum perduxerunt ad locum camini . Respiciens autem sanctus Nicomedes in cælum dixit : Deus patrum nostrorum exaudi me peccatorem : quia propter te hæc omnia patior . Presta mihi integrum in conspectu tuo permanere : et conserua me ab hoc igne : quem parauerunt mihi : ut cognoscant hi qui te non nouerunt : quoniam tu es deus : et non est alius preter te . Et consignans se signo crucis intrauit in caminum . Intrante autem eo in caminum statim extincta est flamma | ignis : et erat glorificans nomen domini in camino dicens : Gratias tibi ago domine Iesu christe : qui me de medio incendii ignis liberasti : et misisti angelum tuum : qui me confortans in fide confirmaret . Tibi laus et gloria domine sancte pater deus æternæ : qui nunquam tuorum obliuisceris seruorum : imo patientibus compateris . Confitebor tibi domine in toto corde meo : et glorifico nomen tuum in sæcula . Ad hæc Flaccus cum hoc uidisset : iratus est uæhementer : et fecit eum teneri : et duci ad sacrificandum . Qui cum uenisset ad templum Martis sic ait : Iam tibi dixi : et iterum dico : quia non sacrifico dæmonibus : qui nec sibi nec aliis præualent sed tantum domino meo Iesu christo me ipsum hostiam offerre pacificam deuoui exempli causa . qui seipsum hostiam sanctam et immaculatam pro suis fidelibus immolari non timuit . Cum hæc et multa talia dicerentur : plumbatis diutissime cæsus . migrauit ad dominum . et uox ad eum de cælo facta est dicens : Veni Nicomedes serue dei congaude nobiscum in paradiso deuictis omnibus colluctationibus tuis . Stat filius dei portans coronam cum magno gaudio suscipiet te . Corpus uero eius in tyberim præcipitatum est . Clericus autem eiusdlem † præsbiteri nomine et opere instus † collegit corpus eius : et posuit in birrote suo : et duxit ad hortulum suum : iuxta muros uia numentana : et illic sepeliuit illum in pace die Kalendas Iunii . In quo loco orantes dominum consequuntur medelam interuentu martyris eius : qui passus est pro nomine domini Iesu christi . Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum Amen .

PROLOGVS IN VITAM BEATI NICOLAI EPISCOPI .

Sicut omnis materia si ab Imperito artifice constructa fuerit : non solum deformitatis : uerum etiam ruinæ damna patitur : ita scripturarum se || ries si a uiro indocto prompta uerbositate ordinata fuerit : non a Venusti tantum sermonis facundia : sed etiam ab intellectus corruet altitudine : Quod ego Iohannes indignus Diaconus seruus sancti Ianuarii multum deuitans : tibi me sæpius roganti frater Athanasi rusticitatis opponebam . Sed cum mihi crebris in præcibus illud apostolicum ingereres : caritas omnia uincit : tandem aliquando assensum præbui : ut propter deuotionem quam te erga sanctissimum dei famulum Nicolaum a progenitoribus habere gaudebas : natiuitatem et uitam atque miracula quæ per eum dominus gessit : latinis explicare sermonibus : aggressus sum . Verum quia scio me pœnes liberalissimos magistros inefficacis sermonis esse : ideo depræcor omnes qui huius operis studiosi lectores accesserint : ut non facillimum prorumpant in uocem : et me indoctum meque iudicare inertem . incipiant . Dent rogo ueniam ætati : dent et naturæ . Enim uero quintum percurrens lustrum natura fragilior plus discere quam scribere aliquid appetebam . Sane ortum sancti huius et uitam et laudem quam Metheodius patriarcha argolico stilo : cuidam primicerio Theodoro nomine eum roganti de eo est prosecutus : summatim breuiterque studuimus carpere . Si cui forte displicet hæc nostra breuis narratio : mittimus eum ad græcorum falerata commenta : quæ tanto largius de eo disseruntur : quanto illi et in genere et in sermone congruunt . Cætera quoque miracula eius ex aliis doctoribus summentes magis sensu quam uerba protulimus . Excessum uero eius qualiter e seculo sanctus abierit ideo non scripsimus : quia nusquam illum inuenire potuimus . Sed cur eius finis obstinatius inquiritur : cum tantæ uirtutes operationum indicent eum post uincula carnis : post luteam domum liberum uolasse ad æthera : et in sede cælesti cum christo triumphare perhemniter . His ita præmissis : rogamus te monache dei cunctam postulare congregationem : ut fusis præcibus pariter obtineatis a domino : ut mihi imperito scribendi tribuat facultatem : Qui cum | uoluerit non tantum linguas infantium facit disertas : sed et brutorum animalium ora resoluit in uerba loquentium . Deinde tu frater mi specialiter huius sancti patrocinum† pro nobis petere non desistas : ut ea quæ de illo scribere præsumimus : non humano sed diuino sint approbata iudicio . Et sicut multos ex eius protectione gauisos legimus : ita nos meritis illius ex antiquo hoste ereptos et ab inimicis tutos fore lætemur.

VITA BEATI NICOLAI EPISCOPI .

Nicolaus itaque ex illustri prosapia ortus : cuius fuit . Pateræ urbis : quæ una ex nobilissimis lyciæ prouintiæ ciuitatibus tantum quendam fame rutilabat : quantum et populoso frequentabatur accessu : Modo peccatis exigentibus paruissimi instat redacta oppidi raro incolitur habitatore . De qua quia se occasio præbuit : licet in exordio uideamur facere digressionem : tamen quia multis reor illud profuturum : aliquid magni prodigii sicut per successionis seriem fama usque ad nos manauit : ad posteros transmittere curamus . Est enim pœnes urbem eandem quidam locus campestris : qui totus stagrosæ creberrimis flammæ alluuionibus ita dissoluitur : sicut uetus scinditur uestimentum : et ex huileis meatibus per diem fumum emittit teterrinum† : per noctem uero quasi ferrarii fornax igniuomam uaporat flamam : Cuius natura dicitur esse : ut si quis experientiæ causa manus propius adhibuerit : ardorem : quidem sentit : sed nullam patitur adustionem . O mira domini pietas : mira clementia . Qui cum sit omnipotens cui nemo audet dicere : cur ita facis non statim scelestos percutit nec perdit in crimine sed nunc paterno blanditur affectu : nunc tyrannicas intonat minas . Crebro etiam et claris exinritat signis : ut tandem de malefactis || eos peniteat : ne iusto iudicio dignas persoluant uindictas . Sic quondam filiis dei cum filiabus hominum contra eius uoluntatem coeuntibus iussit† . Noe Arcam construere : cuius saltem formidine territi : ab iniusta desisterent copulatione . Sed quia nullo modo se cohercuerunt : aquosa eos perdidit uindicta : qua totus etiam periit mundus .

Gomorræos nimirum et Sodomitas tanta sustinuit patientia : ut descendere et uidere dignaretur : utrum opere suas compleuerint actiones : Cui Abraam obuians amica exegit collocutione : ut pro decem iustis non perderet uniuersos . Quid ergo nunquid ueritas fefellit Abraam ? Sed nullo ibi nisi Loth reperto iusto : et hoc ipso de medio eorum ablato : cæteros in sulphuris uindicauit examine : et merito : ut qui odorem suæ actionis longe lateque disperserant : congruo demolirentur fætore . Ecce nunc et infelices ciuitatis prædictæ acolæ quia omnem prosecuti sunt luxuriam : omnibusque se subdiderunt illecebris : ad emendationem misericorditer signum tremendæ uindictæ acceperunt : De quibus datur intelligi : quod si ulla se penitudine redarguissent : nequaquam horribili plecterentur exterminio . Heu heu pestis iniqua tales sunt tuæ retributiones : talia tua dona : ut quos male suades : male et perire facias . Veniet ueniet crede mihi dies illa : quando et tu et auctor tuus Diabolus æterno dampnabimini incendio : Cuius similitudinem ignis præfatæ urbis habet : qui ardet : et non pœnitus exurit . Hæc compendiose digessisse nulli sit onerosum . Nunc ad ea quæ de sancto uiro inchoauimus accingamur . Præfata uero urbe adhuc multa plebium generositate referta parentes eius inter cateruas potentum quanto maiore honorificentia celebrabantur . tanto supernæ patriæ accensi desyderio . magis cælestis quam terrenæ dignitatis gloriam appetebant : Re uera enim cum essent nimium locupletati : nullius honoris insignia nullius summæ dispositionis moderamina uoluerunt sed omni studio continentium se lege uincientes cælibem uitam actita | re satagebant : et mirum in modum cum in primæuo iuuentutis flore hunc solum filium genuissent : cunctis se uoluptatibus abdicarent : et inter suas præces quas frequenter in domini templo fundebant : hunc solum superstitem non tantum diuitiarum quantum et morum flagitabant hæredem : Quorum uota deus ex alto prospectans : Haud petitioni eorum defuit : nimirum qualis futurus esset puer : in ipso ita dicam primordio natiuitatis eius monstrare dignatus est . Enim uero cum matris adhuc lacte aleretur : cœpit bino in hebdomode† die quarta scilicet et sexta feria semel bibere mammas : et hac uice contentus tota die sic permanebat . Quis rerum immense deus quis inquam mortalium de omnipotentiæ tuæ operibus audet disputare ? Quis non contremiscat tuam magnificentiam . qui uocas ea quæ non sunt tanquam ea : quæ sunt . Ecce noui Zacharie uates : ecce alterius Elisabeth filius . Ille teneris in membris immo in utero matris spiritu sancto est repletus hic fascia inuolutus quibus ualebat impensis eiusdem spiritus sancti templum ædificabat . Ille de anu parente christum indice prodit . hic de Iuuene matre christum ab infantia est secutus . Absit tamen : ut nos quanquam ineffabilis meriti sit apud deum iste sanctus : beato illum equiparemus Iohanni : cum dominus dicat : inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne baptista : Sed ut fragiles : in quantum possumus : et quibus possumus uerbis laudamus magnalia dei . Quis enim audit paruulum in die semel et non amplius papilas bibere matris : et facile credit ? Quis non obstupescit tanto percussus auditu ? Sed si dominum in euangelio dicentem attendimus : pater meus usque modo operatur : et ego operor : omnis abscedit incredulitas : omnisque sopitur intentio . Puerilibus igitur annis ut patriarcha Iacob simpliciter domi transactis cœpit bonæ indolis adolescens esse : et non sicut illa ætas assolet lasciuias complexus est mundi : sed nunc parentum comitatus uestigiis : nunc solus ecclesiarum terebat limina : Et quod ibi patulo de scripturis aduerte ‖ bat auditu : non immemor armariolo pectoris recondebat . Vbi autem utroque parente orbatus est . sæpius illud euangelicum ante suæ mentis oculos ducebat : Nisi quis renunciauerit omnibus : quæ possidet . non potest meus esse discipulus : et cum anhelaret ad perficiendum : quod pio uertebat in pectore : iuuenilis formido cœpit titillare mentem : ne borealis aura perceleret . quidquid pro christo facere disponebat Hæc secum ad deum uerum totum desiderii sui pandens uelamen deprecabatur : ut ille qui habet omnium scientiam : inspiraret : quatenus de tantis sibi relictis opibus sic ordinaret : ut muta laude humana conspectui placeret diuino . Talia eo cogitante accidit : ut quidam conuicaneus eius nimium locuples ad tantam ueniret inopiam ut nec necessaria uitæ haberet . Quid plura ? Ingruente inedia tres uirgines quas habebat filias : quarum nuptias etiam ignobiles uiri spernebant : fornicari constituit : ut earum saltem infami commercio infelicem ageret uitam . Proh pudor extemplo fama tanti mali qua non uelocius ullum mobilitate uiget : totam pertulit urbem : et multiplici omnes sermone replebat : Quod ubi sanctus Nicolaus reperit : condoluit miser-

rimo homini : atque uirginum execrans stuprum : decreuit omnino ex suis abundantiis earum supplere inopiam : ne puellæ nobilibus ortæ natalibus lupanari macularentur infamia . Sed cum nollet alium in suis factis nisi christum habere contemplatorem : cœpit explorare temporum uices : quo id sic operaretur : ut etiam eos lateret : quibus benefaceret : Taliaque secum uoluens aiebat . Eia famule dei exime pauperiem patris . exime filiarum scortum Tellus tuæ mentis hactenus sancto exculta uomere : duplum subito prorumpat in fructum : ut ex uno famelici satietur ingluuies : et ex alio uirginum redimatur incœstus . Non occultes serentis christi fruges : quæ carent zizania . Aperi thesaurum tuum : ubi pietatis gazæ resultant : nec paueas adulationis fomitem : quia non exurit flamma uiciorum diuitias : quas appro | bat christus . Non timet illa ædificatio ignem æternum : quæ fabricatur opifici summo . Rumpe morulas omnes . opus perfice bonum : ut uideant imo sentiant homines : et glorificent patrem tuum : qui in cælis est . Inuenta ergo cuiusdam noctis hora : sumens non modicum aurum : ligansque in panno perrexit domum uiri : Qui undique circumspiciens per fenestram : quæ competens uidebatur clam introiecit : clam discessit . O nouam Iacob stropham . Ille commentatus est : qualiter laban mercedem non amitteret : hic autem ut cælestibus non priuaretur commodis . Ille in cannalibus decorticatas ponebat uirgas : ut uaria quæque acciperet : hic ut helysiis uaria oblectamenta quiuerit adipisci : ædis inter claustra ligatum proiciet obrizum . Hic est Iesu magister bone tuus non surdus auditor : qui iussis obtemperans tuis : duo impleuit præcepta : et miseratus est hominem mendicum : et opus sic prodidit dexteræ : ut ignoraret sinistra : Mane itaque facto cum surrexisset homo : aurumque reperisset illud : diriguit primum : ac tunc quanto gestiuit gaudio : quantasque deo gratias egit si quis uelit : ex huberibus eius lachrymis quas magnitudo letitiæ fuderat aduertere potest . Tamen aliquantisper sciscitandus est uir iste de inopinata sua exultatione . Dic age rogo te homo : cur tanto exultas gaudio? Hactenus enim lugubrem uultum tuum ostendebas : nunc te hilarem cerno . Bene inquit lætari me uides : quia dominus clæmens nescio per quem præstitit uitæ meæ subsidium : quo carere queam infamia : quam inuitus incurrebam . Cui ergo ascribis impensam tibi benignitatem? forsitan fidei tuæ? prorsus illi . O temeraria lingua uiri . Ante paululum tantæ te ostendisti infidelitatis : ut temptatus non gratias deo ageres : sed prostibulum esse decerneres templum spiritus sancti : Et nunc te astruis hoc dignum fuisse . Quale inquis templum dei dicis? Vis nosce quale? Audi : uas electionis clare illud commendet : Omnis ait . qui caste uiuit : templum est dei : et sedes spiritus sancti . Si ita est || immo quia ita est : quamobrem tu filias tuas fornicari mandabas : Quia inquis inedia opprimebar . Et cur non laborabas manibus propriis sicut apostoli fecerunt : qui non tantum pro se sed ut etiam haberent unde tribuerent necessitatem pacienti : laborasse comprobantur . Nobilitas ait mea renuebat aliquod opus facere . Infelix si te illustrem consyderabas : cur puellas ex te genitas pomposo lenonum ministerio ignobilitari malebas? Disce ergo miser . disce . non tribuere fidei tuæ : quæ sententiam meruit apostoli dicentis : Qui templum dei uiolauerit : disperdet illum deus . Sed large dei clæmentiæ : qui non est passus diu contegi famuli sui lucernam sub modio : ne lux lateret in tenebris : sed ut posita super candelebrum† luceret omnibus : qui sunt in domo domini . Tu tantum reuoca filias . Esto pronubus copulæ iustæ non leno commixtionis iniustæ Trade maritis : quas prosternebas fornicatoribus . Lætentur coniugio iusto : non deformentur concubitu iniusto . Præsto est . crede mihi qui tibi dotem ministrat : ut omnes connubio stabili iungere possis . Celebratis igitur ex more primogenitæ filiæ suæ nuptiis cœpit homo diligenter inquirere : quis esset qui inopiæ suæ tantam præstitisset humanitatem : Cumque diu talia moliretur : Nicolaus christi seruus haud multo post triduo quo prius : simile peregit opus . O uirum omni imbutum peritia omnique instructum scientia : qui ut se utrumque testamentum suscipere profiteretur : non est cōtentus lege litteræ : sed annectit euangelicam gratiam : ut duobus fluminibus uno ex meatu profluentibus arentis fidei ortulum bene irrigaret : ne ultra sentes falce pietatis incisæ : lolio infande uisionis lætam ualerent atterere frugem . Vbi uero reddita est dies : et homo prosiliuit de stratu suo : inuenitque fului pondo metalli prioris æquale tanto exultauit gaudio : ut si homeri aut Maronis adesset facundia : loquacitas in tantarum magnitudine laudum exprimenda puto succubuisset . Sed nos non nulla orationis eius prose | quentes : cætera sagaci lectori melius sub silentio ad intelligendum relinquere :

quam indigare elegimus . Orauit autem sic : Domine domine absque cuius nutu nec passer ad terram nec folium cadit arboris : precor clæmentiam tuam : ut tu qui omnia nosti : ostendere digneris mihi peccatori : quis sit ille : qui tanta bona erga me exhibere non desinit : hæc uere domine ideo peto : non ut temerario ausu polutis eum contingere quæram manibus : sed ut sciam famulum tuum : qui inter homines degens : angelicam habet conuersationem : et magnificem nomen tuum benedictum in sæcula . Talibus dictis orabat : talibusque se hortabatur sermonibus : Auferam certe somnum ab oculis meis . excubabo sollicitus : uigilansque pernoctabo . forsitan ostendet mihi dominus seruum suum . Dixit : et dictum cœpit opere complere . Interea paucis admodum euolutis diebus ecce cultor æternitatis aduenit Nicolaus : et iteratæ uicis factum trino supplere cupiens numero : æquale duorum iactauit talentum : Cuius sonitu excitatus homo statim egressus : iam uadentem iamque fugientem tali subsequebatur uoce : Siste gradum : neque enim aspectui te subtrahæ nostro . olim te concupiui cernere . Sic fatus ocyor aduolat : spatioque correpto Nicolaum agnouit per umbras : Moxque humi prostratus osculari satagebat pedes eius. Quod sanctus pio ut erat pectore fieri prohibuit . Sed breuiter allocutus exegit ab eo : ne cuiquam dum uitales carperet auras Nicolaum huius rei indicaret auctorem . Felix felicem imitatus est magistrum : qui non solum homines sed etiam dæmones comprimebat : ne famam eius sererent in populo . Ille enim ne ueris falsa miscerent : iste uero ne quolibet extolleretur rumusculo : interdixit homini : ut nullo modo panderet nomen eius . hic omnibus uotis colendus omnibusque præconiis extollendus : qui sciens duobus non posse placere dominis unum elegit : cuius onus leue est : cui tota deuotione colla summittens : ponderosam sarcinam mundi cum oble || ctatione sua proiecit . Noluit quoque seculi captare famam : ne sanctorum contubernio priuaretur . Committebat se deo assidue : qui dispensat et ordinat omnia : quando uult : et quomodo uult . His itaque transactis Mirea metropolis orbata est suo Episcopo : Cuius obitum non mediocriter adiacentium parochiarum condolebant Episcopi : fuerat enim bene religiosus : conuenerunt in unum dicens cunctis : Vt Iesu annuente dominus prouideret illi ecclesiæ secundum scita canonum idoneum præsulem . Contioni itaque intererat quidam pontifex magnæ auctoritatis : ad cuins† intuitum omnium pendebat sententia : ut quem ille uoce proderet : hunc proculdubio eligerent uniuersi . Hic uero per omnia sequens apostolorum uestigia : cunctos ieiuniis et deuotissimis præcibus hortatus est insistere : ut ille qui Mathiam indidit numerum supplere apostolicum ipse solita clæmentia pandere dignaretur : quem uellet fungi tanto sacerdocio . Tunc omnes quasi cælesti commonerentur oraculo : sic conuersi ad deum flagitabant ex intimis præcordiis : ut pastor ætærnus utillissimum suarum ouium pastorem ostendere dignaretur . Illis qnippe† summa cum deuotione orantibus uocem de cælo audiuit dicentem sibi prædictus pontifex : ut egrediens ante portas ecclesiæ staret : et quem primum hora matutinali uenire conspiceret : ipsum consecrarent antistitem : adiungens etiam quod Nicolaus uocitaretur . Tunc præsul ille cæteris coepiscopis hanc sciens reuelationem adiecit : Vobis in oratione persistentibus ego forinsecus excubabo . Credo enim quod non priuemur promissione dei . Sic ait : et ianuas asyli sancta acalliditate† obseruabat Mirum in modum matutinali hora quasi a domino missus se ante omnes agebat Nicolaus . Cumque ad ecclesiæ ianuas appropinquasset : iniecta manu eum apprehendit Episcopus : blandeque sciscitatus est Quod equidem nomen tibi est ? Ille columbina ut erat simplicitate inclinato capite Nicolaus inquit seruus uestre sanctitatis : Cui protinus præsul palmis innexis ait : | Fili ueni mecum . est aliquid secreti : quod tuæ indoli fari debeam . Mox introgressus en fratres proclamauit uere ait dominus : quodcunque petieritis in nomine meo : credite : quia accipietis : et fiet uobis . En inquam : quod petiuimus : accipimus . Ecce adest : de quo nostra flagitauit caritas . Quo uiso ingentem omnes tulere clamorem ad sydera : et certatim laudabant saluatoris magnalia . Episcopi lætabantur pro collega cælitus sibi collato . Clerici alludebant sicut bonæ pecudes . Quid moror ? Licet plurimum renitens obstiterit : plurimumque repugnauerit : super thronum impositus est illico : et sicut mox est illius regionis pontificalem accepit insulam† . Mira prorsus mira et stupenda sunt quæ narrantur : et si licet : antiquis per omnia comparanda . Quondam enim Samueli prophete sanctus præcepit spiritus : ut ad domum Isai pergeret : unumque ex eius filiis placitum deo regem inungeret . Modo

autem isti Episcopo ex intimo præcanti affectu uox de cælo iussit : ut coram templi foribus excubaret : quatenus ibidem dignum deo et ecclesiæ suæ sanctæ quod utile feret reperiret episcopnm†. Illi quanquam uidenti locus tantum non regis nomen prædicitur : hic et locus et nomen præsulis declaratur . Ille caput regium cornu roborauit olei . iste super caput Nicolai uirtutem inuocauit spiritus sancti . Sed tamen et rex et præsul utrumque electus est a domino . Vnde nos minime irridendi sumus . magnis componere parua . Hinc iam ad ea quæ in episcopatu gessit . opem domino ferente uertatur stilus . Sed quia non nostrum est examusim cuncta digerere : obnixius petimus : ut non superbe insolentiæ humili ignoscatur audaciæ : et quod balbutiendo uix paucissimis explicamus uerbis : ob amorem sancti libenter amplexentur . Pontificali igitur cathedra sublimatus . eandem morum grauitatem . quam prius eandemque sectabatur humilitatem creber in oratione peruigilabat : corpus ieiuniis macerabat . Mulierum consortia licet ab ipso puritiæ† suæ tempore exhorruuerit† : tamen quandam ex hoc quasi pestem || fugiebat . In suscipiendis hominibus humilem : in loquendo efficacem se præbebat . Alacer erat in exhortando : seuerus in corripiendo . Viduarum et orphanorum atque oppressorum sic negotia curabat : ac si propria essent . Rapinam execrabatur potentium : arguebat uiolentos : et si quem forte quolibet casu afflictum cernebat : mirabiliter reficiebat : mirabiliusque consolabatur . Crescebat quottidie fama bonitatis eius : quæ ubique laudem ferebat Nicolai : Hinc potens . Hinc impotens nominabat illum . Gaudebat populus cunctus de tali patrono : lætabantur heroes de tanto pontifice : qui ita se auctoritate et gratia plenum exhibebat : ut omnium gereret curam : et Episcopi dignitatem non amitteret . Verum tempus mihi deficit : quin et sermo deserit : si de singulis eius scribere meritis contendam . sed qui scire uoluerit : qualem se quantumque præstiterit : mordacem comprimat dentem : et ex subiectis agnoscere ualebit . Cum igitur omnium carismatum uirtute corroboraretur Nicolaus : et nihil sibi sed totum dei gratiæ tribueret : cœpit ita coruscare miraculis : ut non tantum sui sed etiam alieni quilibet oppressi angustiis inuocato nomine eius statim sentirent leuamen . Quadam uero die cum quidam nautæ subita maris tempestate periclitarentur : adeo ut præsentem illis minitarentur omnia mortem : extemplo dissolutis frigore membris clamitabant : Nicolae famule dei si uera sunt ea quæ de te audiuimus : nunc nunc nos in supremo periculo constituti experiamur : quatenus eruti ex seuientis fluctibus maris : deo et tuæ liberationi gratias agamus . Mira res . Talia referentibus apparuit quidam in similitudine uiri dicens eis : Vocastis enim me ecce assum . Et cœpit eos in rudentibus et antennis aliisque iuuare Nauticis armamentis . Næc multo post omnis pelagi cecidit fragor : omnisque cessauit tempestas . Tunc leti naute pacata sulcantes æquora quantocyus optatum subeunt portum : Et mox egressi sciscitabantur : ubi Nicolaus esset : Cum | autem indicatum fuisset eis in ecclesia : e uestigio egressi : mirabile dictu : quem nunquam uiderant sine indice cognouerunt . Hic ad eius pedes prostrati cœperunt ei gratias agere dicentes : qualiter de confinio mortis episcopo suffragante liberati essent : Quibus sanctus : Non meæ inquit possibilitatis arbitremini esse : quod factum est . solita dei est misericordia : qui propter credulitatem uestræ fidei uobis sua succurrere dignatus est clæmentia . Discite ergo quantum ualeat apud deum fides uera et petitio non ficta . Propter peccata enim nostra quottidie flagelamur : tamen si ex toto corde ad bonum deum conuersi fuerimus : uiscera misericordiæ suæ illico super nos commouet et eripiet nos de imminentibus periculis . Idcircho non pigeat uos fratres benefacere : sectari humilitatem : libenter pauperibus succurrere . Credite meæ paruitati : quia ex quo homo in huiusmodi uoraginem propter delicta sua deiectus est : nullum eius bonum sic deus approbare legitur sicut eleimosinam . tamen si non ob mundi fiat gloriam . His aliisque talibus instructi : ammirantesque humilitatem spiritus uilitatem habitus . sermonis facundiam atque magnitudinem uirtutis eius discêsserunt . Quodam itaque tempore cum eandem Lyciam regionem . accolarum pro meritis sic perniciosa fames oppressisset : ut seges ægra uictum omnem negaret : mox a prouincialibus ruricolis sæpe dicto famulo dei pro indigentibus maxime periclitanti naues triticeis onustæ mercibus in littore hadriatici portus adesse nunciantur . Quo uelox adueniens Nicolaus : nautis infit : Vos rogaturus accessi : ut populo huic tabe diuturnæ famis laboranti consulentes : aliquantulum remedii ex isto impertiri studeatis frumento . Sic sanctus : et sancto sic aiunt illi : Non audemus pater tuis obsequi

præceptis : quia publica taxatione angariati Alexandriam perreximus : et modo hoc triticum deferimus per ministrorum manus in augustalium stipendii metiendum : Quibus sanctus : Audite inquit me : et || ne hic amplius attenuetur apostolus per unamquanque ratem saltem centum mihi modios præbete : et ego in nomine domini mei cui seruio in uirtute spondeo : polliceor promitto : quia nullam minorationem habebitis apud regium exactorem . Tandem interuentu præsulis conuicti ex singulis pupibus centum numerauere modios : et confestim secundo surgentes uento : classes portumque relinquunt : atque spirantibus auris uolucri cursu Byzantio applicuerunt urbi . Cum autem integram mensuram quam Alexandriæ susceperant ministris imperatoris numerassent : tantus stupor omnes cœpit : ut præ admiratione seriatim cuncta quæ facta fuerant eisdem narrarent ministris : Qua relatione perculsi deum omnium rerum auctorem continuata utrique laude magnificant . Vir itaque dei accepto frumento . sic per industriam illud partiri studuit : sicut unumquenque nouerat indigere . Mirandis plus miranda succedunt . Tanta enim omnipotens dei largitate hoc ipsum parum quod sanctus distribuit auctum est : ut non tantum eodem sed etiam altero exacto anno ad uictum singulis sufficeret : Quin et multi spe credula exinde serere non dubitantes : nequaquam eos expectata seges uanis frustrata est aristis : sed huberius sparsit radicibus . Porro nemini hoc incredibile uideatur : quia saluatoris promissio est ista dicentis : Si habueritis fidem sicut granum sinapis : et dixeritis monti huic : te transfer : transferetur : et illud : Qui in me credit : opera quæ ego facio et ipse faciet : et maiora horum faciet : Vere enim in eo credidit Nicolaus in cuius opitulatione : tale tantumque ualuit facere miraculum . Ex multis igitur idolatriis quibus olim præfata regio dedita fuerat : maximam clæmentiæ suæ deuotionem erga nefandissimæ dyanæ simulacrum exhibere studuit . Adeo ut etiam illud ad usque serui dei tempus plærique rusticorum execrabili deseruirent religioni . Sed uir dei huius sacrilegii superstitionem tanta persecutus est instantia : ut diuino sufragatus | amminiculo : pœnitus ex illis finibus obscæni numinis culturam propelleret . Verum quid Diabolo maliciosius ? Quid in orbe artificiosius ? Cum autam† cerneret se priuatum tanto decoris sui cultu : fellea face succensus magnam contra Nicolaum exarsit in iram : et nouo pectore noua uersans consilia : quosdam adiit uiros omnibus imbutos immo perditos maleficiis : eisque conficere oleum quod Midiacon dicitur sub omni celeritate præcepit . Parent protinus egregii auditores dictis cari magistri : et quantocius portentuosi liqnoris† mixtionem componunt . Quo confecto haud piger dæmon ad nocendum transformauit se in cuiusdam religiosæ feminæ uultum : atque simulata specie quibusdam nauigantibus quorum deuotio ad seruum dei tendebat medio se se contulit mari : et quasi aliorum lembo uteretur . ait eis : Video quidem uos proficisi† domum Nicolai . mallem nunc et ego uenire uobiscum : quia uotum habeo tanti patris perfrui benedictione . Sed quoniam nequeo rogo uos : ut si molestum non est hoc meæ paruitatis oleum ad ecclesiam myream feratis : et ob memoriam mei sumatis exemplum : et in pariete ipsius aulæ liniatis . Illi utro† ignari doli artisque fucatæ : sumunt oleum classe : et libenter secum uehunt . Tunc monstrum informe umbra uelut tenuis uelociter euanuit . Sed pius dominus inuidorum aspernator non est passus diu simpliciter ad famulum suum properantes munus ferre simulate imaginis : nec sermonibus fantasticis delusos progredi . Ex improuiso enim cernunt sagenulam insignibus refertam hominibus : inter quos conspicantur quendam simillimum sancti Nicolai : qui ad eos facetis interrogationibus orsus est : Heus inquit . quænam mulier illa uobis locuta est : uel quid uobis attulit ? At illi seriatim cuncta narrantes : en aiunt et oleum ostendunt quod se præcata esset ad sanctam portare ecclesiam . Quibus ille : Vultis euidentius sapere : quæ fuit fœmina illa ? Hæc enim est impudica diana : || et ut me certo uerum dicere comprobetis : hoc uasculum execrandi olei istos proicite in fluctus . Nulla in medium mora incunctanter faciunt imperata . Mox autem ubi oleum illud æquoreas tetigit aquas : mirabile dictu : illico accensus est ignis : et contra naturam elementi prolyxo maris spatio uisus est ardere . Hæc uero dum nautis stupenda uidentur : et defixo obtutu hærent in tanto prodigio : utrorumque naues magno diuisæ sunt interuallo : unde nec interrogare ualuerunt quis esset ille : per quem callidi hostis frustratas agnouere insidias . Veruntamen ut deuolarent ad sanctum festinantes Nicolaum clara uoce referebant obuiantibus sibi : quid eis acciderat : Venientes autem ad seruum dei aiebant : Vere tu es ille : qui

nobis in illo pelago horrendum ostendisti prodigium . Vere tu uerus es dei famulus : ob cuius uitæ meritum erepti sumus ab exicialibus diaboli insidiis . Talia dicentes cunctum rei euentum per ordinem indicant : Quibus auditis uir domini solito more in laudem prorupit clæmentissimi patris : ac deinde monuit eos : iuste et pie uiuere : ac se tutele custodis æterni ex toto committere : qui neminem permittit temptari super id : quod potest . Talibus itaque oraculis facilius informatos : optataque benedictione exhilaratos letantesque homines illos Iesu christi famulus remisit ad propria .

Præterea cum in phrygiæ partibus gens cognomine Artaiphala sediciosis machinantibus uiris : a Constantini Cæsaris imperio discessissent : confestim idem augustus tres militiæ principes quos dolopes stratiles uocant : nepotianum scilicet ursum et harpilionem ex consulto accitos alloquitur : eisque iussit : ut præparato nauali apparatu ad subiciendos proficiscerentur rebelles : Armata itaque iuuentute : et stipata militari ambitione : Constantinopoli egredientes pacatum per æquor nauigare cœperunt . Qui postquam longissima maris itinera transfretarunt : et pontum sulcarunt lyciæ regionis : subita intemperie exorte incumbebant pericli | tabantur procelæ : Ac per hoc nec obniti contra nec tendere ualentes : flectunt uiam crebrescentibus uentis : et tandem littoribus hadriatici portus allabuntur . Vbi iactis ex more anchoris stabiliuntur classes : sicque demum optata potiti harena : cœperunt non nulli huc atque illuc deambulare iuuenes : aliqui uero eorum mercationis causa usque ad locum nundinarum qui placomata uocatur accedentes : rapinam ut illud hominum genus consuetum est infigere non desinebant : Quod mobile acolarum uulgus aduertens : omne ruit ad obsistendum : Quibus uicisim ceu auersis magno turbine . uentis confligentibus tumultus repetens pateræ urbi pro nuncio fuit : Vnde factum est : ut eadem Ciuitas ad arcendam uim tantæ sedicionis tota concurreret : Qua uir domini commotione perculsus exit : ciuiumque furentium indignationem sagaciter comprimens : ad præfatum portum qui ab ipsa urbe tribus disparabatur millibus : festinus perrexit : Ibique repertis principibus illis post salutationis officium oscula libauit : ac deinde percontatus est dicens : Qui estis ? Vnde ? Pacemne huc fertis an arma ? At illi : Pater inquiunt sancte pacifici sumus . et tempestas nos uestris appullit oris . Nam cursus noster phrygiam tendit . Increuerunt enim quidam rebelles : ad quorum contumaciam edomandam ab imperatoria sumus potestate directi : Ideoque petimus : ut tuis nos comiteris orationibus : quatenus id decenter perficere possimus . Hic præsul alacriter eos allocutus inuitauit : ut pariter ad urbis proficiscentes mœnia : non dedignarentur illius perfrui benedictione . Mox stratilates illi tantam serui dei admirantes efficaciam : illico omni suo interdixerunt populo : ut non barbaricæ fremerent : nec indisciplinate ultra agentes uim quibuslibet facere præsumerent . His ita sedatis : ecce relatum est a dicentibus : Domine sancte si tua præsto fuisset in ciuitate paternitas : nullo modo iniuste fieret trium militum cædes . Nam et ciues omnes ualde uestram condoluerunt absentiam : || quoniam consul magno excæcatus munere : neci eorum consensit : Quibus auditis uir domini pietatis igne inflamatus : præfatos rogauit principes : ut cum illo rapidis festinarent passibus . Nec mora : ingrediuntur urbem : et in locum qui Leonti dicitur applicantes : interrogauit sanctus Nicolaus : quos ibi reperit : si adhuc uiuerent : qui capitalem acceperant sententiam . Respondentes illi dixerunt : Festina uenerabilis pater festina : quia in platea Dioscori uiui detinentur . Mox ad ecclesiam martyrum Crescentii et Dioscori pro quo ipsa cognominabatur platea concurrens : et non eos reperiens : sciscitatus est ubi essent : Cui dictum est : iam modo portas illius urbis egrediuntur : Quo dum tenderet : audiuit eos asportatos in Birram : ubi dampnaticii perimebantur . Hoc Veredarius et famulus christi audito licet tanto fatigatus itinere : abiit : cucurrit : et ad locum usque expeditus perueniens reperit eos poplite flexo : uelata facie atque super exertam ceruicem operiri iam libratum spiculatoris ensem . Hic experiri potest ueridica illa sententia : iustus ut leo confidit : Nam non de potestate mundana : non mucrone territus : totum se in lictorem ingessit : eminusque de manu eius gladium propellens : nec prius abscessit : quam illos solutos a uinculis secum reduceret . repetens . me me inquam nam pro istis innocenter condemnatis paratus sum dedere leto . Ex carnificibus autem illis nemo saltem ei mutire audebat . scientes eum magni meriti magnæque esse constantiæ : et in christo plurimum ualere . Fauore igitur prosecutus populi : qui eius expectando aduentum gladiatoribus impedimento fuerat : ad prætorium proconsulis

accessit : cuius foribus ui magis quam uoluntarie reseratis . Erant enim clausæ : nunciatum est Eustachio consuli a cubiculariis de aduentu præsulis . Illico Dux ille festinus ei occurrens salutauit eum . Sed quia scriptum est : probata autem uirtus corripit inscipientes : aspernans sanctus aiebat : Inimice dei præuaricator le | gis : cuius os innocentium cruorem dulcius ebibit melle : qua temeritate præsumpsisti uultum conspicere nostrum . Tanti conscius reatus cruentissime quare non attendisti dominicam præceptionem : quæ quottidie intonat : innocentem et iustum nolite condempnare : Ad quem responsum paucis ita reddidit heros : Cur me sic accipis serue dei ? Cur frustra in me sæuis ? Animaduerte : quia magis Eudoxius et Simonides huius urbis insignes : ex hoc magis arguendi sunt quam ego . Re uera enim ipsi sunt uæhementer accensi ad effundendum sanguinem horum . Cui præsul e contra . Non Simonides inquit nec Eudoxius sed auri argentique cupido te illexit : ut ad patrandum tantum facinus consentires . Crede meæ paruitati : quia quomodolibet regimen tuum disponis imo quo deprædaris hanc patriam : piissimis Augusti insinuabitur auribus : qui factis tuis dignam recompenset æquitatem . Hæc et alia perstabat memorans : fixusque manebat : et ducem infamabat . Tandem aliquando accedentes præfati milites multum obsecrabant : ut suposito furore consuli uæhementi rubore suffusso ueniam daret : Quorum postulationem uir domini clæmenter accipiens : ducem Eustachium quem coram omnibus infamarat : coram omnibus humiliter mulcere studuit : Stratilates deinde illi post celebratum conuiuium : pontificis benedictionem aucti lætanter socios classemque reuisunt . Inde ubi prima fides pelago reddita est iter aggressi sunt cœptum : et flatibus inuecti secundis : uelociter phrygiam perrexerunt : Quam cum sagaciter ablatis sedicionis fautoribus sub imperii iura redegissent : Constantinopoleam repetierunt urbem : Quibus non solum gratulabundus occurrit populus : sed procerum multi : imperator etiam ob subactos sine sanguine hostes gestiens gaudio triumphantium more recepit . Sed hæc non æquis oculis ille antiquus humanæ salutis æmulus aspiciens in longum quieuit : Tandiu enim se formas uertit in omnes : quousque inuidos quosdam stimulis || cogeret amaris : qui eorum dignitatem zelo prosequentes aut dedecus : aut necem contra illos molirentur . Quid multa ? Accedentes quidam dolosi ad quendam præfectum nomine Ablauium : quem Achiui Aparchum uocant in multis eos accusabant præsertim contra Augustum eos nitebantur ostendere conspiratores : adicientes subdolam esse illorum locutionem : et fucatam humilitatem : ex quo tanta simultas non esset attendenda . Quia ubi tempus inuenerint : secus apparebunt : Sed cum se inanibus uocibus nihil affectare conspicerent : cœperunt magnis muneribus animum uiri illicere : et eum in perniciem armare innocentium . Verum quid non cogit mortalia pectora auri sacra fames ? Extemplo corruptus Parchus immensitate fului metalli intrauit ad Augustum : et sic orsus est : Excelentissime domine cuius moderamine totus mundus paccatus quiescit : ecce inuidia diaboli a quo omnis nequiciæ sæminarium oritur : infestos contra nos suscitauit inimicos : Re uera enim stratilates illi quos dudum phrygiam uestra misit sublimitas : insidias machinantur domino meo . Nam conuenticula crebra agentes : promittunt confederatores suos ditari opibus : et magnis extolli dignitatibus . Hoc ego pro certo sciens : ideo coram tua ueni narrare præsentia : ne diuinum iudicium et Imperialem incurrerem iram : Quoniam quidem non solum rei sunt : qui male faciunt : sed et qui consentiunt facientibus . Maxime cum hæc proculdubio a sociis eorum didicissem . Vnde cælitus uobis colata prouideat sagacitas : quod facto opus sit . Credidit itaque augustus falaciis eius : ut pote præfecti sui : et iratus euestigio compræhendi eos iussit : et in carcere retrudi . Illis uero carceralibus custodiis mancipatis : accidit haud reor sine nutu diuino : ut imperator in summis rei publicæ præoccupatus negociis : horum protelaret sententiam . Sed quia cæcum pectus quod semel inficit : difficile pœnitudine renitescit : prædicti callumniatores paucis effluxis diebus assunt : et | memorato præfecto promissa munera deferentes : quo pacto inquiunt inimicos nostros uitæ donastis . et non capti cominus sunt iugulati ? An sperastis seditioni uos posse finem imponere : si eos arctari ergastulo iuberetis ? Ecce enim retrusi sociis eorum amminiculantibus exire satagunt : et meditatam implere nequitiam : Idcirco te conari necesse est : ne tale quid quod non optamus perficere possint . Alioquin uigilasse pro pace uestra nos pœnitebit : et uos celerrime peribitis . Coactus ergo præfectus illo magis cruento munere quam sermone denuo auribus

cæsaris talia uenena infudit : Domine Auguste . scelesti illi quos pietas uestra uiuere sinit . non cessant pestifera cum suis conspiratoribus meditari consilia . Certo enim certius noueritis eos extrinsecus habere coniuratos : qui illos uiriliter adiuuare satagunt : ut egredientes insperate ad necandum super dominum nostrum irruant . Illico augustus quasi suam comperisset mortem tanta furia actus est : ut absque inquisitionis respectu præceperit illos occidi : Quo mandato auaritiæ accepto : præ gaudio magno misit ad custodem carceris : ut hos segregatos sollicitius obseruaret : quatenus subsequenti nocte clanculo perimerentur . Custos autem ille bone compassionis uir : et merito Hylarianus uocitatus præripuit se ad carcerem . et mæsto hanc edidit pectore uocem : Vtinam uos domini nunquam scissem : proh dolor . hodie separamur ab inuicem : et lachrymis suffusis ait : Eloquar an sileam . Sed tamen cogor loqui uobis : Sciatis ab augusto egressam esse sententiam : ut hac nocte absque dillatione occidamini . Præordinate ergo de rebus uestris : ne postmodum in suppremo constituti : magis eas exterminio quam testamento delegatos relinquatis : Quibus auditis extemplo gelidus per tota cucurit ossa tremor : et ingemiscentes sparsis crinibus scidere uestimenta sua : atque hululatu cum magno talia clamitabant : heu quisnam est tantus iste furor ? quæ tanta seueritas : ut sic moriamur sicut crassa || tores populorum : qui saltem nec interrogatione digni habentur . Immanis est ista crudelitas : et nec audita in gentilibus . Cum autem diu multumque ita gemerent Nepotianus unus ex eis recordatus est qualiter sanctus Nicolaus iuuenum liberator trium mirabilis fuisset . suspirans iterum iterumque tandem hanc precem fudit : Rex deus excelse succurre miseris perituris : meamque humillimam deprecationem : non nostris sed serui tui Nicolai meritis dignanter attende : quatenus sicut eius instantia tres illos erutos a morte conspeximus : ita nos per eius intercessionem ab instanti eripiamur sententia : Quoniam quidem si non adest corporaliter : credamus tamen illum spiritualiter omnium compati necessitatibus : pro quibus tibi sæpius supplicaret . Te igitur precamur domine tu qui uoluntatem timentium te facis : propter orationes eius libera nos . Sic Nepotianus . sic et comites eius supplicabant : atque simul uno ore clamabant : Sancte Nicolae adiuua nos . serue dei licet absens interueni pro nobis : ut eruti a presenti iugulo : tuam deuoti uidere faciem : tuosque sacratissimos mereamur osculari pedes . O clæmens pietas saluatoris . O immensa benignitas creatoris . quæ tanto laudanda est præconio : quantum ab omnibus simpliciter se petentibus exorabilis : Quis umquam eum quæsiuit puro corde et non inuenit ? Quis petiuit ab eo misericordiam : et non accepit ? Ipse enim se obligauit dicens : Quodcunque petieritis patrem in nomine meo fiet uobis . Huius enim sponsionem ueritatis inter angustias hi tres mirabiliter sunt experti . Nam uir dei adhuc uitam carpebat præsentem : et bonus dominus sic prædictorum supplicum preces audire dignatus est : ac si sanctus Nicolaus interuentor in superiore regno penes eum fuisset . Sed hæc cuius sunt nisi tua christe dona . tuæ retributiones . tuæ prorsus domine : qui glorificantes te non solum coram tuo patre in cælis sed etiam in terris coram hominibus glorificare consueuisti . Nocte igitur inse | cuta qua plectendi erant stratilates illi : cum se imperator Eparchusque sopori dedissent : similia uiderunt somnia . Quæ ideo singillatim narramus : ut euidentissime omnipotentem intelligamus : non tantum palam . sed etiam per uisiones minari iusticiæ præuaricatoribus . Neque id frustra facit : sed quia plus gaudet super uno peccatore quam super nonagintanouem iustis : ostendit se malle cunctorum pœnitentiam . Visiones autem huiusmodi fuerunt . Apparuit quædam effigies sancti Nicolai dicentis : Constantinæ . Cur stratilates illos iniuste compræhendi fecisti ? Cur sine crimine morti abdicasti ? Surge celer : eosque dimitti quantocyus iubeto : Quod si fortasis me spreto aliud facere uolueris : cælestem præcor regem : ut contemptus mei ultor existens tibi indurato bellum sinat insurgere : et te ibi perempto caro tua bestiis auibusque sit cibus : Cui Augustus quis et cuius auctoritatis es tu :· ut hac hora palatium meum ingressus : talia audeas loqui ? Et ille : Ego sum Nicolaus peccator Mireæ metropolis Episcopus . Hæc dicens abiit . Eparchumque sic territat ipsum . Ablabi uecors mente et sensu perdite quæ tibi necessitas incubuit : ut obstinatus innocentium fores delator ? Perge uelox : illosque continuo e carcere produci facito . Sin autem imperatoris æterni maiestatem obtineo : ut totum corpus tuum scaturiat uermibus : et domus tua quantocyus diripiatur . Ad quem præfectus sic turbatis uocibus infit : Tu uero quis es : qui tanta minaris ? Cui ille : Me scito esse Nicolaum

mirensem Episcopum . Dixit : et procul in tenuem ex oculis euanuit auram . Talibus igitur Cæsar et Eparchus perterriti uisionibus excutiuntur somno : et maturato officio : quæ quisque uiderat celeriter† remiserunt sibi dicenda . Deinde ubi prima stellas aurora fugauit : e uestigio Imperator accersitis magnatibus suis et eodem Eparcho : fecit sibi stratilates illos præsentari . Quibus astantibus toruo aspectu ita exorsus est : Quas magicas nostis artes : ut tantis nos || illudatis phantasiis : tantisque exagitetis somniis ? Illi attoniti tanto interrogantis auspicio nullum dederunt responsum . Et denuo Augustus . edicite nobis : quæ sint maleficia uestra : Ad quem Nepotianus solus pro cunctis sic pauitanti uoce respondit : Excellentissime imperator cui deus regni commisit habenas : absit ut nos documentis nefariæ artis simus instructi . Nunquam enim domine tali uacauimus magisterio . Quippe et nos constanter profitemur non illius esse commissi : ut capitali subiciamur sententiæ . Tunc Augustus Nostis inquit aliquem hominem : cui Nicolaus nomen est ? Mox illi audito tanto nomine tendentes ad sydera palmas utrasque uoce magna dicebant : Benedictus es domine deus Nicolai sancti : qui non relinquis sperantes in te : et de tua misericordia præsumentes : Benedictus es et laudabilis In† sæcula . qui clæmenter infelices tuos seruos dignatus es respicere . Et nunc domine domine miserere nostri : et famuli tui Nicolai intercessione eripe nos ab hac perditioue† : sicut erepti sunt tres uiri illi a pernicioso iugulatu . Cæsar uero sciens et ardens sciscitari et quærere causas : propius eos ad se accedere iussit . Tumque demum eos intuitus dicite inquit . Hic quem inuocastis : quo est sanguine progenitus : quis quantusue sit uel si uera sunt : quæ dicitis : coram pandere maturetis . Mox item Nepocianus confortatus ait : Iste est uere sanctus per omnia : cuius meritis nos credimus erui ab intemptato exicio . Iste est quem in nostra inuocauimus perditione : et ecce ut cernimus alacrem sensimus adiutorem . Vere enim dei dignum credimus illum seruum esse : ob quem tantis licet terrarum spatiis longe ab eo positos sub uno noctis momento christus nos exaudire dignatus est : Hoc dixit : et continuo prosequens narrauit : qualis quantæ humilitatis quantæque esset bonitatis . Nam et ereptionem iuuenum totiens memoratam sicut scripta est per ordinem pandit . Imperator autem hæc audiens multum miratus est : et pro tanti uiri bonitate deum uenerans : ite ait | et famulo dei gratias agite imo deo : qui uos per eum liberauit : Ex constantini autem donariis manuscula† necnon et apices nostros uobiscum ferte . Hunc etiam euangelii librum mirifice auro contectum et ciminilia hæc simul et duos ex auro cherothecas uasque hod aliud aureum gemmis pretiosissimis decoratum : Eique dicite : ut dignanter ista suscipiat : et mihi lubentissime præceptis eius obedienti : non minari sed orare studeat : Atque pro pace regni nostri magis totius orbis dominum poscat . Post paucos igitur dies stratilates prædicti acceptis epistolis augustalibusque muneribus ad seruum dei uti deuouerant ire cœperunt : Qui uenientes : illico consternati solo pedes eius osculati sunt : et præ magnitudiue† læticiæ claris repetebant uocibus : Vere dilectissimus dei es famulus . Vere cultor et amator christi . Vere tu omnium ore laudabilis : propter quem mirabiliter a morte liberati sumus . hæc et alia diutissime conclamantes : tandem deditionis seriem retulerunt : atque offerentes munera necnon et imperiales epistolas indicia ostenderunt suæ liberationis . Mox doctor egregius eleuatis ad cælum brachiis deum collaudabat saluatorem dicens : Magnus es domine deus noster magnus et mirabilis : cuius magnitudinis non est finis . Tu es enim dominus diues in omnibus : qui facis mirabilia magna solus . His dictis conuersus ad illos tantis eos irigauit scripturarum fluentis : ut plurima de rebus propriis largirentur egenis . Dehinc sicuti secularium moris est tanto gestierunt gaudio : ut sibi tonderent quos in carcere : miserant crines . Exacto itaque apud uirum dei aliquanto tempore cum ingenti lætitia instructi doctrinis eius et aucti benedictione remearunt ad propria . magnificantes deum nostrum Iesum cristum : qui regnat cum patre et spiritu sancto unus deus æquali maiestate . æquali potestate per omnia sæcula sæculorem† amen .

Nunc igitur fratres carissimi si uobis placuerit de solemnitate huius diei beatissimi Nicolai confessoris atque pontificis in eius || laudem aliquid loquamur . Quoniam illius sollemnitas agitur : quem non solum græcia : sed pœne totus orbis prædicat : Et iuste quidem : quia licet per pauca scripta sint ex his : quæ sanctus uir in uita sua parauit : tamen ex quo ad christum perrexit : tanta quottidie miracula exhibet : ut nulla carnis sufficiat lingua referre . Quis enim digne potest explicare : qualiter

eius meritis promerentibus cecis uisus . surdis auditus . et ut breuiter dicam : debilibus cunctis et celerrima et optima redditur ualitudo . Quis inquam tante est facundiæ : ut facile possit exprimere : qualiter ex marmore tumuli eius sacrum resudat oleum : quod ab excubantibus ministris penniculo collectum studiosissime reconditur ad diuersorum langorum utilem admodum unctionem ? Refero itaque caritati uestre : quod ueridica relatione a quibusdam graiis comperi . Sed illi hoc ipsum fama mirensium accolarum didicisse profitebantur . tamen siue aliter siue ita se ueritas habeat : iudicio narrantium est committendum . Quodam siquidem tempore cum quidam magnatum ciuitate prædicta inuidiosa factione pontificem sedis ipsius propellere non erubuissent : continuo desinit oleum tantæ perfluere benedictionis . At ubi idem antistes suam recepit cathedram : confestim salutaris liquor stillare more pristino cœpit . Mirabilis quippe deus in sanctis suis : quoniam sic famulos suos glorificare consueuit : ut in omnem terram exeat sonus eorum . Qualis sonus ? nempe uictoriæ ac triumphi : Quia dum suis supplicibus collata cællitus non denegant patrocinia ; ostendunt se mundi deuicto principe : diademate redimitos æterno .

Lætemur ergo carissimi lætemur in domino : et diem festum sancti Nicolai salubriter celebremus . Quoniam si nos ille concorditer festinos inspexerit : fauet credite mihi fauet nostræ deuotioni . Quin et secundum nominis ethimologiam . Nicolaus eolice . uictoria populi resonat . Impetus ferocissimos conterit repugnantium . et castra uincere iuuat hostila† . Omnis ergo sexus | omnisque conditio : protectionis eius tutamen expectet . imploret sufragia . quærat auxilia . Nouit enim olim cælesti palma potius misericorditer subuenire afflictis liberare oppressos : et pestiferos soluere nexus . His ita præmissis effundamus aliquantulum coram illo precem : ut in fine pagellæ patrociniis eius fruamur . Oramus itaque te sanctissime pater Nicolae : ut humillimas nostræ petitionis uoces attendas : affectum conspicias : et considerato nostræ conditionis figmento hostem comprimas : expellas tyrannidem : dissidentes pacifices : tuearis præsules : gubernes cleros . Abbates dirrigas : foueas monachos : et omnibus qui deuote tua sollemnia peragunt : cæleste regnum adire acceleres . Nosque misellos qui uelut inertes operam dedimus : et exilem gloriæ tuæ formauimus laudem : ex omni perturbatione insidiantium eripias . Suggestionem spirituum immundorum custodias : quatenus fideliter Iesu christo seruire mereamur : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat deus per omnia sæcula sæculorum amen .

Cum de affricæ partibus Vandolorum† exercitus applicuisset ad terram calabrindem : atque eandem regionem igne succenderent : reperta est ibi a quodam barbaro in cuiusdam christicolæ domo sancti Nicolai imago in tabula honeste depicta : Quam protinus in sinu suo proiecit : et abscondit : quamuis ab eo ignoraretur omnino quid esset . Cum autem peruenisset ad eos : qui christicolas captiuos deducebant uinctos : interrogauit unum ex eis et ait : Rogo : ut mihi indicetur : cuius est figura in hac tabula tam pulchre depicta : Et hæc dicens : demonstrauit eis achonam : Cum ergo eam contemplati essent christiani cum gemitu et lachrymis dixerunt : Imago hæc quam cernimus sancti Nicolai dicitur : Qui multis miraculis et uirtutibus apud deum et homines existens clarus manifeste edocet se uiuere etiam post sepulchrum . Cumque uero hoc auditu percepisset ille barbarus : continuo abscondit eam propter suos socios . nemini ex hoc aliquid pandens . Cum || autem reuersus esset exercitus uandalorum in Aphricam cum plurimis captiuis et spoliis multis rediit et ipse barbarus : qui sancti Nicolai habebat tabulam in domum suam . Erat autem ipse thelonarius . Quadam autem die tulit ipsam achonam : et posuit eam ante thelonarium suum : ubi erant omnia quæ habebat : aurum et argentum uestes . Et sic locutus est ei dicens : Nicolae habeto custodiam super theloneum hoc . nam ego alibi necesse habeo proficisci . Hæc locutus imagini discessit : apertum omnino relinquens thelonæum : securus proficiscens quasi plurimos ibi custodes dimitteret . Cum autem secus eundem thelonæum latrones transirent : et uidissent apertum : et neminem custodem ibidem esse : dixerunt ad inuicem : ut uenientes nocte eadem diriperent omnia : quæque intrinsecus erant posita . Quod ita factum est . Nam uenientes nocte omnia abstulerunt . aurum : argentum uestes et cætera : et sic profecti sunt . Sola achona deforis pendens superstes remansit . Hæc autem dei dispensatione agebantur : ut huiuscemodi occasione reperiretur : quanti meriti Nicolaus esset : et apud africanas regiones manifeste clarescerct† . Veniente autem barbaro : cuius theloneum erat : reperit eum

uacuum . nil omnino habentem nisi ipsum sancti Nicholai achonam . Tunc plorans et gemens uæhementissimos stridores emittebat : et turbido aspectu conuersus in faciem imaginis beati Nicolai . quasi ad uiuentem hominem et ratione utentem : hæc uerba proferebat dicens : O Nicolae bonum te custodem thelonæi mei posui . Quid fecisti ? Redde mihi res meas . alioquin cædo te flagellis . Et cum hæc diceret : accepto flagello tundebat sancti Nicolai imaginem . Cum uero fatigatus esset cædendo eam dixit ei : Certe in igne te proiiciam : si non reddideris causam meam . Piissimus autem confessor beatissimus Nicolaus nimia miseratione ductus super achonam suam ac si ipse flagellis cæderetur . sub festinatione ad locum accessit propius : ubi latrones cuncta diuidebant : quæ de illius saraceni thelonæo abstulerant . Tunc dixit ad eos san | ctus Nicolaus : O infelices et miseri quid facitis ? Numquid ignoratis : quoniam ego ipse ibidem eram quando hoc malum perpetrastis ? Nam oculi mei conspexerunt : quando has et illas res abstulistis . Quantitatem et munerum† etiam cunctarum rerum quas de Thelonæo abstulerant singillatim eis exponens : addidit dicens . Scitote autem : quoniam furtum quod perpetrastis : si non mihi acquieueritis : ut reuocetis cuncta : quæ abstulistis . ego illud publice manifestare curabo . Nam sub mea cura uniuersa fuerunt posita : et ideo pro uestro scelere ego innocens quam grauiter flagellis cæsus sum . Credite mihi : quia nullomodo uobis parcam : si meis non acquiescitis consiliis . sed crastina die morti tradere uos faciam . Illi autem fures cum uiderent se depræhensos existimantes quempiam fuisse de populis : qui eos explorauisset : nimium mente consternati : et ultra quam credi potest exterriti : uæhementer metu mortis coacti per tetræ noctis silentia reportauerunt omnia : et in thelonæo reposuerunt . Mane autem facto cum uenisset barbarus : et uideret cunctam substantiam quam amiserat : flære cœpit præ gaudio : cui tale miraculum fuerat demonstratum per sanctum Nicolaum . Tunc appræhensa imagine deosculari eam cœpit dicens : O sancte Nicolae fidelis et iuste pissime et misericordissime serue dei excelsi quam sublimis : quam magnus : quam præpotens factus es proximusque et familiaris deo regi immortali : Cui uiuens militare non cessasti : a quo potestatem accepisse comprobaris : ut talia facere possis : qualia mihi gentili ex ære insensibili patrare dignatus es . Ab ista namque die credo in christum : et in te . Credidit autem in christum dominum et baptizatus est ipse et domus eius tota : et construxit ecclesiam in honorem sancti . Nicolai : In qua moratus est cum uxore sua et filiis pariterque glorificantes dominum : et sanctum Nicolaum . Hæc fuit prima occasio : qua apud aphricanas regiones beatus agnitus est Nicolaus : et paulatim ita nomen eius apud barbaros succreuit obsequiis etiam ab his qui carent baptis || mate frequenter assidue . Nullus enim ut extimamus est iam iam in orbe terrarum locus tam remotus . tam abditus : nec etiam sollitudo ut heremus : quem fama et miracula domini Nicolai confessoris piissimi non illustrauerint . Testes ex hoc existunt non solum omnes prouinciæ græcorum : de quibus originem duxisse comprobatur : uerum etiam omne orientale regnum . Testes etiam et barbarorum diuersæ nationes diuersis linguis utentes : uniuersam pene Aphricam habitantes : quæ obsequium ei piæ deuotionis exhibent . Italiæ uero habitatores promptis animis quamuis nostris temporibus inchoauerint deuote celebrare eius festa sollemniter didicerunt eius miraculis assidue iocundati . Ecclesias plurimas auxiliante domino in honore eius construere iam et dedicare meruerunt : ut hic eum patronum et aduocatum : et in futuro apud ipsum mundi conditorem intercessorem habebant . Per eum qui uiuit et regnat cum patre in unitate spiritus sancti deus per omnia sæcula sæculorum . amen .

Sed si uestre caritati durius non est : uolo adhuc de mirabilibus beati Nicolai uobis enarrare miraculum . Beatus itaque et electus domini nostri Iesu christi Nicolaus episcopus dum uitam finiret : et de hac luce migraret ad dominum : animam eius qui illi dedit eam ad se de hac luce recepit . Clerici nanque et sacerdotes sui dum hoc conspicerent : gratias egerunt deo : qui ita sui confessoris animam cum gloria eleuaret ad cælum . Tunc accepta aqua ut corpus lauarent beati Nicolai : appræhenderunt lintiamina sancti corporis . et expoliare cœperunt . Erat autem ibidem quidam homo nomine Cethron : et cœpit rogare eosdem sacerdotes et clericos : ut ostenderent in eum misericordiam : et ut aliquid de sancti uiri uestimentis sibi dari debuissent . Et dicebat eis cum lachrymis et desiderio magno : Ego ueni benedictionem a domino meo Nicolao accipere : et concessum mihi non fuit : ut uel uitam eius conspicerem .

Obsecro uos : ut uel aliquid de uestimentis eius sancti corporis | mihi præbeatis : ut id habeam tantum in honorem sanctissimi domini mei . Presbyteri uero et clerici beatissimi Nicolai hæc audientes : et talem petitionem et desyderium cognoscentes dederunt ei unum de lintiaminibus sanctissimi uiri . Cethron autem ut accepit uestimentum beati Nicolai cum desyderio magno tulit lucellum nouum : ubi nullus usus hominum fuit : et cum gaudio reclusit illud : et ibat lætus dicens . Gratias tibi ago domine : quia de confessore tuo sanctissimo reliquias porto . Obsecro domine : ut per has beati Nicolai reliquias de lumbis meis des mihi filium . Reuersus denique Cethron in ciuitatem suam quæ dicitur Excoranda ad uxorem suam : quæ dicebatur Euphrosina : cœpit dicere : Ecce reliquias beati Nicolai Archiepiscopi quem tu desyderasti uidere : Deprecemur illum : ut per suas sacras reliquias aperiat deus uuluam tuam : et de tuis uisceribus det nobis filium . Tunc Euphrosina repleta gaudio dicebat : Domine tibi gloria : qui nobis peccatoribus tantam gratiam concessisti : ut de beati Nicolai haberemus reliquiis : et rogare cœpit uirum suum Cethron : ut ecclesiam in honore beati Nicolai construeret : ut per suas orationes adimpleret deus desyderium suum : Cuius precibus Cethron benigne fauens : ecclesiam fabricare cœpit foras portas ciuitatis in parte orientis quasi stadiis duobus . Quæ dum completa fuisset : dedicauit eam Appolonius episcopus eiusdem ciuitatis in honorem beati Nicolai : in qua recundit linteamen illud . Tantum autem odorem cœperunt habere reliquie uestimenti sancti uiri : quod usque ad duo completa stadia locus ille splenderet miraculis : ut undecunque ibidem langueutes† uenirent : statim deus per beati Nicolai merita beneficia præstaret . Cæcos illuminabat . Surdis auditum præbebat : et qui spiritus diuersis iniquitatibus habebant sanabantur . Omnes denique gratias deo et beatissimo Nicolao cœperunt agere : qui tanta miracula operari dignatus est in populo suo : per seruum suum Nicolaum . Ornauit || itaque Cethron latera muri coronis aureis : et decantabat domino deo laudem quottidie : et dicebat : Domine meus piissime et misericordissime : Nicolae : ego seruus tuus peto : ut adimpleas desyderium meum : et depreceris pro me dominum : ut de carne mea det mihi filium : Cumque quottidie hæc oraret : concepit Euphrosyna ex eo filium et expleto tempore peperit eum in sexto die mensis decembris : et uocauit eum Adeodatum : et ad omnes dicebat gratanter : Quia per beati Nicolai reliquias dedit mihi pius dominus hunc quem conspicitis filium . Erat enim infans clarissimus et speciosus ualde . Post hæc omni anno cum lætitia magna cœperunt celebrare sollemnitatem beati Nicolai in anniuersario natiuitatis filii sui . Cum autem complesset puer annos septem : uenit Cethron et Euphrosyna cum filio suo et cum his qui inuitati erant ad festiuitatem beati Nicolai . Venerunt autem et Agareni et prædati sunt omnes uiros ac mulieres inter quos etiam et puer est captus filins† Cethronis . Cethron uero cum uxore sua liberatus est . Oblito puero præ pauore et timore uenerunt in ciuitatem suam Excorandam . Agareni uero duxerunt captiuos in Babyloniam : et diuidentibus inter se captos peruenit puer Adeodatus filius Cethronis in manum regis Marmorini . Euphrosina uero et cethron cœperunt filium quærere . Et cum non inuenissent : sciderunt uestimenta sua : et capillos cœperunt euellere : et facies suas percutientes atque lachrymantes . Mater dicebat : heu heu mihi : unice fili mi . quid miseræ matri fili de te accidit . Ego misera cum petitione magna a domino meo Nicolao cum uiro meo petii : et ille rogauit dominum meum : et te nobis donauit . Non ideo petiuimus : ut oculis nostris uideremus de te talem perditionem : sed gaudium et exultationem in uita nostra de te expectauimus : et optabamus : ut tu clauderes oculos nostros . Ecce nunc ego uacua sum de te fili mi . O domine meus beate Nicolae confessor christi . quia per te illum habui : tu illum mihi redde : ut uideam il | lum : ante quam moriar . Per tuam sanctam intercessionem uenter meus dolorem perpessus : et caput meum infirmatum est . Et postquam illum filium meum ante oculos meos uidi : præ gaudio non memini pressuræ : sed gaudens permansi . O sancte Nicolae miserearis miseriarum mearum : quia te sciente ego misera illum nutriui . ego laui : et nunc plenum est pectus meum doloribus : quia non uideo unicum filium meum . Sancte Nicolae obsecro redde filium meum : ut sicut me lætam fecisti : quando illum mihi dedisti : ita et nunc quando in captiuitate est destitutus . obsecro . ut et certiorem me ex illo facias : et reddas filium meum . Carnem non comedam . Vinum non bibam : quousque filium meum non uideam . Tunc cœpit Euphrosyna ieiunare et orare : et non comedebat nisi tribus in

hebdomade diebus : et semper dicebat : Beate Nicolae redde obsecro filium meum . Cum peruenisset autem propinquius sancte solemnitati beatissimi Nicolai die quinto mense decembrio cœpit dicere uxori suæ Euphrosyne Cethron : Mulier acquiesce consiliis meis : et pergamus ad beatissimi Nicolai sollemnitatem : et quidquid dominus dederit nobis : pauperibus erogemus : et patrem nostrum sanctissimum rogemus . forsitan sicut liberauit tres illos innocentes de laqueo mortis et de ira Constantini imperatoris : et ad salutem adduxit : ita filium nostrum reuocabit . Credo equidem quia ab illo hæc mihi inspiratio euenit . Euphrosyna denique ubi talia audiuit : commota sunt uiscera eius : et cœpit flære : et facere sicut uir eius præceperat : Cumque in ecclesiam ingressa fnisset† : expandit ad cælum manus suas dicens : Domine Iesu christe fili dei uiui respice in me peccatricem exaudi me : et per merita huius beatissimi Nicolai sicut liberasti multos uiros de pelago mortis : et ad salutem adduxisti : et tres innocentes de periculo mortis : sic libera domine filium meum de manu regis Agarenorum : et duc eum ad me : ut cognoscamus et credamus : quia tu es : qui omnia potes : et uales eripere omnes : qui in te confidunt a nexu et uinculo mortis liberare : || et es mirabilis in sanctis tuis in sempiternum : qui uiuis et regnas in sæcula sæculorum Amen : Cumque orationem complesset : salutauit omnes : et refectionem cœpit parare clericis et panperibus† : qni† ad solemnitatem uenerant sanctissimi Nicolai . Sacerdotes uero et leuitæ simul omnes canere cœperunt horas ad laudem domini et beati confessoris et episcopi . Post actas horas omnes se ordinantes pariter cibum cœperunt inuicem sumere . et statim res mira et inaudita secuta est . Ipsa hora qua sacerdotes cibum sumere cœperunt in solemnitate beati Nicolai . eadem hora Rex qui erat in Babylonia : in cuius obsequio erat infans cœpit dicere militibus suis : atque magistratibus : et Ducibus : Dico uobis beatissimi mei : quia ab hora qua natus sum usque modo : non fuit mihi unquam comedendi uoluntas sicut modo est . Parate mihi cum festinatione cibum : quo uesci debeam : et mensam ponite . Ministri uero cum talia audissent : posuerunt mensam : et omnes pariter cœperunt cibum sumere . Cœpit Rex post hæc clamare : et dicere : Poculum mihi præbete : quia uelociter bibere cupio . Tunc infans qui erat in obsequio suo cum talia audisset : parare scyphum et aquam mundare cœpit : et subito commemorare inter se cœpit : et dicere : Heu me quia expletus est annus : quo captiuus ueni in obsequium regis . Et longa suspiria trahebat in sensu suo . Rex uero cum talia audisset suspiria : cœpit dicere ei : Dic mihi pro qua causa sic fortiter suspirasti . Infans uero tremefactus : cum timore cœpit ei dicere : Domine Rex recordatus sum subito in mea mente : quia hodie expletus est annus : quo hic apud te captiuus existo : quia pater meus : et mater mea in hac die faciebant magnam sollemnitatem : in ecclesia sancti Nicolai domini nostri . Rex cum talia audisset : respondit : et dixit ei : O miselli quid uobis prodest ista cogitare : cum ego uos apud me habeo ? Et quis est qui de manu mea uos tollere possit : quandiu deus noster uult facere : ut uos habere debeamus . Fer mi | hi bibere . Infans accepit scyphum ad potum parandum . et aquam in manu sua ad lauandum scyphum . Subito uir dei Nicolaus affuit : et appræhendidit infantem per uerticem capilli capitis sui : et reportauit : et reddidit illum matri suæ : Cumque reficerentur omnes extra fores ecclesiæ : uiderunt illum ibidem stantem : et scyphum : et aquam in manu tenentem : qui euntes interrogare cæperunt eum dicentes : Quis es tu ? Et ille dicit : Ego sum Adeodatus Cethronis filius : cum audisset hæc Euphrosyna mater eius : commota sunt quippe uiscera eius super eum : cœpit flære præ gaudio : et currens amplexata est eum : et tenens collum filii sui : gaudere cœpit : et dicere : Gratias tibi ago domine Iesu christe fili dei uiui : qui non me fraudasti a gratia tua : sed exaudisti filium meum : et uidi illum oculis meis : ante quam me uocares de hoc sæculo : qui cum patre et spiritu sancto uiuis et regnas deus per omnia sæcula sæculorum . Amen .

THOLENTINATIS HISTORIA BEATI NICOLAI .

Primum de eius natiuitate quæ fuit ab angelo nunciata et quæ composita fuit a fratre Petro de monte rubiano lectore anno domini Millessimo tricentessimo uigessimo sexto tempore domini Iohannis papæ uigessssimi† secundi .

Gloriosus deus in sanctis suis : qui cum eos ad gloriam elegit sempiternam : ne dum finem aut medium sed eorum uitæ exordia sanctificare dignatur et magnificare quandoquidem beatum Nicolaum presbiterum uenerandum ordinis heremitarum beati Augustini ex castro sancti angeli districtus ciuitatis firmianæ prouintiæ marchiæ anchonianæ ducentem originem uolens ad coronam gloriæ et honoris patriæ cælestis assumere uisitatione angelica suum ortum dignissimum extollere et magnificare dignatus est . Sane cum mater eius amata cum uiro manens et multis diebus ætatis suæ processisset uelut sterilis || filios procreare non posset : de filiis una cum uiro sitibunda uelut altera Anna ueteris testamenti templum uel ecclesiam intrans deuotione beatissimi Nicolai e ciuitate Baro contracta flæns largiter uouit dicens : Domine mi christe Iesu qui omnia potes et uales : respice ancillam tuam oculo pietatis et gratiæ tuæ . Amputa obprobrium sterilitatis meæ : et fac : ut fæcunda in domo uiri mei existens : filium concipiam : seruum tuum concipiendo pariam in laudem et gloriam nominis tui . Sed quia preces meæ paruæ sunt et exiles in conuentu maiestatis tuæ : autistitem† Nicolaum sanctum tuum supliciter deprecor ut suis orationibus a te omnipotente merear consolari : suum famosum tumulum uisitare promittens una cum uiro meo seruo tuo . Post hæc autem cum uir et uxor simul dormirent in strato suo ipsis dormientibus : angelus apparuit dicens Surgite surgite ad sanctum Nicolaum e ciuitate Baro properate . ibi dicetur uobis : qualis debeat esse filius ex uobis quamcitius oriturus . O mira dei dignatio : an forte sampson hic : cuius matri dictum est sterilis es : et absque liberis : sed concipies : et paries filium : pronunciatur ab angelo : nascitur sampson : qui dei populum de manu phylistinorum in signis fortitudinis liberare debebat . pronunciatus est iste : qui animas corporaque fidelium a pœnis et infirmitatibus in prodigiis et miraculis curare ueniebat . Lauda ergo sterilis : quæ non paris . decanta laudem et hymnum : quæ non pariebas : quia multi filii desertæ magis quam eius : quæ habet uirum dicit dominus : multi inquam filii huius desertæ huius sterilis : quia per dilectum suum filium Nicolaum multos sacro sanctæ ecclesiæ et christi gratiæ baiulandos reddidit et alendos .

Quomodo fuit sua natiuitas a beato Nicolao e ciuitate Baro certificata . |

Expergefacti igitur uir et uxor de tantaque uisione mirabiliter iucundati : mox hilariter de lectulo surrexerunt reſſerentes gratiam bonorum omnium deo largitori . Quod autem promissum erat ab angelo : in dubium non uertentes : mox post comendationem rerum et possessionum suarum suis consanguineis et amicis sanctum iter arripiunt in modum peregrinorum habitum assumentes . Perueuientes autem ad sacram ecclesiam beatiatissimi† Nicolai in ciuitate baro quam sollicite christo et beato Nicolao gratiarum exsoluerunt debitas actiones . Muneribus autem oblatis in pauimento ecclesiæ ante beati Nicolai altare obdormire cœperunt : Et ecce sanctissimus Nicolaus habitu pontificis eisdem in somnis apparuit dicens : Angelus qui uobis nunciauit filium oriturum : christus mihi dixit : ut ad uos lassos ex peregrinatione ad meam ecclesiam uenientes quantocyus nunciem : quia uobis nascetur filius : et uocabitur Nicolaus : ut meo fungatur nomine : qui in mundo meo obtentu nascetur . Hic erit domino meo christo seruus acceptissimus religiosam arctamque uitam ducens sacerdotioque fungens acceptabile sacrificium offeret deo patri . Hic est enim qui uita terminabitur miraculis signis et prodigiis fulgens . Securi igitur petitione necnon et de

angelica nunciacione redite . Surgunt a sompno deuotissimi peregrini : et indignos se tanta apparitione existimantes ob filium ex eis oriturum præ læticia gemebant ac mæsticia lætabantur . Non enim inquiunt domine Iesu sumus digni tanta gratia tantaque consolationis dulcedine gloriari . Sed quia dictum est nobis : redite : nec sit qui tuæ possit resistere uoluntati : dirige quesumus gressus nostros in beneplacitum tuum : et uisita nos in promissis in salutari tuo . Pulchre filium suum salutare appellant : qui secundum dei promissa multorum saluti reuelari debebat .

Redeunt igitur iucundi ad propria : fitque || uxor uiri grauida : et demum parit filium : qui sollicitudine honesta sacrosancto baptismi fonte immergitur : et Nicolaus a parentibus nominatur : creuit interea paruulus et liberalibus studiis traditur edocendus . Mulierum et puerorum non solum lasciuiam sed consortia uitans : senum religiosarumque personarum conuersationem amplectens . Illud nempe propheticum mente gerens : quia cum sancto sanctus eris : et cum peruerso peruerteris . Pauperes insuper in domo patris auidissime recipiebat . ad diuina libentissime accedebat sed et uerbum dei desyderabiliter audiebat : ac si esset ætate prouectus . Quod homines sui castri admirantes quasi spiritu prophetico ad alterutrum loquebantur dicentes : Si paruulo isti dominus concesserit uitam : sanctus erit . Ecclesiam autem frequentans sic in deum suum attollebat animum : ut christum etiam corporalibus oculis conspexisse crederetur . Audiui enim a quodam fratre : qui in suis infirmitatibus sancto uiro deuotissime seruiebat : quod cum esset inter eos sermo de innocentia paruulorum : ipse uir sanctis† sic allocutus est fratrem ; fili male talis innocentia perditur et ad seniorem ætatem prouehitur . Ego enim ipse peccator quem uides dum illa innocenti gauderem ætate : in ecclesiam ad quam consuetudine accedebam et sacerdos celebraret : et corpus dominicum ut moris est manibus eleuaret : his meis oculis aspexi patenter puerum aspectu pulcherrimum . uestitu splendidum : facie rutilantem : uisu applaudentem linguaque dicentem : Innocentes et recti adhæserunt mihi . Sed postquam fuit maiori ætate grauatus : uisione carui tam iucunda . In iuuenili ætate tam sancte conuersans ecclesiæ sancti saluatoris canonicus ordinatur .

Quare et qualiter religionem fratrum heremitarum sancti Augustini ingressus est .

Verum quia contemptum mundanarum rerum omnino incipiebat appeterpe† : cogitare cœpit quam uitam quam regulam posset adire ex qua fieret sic dei ser | uus : ut mundus non esset eo dignus . Interea uero quidam frater ordinis predicti in castello sancti angeli predicatorque uerbi diuini et doctrina et uita populo erat acceptissimus . Cum uero in platea predicaret : ubi maxima conuenerat multitudo : inter alia hæc ait : Nolite diligere mundum neque ea : quæ in mundo sunt quia mundus transit et concupiscentia eius : Quod uerbum sic mentem iuuenis penetrauit quod statim post predicationem fratrem impensius rogauit : ut eum : qui mundum relinquere cupiebat reciperet . Precibus autem suis primum noluit annuere sine consensu parentum : ne tristicia oriretur : unde gaudium deberet exigere . Requiruntur parentes . et eorum nati aperitur perfecta uoluntas : Quam parentes audiunt libenter susceptoque gaudio deum laudant : qui in eorum filio promissa perfecit . Ab illo igitur fratre recipitur et tempore probationis finito uotum obedientiæ et paupertatis atque sanctissime castitatis sollemniter promittens inter professos mirabili sanctitate auidius conuersabatur . Hic est ergo : qui ueterem hominem exuens nouum induit Iesum christum . Christi namque obedientiam promittens atque amplectens : primi parentis inobedientiam detestatur : relictoque proprio arbitrio se diuinæ subdidit uoluntati . Hic est : qui apostolicam uitam perficere cupiens relictis rætibus concupiscentiarum huius sæculi patre insuper et matre sequutus est paupertatem : induitque crucifixum . Hic est : qui castitatis mundiciam diligens : clauis omnem concupiscentiam carnemque properam crucifixit Mox enim ut nouit quæ promiserat uiolanda non esse : et castitas seruari non posset : nisi corpus castigatum in seruitutem redigeret : cœpit etiam præ fratribus cæteris uitam ducere arctiorem . Ieiuniis namque : uigiliis : orationibus castigationibusque duris semper intentus totam suam uitam mundam et castam inter huius seculi temptationum uepres traduxit . Vnde cum quæreretur ab eo : quomodo tempta-

tionibus carnisque stlmulis† resistere posset : non dabat responsum : Nouerat enim quam subtiliter antiquus hostis semper || agere contra hominem consueuerit ut quem non potes† lasciuiæ uitio superare : iaculo uanæ gloriæ monstret esse deuictum .

Qualiter fit sacerdos et eius missa quereretur ab iis : qui in prugatorio† erant .

Qua igitur uita et scientia in posterum conuenienter probata ad sacerdotium assumitur et ad quandam heremum quæ Vallimanens dicitur prope ciuitatem pisauriensem a suo prouinciali priore pro conuentuali transmittitur . Vbi ex nimie deuotionis feruore promptus et sollicitus tempestiue missam quottidie celebrabat . In conuentuali autem missa pro hebdomadario positus nocte diei dominicæ immediate sequentis in strato aliquantulum obdormiuit . Ecce anime† quædam uoce magna et eiulatu non modico uocat eum . Frater inquit : Nicolae uir dei respice in me . Qui ipsam respiciens et quia eam intutus : uiuentem non nouerat : recognoscere sattagens sed non ualens : quis esset concitus perquisiuit . Cui respondit illa . Ego sum anima fratris peregrini ex Auximi ciuitate quem uiuentem me seruum tuum nosti : crucior enim in hac flamma : cuius contritionem deus non renuens : ut non ad pœnam æternam : quam ut fragilis merui : sed ad purgatoriam me sua misericordia deputauit . Te igitur humiliter precor : missam digneris pro mortuis celebrare : ut ab his tandem flammis eripiar : qui respondit : Iuuet te frater saluotor† meus : cuius sanguine es redemptus . Ego autem quia ad conuentulem† missam sollemniter celebrandam sum deputatns† præsertim instante dominica die : cuius officium mutari non decet : missam pro mortuis celebrare non possim : Et ille : ueni uenerande pater . Veni : et respice : utrum te deceat petitionem tam miseræ multitudinis : quæ me misit : immisericorditer reiiciere . Ipsum autem ad alteram partem heremi ducens illam paruam planitiem quæ est iuxta pisaurum illi ostendit : in qua promiscui sexus erat multarum ætatum statuum atque etiam ordinum | diuersorum innumerabilis multitudo : Miserere pater inquit . miserere turbæ tam miseræ utile sibi tuum auxilium expectantis . Nam si pro nobis dignatus fueris celebrare : maxima pars ab his tormentis atrocissimis eruetur . Euigilans ergo uir sanctus magna horum pietate commotus cum maxima lachrymarum effusione cœpit pro eis omnibus saluatorem omnium exorare . Mane uero ante priorem suum reuerenter prostratus et euitans iactantiam non plene ut uiderat sed aliqualiter opportunitatem oraculi reserauit supplicans : ut ipsum pro mortuis illa hebdomade permitteret celebrarare† : Qui mox eius precibus annuens : alium eius uice substituit . Ipse uero per totam hebdomada pro mortuis celebrans die ac nocte pro ostensa sibi multitudine cum præcordialibus lachrymis affectuosissime exorabat . Et ecce transacta hebdomade eidem dictus frater peregrinus apparuit : deque iam impetrata misericordia egit gratias asserens se cum magna parte predictæ multitudinis a pœnis atrocissimis dei misericordia et ipsius sacrificiis orationibusque lachrymosis erutam esse : et ad dei gloriam feliciter conuolasse . Liberasti nos inquiens de affligentibus nos et odio habentes nos dispersisti et confudisti . O ineffabilem uirum : cuius sanctitatis primordia initiaque meritorum in redemptione ueniunt electorum dei . Huius iuuenilis ætas in purgatorio cœpit agnosci : cuius senilis uitæ sanctitas in mundo noscitur uenerari . Iam purgatorii mare meritorum nauis sulcat : et precibus huius mundi terram potestatis sibi traditæ quasi quodam nomere† scindit : Qui non solum purgatorium suis deundauit† meritis : sed et infernum spoliare uidetur orationibus pietatis . Nam cum in ciuitate rhacanathensi conuentualis degeret : de fratris domo nuncius dolens ei affuit : qui mox ut sanctum uirum conspicit ad terram prouolutis genibus lachrymando fortiterque clamando ait : ubi preces ubi uirtutes tuæ Nicolae sanctissime . Ecce de tuis manibus requiretur anima et corpus frartis† || tui : ab iniquis enim in castello Aperiam subito occisus est : ac si tua sanctitas sui corporis suæque animæ dilectrix penitus non extitisset . Audiens hæc uir sanctus lachrymas non potuit continere . Heu inquiens miser quia damnatus est . Remisso erga† nuntio abstinentiæ grauiori se subdidit orans cum lachrymis die ac nocte per quindecim dies : ut saluator suus Iesus christus ei dignaretur si saluata aut damnata esset anima fratris sui ostenderet . Cum igitur staret in ecclesia accendens lampadem in reuerentiam

corporis domini in altari existentis audiuit uocem clamantem et dicentem : Frater mi Frater mi gratias ago deo meo et domino Iesu christo : qui tuas preces et lachrymosas orationes oculo suæ pietatis attendens cum damnatus essem : liberauit me . Timens autem uir sanctus uersutias inimici : qui se interdum transformat in angelum lucis : ut animas facilius laqueis peccatorum inuoluat sine stupore aliquo ait : Vt quid me temptas hostis maligne ? Frater meus mortuus est : et ut deus damnare similiter saluare potest . Et ille : Nil nunc frater mi dubites recte enim sum Gentilis frater tuus precibus tuis a Christo iesu modo de inferno exutus . Confortare igitur : et robustus esto in operibus pœnitentiæ : quæ cœpisti sic enim deo et saluatori nostro grata sunt opera tua : quod quidquid ab eo petieris impetrabis et multa dum uixeris : in hac in qua sum eris gloriosus .

De Visione angelica quam habuit temptatus a quodam suo consobrino .

Inuidus tamen hostis antiquus cum pro clarissimis sanctitatis initiis per consobrinum suum sanctum primum hominem per Euam sanctum uirum circunuenire procurauit . Erat namque consobrinus suus in quodam monasterio prior prope ciuitatem firmianam iuxta fluuium : quod Tenna dicitur : cuius nomen sancta Maria Iacobi appellatur : conspiciens autem uiri sancti paupertatem nuditatem pœnitentiam atque egestatem affligitur : eidemque compatiens ait : | ut quid tantam pateris miseriam ? tui ordinis conditio pauperrima est : nec religionis præcepta aspera poteris adimplere . tuæ igitur consule iuuentuti . In huius monasterii bonitate mecum gaudere potes . Constrictus namque cognationis uinculo non possum amplius in tua tantam miseriam conspicere iuuentute . At uir sanctus iaculum temptationis cognoscens in ecclesia dicti monasterii orationem deuotissimam pro scuto defensionis accepit : Cælestis autem agricola qui non uult eos qui ad eius aratrum manus mittunt retro aspicere : sibi flexis genibus et sursum eleuatis manibus dicenti dirige domine in conspectu tuo uiam meam : subito scutum bonæ uoluntatis contra dictum temptationis iaculum contribuit salutare . Mox namque in eadem ecclesia et loco ubi orabat : uiginti iuuenes in duobus quodam modo choris induti uestibus albis faciebusque rutilantibus eidem pariter astiterunt unanimi uoce : ter clamantes Tolentinas tolentinas tolentinas erit filius tuus . In uocatione autem qua uocatus es maneas : in ea namque erit salus tua . Qui in spiritu intelligens : quod non homines uiderit sed potius deum : eum spiritus monuisset sicut ipse post magnum tempus fratribus simpliciter reuelauit : prænuncians nempe quod moriturus esset ibidem . Præterea ut infra plenius scribitur quantumlibet eum consobrinus postea blandiciis nissus fuerit retinere dehortans ab asperitate ordinis et hortans ad monasterii leuitatem : eius tamen animum uel asperis deterrendo uel prosperis demulcendo ut pote iam temporalia omnia contemnentem non potuit commouere sed Tholentinum iuxta diuinum oraculum concitus properauit .

De Abstinentia eius .

Quærit igitur hostis humani generis sanctum uiolare affectum : qui domino et saluatore nostro iuuante transit mirabiliter ad profectum . Nam si tanquam aurum in fornace probat electos dominus diabolica illa cognatio mediante sugestione fornacis ædificii fuit || initium quam uelud aurum electum probari debuit beatissimus Nicolaus . Si quia ibi diaboli antiqua malicia temptationis machinas cum magis ac magis diabolica percipit temptamenta . Rediens namque Tholentinum sicut per diuinum oraculum ei fuerat intimatum in uirum alterum mirabiliter est mutatus . Ibi namque quasi triginta annis degens nusquam carnes oua pisces aut aliqua pinguia uel lacticinia aut poma sanitatis aut infirmitatis tempore compertus est comedisse . unde cum semel infirmatus fuisset : et fratres de sui debilitate dubitarent : uocant medicos : quos ipse uitare uolebat : spem suam ponens in medicum suum Iesum christum : qui desperantes de eius salute etiam contracta debilitate consulunt : ut carnes comedat leuiores : quorum consilio nullo modo annuens medicos renuit eosdem . Prior autem loci sui subdicti uidens periculum suum hortatur sæpius : ut acquiescere uelit consilio medicorum : cui uir

sanctus respondebat humiliter ; ut quid prior mi molestus esse cupis An ignoras ; quod corpus hoc : quod escam quam semel gustauit delectandam : redire satagit festinanter . Parce igitur queso mihi . Melius est enim huic carni ponere frænum : quam ei laxare habenas : ut ad peccatorum foueas animam obruat condemnandam . Viri igitur sancti proposito prior non ualens resistere : priorem generalem adiit : qui tunc erat in conuentu ; eique prædicta exponens supplicat : ut sancto uiro iniungat : quod per medicos erat consultum . Generalis igitur prior periculum imminere cognoscens infirmum salutat : et post multa diuersaque admonitionis exempla præcepit per obedientiam salutarem : ut carnes comederet : sicut per medicos nouerat esse consultum . Non audet uir sanctus obedientiam renuere : carnes tamen nititur fastidire . Vocat ergo priorem : et dicit generali parendum esse . Hoc est enim ; quod promisi . Hoc saluatori meo suæque sanctissimæ genitrici et beato Augustino primum obtuli . Hoc est quod usque ad mortem seruare concupiui . Secundum ergo medicorum consilium parantur carnes . Inter igi | tur gulæ et inobedientiæ uitia quasi inter duo pericula constitutus prælia diuersarum cogitationum uir sanctus in mente persentit . Deliberat tamen : et parua accepta particula semel tantum gustauit carnes dicens . Ecce parui . Me amplius de gulæ uitio me molestare nolite . Inde melioris medici adæsit consilio . Cælitus enim medicus Iesus christus tantam in seruulo suo agnoscens constantiam assuetis sine pinguedine cibis et absque medicine pigmentis ipsum celeriter sanat . Quare abstinentiæ gloriabatur angustiis carnem domando : quam sua premebat ualitudo . Nam et cum præter dictam abstinentiam grauiore morbo penitus laboraret : secunda quarta et sexta feria et in honorem gloriosæ uirginis sabbato pane et aqua semel reficiebatur . Qui autem primos parentes gulæ uitio superauit : et secundum Adam christum saluatorem nostrum temptauit : Hic uirum temptando pariter superare nititur . Reuocabat nanque in eius memoriam : quo pacto et alii fratres in cibus tractarentur : et quomodo infirmitates paterentur frequentes presertim iuncturarum dolores : stomachi tortiones : capitis debilitates oculorumque uel uisus obfuscationes propter nimiæ abstinentiæ feritatem . In his autem et similibus cogitationibus stimulatus sæpius cœpit semel intus turbari ac dicere : Forte non est deo accepta pectoris mei abstinentia : ex quo tantarum temptationum in me diabolo concessit dominium . Ecce ergo deus adiuua me : quia nisi tu domine adiuues me : paulo minus habitaret in inferno anima mea . Inuictissimus ergo princeps Iesus christus suum militem præliantem in campo temptationis perire nolens : eidem in somnis apparens ait : Nicolae depone inquit mæsticiam : et lætare : quia tua mihi placent opera : quæ cœpisti : ad quam uocem expergefactus gaudens dixit : lætatus sum in iis : quæ dicta sunt mihi . In domum domini lætantes ibimus . Et tunc taliter effectus securus : temptationes præfatas letanter suscipiebat et gaudens . Ardentius igitur inhærens || abstinentiæ a febre accipitur : et grauius infirmatur illo procurante merito : quia carnem beati Iob quando a domino acceperat potestatem ut quem temptationibus ad gulæ uitium trahere non poterat : saltem infirmitatis tædio trahere uideretur . Videns autem uir sanctus se debilem adeo : quod de ipsius transitu dyaboli temptationem cognoscens gloriosæ uirginis et beatissimi Augustini frequenter implorabat auxilium : In cuius imploratione auxilii delectabilitor sompnium cœpit : Moxque dicitur quod dei genitrix una cum beato Augustino aspectu inextimabili dormienti apparuit : in qua uir sanctus intendens atque inter cogitationes admirationis prosiliens in talia uerba prorumpit . Que es inquit domina ; quæ ad me qui sum cinis et pluis† tam admirabilis aduenisti ? Et illa : ego sum saluatoris tui mater uirgo Maria me enim crebro cum Augustino quem iuxta me conspicis in tuum auxilium inuocasti . Ecce iam uenimus ; ut me curante accipias sanitatis consilium : pretensoque digito uersus plateam : ait : Mitte illuc ad aliquam dominam ; et panis recentior in nomine filii mei Iesu Christi pro te portet quem ut† recipiens aqua intinctum comedas : et tunc sanitatis beneficio potieris . O uirgo prudentissima in hac medicina recte consulis uiro sancto . Alia enim cibaria non sic libenter in infirmitate gustasset sicut illa : quæ pro tui amore in sanitate interdum summebat auidius ; Et ut ei ostenderes suam abstinentiam tibi tuoque filio esse acceptam : cibo abstinentiæ eidem restituis sanitatem . Euigilans igitur uir sanctus suum excitat seruitorem : uisionemque tacens ad ostensum sibi locum ipsum pro pane in nomine Iesu Christi petendo transmisit . A quadam igitur domina seruitor panem recentem lætanter recipiens inbibit cum aqua : et sancto uiro obtulit come-

dendum : Qui signo premisso panis modica assumpta particula absque intermedio aliquo sanitatis plenissime recepto beneficio exurrexit : Quid autem amplius de eius abstinentia dicam : cum septimo anno suæ ætatis tribus diebus singula | hebdomade ieiunare cœpit in aliquo imitans sanctum antistitem Nicolaum : Qui secunda quarta et sexta feria a matris hubere abstinebat . Recte igitur infantiæ non persensit ætatem : qui sibi modum et ætatem iuuenum : senilem abstinentiam peragebat . Mirum ergo non est : si sic ieiunat prouectus : ex quo sic abstinebat puerili ætate subuectus .

De Castigatione eius et disciplina atque oratione .

Non solum autem ieiunio et abstinentia sed uerberibus pœnisque aliis suum corpus in seruitutem animæ redigebat : Solis enim paleis per aliquam noctis horam contentus : ad orationem surgebat : ferreaque cathenula carnes proprias castigabat : tunicis asperis utebatur : corporisque delitias uitans mollia uestimenta fugiebat : illud euangelicum semper attendens : Ecce qui mollibus uestiuntur : in domibus regum sunt . Orationi autem in tantum assiduus : quod post completorium usque ad gallicantum et post matutinum usque mane et post missam nisi forte confessionibus occupatus usque ad tertiam : et post nonam nisi obedientiis intentus usque ad uesperam preter constitutas horas : in quibus continuo primus erat : semper orabat . Locus autem orationis eius non tantum oratorium erat apud unum ex altaribus : ubi in præsentia iacet tumulatus sed et cella : in qua duos constituerat lapides : ad quorum unum genua flectebat : ad alterum uero brachia quando nimio orationis labore lassus erat : ut si brachia non affligebantur lassitudine ex intensionis suæ frigore saltem castigarentur . Illius autem deuotæ orationi Diabolus inuidens non modo per inspirationes malas sed etiam per dura uerba et apparitiones ipsum molestabat : Vnde cum aliquando in oratorio ante predictum altare uir sanctus oraret deuotius : lampadem accensam diabolus non extinxit solum sed ipsam ad terram deiiciens fregit . Super autem oratorii tecto stans uoces diuersarum ferarum formabat : imbricesque reuoluens tectum || subuertere uidebatur . At uir sanctus dæmonis illusionem esse cognoscens orationi fortius insistebat . Et ecce per hostium cum furiis et terrore hostis nequissimus intrans adorantem accepit : ipsumque uerberibus sic afflixit : quod per multos dies uulnerum cicatrices in toto suo corpore apparebant . Cum uero aliquando sibi sueret tunicam præfatus humani generis inimicus unam illi tunicæ partem subtraxit : quam uir sanctus cum uellet alteri parti coniungere non inueniens inquirit et requirit . Inuenire autem non ualens dicebat : Sancte deus et quis potuit mihi sic illudere ? Vere qui dignus nominari non est : ille ita mihi illusit . Mox ad uerbum sancti uiri dyabolus respondit dicens : Verum est : et illusi : et illudam . Sed aliter tecum agam : ex quo sic te superare non possum . Et uir sanctus : Quis es tu ? et ille : Ego sum Belial datus in stimulum sanctitatis tuæ . Et ille : Si dominus mihi adiutor est : non timebo : quid faciat mihi homo . Noctu autem assuetam orationem relinquere nolens cum oratorium apertum non esset : quod matutinalem horam uir sanctus preuenerat intrare domum refectorii ubi crucifixi imago depicta erat in limine hostii a dicto Bellial ad terram taliter impingitur et prostratur : quod in eo halitus uix remansit . Confortat se tamen : et in nomine crucifixi surgit a tera : et cum uellet ad orandum procedere : uerberibus cæditur : et ad terram iterum inclinatur : tandem cogitur inde recedere : et ad omnem angulum loci quem inueniebat inter eundum uæhementer alliditur . Deo autem uolente auditur rumor dæmonum cum uiro sancto preliantium : Excitatique fratres conueniunt ad beatum Nicolaum ad terram elisum erigentes : stareque non compotem ad lectulum pauperculum deportauerunt : ubi confortatus a christo protinus baculo tamen se substentans : consuetasque orationes perficiens gratiarum actiones et laudes christo reddidit saluatori .

Quod operibus pietatis et caritatis intentus miraculorum uidit presagium singulare . |

Sicut autem placebat domino orationibus : sic placebat domino et proximo operibus pietatis . Infirmos namque uisitabat eis ita compatiens : quod quidquid delectabille habere pro eis poterat acquirebat : et dabat tantaque pietate erat affectus : quod cum

ipse sine baculo ex dictis uerberibus ad ambulandum impotens esset : uisitationes tamen huiusmodi non dimittebat : Ipsos infirmos confortans diuinis eloquiis quæ gestabat in corde uelut sagittas acutas . Inter sanos namque et infirmos conuersans satiari non poterat de dulcedine mirabili uerbi dei continuo predicare : et loqui . Compatiebatur specialiter infirmis : ita ut pro multis peccatoribus sibi confitentibus oraret : ieiunaret : celebraret : et lachrymas fundaret coram deo : ut a peccatorum uinculis soluerentur . Pauperes diligebat : et uerbo et fide fouebat uestimenta eis acquirebat et cibos . Hospites fratres libenter recipiebat ut angelos . Mæstis erat læticia : aflictis consolatio : diuisis pax : laborantibus refrigerium : pauperibus subsidium : captiuis remedium singulare . Caritate autem adeo fulgebat : ut mori lucrum putaret nedum pro christo sed pro proximo : Quidquid uictus uestitus erat fratribus modicum reputabat : cum tamen ipse modicis esset contentus . Huius uirtutis gratia quæ sua erant non quærebat sed quæ Iesu christi . non propria communibus sed communia propriis anteponens : ut sui sanctissimi patris Augustini regulæ esset plenissimus obseruator : Qui apostoli pauli uerba ibidem exponens ait . Caritas dei de qua scriptum est : quod non quærit quæ sua sunt : sic intelligitur : quod non propria communibus sed communia propriis anteponit . Sua insuper uerba quia a corde caritate pleno procedebant nil otiositatis nil superfluitatis sapiebant : sed omnia ædificatoria pietate honestateque plena erant . Et quia tanta sanctitas mundo non poterat lucere : quia christus lux uera nunquam lucernam aliquam in sanctum aliquem sic accendit : ut ponat eam sub modium sed super manifestationis || candelabrum : ut luceat omnibus qui in domo sunt ecclesiæ . Rationabilis quidem extitit : ut claritate meritorum aliquod pateret presagium singulare . Ille igitur qui olim Ioseph filio patriarche Iacob in somnis solem et lunam et undecim stellas adorantes eum ostenderat : nouiter prefato inclyto uiro syderis demonstrauit præfulgidi suorum miraculorum miræque sanctitatis indicium . Nam aliquando cum noctu ipse orationi diu uacasset in cella aliquantulum obdormiuit : et ecce in somnis apparuit sydus clarissimum quantitate magnum : motu uero recte lineæ : situ uero non altum : sed quasi prope terram incedens . Videbatur autem ei : quod huius syderis nouissimum castro sancti angeli a quo originem traxerat haberet initium . Motu uero recte lineæ progrediens Tholentini ante altare post chorum oratorii : quod erat ea tempestate iuxta claustrum ubi ipse consueuerat celebrare mane et die frequentius et nocte quandoque in oratione persistere stabilitatem haberet et terminum : ad cuius rei spectaculum gentes diuersarum prouinciarum et linguarum ei conuenire uidebantur . Cum autem ex signo hoc permaximo eadem nocte pluribusque aliis certificatus esset quodam ammirationis stupore repletus est : Et quia tantæ rei exitum auidius cupiebat agnoscere cuidam fratri qui et iudicio ualebat et scientia quod sibi familiariter uisum fuerat simpliciter percontatur . Ille uere quodam sermone prophetico respondit : Pater re uera hoc sydus est uero tuæ presagium sanctitatis : nec mens mea uertit in dubium : quia ubi sydus expleuit suum motum : ibidem corpus tuum locabitur . Et ex multis miraculis quæ ibi fient ad percipienda beneficia sanitatis : gentes uenire quæ te non nouerant undique properabunt : et tuum tumullum cum reuerentia adorabunt . At uir sanctus humilitate quæ ei summopere cordi erat fulcitus ait : Depone inquit hanc de me care frater opinionem : qui semper christi inutilis seruus fui : ipse deus meus exponat : quia tu uisum meum non intelligis . post paucos uero dies cum more solito interdiu | oratorium intraret : quædam stella quasi motu pigerrimo eum usque ad locum dicti altaris præcedebat : Et cum hoc quottidie illi eueniret in spiritu intellexit : quod hæc diuina stella illius quam in somnis uiderat nuncia ueritatis aliquid retineret . Cum itaque die alio oratorium rursus intraret : stella ut prius antecedebat eum . At uir sanctus summa reuerentia et aliquali oratione ante sepe memoratum altare facta in longum perambulans oratorium stellam ulterius non uidebat . cum uero ad altare redibat : mox stella supra locum illum ei apparebat . De hoc igitur sæpius se certificatus per plures annos ante suum obitum : cum esset infirmus et in diebus in quibus tempus suæ migrationis instabat : fratribus cum caritate commisit ut in dicto loco ipsum sepelirent : et nullo tempore nullo inde pacto unquam remouerent . O christi ueritas nunquam fallens : et quæ abscondita sunt in tenebris : in lucem miræ claritatis producis . Stellam enim quæ præfatum uenerabilem uirum in signum suæ sanctitatis uiuentem præcedebat : multis et diuersis populis supra suum tumullum

post eius obitum demonstrasti . Multis namque annis et temporibus semper in die qua uir dei diem extremum clauserat : multe et uariæ gentes ad honorandum eius corpus sanitatis remedio undique conueniebant : et ut ante : hæc postea etiam stella ab omnibus percipere uolentibus recte supra suum tumulum quasi astrum se non mouens uidebatur : Vt clare detur intelligi quod beatissimus Nicolaus non solum in terris fulget miraculis sed in cælo præmiis iucundatur æternis .

De Miraculis et signis quæ per eum in eius uita deus ostendit .

Lucet autem huiusmodi stella beatus scilicet Nicolaus inter caliginosas nebulas peccatorum non solum sanctitatis uitæ radiis sed miraculorum fulgoribus gloriosis eius enim preclara merita non poterant a sue potestatis effectu etiam in uita misera abstinere ob immensam gratiæ et uirtutis hubertatem . Sane uir Tholentinas quidam Bernardus || nomine a pigia terra trans mare nauigauit uxorem Margaritam cuidam commendans : illa uero ante uiri sui reditum masculum peperit sanum et pulcrum . Demum infirmitate preuentus natus moritur : et magno matris dolore traditur sepulture : qui dolor natus eiusmodi fuit causa morbi ut deinceps quotiens grauida ueniret ad partum semper abortiuum pareret . Hec igitur graui morbo fere per septem annos pluries fit grauida cogitans autem quod frustra grauida esset : cum semper abortiuum parere consueuisset gemit et dolet : Quod ubi uir sanctus cognouit ex conuersatione solita eidem compatitur orationeque pluribus diebus facta quasi securus de futurorum filiorum uita mulieri ait : Confide a domino benedicta : nec ulterius uoces nec lamentationes emittas : statim enim nascetur tibi filia animam habens a factore domino meo Iesu cristo creatam de cuius pietate confidens tibi dicere audeo quod ex hac hora filium uel filiam nunquam paries qui uicturi non sint : partus uero tempore adueniente filiam peperit animam habentem et uitam . Sicque deinceps iuxta sancti uiri oraculum semper filios pæperit animatos . Quod ex uirtute suæ orationis mulier esse cognoscens donorum omnium largitori beatoque Nicolao gratiarum laudes reddere non desinit iuxta posse . huius mulieris quædam altera fuit filia nomine Cecha quæ cum paruula esset : tumefactionem sub mento ad modum oui anseris retinebat . Tandem medicus quæritur cuius conscilio puella curari possit . Morbo ab eo cognito ad incisionem consulit procededum† . Timens autem de periculo matris inter diuersos prolixosque doloris gemitus ignorat : quid agere debeat : morietur inquit filia mea : si ferro tangetur : si autem sic eam dimiseris : a morbo pessimo superata cito suos finiet dies . At uir sanctus doloris huius in spiritu intelligens nuncium uocat dicens : Vade et a muliere ipsa perquire : quæ sit ei causa doloris . Vadit puer et redit : dolorisque causam expressit uiro sancto . Remittit sanctus puerum : et ut puella portetur ad eum iniungit . Baiulat mater puellam et uiro | sancto ait : Vere scio et credo quod per te liberanda sit filia mea . tace ille inquit : nec de me dicere ista presume . Roga deum eiusque matrem ac beatum augustinum : ut tua filia prospere sanitati restituatur : Factoque signo crucis super puellam et tacto morbo ait : Vade . dominus meus Iesus cristus det tibi consolationem quam desyderas Illa uero hominis uirtutem considerans mox ut fuit domi filiam respexit . nullum dicte tumefactionis et morbi inuenit uestigium . Eidem autem mulieri interim nascitur masculus : cuius labia et alia membra aliqualiter moueri uidebantur . baptizatur ex hoc a circunstantibus mulieribus puer . sed inter baptizandum : animam eum habere nequaquam cognoscere poterant . Plorat ergo mater . Heu inquiens filium genui : cuius anima dampnata est : Cogitur uir sanctus uisitare dolentem : ut quod in nocte uiderat de filii anima : ad matris solacium recitaret . Cum autem circum dæmones terribiles astarent dicentes quia huius anima nostra est . Nondum enim baptisium† decedens perfecte susceperat : Ego autem quamuis fragilem me dignoscerem pro anima meis manibus commendata deo supplicaui : ut angelum salutis ab alto dimitteret in defensorem et propugnatorem anime pereuntis : Cuius immensæ placutt† pietati angelum dirigere fortiorem : qui dæmonibus eiectis de meis manibus suscepit animam celestis sedibus collocandam . Consolare igitur : consolare : et de dei iuditiis non turberis . Melius est enim : quod filium genueris cælo altissimo quam huic infirmo mundo : et quæcumque deo uolente de dei gratiis in me misero conspexisti nulli dum uixero ullo modo dicere audeas . Hæc est illa mulier : quæ uiri sanctitatem cognoscens : cum

ipsius alias non posset habere reliquias in die qua eius sanctissimum corpus sepulture tradendum erat inter multas gentes quæ ad prefatum corpus honorandum concurrerant : fretro† adhærens eius manus lauit et pedes : Cuius lotionis aquam in uitro mundo reuerenter reposuit : quæ quidem multis post infirmis occasio extitit sanitatis : Mirum autem : || quia cum aqua diu seruata naturaliter residens putrefactionem facere consueuerat : Hæc aqua per uigintiocto annos conseruata nullam unquam sensit putrefactionem : sed clarissima semper apparens incorruptibilis semper mansit . Verdiana compagioni maceratensis uxor Tholentini habitans infirmitate quadam adeo grauabatur : quod oculi fatiesque tota ita uertebantur ad alteram partem : quod auribus fere iungebantur : hæc ergo ad sanctum uirum summa cum deuotione ueniens : petit ab eo benedici et tangi . Motus ille in eam pietate benedixit illi : Sanet inquiens te saluator meus Iesus cristus . Mox oculi os et faties tota ad statum rediit naturalem . Huic mulieri filius fuit : cui ex mala custodia in ignem cadenti brachium et manus inuste sunt . Immo sic ignis eius manum inuasit : quod digiti ex carnis liquefactione per ignem facta coniuncti inuicem uidebantur . Mater autem quia ex recepto miraculo uirtutem dei in uiro sancto esse non ignorabat lachrymans cum filio filiique sanitatem postulans uenit : Cui uir sanctus : Sanet inquit eum dominus meus Iesus christus : et signo crucis super eum facto statim digiti et manus cum brachio ita consolidati sunt : ac si nunquam eos ignis contigisset . Viridiana ea urbe Tholentino oculorum infirmitate nil uidere poterat . Quæruntur medici et eorum consilio diuerse in capite fiunt puncture . Ex quibus non minuitur morbus sed augetur : adeo ut capitis uigorem perderet . Quid tamen quæreret anxia ? Postquam temporalem medicum non inuenit recurrit ad spiritualem . protinus in mentem eius sucurit ut prefatum Nicolaum uirum sanctum requireret : missam itaque celebranti mulier adducitur : quæ uelox importunis uocibus ut super caput eius uir sanctus pater noster diceret signumque sanctæ crucis faceret orare cœpit . Spero inquiens in deum meum : quod tuis sanctis meritis me sanabit . Pudet uirum tantæ laudis . ab importuna tamen cogitur : Dictoque pater noster et signo crucis super caput languidæ facto ait : Vade . dominus errigit elisos . dominus illuminat cæ | cos . Mox uisus illi restituitur : et capitis ultra dolorem non sentit . Veridiana bonihominis Tholentinatis filium habuit qui aliquando in faciem cadens in ignem lapsus et mox inusta fatie tota lumen perdidit oculorum : gemit mater et tanti periculi remedium satagit obtinere : quod non inueniens ad Nicolai confugit suffragia Ille uero eius filium tactum liberauit . Quedam insuper Genantessa nomine Nicolai Tholentinatis filia cum uiro suo minus parere uellet : ab eo nudatur : amplaque corrigia fortissime castigatur . accidit : ut inter uerberandum fibula ferrea mamillam attingeret : eamque uæhementer uulnerans in quattuor partes cum sanguinis effusione diuisit . fistule proinde infirmitatem mulier incurrit . cum uero medicorum curæ nil prodessent mulier quædam antea dolore partus per octo dies castigata sanctique uiri orationibus liberata uicinitatis causa hanc uisitat et ut ad fratrem Nicolaum cum deuotione properet hortatur : Illa consulenti uicine acquiescens cucurit uirumque dei reuerenter cum lachrimis precatur : ut signo crucis suam signet mammilam . At uir sanctus importunitatem uidens signo crucis facto super eam dixit : Ille te sanet : qui beatæ Agathæ pectori mamillas dignatus est restituere . Et si dominus tibi hanc gratiam concesserit uide : ne cui dixeris : sed in te ipsa lauda medicum mundi Iesum christum . Redit domum illa : mammillaque soluta nullum cicatricum in illa reperit uestigium . Frater Iohannes de Monticulo antiquus in ordine et uite et morum honestate conspicuus cum circa partes inferiores effusorum uiscerum dolore urgeretur et pondus sustinere non ualeret : summa deuotione affectus uocat ad se beatissimum Nicolaum : amore inquit effusi sanguinis christi fratrer† . Nicholae precor ut hunc doloris locum contingere non fastidias : Tanto autem dolori pudendoque ponderi uir sanctus compatiens signo crucis premisso locum tetigit . nec mora . que effluxerunt uiscera in naturalem et pristinum locum consolidata sunt : Mulier quædam Tholentinas Duncella nomine cum || iam sanguinis fluxum ultra annum passa esset : nec medicinis ullo modo curari posset : ad sanctum defertur uirum : qui aduehentium importunis precibus inclinatus signo crucis mulierem munit et tangit : quæ mox liberatam se sentiens domum propriam concita properauit . Quidam nomine Thomas ligna concidens forte pedem proprium ferro tam uehementer percussit : ut ipsum subito penetraret neruum : curare omnino desperan-

tibus medicis ille ex multa deuotione ad sanctum Nicolaum delatus humiliter supplicabat : ut simpliciter super eius pedem incantationem facere dignaretur : Qui cathaplasmate inde ammoto uisoque uulnere quasi obstupefactus ait : Fili deus te adiuuet . cito cohoperi dicensque super eum pater noster : ut prius fuerat religari iussit . tamen signo crucis facto ait : Vade in pace fili : quia te grauiter uulnerasti . saluator meus christus adiuuet fidem tuam . Ille autem etsi statim non cogitauit . tamen se conualuisse aliquantisper persentit : et qui uenerat auxilium diuinum expetere : humanum nihilominus non dereliquit . Venit ergo medicus consueta hora : dissoluensque pedis ligaturas nullum læsionis uestigium reperit . hoc itaque egrotus conspiciens : exclamans ait : O homo dei inquit Nicolae quia tuis sum hodie meritis ex atrocissimo uulere† mirabiliter liberatus . Et statim dimisso terrestri medico ad nobilem Nicolaum patrem festinans ei gratias coram fratribus egit . Ille ægre ferens rogauit ut non suis meritis sed proprie fidei et feruori deuotionis hoc adscriberet : nullique de cetero nisi uellet imprecationis maledictionem incurrere : quamdiu in carne uiueret presumeret reuelare . Erat in memorata terra quidam Mina dutus† nomine in egestate degens : parum sibi frumenti pro temporis qualitate emere consueuerat . Prefixerat autem tempus et modum uxori suæ de panis quantitate conficienda et duranda . Empta igitur aliquando frumenti salma : pane inde confecto mulier uiro sancto eleimosinam mendicantium fratrum more petenti panem unum dedit . Incipit uir sanctus tribuenti paupercule bene | dicere . Deus inquiens multiplicet tibi farinam : si quam habes : pro cuius amore hanc hilarem eleimosinam cum pauperrima sis perfecisti . Nec destitit uir sanctus a benedictionibus huiusmodi : donec peruenisset ad locum fratrum . Erat enim mulieris domus uicina monasterio . Cum autem instaret tempus reficiendi panes : Vadit mulier ad archam : et ipsam plenam agitatam et superaffluentem inueniens gratias redidit saluatori et beato Nicolao : quandoquidem tantam sit uirtutem dignatus impartiri . Tacet tamen mulier : nec uiro secretum aperit . Adueniente autem tempore quo farina existimaretur prope deficere tanquam bonus paterfamilias consulit cum uxore Minaldutus quo pacto frumentum emendum esset : uxor uero responsum non dabat quanquam sepænumero eadem uerba uir eius repeteret quid est quod ad uite necessaria secum non consulat . Illa uero non ultra resistere ualens arcam farina abundantem ei ostendit : et cur hoc obtigerit demonstrauit .

De cantu angelico quem audiebat et de miraculis prope mortem per eum factis .

Non solum autem hoc pro laboris mercede rex ille etærnus etiam in presenti uita seruo fidelissimo declarauit : sed longe his maiora pro certitudine sperandæ gloriæ uoluit reuelare Enim uero sex ante eius obitum mensibus singula nocte ante matutinalem horam cum corporalibus auribus canticum angelicum suauissimum faciebat audiri et adeo delectari : quod dicebat : Cupio disolui : et esse cum christo . Ex hoc uir sanctus uitæ suæ terminum cognoscens adesse : suum sanctum obitum cito prænunciauit . Cum autem semper post memoratam dæmonis flagellationem factus esset claudus : nunc fit maiori infirmitate grauatus . Et sicut ante baculo : ita nunc iacens substentatur in lecto . ad quem languentem multi salutationis gratia accedebant . Blanda nomine Tholentinas cum per quindecim annos acerrimum capitis dolorem passa fuisset ita ut sepenumero aut uidere aut audire non ualeret . ad iacentem ueniens qui ut || mulieris caput manu tetigit signumque crucis super expressit rogauit ut eius caput tangere dignaretur . omnis dolor in ea penitus conquieuit . Defuncto quoque fratre Thoma nostri ordinis soror eius in diuturnas uersa lachrimas adeo plorauit quod nato in oculis eius apostemate nihil omnino per uisum discernebat ad sanctum ducitur Nicolaum : Ille causa amissionis uisus cognita cœpit et ipse super predicti fratris Thome morte pietate multa motus complorare : Videbatur enim ei ordinem sancti augustini utili admodum uiro fuisse priuatum . signo itaque crucis premisso ipsam tangens ait : Deus et dominus meus Iesus christus tuæ misereatur tristitiæ : et sanitatem tibi restituat oculorum : ut uideas quæ placita sunt coram eo in æternum . Verbis sancti uiri subleuatur ægrota deque cella illius recedens ecclesiamque intrans : uisum ei fuit quod noua claritas oculis suis aduenisset . Tunc ait

consociis suis : Videte si aliquid mali est in oculis meis : quæ cum cæca essem modo uideo . his dictis ad propria saluis oculis ut ante reuersa est .

De eius obitu.

Quia bonarum quippe mentium est ibi culpam cognoscere : ubi culpa non est : Morti factus propior uocat fratres : et eos sic alloquitur : Quamuis mihi nihil conscius sim : tamen in hoc iustificatum me esse non cognosco . Ideo si quem læsi unquam aut iniuriatus fui in aliquo uos ipsi iudicate : et parcite meis delictis : ut et debita uestra uobis dimittantur . Tibi autem prior obnixe supplico : ut meorum omnium delictorum absolutionem facias : sacramentaque sanctæ matris ecclesiæ mihi conferas præsertim corpus domini comunicandum prebeto : ut tanto uiatico mecum sumpto de mundo hoc ad patriam uadens non deficiam : et si meis exigentibus malis Bellial inimicus meus mihi occurrerit : confidenter id obiicere possim . Circunstantibus itaque hinc inde fratribus et una cum ipso orantibus sollem | ni absolutione recepta cum ingenti lachrimarum effusione corpus sumit dominicum dicens : Benedictus : qui uenit in nomine domini . Post hoc autem ad priorem uersus inquit : crucem illam argenteam optimorum castelli huius uirorum eleimosinis me operante fabricatam : ubi sanctissime crucis uerum lignum me prospiciente intropositum est quæso autem te : ut ante quam moriar oculis istis mortalibus eam ostendite : ut in eius uirtute uelut in baculo potestatis altissime : Iordanem huius sæculi libere transire possim : et ad paradisi fluuium candidum tanquam chrystalum in cuius utraque parte lignum uitæ est christus Iesus feliciter possim peruenire : Cuius piæ petitioni prior non renuens crucem quam optabat afferre iubet : hanc ubi uir sanctus conspexisset ut potuit prouolutus in lecto cum lachrimarum inundatione ait : Salue crux speciosa ! quæ mundi precium portare digna fuisti in te saluator quieuit et sedit : et passionis æstu roseo sanguine sudauit . latroni misericordiam imploranti peperit† suam matrem uix cognoscens uirgini discipulo commendauit : denique pro se crucifigentibus inuocauit patrem . Ille me per te defendat ab hoste maligno in hac hora . hac itaque osculata ut prius iacuit unum e seruientibus uocans Vide ait ne meis auribus omittas intonare : dirupisti uincula mea . tibi sacrificabo hostiam laudis . ut si carne hac debilitata aliquid proprio ore dicere non possem : memoria saltem dicere ualeam domino meo Videntes autem fratres : quod incolumis esset memoriæ : modo ad eum accedunt . modo ab eo recedunt . Ipsis autem recedentibus uox gaudii audiebatur et risus . Et cum esset uox sua : alia uidebatur . sed nec mirum quia uox illa quæ deum laudare consueuerat : per spem nunc laudare incipit ipsum per spem uidendo . Vnde cum ab eo quæreretur quid est tibi gaudii et læticiæ pater : de uisione habita attonitus ait : Deus est et deus meus Iesus christus : qui suæ matri nostroque patri augustino inherens dicit mihi : Euge serue bone et fidelis intra in gaudium domini tui . his autem || fratres perpendentes : quod proximus eius instabat transitus : in consuetis orationibus deum et sanctos inuocant : ipsoque dicente : In manus tuas domine commendo spiritum meum iunctis ad cælum manibus et oculos ad ante positam crucem leuans iucundo et hylari uultu spiritum domino reddidit .

De miraculis post eius obitum factis .

Dominus autem qui sanctum suum uitam hanc ingressum egredientemque perfectius attollere dignatus est . Mira enim signa et prodigia per eum multiplicauit adeo : ut qui recitare illa aut scribere uoluerit : calamo opus esset uelociter scribentis . illius siquidem : qui non calamo aut graphyo sed suæ uirtutis digito in monte synay tabulas descripsit lapideas . Iam anni uiginti præteriere ex quo tempore huius sancti innumera miraculorum genera dignatus est dominus suis fidelibus ostendere : qui facit mirabilia magna solus . Immo dictorum miraculorum usque adeo numerus excreuit : ut notariorum multitudo copiosa uelut ex multis scriptis mirabilibus uicta mercedis etiam præmio haberi non possit . De pelago igitur tantarum gratiarum quædam in præsentia non omnia quandoquidem id fere esset impossibile haurire cogitaui .

De cæcorum illuminatione .

Lux igitur uera Iesus christus præfati sancti merito de sede magnitudinis suæ prospiciens multos priuatos lumine luci restituit . Quædam namque de Ciuitatenoua Massecta nomine filia Alexandri oculorum passione penitus priuata lumine uidebatur . Repletur mestitia patri : quia nullius medicine suffragio poterat filia liberari . ad supernum ergo recurrit medicum : et beati Nicolai auxilia implorare non cessans moxque pectus concutiens plorabat : non multo post : clarius ut ante uidens patri extitit lætitia singularis . Dimisia cachei henrici | bernardi sanctiseuerinatis sinistro oculo sic laborabat quod luce priuata nullam in medicis spem habebat . Sancto igitur Nicolao humiliter pollicitis quibusdam muneribus se commendat . Verum quia in fide non existeret uæhementiore repercutitur ægritudine . Correcta igitur beati Nicolai ardentius suffragia implorat : repetitoque uoto mox de eius oculo squama cecidit et ad lucem pristinam restituta est . Procurante autem antiqui hostis inuidia filia quæ suis genibus residebat manu taliter liberatum iam oculum repercussit : ut a propria sede oculus excideret iterum ad beati nicolai suffragia cucurrit et ut prius sana facta est . Andriolus Merius nunc uero Tholentini incola fratrem carnalem habuit qui in oculo taliter percussus est quod lumine indicio† medicorum nulla arte recuperaturus sperabatur : Humano ergo auxilio destitutus diuinum adiit . et beati Nicolai meritis se commendans redintegrata oculi pupilla illico uisum recepit . Contenatius Vgolini de sancto Genesio cum oculorum luce priuatus esset : multis ad beati Nicolai tumulum uisitandum euntibus uolebat et ipse accedere . Tali et tanta deuotione affectus quod si sancti attingere posset limina : continuo oculorum luminis recipere claritatem se speraret . Verum quia caritas refrigescit multorum : sine luce eunti nullius comes fit : inter eundum tardior : qui in beneficio suscipiendo præ cæteris debebat esse uelocior . Mira res . præuenitur nocte . et superno instinctu sub quadam oliua residet dormiturus : laudatoque sancto cui humiliter se commendauit : securus inter noctis tenebras ferarumque timore effectus est : quasi secum commorantium assisteret multitudo . Ille autem cui se deuotius commendauerat tantam fidem desuper prospiciens miro modo diu desyderatam lucem suis oculis condonauit : Nam lux de cælo circumfulxit eum : et qui prius nil suis oculis conspicere poterat : claræ et lucide in nocte prospicere quæque potest . Mane sui ducis impedimento ad beati Nicolai tumulum concitus properat solutisque uotis deum in sancto suo commendat et || laudat . Bona sanctiseuerinas filium habuit : cuius oculus sanguinis fluxum patiebatur . Ita ut uidere nullo modo posset . ad beati Nicolai limina confugit : moxque filii sanitas promissis redditisque uotis secuta est . Guilinus Bartholini de Monteuulmo apostema in oculo habens per dies quindecim nil uidere ualebat : iudicioque medicorum naturaliter oculus ipse sanari non poterat : omnipotentem igitur medicum quærit : Nicolao uotum emittens absque temporis interuallo purificationem oculi cum luce suscepit . Thomasia . uxor Materni de Montesancto duobus annis luce caruit . consuetaque beati Nicolai subsidia postulans lucem statim perditam inuenit . Porro cum deus sancti uiri tumulationis tempore mirabilia et in audita multiplicaret : Nobilis mulier cuius nomen ob detestandam eius iniquitatem subiticeo† . dum quis uulgo campanas audiret : quæ ad multorum publicationem miraculorum pulsabantur : ausa temerario Sic posset ait iste miracula facere : sicut meus filius posset oculos non habere . Stupenda res : Mox enim ad iniqui uerbi prolationem sui nati tunc in nutricis ulnis residentis oculi de capite exeunt : et usque ad maxillas paruuli oculorum nerui se extendunt : ita ut monstrum uideretur : qui prius pulcher et delectabilis lactabatur . Plorat nutrix : materque multiplicat luctus . Sed et uocatur pater . præ magnitudine accidentis casus stupet . Quid plura ? Nouit uir maledictum uxoris : sed maledictionem in benedictionem mutare conatur . Nam laudat sanctum eiusque patrocinia postulans clamat : Nicolae sanctissime adiuua incredulitatem meam : et filius noster qui nostris exigentibus culpis excæcatus est : a te illustratus et liberatus tuus sit . tibi seruiat . tibi intendat : sed et nos serui tui cupimus esse . Ne ergo despicias nos et fac nobiscum secundum multitudinem caritatis tuæ quam de te populi multi prædicant . Ne in perpetuum irascaris nobis : sed uindictam muta in gratiam : et pro tristitia te quæso redde læticiam . O potestatis altitudinem beato traditam Nicolao . subito namque querulis la | mentatio-

nibus et piis postulationibus parentibus crebro intentis excæcati nati ad proprium locum oculi redeunt . Et quo uiso parentes cum promissis muneribus ad sancti tumulum reuerenter accedunt . Iohannes Petribonisanæ Tholentinatis filium et filiam habuit in oculis fluxum sanguinis patientes . Dum enim naturaliter humorem aqueum eorum oculi debebant emittere : sanguineum sanæ eiiciebant : Medicorum itaque consilia inutilia esse conspiciens ad singularem medicum beatissimum Nicolaum cum deuotione accurrit : Cuius auxilia idem Iohannes flagitans amborum filiorum oculos quantocius prospicit liberatos . Romanus Thomæ Tholentinatis passus fuit obtalmiam : morbum scilicet oculorum : ita quod tribus hebdomadibus cæcutiens fuit afflictus huiusmodi morbo . emisit uotum ex quo beati Nicolai patrociniis frætus : mox est oculorum obtalmia liberatus . Seruita uxor Bonistangi filium habuit . hic passus est caliginem oculorum adeo uæhementer : ut priuatus funditus lumine per mensem cæcus omnino esset . ob hoc mater dolore repletur ut maluisset filium mortuum habere quam cæcum . Implorat eum : qui non obliuiscitur misereri . cæcum filium beato Nicolao commendat . tum quæ ante uotum cæcum patiebatur : emisso uoto recepit illustratum .

De claudorum extensione et deambulatione .

Sicut autem huius sancti meritis cæci uident : ita et claudi ambulare non desinunt . Nuper Florentiæ quidam qui ad petendam elæimosinam non solum pedibus cruribusque claudus aut brachiorum libertate destitutus : sed et hulceribus plenus ante portam ecclesiæ Sanctispiritus nostri ordinis per duos annos iacebat afflictus . Erat autem in ea ecclesea† beati Nicolai ymago : ad quam multi concurrebant infirmi et languidi sanitatis beneficium implorantes . Ait quidam frater ad infirmum : ualeas ait . Vt quid fili huic sancto te non commendas ? huius namque merita deo sic accepta esse noscuntur : quod eis interuenientibus apud || eum uniuerse infirmitates se illi commendantibus penitus et omnino tolluntur . Fratre autem isto recedente subito in cor languentis deuotio tam magna insurgit : quod proiectis baculis instrumentisque aliis quibus substentabatur interdum in terram cadens lacrimabiliter orauit dicens : sancte Nicolae adiuua me . Mox enim ad languentis deuotam inuocationem contracta crura extenduntur . bases et plante consolidantur in longum manusque in directum prolongantur . Surgit igitur : qui iacebat : ambulansque per ecclesiam usque ad claustri hostium : uocat fratres : Venite inquiens . uenite : quia beati Nicolai meritis liberatus sum . Accedunt fratres ad infirmi uocem . multi conueniunt seculares . O fides quæ fortiter frigescis in multis . curiosi namque illic florentini usque ad primum somnum non sinunt quiescere liberatum . sed modo huc modo illuc eum iubent ambulare . brachia protendere . manus aperire . corpus totum erigere . Prospiciunt illum esse incolumem et ulcera uident consolidata et sicca ita ut totius corporis quod consueuerat unius esset coloris caro redintegrata et sana . Quidam insuper alius Tholentinas et membrorum omnium contractione quodam curriculo curuatus iacens etiam naturæ necessaria ibidem turpiter explere cogebatur : Cuius rei causa sibi ipsi uita sua erat nedum laboriosa sed fastidiosa nimium . Proinde quidam Mercatantus nomine cum istum transiens uideret : memorque miraculorum beatissimi Nicolai tunc nouiter tumulati ait ad eum : Vt quid fili non te deo et beato Nicolao commendas : qui tot et tantis miraculis iam coruscat ? Ait ille ipse me adiuuare dignetur : quem sic deus exaudit . Et ille fac uotum sincero corde ad deum : et liberaberis . mox ille . Rogo te ait sancte Nicolae uir dei : ut saltem me erigere impetres tantum et subleuare aut quod inter has meas immunditias ultra non uoluar . Inaudita res . mox namque ad hanc uocem multis uidentibus de curriculo surrexit stansque baculis ambulat qui prius in caruca iacebat : Nec uir sanctus plus uouenti contulit quam petierat : ut | ostenderet se apud deum miraculorum potestatem habere et illum in fide aliqualiter hæsitasse : ac si diceret : Sicut credidisti : fiat tibi . Modicum credidisti : et factum est . si multum credidisses : multum tibi condonatum fuisset . Iacobutius Gisi de Ortezano districtus ciuitatis Firmianæ ea erat infirmitate detentus : quod os obliquum distortumque taliter haberet : quod omnibus hominibus abominabilis uidebatur . Quærit consilia . Inuenire conatur remedia . omni humano tamen auxilio destitutus huius sancti meritis se commendat . In cuius sanctitate absque dubio non dubitans subitum sanitatis effectum

consecutus est . Alius Tholentinas Anchone nunc incolens filium habuit a natiuitate claudum . Pes enim dester cum deberet secundum assueta naturæ ante procedere destrorsum protendebatur : Audiens autem dictus pater huius sancti miracula quantocyus ingenti cum deuotione predictum filium uouit beatissimo Nicolao Qui uouentis preces non expectat repeti sed eius desyderium de alto exaudiens statim egroti filii pedem dirigit ut qui prius gradiebatur non recte : libere et absque impedimento ambulans discurrit . Sed et quidam Fulginas cum membris omnibus destitutus esset quodam uehiculo ligneo ab aliis portabatur . Augetur huius fides et deuotio ex auditis miraculis tanti sancti et multis interpositis precibus a Fulgino Tholentinum uehitur ubi corpus sanctissimum latitat tumulatum . Iacet iste : et sancto præfigit terminum suæ desyderate liberationis : In quo termino sanctus adest sua uirtute : et infirmi ossa cœperunt extendi : Et quod ibi sancti mira esset oparatio† : ex eo ostendit : quia dum ossa neruique distenduntur : sonus immensus auditur : ac si lignum distortum ad rectitudinem uiolenti modo reduceretur . Concurrunt ergo undique : qui ipsum portauerant : aliique qui ad sancti tumulum uisitandum concurrerant : et ex tanta re quasi dementes effecti stupore simul et pia deuotione conterriti clamant : Benedictus deus et beatissimus Nicolaus . Tunc : qui iacebat : sur || git : et deum in sancto laudat : qui membra penitus operationibus propriis destituta tam pulchre ut petiuit restituit . Calandra uxor Conradi de Montemidone manibus pedibusque distorta erat : adeo ut potius monstrum quam humanum corpus uideretur . Hæc dum ad tumulum beati huius in gestatorio portaretur : asseruit se unam pulcherrimam dominam uidisse : quæ ei placito uultu dixit : Intra ad locum : ubi sancti Nicolai reliquiæ conduntur : ad quem cum .† fuisset delata : eadem mulier disparuit : sed affuit dei gratia eam subito sancti huius meritis sanans . at ista beneficii tanti immemor dare quod promiserat differebat . Vidit igitur in somnis nocte quadam beatum Nicolaum unius instar pueri cum habitu fratrum heremitarum dicentem : cur quæ promiserat non soluisset : Illa autem tanto uisu correcta ad sepulchrum rediit et quæ deuouerat ad impleuit .

De surdorum et mutorum auditu et locutione .

Huius sancti insuper meritis gloriosis surdi audiunt . muti loquuntur : Vnde et quidam Cichus nomine et urbis Esculi oriundus : cum esset : surdus et mutus : signis ut potuit beati Nicolai ab aliis miracula didicit : In cuius corde tanta insurrexit deuotio : ut quantocyus ire ad tumulum dicti sancti concupisceret . Tandem qui ipsum nouerant eidem sotii ex caritate effecti Tholentinum simul properant . peruenerunt autem ad quendam collem prope Tholentinum : ex quo beati Augustini ecclesia ex parte ubi corpus sanctissimum requiescit conspicitur . Auge fidem in te sperantium deus . tanta enim in muto illo fides aucta est : ut uisa dicta ecclesia loqui inciperet atque diceret : Beate Nicolae adiuua me : Quod sotii admirantes deum laudant et liberatum hominem ad sanctum deducunt : cui uota exoluunt : et post publicationem miraculi ad propria cum gaudio redierunt . Matheus Antonini de Monteulmitali infirmitate aurium pressus tres annos auditu priuatus est : | Tandem omnis medicine destitutus auxilio huius sancti meritis se commendat et statim aures patefactæ sunt ut quam perdiderat potiretur facultate . Baldus de Sanctoseuerino cum esset a natiuitate mutus et surdus ob gentis eius frequentiam hoc sanctum corpus didicit uisitare . plenam igitur deuotionem attollens cum multis eius tumulum perrexit uisitare . Tandem circa ipsum reuigilans uere loqui incipit qui fuerat mutus : et audit : qui surdus extiterat . Quod sotii consyderantes genua flectunt et deum que† sibi fideliter seruientes sic honorat . laudare non desinunt . Alius e ciuitate esculana qui ex passione linguæ et auditus mutus :† dicebatur stans cum quibusdam Faleronensibus firmianæ dyocesis caritate præuia ducitur ab eis ad sanctum Nicolaum : ab eis multa caritate ducitur : qui brachiis genibusque ac fide signis quibus poterat sanctum deprecabatur auidius : Cuius fidem et ipsum ducentium : et uenientium deuotionem qui facit mirabilia magna solus de cælo prospexit atque illico muto os apertum et aures aperte facte sunt eo clamante et dicente : Gratias tibi Nicolae sanctissime quia liberasti me . Et ea hora appositum est ei nomen : et uocatus est Iohannes : quia gratiam pro gratia a beato Nicolao susceperat .

De mortuorum suscitatione .

Sponsus inclyte matris ecclesie : christus Iesus sic ipsam diligit : ut fœtu nouæ prolis eam semper amplificet signa et prodigia per sanctos suos quasi per ecclesiæ filios innouando . Ne sponsa destituta uideatur : si fœtu sanctissime prolis uelut sterilis et infirma careat . complures enim sanctorum mortuos suscitasse legimus . beatum uero Nicolaum non multos tantum sed diuersis modis suscitasse reperimus . Cuidam . namque Tholentinati cui nomen erat Thomas : natus est filius semimortuus . obstetricesque ad sacrum lauacrum seræ fuerunt ut priusquam aquam baptismi attulerunt puer extinctus sic† . || Prohibet ergo pater natum baptizari : quia sine anima ipsum esse uidens plorare non cessabat et sepelliri ipsum precepit in domo Clamat ergo pater . clamat mater : et preces beato Nicolao offerunt ut saltem a deo impetraret ut sic tam horrendam et monstruosam rem genuisse non dicerentur et anima illa non damnaretur . Quo fit ut beati Nicolai precibus anima monstruoso corpori redderetur . Thomas quidam filiam habuit Cæcham nomine : quæ longo tempore infirmitate adeo grauata est ut omnium iudicio spiritum exahlasset† : quinquaginta enim diebus et noctibus sine cibo et potu permanserat : adsunt fratres minores apud quos elegerat sepeliri . dato signo : cum ad eam efferendam uenissent : subito paterno cordi irrepsit beati Nicolai memoria : Cui intentissimo corde filiam commendauit . Res stupenda . apostolicum prosus† opus . quæ mortua plorabatur : repente uiua et incolumis paternis est amplexibus restituta . Lippus Lucii gentilis de Cingulo uxorem Miram nomine : ea per annum febribus ubi laborasset et physici de euius† salute desperassent sacramentis ecclesiæ et extrema unctione ut pote moribunda se muniuit . Tandem hæc mulier lota aqua fuit : ut mos sepeliendorum est corporum : uocatur absens maritus : posteaquam alius ad eam sepeliendam non expectaretur : uir statim adest clamatque eam beato Nicolao sub certis pollicitis commendasse et quod propterea de illius misericordia minime dubitaret : Ad hanc uocem Mira expergescitur : et in uiri sui pristinis solatiis est restituta . Niua Cordi ex urbe Macerata filium habuit Giamidum nomine : qui uiam erat uniuerse carnis ingressus : motu enim carebat et sensu : loqui non poterat : et exanimis decumbebat in lecto . Quid plura ? cum enim mortuum omnes communiter clamarent parantur funeralia . subditur sepuchrum† ut efferatur cadauer . Mater uero ad diuinum confugit auxilium . uotum emisit : et filium beato Nicolao precibus commendauit . Quo facto reuiuiscit puer : et deus in sanctis suis mirabilis prædicatur . Iohanna Guiliclini Benu | ti uxor filium habuit Cichum nomine . is forte iuxta omnis carnis conditionem diem clauserat extremum : Si quidem institis fuerat consutus : tanquam qui debebat tumulo statim induci . Mater filii sui nece anxia adeo ut sese alapis tradendo uæhementius ploraret . Interim subit in eius mentem ut filium quem mortuum deplorabat beati Nicolai meritis commendaret . Idque factum est . quam ob rem mox qui iacebat mortuus matri uiuens locutus est . Giliolus parmensis filium habuit nomine Venturinum hic continuis febribus pressus tandem a medicis nulla salutis spe destituitur . Parantur interea omnia quæ funeri opportuna uidebantur . Et ego tunc Bertinam quandam nomine audiui mihi referentem : quod nocte illa qua Venturinus debitum uniuersæ carnis exoluerat : Viro suo quippe qui pigmentarius esset apparatu ceræ aliorumque funeri debendorum intento et ipsa usque ad matutinalem horam inter alias ad funeris custodiam deputata uigilabat . Porro Venturini uxor præ dolore amaros flætus dabat . beatissimum inuocant Nicolaum ut precibus suis uirum uitæ qua tunc priuatus erat restitueret . Hec illa in thalamo in quo uir functus iacebat orante mirandum splendorem de thalami fenestra subito aduenire prospexit : qno† exhilarata : Eya inquit Nicolae sanctissime adiuua famulum tuum in hac hora . Et ecce ad eam qui ad funeris erant deputati custodiam aduenerunt dicentes : Noli amplius plorare quia uir tuus uiuit . Nobis enim circa pheretrum considentibus uox de eo insonuit dicens . quam pulchra quam magna res deus meus accessit . Vxor his gaudens quem iam mortuum plorauerat uitæ redditum amplexatur . Quærunt interea ab ab† eo curiosi magnates . Tu dicis quia de morte ad uitam beati Nicolai :† meritis redditus es . Dic ergo : ubi eras : quando in corpore anima tua non sedebat ? quibus ille : posteaquam ex hac inquit uita recessi : ad quoddam perueni pratum herbis

uirentibus odoriferisque floribus perornatum . hinc inde sedilia humanis quietionibus apta aromaticis hærbis conspersa emi || nebant . Hæc me admodum illic sedentem quiescentemque delectabat . Hac illac me uolutabam tanta suauitate repletus : ut nil ultra desyderare possem . Superuenit autem paruulus quidam pulcherrimus de cuius aduentu mæstus factus sum : ne ob eius consortium meo gaudio iam priuarem : Et ecce super humeros meos se ponens grauis mihi mirabiliter uidebatur : illam forte grauitatem uitæ signans ad quam me reducere ueniebat . Rogatus tandem a me multis precibus de humeris ad terram descendit facie rutilans . uestimentis resplendens imo sui splendoris radius ita me perfudit : ut quasi inter solares radios anima mea uideretur adesse . A cuius ore et uox laudis procedebat et cantus : ex quo modo non tantum condonatum est gaudium : ut præterite delectationis in dicto prato acceptæ factus immemor æternæ uitæ gaudiis perfrui iam uiderer . Admiratus igitur quæsiui quis nam esset : Et dixit mihi : Angelus sum tuæ custodiæ deputatus . huius ergo splendoris cantus et collocutionis gaudio et felicitate sopitus ad corpus redii : tristem me inueniens quod tantum gaudium amiseram . redii ad uitam quam dimiseram : et felicitatem perdidi quam habebam . compertum est itaque : quod eadem hora splendor uxori apparuerat de fenestra qua cum multo splendore ipsum Angelus reduxit ad mundum . Mulier quedam e Sancto genesio ad filium ut pannos lauatura iuerat : secum paruum natum ducens incautus tandem paruulus in flumine absortus expirauit . fit autem cadauer uicinioris molendini conuolutioni impedimentum . Mirantnr† molendinarii molarem lapidem non circumuerti ut assolet . causam autem inquirunt : matrem audiunt filium plorantem clamantemque : Sancte Nicolae ubi est filius meus : quem tibi sepius commendaui ? Tandem canale explorato puerum inueniunt suffocatum : Maioribus hinc mater affligitur doloribus . beatum inuocat Nicolaum : ut filium suscitet . nec mora . spiritus redditur corpori . puerque factus incolumis cum matre et aliis ad propria remeauit . Quidam e Castellobelfor | te paterfamilias ob uxorem turbatus forte cum uxore ipsa totaque familia e domo recessisset : desperatione motus laqueo se suspendit . domum mulieribus redeuntibus et illum suspensum contuentibus clamor ingens subleuatus est . cadauer deponitur . preces et uota beato Nicolao fiunt : ad quorum uocem resedit mortuus beatum Nicolaum laudans et magnificans : qui eum de turpi admodum morte ut uiueret impetrauit .

De captiuorum et suspensorum ac naufragorum liberatione .

Fratres Mizulus scilicet et Vannes ex urbe Anximo† per territorium aquilanæ ciuitatis pariter gradientes propter perpettratum eadem hora homicidium capiuntur : et rectori ciuitatis puniendi adducuntur : Qui et si se de imposito sceleræ ut rei erat ueritas excusare contenderent : tormentis tamen durissimis uicti mori potius quam in pœnis uitam agere eligentes confitentur contra se quod non cogitauerant facinus commisisse : quam ob causam morte digni facti sunt : et suspendio condemnantur . Inuocant hi dei misericordiam : ut pote innocentes et beati Nicolai meritis se commendauerunt . Quid plura ? Vannes suspensus est . post quattuor uero dies uenerunt ministri : ut et Mizulum alterum fratrem simili nece trucident . Vannemque quem quatriduanum in furcis fætentem extimauerant : uitæ habere spiritum comprehenderunt . depositus itaque de patibulo cognita dei et beati Nicolai uirtute . a præside una cum fratre liberatur . Petrusbonagratia de Matelca accusatus est . quia castrum ipsum hostibus prodere uoluisset . ab apparitoribus tandem captus cum sotiis qui huius rei conscii uidebantur carceri traditur : cathenisque ferreis compedibusque omnes pariter colligantur . Post mensem ut . suspendio moriantur lata sententiam† est . illi uero beati Nicolai suffragia implorare non desinunt : qui de nocte proxima accedens uincula dis || rupit . carcerem reserauit : eosque extra castellum comitatus ego inquit sum Nicolaus : quem tanta deuotione petistis . Hæc uia uestra est sepulchrum meum petite et uota uestra reddite . Quidam de Sanctogenesio mercature gratia cum matre multisque aliis nauigabat . orta demum tempestate eorum nauis submergi uidebatur . At nauigantibus diuersorum sanctorum diuersa insurrexit deuotio . Quattuor e sanctorrum numero ab aliis implorantur : qui e Sanctogenesio uenerant ob loci uicinitatem : in quo beatus Nicolaus fuit oriundus : ipsum ut naufragantibus succurrat

impensius precantur . singulum itaque cereum singulis inuocatis sanctis multitudo periclitantium uouit . Et ecce subito in aere supra mare quinque cerei accensi apparuerunt : quorum flamma a uento tam ualido extingui non poterat . Et mirum quia ascendebant et descendebant ac motu notabili cerei ipsi procedebant : ac si animali spiritu mouerentur . Illi huius rei absque dubio signum uidentes : quia illorum uirtute miro modo agitabantur : quorum erat potentia inuocata . Pulchra res quia duo hic innouantur signa . duo immutantur mirabilia . unum quod ad modum columnæ ignis et nubis ueteris testamenti angelica uirtute cerei mouebantur . Alterumque quod pro sancto nondum a militante ecclesia canonizato per triumphantem ecclesiam quintus cereus apparebat : ut promptum esset intelligi quod in terris honoraretur qui tam excellenter mirificabatur de celis . Audite quæso mirabilem huius apparitionis effectum . Gradientibus enim simul ac flamantibus ut dictum est cereis tempestas cedit . tranquillitas accedit : et qui prius morti expositi uidebantur : uitæ redditi deum in sanctis suis laudare et magnificare non cessant .

SANCTORVM NAZARII ET CELSI MARTYRVM PASSIO .

Virtutum laudes et belli gloriosa certamina quæ | per martyrum celebrantur triumphos sicut gloriæ dignum est ea seruata ueritate credentibus intimare : ita etiam ignauiæ esse decernitur : infructuoso silentio tegere prætermissa . Horum igitur uirorum fortium pugna et de hoste prostrato uictoria dei ecclesia tantum quottidie lætatur sublimis : quantum et eorum prouocata exemplis contra humani generis inimicum potenti brachio uictricia ludit in arma . Hinc est : quod ad cumulum salutis fidelium stabilitur fides : anima roboratur : ac uera in filiis mater christi sponsa gloriatur ecclesia : et nostræ aduersarius uitæ spe confunditur . fiducia impetitur : uirtute prostratur . Verum quantum ad meritum beatæ uitæ pertinere probatur : talibus fulcimur suffragiis : talibusque redundamur stipendiis : quatenus ne desint aliquando nobis tantorum martyrum pia iuuamina nec dubitet quis petere quod proculdubio ab eis fixum tenet impleri Discat ergo fidelis anima diuinis inhærere præceptis . discat huius uitæ calcare aculeos : quando uidet beatos martyres multa per supplicia mundum calcasse : et inextimabili conditoris dulcedinis nunc luce satiari : Quæ nos eorum adipisci merito : si tamen munda cum manibus ad deum corda leuamus : fide credimus et exemplis astruimus . Nostri itaque prærogatiua patroni quem peculiaritatis gratia : et continui beneficii munere propagatorem amplectimur : si uerbis cuncta debuissent conponi : lingua ut arbitror : sufficere non posset . Cessent ergo uerborum stamina : ubi succedit parate deuotionis effectus . Nempe quia ad gloriosam eius passionis properamus historiam : libet explicare : quod noster celeberrimus martyr post ipsa statim apostolorum certamina gloriosi sanguinis sui effusione illustrauit ecclesiam . Vnde non solum inter alios egregius prædicator : uerum etiam signis et miraculis coruscans inter primos primus habetur . Recenseamus ergo sacri certaminis summam : Vbi reor non esse congruum : si et generis nobilitatem et iuuentutis eius quod fuerit studium inseramus . Nazarius ge || nitus a patre nomine Aphricano genere et patria Aphro : matre uero nomine Perpetua nobili exorta prosapia ciue romana baptizata per manus Petri apostoli apud urbem Romam symone iam deuicto : cumque esset annorum nouem beatus Nazarius : et erudiretur a matre fideli diuine obseruantia legis : uidens patrem suum non in ea religione persistere uitæque præcepta seruare : deum tamen omnipotentem se colere asserere : dicebat in semetipso : quæ est religio patris mei : aut quod baptismum matris meæ : Factumque est ut summo studio certatim festinaret addiscere : utrum prædicante Petro : baptismi unda purificaretur : an in obseruantiam sabbatorum patrem sequi debuisset . Cœpit namque exinde mentis oculos ad cælum dirigere : et quæque essent recta et utilia : ut sibi manifestarentur : excelsum supplicare . Annuit autem deus orationi Nazarii : et spiritussanctus adhæsit ei et anima matris eius exultabat super eum : eratque in illo quietis solatium : et omnium laborum solamen . Beatus uero Nazarius ibat quottidie ad studia disciplinæ romane : Cumque processu temporis ætate sermone et sapientia proficeret : pater eius tacitus hoc secum uoluebat : hic puer poterit in urbe Roma implere misterium religionis

meæ . Itaque cum mater eius quottidie ad adorandum dominum Iesum christum in eo quo baptizata fuerat loco : et orationum uota soluenda properaret : accidit : ut et pater die sabbati in obseruatione suæ legis abiret : factumque est : cum redisset Aphricanus : et uidisset suum filium in exercitiis litterarum præ aliis romanæ urbis iuuenibus proficere : gauisus est ualde : et dixit ad eum : Nazari tibi dabo mysterium religionis meæ : et seruabis illud in sæcula : et nominaberis filius Aphricani gloriosus docere religionem meam apud urbem Romam . Et conuersus ad eum dixit : Deus totius religionis aspiciat super te : et confirmet animam tuam in præcordiis tuis : ut in omni sapientia discernas iudicium : et cognoscas ingredi ad principatus et potestates in uiam | tustitiæ† . Post paucos itaque dies recordatus beatus Nazarius uerbi patris sui : quod dixerat ei : tibi dabo mysterium religionis meæ : et eris gloriosus in conspectu principum urbis Romæ : abiit ad matrem suam dicens : Nescis mater : quod fuerit patris mei promisso : ut mihi religionis suæ cultum ostenderet : et legem suam usque ad perfectum doceret dicens : Tu docebis religionem meam apud urbem Romam : et nunc immemor tanti boni factus suæ promissionis fecit me esse exortem : ammirata mater eius super ista quæ ab eo dicebantur : dixit ad eum : ostendat tibi deus omnipotens ueritatis suæ mysterium : ut merearis illuminari baptismo Petri : in quo baptizata sum ego : in nomine incorupti et inuisibilis dei . Respondit Nazarius et ait : Rex est in quo baptizata es tu mater ? Et ait illa : Etiam fili rex regum dominus : et creator cæli et terræ ac totius creaturæ : qui uniuersa proprio dispensat arbitrio : Cuius sapientia cuncta uiuificantur : et omnia moderantur : Cuius nutu principes regnant . tempora mutantur temporibus : generationes generationibus cedunt . Audiens hæc beatus Nazarius : cœpit iam quasi sapiens architectus intra pectus suum ædificio semper mansuro æterna construere fundamenta : ad ædificationem uere fidei ueluti quadri lapidis christum Iesum quadriformem euangeliorum speciem immobile iacere fundamentum . Pater eius gratulabatur super filium suum : et putans eum futurum cultorem suæ religionis . dicebat in corde suo : Educam filium meum : et docebo eum colere omnem cultum religionis meæ . Interea transactis paucis diebus ait uxori suæ . Da mihi filium tuum : ut doceam eum ritum colere deum : et ostendam ei legem sacrificiorum : Cui ait Perpetua : Dominus deus cæli qui dedit illum nobis : ipse ei ostendat in uiam suam ingredi : et ambulare in semitis mandatorum suorum . Tunc ait ad filium suum : Nazari iam nunc incipe sapientia tua diuinæ religionis dilucidare culturam : et natalium tuorum sacri ritus decorare seruicio . Ille autem paratus . et ut cer || tius patris cultum agnosceret . inde iam lætus effectus ait : Eamus pater ostende mihi culturam religionis tuæ . Euntibus autem illis cœpit beatus Nazarius in medio itinere quasi fatigatus lento gradu pergere : et paulo longius a patre desistere meditans animo : ne forte genitoris falleretur antiquæ fama legis : et matris plenam desereret ueritatis doctrinam : Quod cernens aphricanus uæhementer perterritus ait : Ecce peccaui in filium meum . forte uerbum matris eius præualuit : et non dedit eum mihi deus ad cultum religionis meæ . existimante autem eo quod uellet immolare diis : adpræhendens manum pueri dixit ei : Dic mihi fili : quæ uoluntas est tua : aut quibus diis ceruicem flectere cupis ? omnia faciam . tantum ueleas† . Sunt dii : quos colunt nationes uniuerse terræ : quibus Cæsar Romæ et senatores immolant : et ceruices submittunt : exceptis hiis quos docuit Petrus : hi colunt solem et lunam . supputant stellarum ordinem . dierum ac noctium cursum ad solis ordinem referunt . solstitia et æquinoctia et annorum genera assidua supputatione decernunt . lunæ denique incrementa siue detrimenta ortus et occasus et tempus apparitionis tenui indagatione cognoscunt . syderum discutientes cursus et per annorum circulum uaria signorum ridiculosa figmenta ad stellarum ordinem reputantes : in his quæ scire cupiunt futura prætendunt . Sunt et templa Romæ : in quibus diuersæ : si dici fas est : deorum statutæ consistunt : quibus a principibus urbis Romæ non solum immolantur hostiæ : sed et quæ desyderant ab his se credunt impetrare . Quorum sacrilegæ leges inter cætera sacrilegia : innocentem sanguinem fundere prohibere nequeunt : Quo audito beatus Nazarius : hilari facie et in ipso tirocinii tempore quasi quandam occasionem ex responsis patris inueniens secretum suæ mentis aperiens ita prorupit : Vera sunt : quæ prosequeris pater . Sed si audieris me : et meæ petitioni effectum præbueris : iam ego te meum patrem agnoscam : et tu me fili | um nunquam amittes . Deum enim colens : debes omnino sapiens esse : Qui enim creauit cælum et

terram mare et omnia quæ in eis sunt : cuius uoluntate sol oritur : cuiusque prudentia stellarum ordo distinguitur : quæ utique si facta pro nostra utilitate non essent : nequaquam sui cursus explebile peragerent opus . Cum ergo constet : quia omnia cœperunt ex tempore : et ei a quo facta sunt proprio famulantur obsequio : debemus nempe ad sublime oculum mentis nostræ erigere : et per districtionem tanti operis uisibilium et inuisibilium creatorem summo uenerari affectu : et non ad iniuriam summi dei honorem : qui creatori debetur : exibere creaturis . Vnde ergo si mei quasi filii curam geris : et ut asseris cultor existis : Concede mihi accipere baptissmum beati Petri apostoli . in quo baptizata est mater mea . Tunc Aphricanus nimio terrore correptus cum tristitia dixit ei : fili Nazari in omni dignitate religionis meæ contendo : ut uiuas mihi annis multis : et secundum modum meæ obseruantie ac cultum deum colas : atque exsuscites mihi semen de uxore : quam ego dabo tibi cum coronis et choris et gaudio totius Rome . Nam necesse est : te ab huiusmodi culturæ ritu abscedere : ut uitæ tuæ possit esse consultum . Constat denique huius christianæ doctrine baptismum . quod predicante Petro sicut asseris ante paucos dies in hac urbe exortum est : et a senatu non recipi : et inuentus quisquis in hac religione iubente cæsare diuersa per supplitia spiritum exalare . Vnde dignum est : ut monitis meis mentem accomodes : et ad laudem natalium tuorum a principis latere non discedas : ne alienus ab eo factus iuuentutis tuæ florem amittas : Cum his et huiuscemodi suasionibus pater ageret : et eius in nullo annimum flectere potuisset : consensit ei : quatenus secundum uoluntatem suam regenerationis unda purificaretur : Tunc gaudio magno repletus omnia quæ gesta fuerant matri retulit domi . Eodem tempore residente super cathedra romanæ ecclesiæ sanctissimo Lino episcopo : qui beato || Petro apostolo prima religione succedens ad disponenda gubernacula ecclesie perfulgebat : accedens ad eum beatus Nazarius dixit ei : Da mihi in domino signaculum : sacraque regenerationis unda purifica : ut ostenso ueritatis lumine Christum Iesum uerum dei filium corpore et corde credere : et lingua liberius ualeam prædicare . Audiens hæc beatus Linus episcopus baptizauit eum in nomine patris et filii et spiritusancti : et confirmauit eum in omni ueritate et disciplina . Suscepto signo fidei sancto iam spiritu comitante : alacrior inde factus idola respuere : et christum dei filium uerum deum esse : libera cœpit lingua confiteri : asserens omnia simulacra uana esse : et nihil se petentibus posse præstare : sed colentes ea cum his quorum uanæ imagines uenerantur perpetuo damnari incendio . His dum et aliis multis conuiciis templa desereret : et dominum Iesum christum fiducialiter prædicaret : beati huius rumoris circumquaque ferebatur opinio : ita ut palam a multis accusaretur destructor esse templorum et deorum inimicus . Fama Romæ incumbente de eo : cum a sacerdotibus Capitollii decretum esset cæsari intimare : Audientes parentes eius ualde timuerunt : ne pro tali confessone† tormentis interrogatus deficeret . Nazarius uero gaudens : auditis quæ de eo dicebantur : sed parentum tribulationibus compatiens : tandem ut discederet : coactus adquieuit dicens eis : Date mihi ex hæreditate bonorum uestrorum partem aliquam : et egrediar de ciuitate hac : ne me interficiant : et uos contribulemini . Gauisi sunt itaque parentes eius super hoc uerbo : et ex bonis suis dederunt ei septem onera animalium cum auri et argenti pondere magno . Egressus beatus Nazarius ab urbe Roma faciebat elæimosynas multas : quoadusque expensis opibus ab onere sæculari liber expeditusque christum dominum absque impedimento sequeretur . Iter agens per singulas ciuitates Italiæ docebat omnem populum baptizari : approbans non esse quos colerent deos sed opera manuum | hominum : in quibus sunt oculi sine uisu : aures sine auditu : os sine sermone : manus sine tactu : pedes sine gressu : Quatenus dum nec tenuis spiraminis flatum habere probantur : distare a mortuis nihil uideantur . Hæc eo prædicante : multi credebant in Iesum : et baptizabantur in nomine patris et filii et spiritusancti : agentes gratias domino Iesu christo : qui eos a tenebris ad agnitionem ueri luminis reuocare dignatus est . Post annos autem decem discessionis suæ ab urbe Roma ingressus est ciuitatem placentinam prædicans remissionem peccatorum per baptismum salutis in nomine domini nostri Iesu christi . Transactis et enim paucis diebus uenit Mediolanum : ubi dum uerbum dei sedule prædicaret : et curiose inquireret : si qui ibi christiani nominis cultores haberentur : inuenit confessores christi Protasium et Geruasium ab Anolino principe custodiri et mancipatos teneri : qui et uirtutes multas operabantur in carcere . Sed necdum

tormentis interrogauerat eos : eo quod essent genorisitate† gloriosi : quos et sperabat se posse per diuturnam carceris macerationem a bono proposito reuocare : quibus beatus Nazarius in prædicatione factus est consors et socius confortans eos : ne momentanea et transitoria pauerent tormenta : qui gaudium cælestis regni sine fine mansurum a domino expectarent promissum : Nec fructum tante spei diuturno labore quæsitum amitterent : quod usque in finem perseuerantibus crederent ineffabili retributione munerari : Monens eos uiriliter agere : et contra antiqui hostis certamina semetipsos præliaturos armare : ut uicto satellite in conspectu gloriæ dei digni inuenirentur : Cumque his et multis exhortationibus eorum animos ad amorem Christi accenderet : et per omnem ciuitatem Christum crucifixum uerum deum assereret : diutius latere non potuit . Nunciatum est de eo Anolino præsidi Italiæ : Qui statim missa apparitione ad se eum cum celeritate pertrahi iubet : Cui et dixit : Tu es Nazarius : qui Christum ne || scio quem crucifcxum† prædicas : persuadens hominibus diis nostris nec tus adolere : nec sacrificia prælibare ? beatus Nazarius respondit : Isti dii non sunt : sed sunt opera manuum hominum : in quibus dum cæco corde credendo confiditis : uerum deum qui est in cælis improbo ausu derelinquendo contempnitis . Indignatus his uerbis Anolinus iussit eum fustibus uerberari dicens : Deos quos non colis : ne uituperes : et præcepit eum proiici extra ciuitatem : Qui gaudens pro confessione nominis christi pergebat de loco in locum : monens et dicens . unum deum esse in cælis . omnia autem simulacra dæmonia esse clamantte propheta : Omnes dii gentium dæmonia . deus autem noster cælos fecit : Eadem denique nocte beatissima mater eius Perpetua cum per uisum astitit ei dicens : Transi nunc a terra hac : quia et Galliarum ciuitatibus oportet te Christi euangelium prædicare . Surgens autem ibat docendo quos poterat uerbo aggregare baptizans eos in nomine trinitatis : donec uenit in ciuitatem Gallie : quæ dicitur Cimellus : In qua dum multorum corda ad amorem dei incitasset : et illuminati baptismo omnipotentis dominum Iesum christum credendo confiterentur . Mulier quædam nobilis ex primariis ciuitatis quæ et ipsa iam per sanctum Nazarium Christo credens detulit ei filium suum Celsum nomine : et prouoluta ad pedes eius rogabat dicens : Hic puer sequatur uestigia tua : et baptizetur . Suscipiens puerum baptizauit eum : et confirmatum in omni fide trinitatis atque mysterii sacramento instructum secum eum ire præcepit . Audiens de eo Denouaus præses Galliarum suo eum conspectui sisti præcepit : cui et dixit : qui es tu : uel cuius generis : aut unde huc aduenisti ? Respondit beatus Nazarius : christianus sum et eruditus doctrina apostolorum . Si genus requiris Patre Aphro matre romana editus . Verum si a principio profectionis causam percunctaris : de urbe Roma : ubi beatus Petrus apostolus pro Christi nomine gloriosæ pertulit passionis triumphum : destinatus sum ad uos : ut audientes uer | bum ueritatis uanam et superstitiosam dæmonum relinquentes culturam : deum solum cognoscatis per quem omnia facta sunt . Vnde hortor uos : ut recedentes ab idolis manu factis Iesum chrrstum† uerum deum sequamini qui fecit cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt . Nam quos uos deos adorandos putatis : sanæ mentis oculis lapides et cementa uidentur . Indignatus Denouaus retro uinctum manibus et in collo cathena constrictum : tenebroso eum carcere cum puero iussit recludi : tormentis in crastinum applicandum . Alia die cum educti essent de custodia atque tribunalibus præsidis statuendi essent : ingens fiebat totius Ciuitatis concursus : omnis sexus : omnis ætas pariter ad prætorium iudicis properantes . Ecce subito residente præside misit ad eum uxor eius dicens : O gens crudelis uidictæ† : O iudicium dolo plenum : dapnantur' uiri : in quibus digna nulla mortis reperitur occasio . Imperatores quos colunt non uindicant : et ipsi dii pro suis iniuriis ulcisci neminem ualent . Vobis tamen mandatur pro eis uindicare : quibus aut uirtus in ulciscendo minime suppetit aut uoluntas . Vnde caue ne uiris istis quasi dapnaticiis† molesta quæque inferre præsumas : ne dum iniuste bonos punis : iusti causa iudicii crudelius et ipse puniaris . Isdem contestationibus correptus Denouaus assensum præbuit : Nazariumque cum puero eductum de carcere solui iubet : et ne in loco eodem docere præsumerent imperauit . Egressus inde cœpit per uicina quæque loca humanas mentes ueluti prudens agricola spiritualium uirtutum uomere exarare : et ad horreum dominicum feracis sui fructus innumera segetum grana reportare : Treueris quædam Galliarum ciuitas : cum in idolorum culturis : dæmonum sup*erstiti*onibus ageret colligata :

primum suæ salutis auctorem sancto prædicante Nazario certum est cognouisse . Vbi dum multos ad fidem Christi conuertisset : ad orationis concursum et uota soluenda oratorium domino et fundando cœpit et consecrando præcepit : Sed dum doctrina nominis Christi in fide credentium hubertim accresceret : et || nominis eius noticia celebris iam in loco eodem haberetur : lumen in tenebris latere non potuit : Cornelius uicarius cum de doctrina eius certius cognouisset : et quis esset qui noui huius sermonis in eadem ciuitate : super inductam disseminaret noticiam inquirendo discuteret : inuenit et auctorem huius prædicationis Nazarium in fide et ueritate constantem : et ex parte magna ciuitatem iam Christum sequi crucifixum : In tantum : ut nil contra eos feritatis suæ palam ausus esset commouere tyrannidem : ne in necem suam plebem fidelem conuerteret : si sanctis dei quamlibet paruam inferre temptataret† iniuriam : Missa de eo relatio est ad Neronem rei publicæ principem ita : Neroni Cæsari et consuli piissimo Cornelius salutem : Virum qui dicitur Nazarius inueni populum uanis nescioquibus assertionibus seducentem in omni ciuitate et regione prouinciæ uestræ : Christi crucifixi super inducere sectam : murmurantem contra deos : accusantem eos dæmonia esse : Cuius suasionibus non modica pars populi assensum præbuit conuictis et uariis uerborum criminibus : deorum nomina blasphemantes : turpes atque scelestos eos fuisse : et execrabilis uitæ suæ impia morte finisse compendium . Vnde subuenite diuinis legibus uestris : et deorum nominibus præbete iuuamina : ut rebelli uestro quomodo debeat a deorum iniuriis temperari : Censura moderaminis finem imponat . Susceptis litteris Nero indignationis ira commotus uocauit ad se Dentum militem suum primum : dixitque ei : Cum omni festinatione acceptis militibus percurre in prouinciam Galliarum : et contumacem Nazarium murmurantem contra deos uinctum collo et manibus : nostris tribunalibus statuæ puniendum . Vrgente iussu Cæsaris susceptus curiose perquirebat : ubinam Nazarius moraretur . Quem dum in eodem loco ubi oratorium domino consecrauerat inuenisset : si ipse esset : ita percuntatus est dicens : Tu es Nazarius ? Cui cum uir dei responderet : ego sum seruus Christi : subito ligantes manus eius dixerunt ei : Magnus Nero | te uocat : nam ad te nos iussu uenimus : Quibus beatus Nazarius respondit : Inconpositi iudices incompositos habent milites . quare autem uenientes honeste non dixistis : Nero te uocat : et uenissem : Cui dicto respondentes aiunt : Nobis iussum non est tecum uerbis agere . uerum pro defenssione tua quanta uis dic apud Cæsarem . Celsus uero plorans sequebatur : quem alapis percutientes milites ut festinus sequeretur : urguebant : Cumque peruenisset ad Neronem : sedenti pro tribunali statuerunt Nazarium uinctum ante conspectum eius : et dixerunt ei : Hic est Nazarius et puer inimici deorum nostrorum . Nero uero uiso Nazario iussit eum horrifico et tenebroso carcere recipi : quousque cogitaret : quibus cruciatibus eum perderet . Beatus uero Nazarius ibat gaudens a conspectu principis : et psallebat dicens : Deus in adiutorium nostrum intende . domine ad adiuuandum nos festina . Nero autem accersito Dento præcepit ei dare talentum auri : Nazarius uero cum iam properasset custodiæ : aiebat militibus qui se ducebant : meus rex seruis suis in sua confessione perseuerantibus uitam et immortalitatem præstat : Vnde pro nominis eius ueritate tormenta non metuimus : neque mortem pauescimus : quia sine fine credimus nos regnare cum illo . Vester autem rex mortem et infinita uobis præstat tormenta : cum quo omnes qui consentiunt perpetuis erunt cruciandi incendiis . Tunc milites os et faciem eius uerberantes recluserunt eum : signantes fores carceris eminus sedentes : et aditum uigili cura seruantes . Angelus autem domini uisus est Nazario : et pauit eum : ac confortans abiit . Eodem tempore cum Nero in uicinis sibi montibus ad capiendas feras uenatores misisset : et omni nissu ageretur : quatenus mandata implerentur : illa ferarum multitudo ad inferiora descendens ostia uiridarii in quo erat Nero rapido cursu petiit multis armigerorum eius necatis : quamplurimi etiam morsu macerati sunt : in tantum : ut ipse Cæsar nimio pauore turbatus ab eodem loco diffugiens percussus pede iu || xta palatium fessus perueniret . Quantum enim ad duritiam eorum pertinebat mentis : iusto sunt perpessi iudicio : ut qui immundis sacrificabant demoniis immundis traderentur bestiis lacerandi : Cumque casu uulneris laceratus Nero multis diebus decubuisset : tandem inter doloris molestias recordatus de Nazario ait : Dii nostri indignati sunt : et multos militum ferarum morsibus tradiderunt : eo quod irritauerint deos : qui murmurantem contra eos diu sustinens non statim tormentis interfeci . Tunc

iussit militibus beatum sibi Nazarium exhibere . Egressum uero ex carcere percutiebant milites tundentes calcibus : et cum graui indignatione uerberato simul puero pertrahebant . Quo facto unus ex militibus percutiens eum concidit pede : et allidens lapidi oculum amisit Et facta est subito faices† eius splendida sicut nix : et erant oculi omnium intendentes in eum : et dicentes : Vere deus est : qui ita potest in cultores suos sæuientibus tam uelocem uindictam tribuere : et ipsos inopinate lucis claritate uestire . Videns igitur Nero gloriam uultus eius putans phantastico sibi uelle deludere ingenio dixit ad eum : Iam nunc depone magicam tuam : et deos incipe sacrificiis honorare : ne uita tua per horrendæ mortis conpendium omnibus proueniat in exemplum : Nam quia diu te sustineo : ualde contra me dii commoti tradiderunt milites meos in lacerationem : ut morsibus ferarum cruciati deficerent . Respondit Nazarius : erras Cæsar . Dii tui nihil possunt : Et sicut petentibus se tribuere bona nunquam ualent : ita etiam eos nec mala reddere certis assertionibus proba . Vnde si plenam uis ueritatem agnoscere : propius simulacris accedas : et in eis diu luminis acie defixa : uidebis omnia hæc artificum manibus : prout sibi licitum fuit esse compacta : Et ne diuisa a se cadendo redigantur in nihilum : Clauis et maleolis connexa intet† se metala solidata . hos tu quos artifex librauit ut potuit . perfecit ut ualuit et expressa facie nomen dedit ut uoluit : quo orodine† in numero deorum conputes igno | ramus : Vnde ne sic ipsa uisione argueris : et a nobis fortasse falli te putes . extende manum : et palpando metallorum disce iuncturam : quam uidendo mentis cæcitate obtutus in discernendo tibi est abdicata facultas . Quæ cum ita esse cognoueris imperator debes dominum Iesum christum uerum deum agnoscere : qui fecit cælum et terram : per quem omnia in quo omnia et ex quo omnia facta sunt : Et non ad dedecus gloriæ tuæ ceruicem tuam auro et lapidibus inclinare . Indignatus Cæsar dixit ad eum : Quid mihi uerborum superfluus cursus . Imola diis : et uiues . Sin autem in mari te iactari præcipio : et compræhendentes eum milites duxerunt ad simulacrum statuentes eum ante aram : ut degustaret aliquid de coinquinatis sacrificiis eorum . Tunc beatus Nazarius ut sibi locum dare debuissent milites aliquantulum postulauit : Et recedentes ab eo hec ipsa nuntiauerunt imperatori . Beatus autem Nazarius expansis ad cælum manibus huiusmodi orationem fudit ad deum : Domine Iesu christe qui beato apostolo tuo Petro in sua confessione uirtutis constantiam tribuisti : ita ut in ipsa triumphali suæ passionis morte lætus insigne crucis uexilum pertulerit : mitte angelum tuum ad auxilium mihi : et contere simulacra hæc : ut cognoscant omnes : quia tu es deus solus . et non est alius similis tui : Et completa oratione eadem hora locus ipse contremuit : et dissoluta idola in nihilum sunt redacta . Cum uero post paululum interrogante Nerone quid in templo Nazarius ageret : responsum illico est : quod magicis artibus simulacra fregisset : et contra deos immortales superstitiosa et uana agere multa contendendo peæsumeret† . his auditis Nero iussit educi de templo : et ferri cum graui constrictum pondere in obscuro carcere . diligenti seruari custodia . Alia die primo diluculo surgens Nero uenit ad portum maris : in quo erat multitudo nauium et de carcere educto Nazario dixit ad eum : Dic mihi seductor : quæ te dementia tenuit : ut soluta deorum nomina redigeres in nihilum . Nunc te iactari præcipio in || fundum maris . quæ tibi de deo tuo remuneratio erit ? Respondit beatus Nazarius : Qui perseuerauerit usque in finem : hic saluus erit . et si mortuus fuerit : uiuet . Nam quia omnia illa sculptilia deorum : tuorum sub aspectu uiuentium uane probantur imagines : tu in eis cæcato corde diuinitatem uenerraris : magna ratio exigebat : ut quod tangenda metalla esse non credebas : saltem in eorum probares factura : quia dum sibi prodesse non possunt : magis aliis spem demunt salutis : quam petenti quæant præstare . Tunc Cæsar uocatis naucleriis dixit ad eos . Prouidete nauem : et rebelli Nazario supposito longius a terra discedite : atque in medio mari sentinæ dissoluta compage ut pereat : quassatam inter undas relinquite . Melius enim est : ut eum fluctus maris absorbeat : quam hic falsis assertionibus populum seducat : Et si magicis artibus maria superauerit : eiectum in littore persequimini : et eum uiuum igne cremate : ac combusti corporis cinerem in mare proiicite : ne surgens doctrina sua nobis grauiora inferat damna . Et renunciate mihi : et dabo uobis bona mundi huius : et eritis gloriosi aucti regis muneribus . Suscipitur in nauim Nazarius et puer . ad consueta uero arma confugientes signo crucis muniti : obdormierunt : Itaque cum longe essent a terra ita ut dubium non esset : quod nullo modo

e uasti pelagi profundo exire potuissent : iactauerunt eos in mare : Et continuo lux magna resplendiuit eis : et uisa est circa eos quasi nubes . Angelus autem domini descendit ad eos : et ostendens eis testamentum domini confortabat eos : Et subito factum est mare pacificum : et ibat beatus Nazarius cum puero gradiens super aquas gaudens et glorificans dominum : qui eripuit eos a fluctibus : et inter undas fecit eos siccis pedibus ambulare . Omnis uero æquoris illius sinus placita tranquilitate manente circa nauem nimis procelosus inundatione factus est : ita ut nauis funditus inter undas omni sui compage dissoluta ab imo reductis fluctibus interruptis uentorum flatibus hinc sum | mo præcedens hinc unda dehiscens patesceret : ecce mortis pauenda uada : Cumque imminente morte spem sibi crederent omnino uitæ sublatam : nec esset unde auxilium sperare iam possent : Conquesti sunt adinuicem dicentes : Peccauimus coram deo Nazarii : ideoque perimus . Nam dii nostri non aliquid præualent neque iis qui colunt eos auxilium ullum possunt præstare . Verum inter angustias et uicinæ mortis formidinem cum nauigando decertarent : et nil uentorum impulsu repugnante proficerent : uiderunt nazarium hilari facie et gratia plenum diuina cum puero dextera deportari : et super aquas in lapsis uestigiis figere gressus . Extemplo et enim uiso eo resumptis uiribus simul omnes exclamauerunt dicentes : Sancte uir dei libera nos per dominum qui te saluauit : et credimus in deum tuum : atque ingressum nauim adducemus in quemcumque portum uolueris . Respondit Nazarius : Creditis quia deus meus potest liberare uos : et eos quos colitis dæmonia esse sine sensu : sine auditu : atque sermone ? dicunt ad eum nautæ : Nos quando exclamauimus inuocantes deum tuum credidimus : quia deus tuus potest liberare nos : Vnde cognoscentes eum uerum deum esse : execramus ydola : et ita contemnimus : ut quia penitus nihil sint : nulla in corde nostro probetur dubitatio remansisse : Tunc beatus Nazarius ingressus nauim omnis illa nauis resolidata iactura est : atque in ciuitatem genuensem prosperante domino ut uoluerunt deducti sunt . Tradito itaque nautis mysterii sacramento et ut se ab idolorum execrabili custodirent cultura : commoniti ascendentes nauim ac gaudentes de tanto suæ salutis dono et gratia quam perceperunt : profecti sunt . Nazarius uero et puer ingressi ciuitatem genuensem non cessabant die ac nocte prædicare uerbum dei et anunciant eis remissionem peccatorum per baptismum salutis in nomine domini nostri Iesu christi : et credentes baptizabantur : Non post multos dies egressus inde per uicos et ciuitates exhortando suadebat : ut relictis idolorum culturis dominum omnipotentem confiterentur : cuius uoluntate crcata† sunt omnia cuius prouidentia ut ita sint gubernantur . Cum uero infinitam multi || tudinem domino credentium aggregasset atque salutaris lauacro delibutos in domino confirmasset uenit Mediolanum : Statimque quos relinquerat beatos Protasium et Geruasium confessores Christi in carcere positos requisiuit : atque inuentos confortabat eos : ut in sua confessione perseuerarent : et continuis pulsabat elloquiis . Audiens de eo Anolinus dixit militibus suis : Quomodo effugit manus Neronis homo iste ? Et iussit ut superpositum carpento longius ab urbe proiicerent eum : et quia multi iam fideles sub fasce sæcularis cinguli Cbristo† domino militabant : indicatum est ei : quia esset destinatus exilio . Tunc letus effectus : quod dignus esset pro domino ista pati : commendauit Celsum puerum cuidam mulieri christiane : quæ susceperat eum et ipse electum expectabat diem . Milites autem suscepto eo et imposito uehiculo longiusque eiecto comminati sunt : ne ultra sibi interdictam adnunciaret doctrinam neque urbem de qua pulsus est : ulterius auderet repetere . Confestim igitur Anolinus scripsit imperatori Neroni dicens : Neroni imperatori et consuli piissimo Anolinus salutem Quendam sectæ samarticum Nazarium nomine inueni fugientem potestatem nostram Christum crucifixum a Pilato per omnes ciuitates Italiæ prædicantem : et peruertentem multos : inclinantem animos eorum ad inertem et inutilem sectam : et magicis artibus coram eis multa exercentem . Sed et quos dudum carcere mancipatos tenebam sperans eos suadere diis : factus est eorum socius cupiens ipsorum mentes a deorum nostrorum sacrificiis temperare : Quem ad exilium destinatum litteras tuæ magnitudinis expecto : ut tantæ audaciæ uiro compendiosæ mortis terminum imponatis . Accipiens uero litteras . Nero adhuc uiuit deorum nostrorum aduersarius ? Et iussit : ut inquireret nautas : quatenus eos pœnis cruciatos occideret . Et cum inquisiti nusquam essent reperti : rescripsit Anolino dicens : Incide colla eorum : et inhumata corpora auibus laceranda† relinquæ . Sic quos etiam de hac supersticiosa secta garu-

lantes contra deos inueneris : diuersis eos pœnis cru | ciatos ad extremum capitis obtruncatione condemna . Eo tempore quo beatus Nazarius a mediolanensi urbe proiectus et ad exilium fuerat destinatus : fertur eum Romam properase : atque domo propria requisita conuenit patrem iam longo senio confectum . tamen Christum credentem in opere domini continuo desudantem obsequio : Quem cum beatus Nazarius sollicite percunctaretur : si usque ad perfectum dominum sequeretur : omnia quæ de eo gesta fuerant narrauit per ordinem : Quomodo ei per uisionem beatus Petrus apostolus apparuerit et doctrinam christianæ religionis imbuerit : asserens non esse iustum : ut præcedentibus se coniuge et filio ad cæleste regnum angelorum ciuibus coniungendis : ipse crudelis inferni lueret pœnam : Quem ergo tante uisionis nouitate perterritus iam nihil aliud inde agi licere decreui : quam quod apostolico eo præcepto monitus : ut Christum crederem baptismi me unda purificarem . Nazarius itaque dum uerbum dei imperterritus Romæ predicaret de doctrina eius longe lateque ferebatur opinio . Exardescentes itaque pontifices capitolii concitauerunt turbam : ut christiani nominis doctorem Nazarium flagellatum ab urbe proiicerent quem comprehensum : eum† interrogarent : quis esset : aut unde ibi uenisset : respondit : christianus sum : et ab urbe mediolanensi non longe ad hanc ciuitatem et ad has partes pro Christi nomine exilio destinatus sum : quem multis increpationibus arguentes nimiisque iniuriis et conuiciis exasperatum : unde uenerat remiserunt . Reuersus itaque Mediolanum requisito puero uerbo dei operam dabat circumquaque doctrinam uerbi dei disseminans ad spem salutis æternæ quos poterat monendo : pertrahebat . interea non sustinens de eo pagani populi multitudo impietatis feruore accensi abierunt ad præsidem dicentes : Nazarium quem dudum exilio destinatum Christi crucifixi cultorem ab urbe proiceras : de quo etiam ab imperatore litteras meruisti : ut eum capitali damnares sententia : in media hac ciuitate libera sicut consueuit uoce Christum crucifixum uerum deum esse : et hos quos colimus non || esse deos : sed dæmonia : clamat aut puni eum : aut Cæsari uinctum dirrige occidendum . commotus ad ista Anolinus accersitis militibus præcepit eis dicens : Ite et cum festinatione nugatorem Nazarium conuentum simul et puerum ad tribunal perducite . Quibus uinctis atque ad se perductis ita prorupit : Nescitis quia mihi potestas de uobis collata est : ut si non immolaueritis diis : diuersis uos faciam cruciatibus laniari : et ad extremum capitalem sententiam inferam . Immolate diis : sin autem præcidam capita uestra : et corpora uestra bestiis tradam . Respondit beatus Nazarius : Nos manu factis idolis ceruices nostras submittere non licet : qui uiuum æternumque deum ueneramur in cælis . Vos autem qui eis sacrificatis cum ipsis eritis in æterna damnatione confusi : Clamante psalmista et dicente : Confundantur omnes qui adorant idolum et qui gloriantur in simulacris suis . Respondit Anolinus : cum eis uerbis agendum non est : quos certum est posse ab intentione reuocari . Vobiscum uero quos acquiescere nullatenus uelle probamus rectius uerbis agere parcendum est : Vt quos suasio non inclinat de sua præsumptione : damnati moriantur . Iussit itaque eos duci extra ciuitatem foras portam romanam in locum qui dicitur tres moros : et ibi eos decapitauerunt oceulte† . Timebat enim tumultum plebis : quoniam omnes sicut cultores dei habebant pro eo : quod per eos multe uirtutes fiebant in nomine domini nostri Iesu christi . Exeuntes autem extra ciuitatem psallebant dicentes : in uia testimoniorum tuorum domine delectati sumus sicut in omnibus diuitiis . Et peruenientes ad locum et intra se illis orationem diutius facientibus amputauerunt capita eorum : et relictis eis abierunt . Eadem itaque nocte aduenientes relligiosi uiri collegerunt corpora eorum : et condita aromatibus in eodem quo decollati fuerant loco posuerunt in propriis hortis . In ipso itaque tempore uisi sunt sancti cuidam Ceratio nomine : qui susceperat eos in domum suam : et dixerunt ad eum : Abscondens absconde nos altitudine magna in terra propter Neronem et satellites eius : et ne dixeris amicis tuis : quia requieuit apud te Naza | rius cum puero Celso : et sunt in domo mea . Ceratius uero uisis sanctis rogabat eos dicens : quæso domini mei saluate unicam filiam meam quia paralytica est . Dicunt ad eum sancti : Constanter age credens in dominum Iesum christum : qui per bonam mortis confessionem diabolicis calcatis temptamentis animas nostras in cælis facit cum angelis exultare : quia saluabitur filia tua : et in ea nodosæ ulterius infirmitatis contractum uestigium non apparebit . Exurgens uero Ceratius abiit in domum suam : ut susceptam filiam suam offerret sanan-

dam : et inuenit iam filiam suam solidatis gressibus : et omni corpore restaurato benedicentem et laudantem dominum : qui eam meritis sanctorum martyrum a tam graui molestia liberauit . lapsa denique sanctorum uisione : Ceratius cum uxore et filia sua quemadmodum ei a sanctis in uisione præceptum fuerat adimpleuerunt : adorantes dominum Iesum christum cum omni domo sua atque dicentes : Gratias tibi agimus domine Iesu christe : qui cultoribus tuis æternum splendorem tribuens : facis eos moriendo triumphare : et post mortem gloriosius uiuere : quando tecum regnando beatitudinem nunquam amittunt : quam tua quæsierunt præcepta seruando . Benedicimus te : quia uidemus et habemus sanctos martyres tuos : et discipulos apostoli tui beati Petri . Consequens quidam philosophus sanctum Nazarium ab initio scripsit libellum certaminis eius : quem apud se fideliter conseruabat occultum . In uisione uero commonitus a sanctis eandem sacri certaminis scripturam Ceratio detulit : qui eorum præciosa corpora sepelierat : Et sicut ab eisdem martyribus Ceratio fuerat imperatum : ad capita eorum reconditum usque ad diem reuelationis eorum mansit occultum . Eandem crudelitatem quam eis uiuentibus exagitauerat Anolinus ad eorum corporum perquirendas relliquias magna curiositatis suæ dæmentia laborabat . ac timens : ne denuo resurgentes signa faciendo uirtutis : maioribus ciuitatem tumultibus occuparent : Sed deus omnipotens sanctos suos inter cælestis regni gaudia gloriosa luce uestitos eorum persecutores diu non passus est in eis || procaciter insultare . Omnes enim ueloci mortis occasu ut erant digni crudeli uastatione maligno impellente spiritu perierunt : Vt ex eorum fine patenter daretur intelligi : quam grauis culpa esset cultoribus Cbristi† inferre moiestiam : quando tam concitam mortem persecutores eorum æternis sunt incendiis deputati . Post uero cum deus omnipotens pro salute credentium sanctos suos ad nostram uoluisset uenire notitiam : reuellauit eorum corpora : quorum animas in supernis iustitiæ corona donauerat : beatissimo Ambrosio episcopo mediolanensi et confessori . Iperante† Theodosio relligioso imperatore : qui cum omni populo accedentes ad locum : quem diuina gratia sacerdoti ostenderat : eruderata desuper terra inuenerunt sanctum martyrem Nazarium quasi eadem hora positum miro odore fragrantem : sanctum uero Celsum in quo positus fuerat loco obtectum reliquit . Beati uero Nazarii corpus ut erat integrum atque incorruptum cum capillis eapitis† et barba in letica compositum : cum multitudine inenarrabili : et canticis angelicis† ad basilicam apostolorum quæ est in romana transtulit : et uenerabiliter tumulauit : cuius odoris suauitas quottidianis diebus ad sepulchrum eius frequentatur inextimabili dilectione satīari† nullatenus quis ambigat : Nam tanta signa fecit dominus Iesus christus in gloria sanctorum suorum cum sancti martyris membra transferrentur : ac si eius præsentia efficerentur : quæ acta sunt . cæci enim post multos annos receperunt lumen . claudi ambulauerunt . dæmonia quicumque a natiuitate habuerunt mundati sunt : Quod et facere dominum Iesum christum ad laudem nominis sui meritis sancti martyris usque in præsentem diem nemo dubitat : cum in eodem loco ubi preciosi corporis thesaurus manet reconditus† et quottidianis diebus . infirmantum caterua uariis langoribus detenta concurrat : et suscepta sanitate salutis suæ : secum gaudia reportare cognoscant : Regnante domino nostro Iesu christo cui est honor et gloria in sæcula sæculnrumī† Amen .

DE SANCTO NICHASIO REMENSI ET EIVS SORORE EVTROPIA . EX GESTIS EORVM . |

Tempore quo Vuandali multas urbes subuertentes per diuersas prouincias nihil aliud quam christianorum sanguinem sitire uidebantur : clarebant in galliis Nichasius remorum et Anianus aurelii pontifices : magnis prodigiis ac uirtutibus insignes . Qui meritis suis ac precibus hanc iram indignationis diu deferre decertauerunt ut populum interim ad penitentiam reuocarent . at illi thesaurizantes sibi iram nullatenus eorum salutaribus præceptis obtemperabant . Interea Vuandali castrametantur circa urbem remorum . et omni regione depopulata christianos tantum uelut deorum suorum inimicos et moribus paganorum contrarios omnino delere cupiebant . Vltimo itaque

subuersionis die illis circumquaque fortiter prœliantibus : ciues terrore perculsi ad sanctum Nichasium in orationibus prostratum cucurerunt : interrogantes quid utilius fieri decerneret : aut seruituti gentium se tradere : aut usque ad mortem pro salute urbis dimicare : qui præsciens ex reuelatione ostensionis dei urbem penitus subuertendam : cum magna constantia respondit : indignationem hanc nostris sceleribus prouocatam non ignoramus . Quapropter ad flagella diuina compuncti non inuiti aut desperantes : sed patientes et deuotissime cum summa spe salutis nostre suscipiamus mortis periculum . Quatenus ipsa mors præsens non supplicium nobis fiat sed remedium . Ecce ego quasi pastor pro ouibus mori paratus sum . Instantius oremus pro inimicis nostris : salutem illis optantes tamquam amicis . Sancta quoque Eutropia germana sua : expansis ad cælum manibus : plebem pro uiribus ad martyrii coronam excitabat . Dum ergo furibundus paganorum impetus irruit : uir sanctus commitante sorore cum hymnis et canticis supiritalibus† : ad hostium basilice sancte dei genitricis marie aquam† in arcem sedis fundauerat : eis occurrit . Moxque ut seratas† acies uidit : manu scilentium indicens ait : O nutibus diuinis ministra fortitudo : quare contra naturam humane conditionis uictoriam uestre dignitatis in rabiem con || uētitis† . Nam ueri iuris titulus quondam nobilium bellatorum inscriptus erar† . Parcere humilibus et debellare superbos . Et ecce plebs christiana deo suo humilis et deuota uestris in conspectibus prostrata remissionem peccatorum usque ad mortem obediens expectat Penitemini et uos pro sceleribus uestris deum uerum agnoscentes : ne forte indignatione eius que per uos filiis fit ad correptionem salutis uobis fiet stipendium tartaree damnationis . Quod si oues meas perseuerante impietate queritis trucidare me primum pro ipsis uictimam diuinæ maiestati libate . Vt pariter digni beatitudine celesti mereamur inueniri . His dictis cum in oratione prostratus uersum hunc decantaret : adhesit pauimento anima mea . Illico ictu gladiatoris sequente capite trucidato uerbum sanctitatis ab ore decollati non destitit : sed immortalitatis sententiam quam petiit adimplendo impetrauit dicens uiuifica me secundum uerbum tuum . Sancta uero eutropia uidens circa se impietatem mitigatam et pulcritudinem suam quasi litibus paganorum reseruatam super interfectorem sacerdotis insiliens ait . Heu tyranne crudelis magnum dei uirum indignis manibus iugulasti : et me tibi abutendam reseruas diuina te iam iamque sententia damnat : tunc eum ad martirium suum prouocans saltu repentino raptis palpebris non fæminea uirtute sed diuina ultione oculos eius uindex euulsit : et sic confestim gladios prosequentium incurrere quam delectationibus paganorum assentiendo succumbere malens ilico cum germano suo et ceteris palmam martirii sustinuit uel promeruit : uniuersa autem expleta cæde martirii inundante sacro sanguine terror subitus persecutores inuasit : quasi dimicantes celestes acies uidentes : horribilique sonitu ipsa ecclesia reboante ita ut relictis spoliis urbis per compita irreuocabiliter aufugerent . Sicque diu solitaria permanente ciuitate sub custodia tantum angelica martirum ibi corpora seruabantur : ita ut in noctibus a longe cernerent lumina : et suauissimi soni pro thoreis† supernarum uirtutum siderea audirentur a multis carmina unde et ex reuelatione diuine uirtutis iam iamque confortati conciues paucissimi qui ad sepelienda sanctorum corpora diuina prouidentia remanserant : ad urbem cum ieiuniis et orationibus properantes ibique odorem suanissimum† hauriendo sentientes : gemitum gaudio miscentes in locis congruis circa ciuitatem corpora sancta uenerabiliter humauerunt : et ex tunc sine timore hostium domino attentius seruire decertauerunt . ||

PASSIO SANCTI PARMENII PRAESBYTERI .

Iussu Decii cum præsbyteri et diaconi uincti cathenis secum ducerentur : cadebant uincula de manibus et collo eorum . Veniens autem Decius in ciuitatem Cordulam : iussit eos furens sibi præsentari : quos cum sacrificare moneret : Parmenius præsbyter clamare cœpit : O miser huic manufacto simulacro nos compellis humiliari . deberes potius humiliari Christo omnium creatori . Tunc Decius iussit omnes in equuleo suspendi : qui cum attraherentur : gratias agebant dicentes Parmenio : ora pro nobis : Ille uero respondit : Deus det nobis consolationem spiritussancti . quare Decius

iratus dixit : Hoc argumento hominem sine lingua loqui : magica ars cognoscitur esse . Respondit Parmenius dicens : Dominus noster Iesus Christus qui mutum loquentem fecit : ipse mihi peccatori dedit sine lingua loqui . Eadem hora iussit eos Decius iguibus† uri : qui dum incenderentur : audita est uox de cælo : Venite ad me omnes humiles corde . Sed hoc Decius arti magicæ attribuenș : iussit laminas ardentes circa latera eorum poni : et eos unguibus ferreis lacerari . Tandemque depositos de equuleo capite truncari : quorum corpora Abdon et Sennes noctu colligentes sepelierunt in prædio suo decimo calendas maias .

PASSIO SANCTI PATROCVLI MARTYRIS .

Egrediens Aurelianus a partibus urbis Senonicæ pergens Trecasis audiuit sanctum Patroculum uirum nobilissimum extra ciuitatem mansionem habere : ubi orationibus et uigiliis deo seruiens nulla die nisi hora duodecima cibo reficiebatur . Hunc ergo perscrutans cum inuenisset nolentem crucifixum abnegare et idolis immolare : furore commotus ait : mittite compedes in pedes eius et cathenas ignitas in manus : et perstringite fustes in dorso eius : et includite eum : donec de eo pertractetur : quo facto cum esset in cu | stodia usque ad diem tertium orabat ad dominum : Et postquam eductus in publico fuisset : post multas uerborum altercationes uidens Aurelianus eius constantiam : iussit eum gladio feriri dicens : Hunc noxium et detestabilem : qui nobis confusionem intulit et deos nostros contumelia affecit : in locum aquosum ducite : et ibi eum decollate : ne corpus eius in arida requiescat . Tunc ductus a carnificibus ad amnem Sequanæ in ripa orauit : et dixit : Domine Iesu Christe ne patiaris corpus meum in hoc loco aquoso requiescere : ne quando dicant gentes : ubi est deus eius : Tunc obscurati sunt oculi tenentium eum : et ille flumen ingessus† in aliam ripam exiit : et genua eius aqua non contigit . Tunc illi qui eum tenuerant dicebant : Magnus est deus eius : qui liberauit eum . Alii autem non : sed phantasma est . Illis autem inuicem concertantibus : mulier gentilis adueniens dixit : hominem christianum quem quæritis uidi in monte ultra flumen in terra prostratum : et orabat deum suum : Qui eo pergentes cum inuenissent eum orantem : unus ex eis ait : Vere tu reus es : qui nos effugisti : et ecce in manibus nostris es : et morieris : nisi diis nostris immolaueris : qui respondit : Dæmones non adoro sed solum deum uernm† : pro cuius nomine multa patimur et etiam morimur . Tunc genua in terram flectens a persecutore in terram prostratus est et gladio decollatus dicens : in manus tuas domine commendo spiritum meum . et passus est duodecimo calendas februarias .

VITA SANCTI PAVLI PRIMI HAEREMITAE . A SANCTO HYERONIMO EDITA .

Inter multos sæpe dubitatum est : a quo potissime monachorum heremus habitari cœpta sit . Quidam enim altius repetentes a beato Helia et Iohanne principium sumpserunt : quorum Helias plus nobis uidetur esse propheta quam monachus et Iohannes ante prophetare cepisse quam natus est . Alii autem : in qua opinione uulgus consentit : asserunt Antonium huius propositi caput fuisse : quod ex parte uerum est . Non enim tam ipse ante omnes fuit : quam ab eo omnium inci || tata sunt studia . Amathas uero et Macharius discipuli Antonii : e quibus superior corpus magistri sepeliuit : Etiam nunc affirmant Paulum quendam thebeum principem rei istius fuisse non nominis . Quam opinionem nos quoque comprobamus . Nonnulli et hæc et alia prout uoluntas tulit iactitant subterraneo specu crinitum calcaneotenus hominem fuisse et multa alia : quæ prosequi ociosum est incredibilia fingentes . Quorum quia impudens mendacium fuit : refellenda quidem sententia uidetur . Igitur quia de Antonio tam græco quam Romano stilo diligenter memoriæ traditum est : pauca de Pauli principio et fine scribere disposui : magisque quia res omissa erat : quam frætus

ingenio . Quomodo autem in media ætate uixerit : atque Sathanæ pertulerit insidias : nulli hominum compertum habetur . Sub Decio igitur et Valeriano persecutoribus : quo tempore Cornelius Romæ et Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt : multas apud Aegyptum et thebaidem dum ecclesias tempestas sæua depopulata est : uoti tunc christianis erat pro Christi nomine gladio percuti : Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquerens : animas cupiebat iugulare non corpora : et ut ipse qui ab eo passus est Cyprianus ait : uolentibus mori : non permitebatur occidi : Cuius ut crudelitas notior fiat : duo memoriæ causa exempla subiicimus . Perseuerantem in fide martyrem : et inter aculeos laminasque uictorem iussit melle perungi : et sub ardentissimo sole ligatis post tergum manibus reponi scillicet ut muscarum aculeis cederet . qui ignitas sartagines ante superasset . Alium iuuenili ætate florente in amenissimos hortulos præcepit adduci : Ibique inter candentia lilia et rubentes rosas : cum leui iuxta murmure serperet riuus : et moli sibilo arborum folia uentus constringeret : super extructum plumis lectum supinare iussit : Et ne se inde posset excutere : blandis sertorum nexibus irrætitum solum relinqui : quo cum recedentibus cunctis meretrix speciosa uenisset : cœpit delicatis stringere colla complexibus : et quod dictu quoque scelus est : manibus attractare uirilia : ut corpore in libidinem concitato : sic se uictrix impudica superiactaret . | Quid ageret Christi miles . quo se conferret : ignorabat . quem tormenta non uicerant : superabat uoluptas . Tandem cælitus inspiratus præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit : Ac sic libidinis sensum succidens doloris magnitudo calcauit . Per idem ergo tempus quo talia agebantur apud inferiorem thebaidem : cum sorore iam uiro tradita : post mortem amborum parentum in hæreditate locuplete Paulus relictus est annorum circiter quindecim litteris tam græcis quam egyptiacis apprime eruditus uir mansueti animi deum ualde amans : et dum persecutionis diu tonaret procella : in uilla remotiore et secretiore se contulit : Virum qui peccata humana non cognouit : sororis maritus cœpit prodere uelle : quem cellare debuerat . Non illum uxoris lachrymæ : non communio sanguinis : non conspectans ex alto deus a scelere reuocauit . Ad hæc constabat : crudelitate quasi pietate utebatur . Quod ubi prudentissimus adolescens intellexit : ad montium deserta confugiens : dum perfectionis finem præstolaretur : necessitatem in uoluntatem uertit : Ac paulatim procedens : rursusque tantundem atque idem sæpius faciens reperit saxeum montem : ad cuius radices haud procul grandis spelunca quæ non grandi claudebatur lapide . Quo remoto ut est cupiditas hominum auidius occulta cognoscere : animaduertit intus non grande uestibulum : quod aperto desuper cælo . patulis delfusa ramis uetus palma contexerat . Fontem lucidissimum ostendens : cuius riuum tantummodo foras eadem quæ genuerat terra absorbebat . Erant præterea per excessum montis haud parua habitacula : in quibus scabre etiam incudes : et malei quibus peccuniæ designatæ uidebantur . Hunc locum egyptiorum litteræ ferunt : furtiuæ monetæ officinam fuisse . ea tempestate qua Cleopatræ iunctus Antonius est . Igitur adamato quasi a deo offerretur sibi habitaculo : omnem ibidem orationibus in solitudine duxit ætatem . cibum et uestimentum ei palma præbebat . Quod ne cui uideatur impossibile : dominum Iesum testor et angelos eius in ea parte hæremi quæ iuxta Siriam sarracenis iungitur et uidisse me monachos et uidere eos : e quibus unus trigin || ta iam per annos clausus ordeaceo pane et lutulenta aqua uixit . Alter in cisterna ueteri quam gentili sermone syri cumbam uocant quinque caricis sustentatur per singulos dies . Hæc incredibilia uidebuntur eis : qui non crediderunt omnia possibilia esse credentibus . Sed ut ad id redeam : unde digressus sum : cum iam centesimo tertiodecimo ætatis suæ anno beatissimus Paulus cælestem uitam ageret in terris : et nonagenarius in alia solitudine Antonius moraeetur† : ut ipse asserere solebat : hæc in mente eius cogitatio incidit nullum ultra se monachorum in heremo consedisse : atque illi per noctem quiescenti reuelatum est : esse alium in terris multo se meliorem : ad quem uisitandum deberet properare . Illico erumpente luce uenerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans : cœpit ire uelle : quo nesciebat : et iam media dies exquoquente desuper sole feruebat . Nec tamen a cœpto itinere reuocabatur dicens : Credo in deo meo : quod seruum suum quem mihi promisit ostendet . Nec plura his : conspicatur hominem equo mixtum : cui opinio poetarum hippocentauro uocabulum indidit : Quo uiso salutaris impressione signi armat frontem et heus tu inquit quanam in parte dei

seruus hinc habitat : At ille nescio quid barbarum frendens : et frangens potius uerba quam proloquens inter horrentia ora setis blandum quæsiuit alloquium : et cum dextræ manus protensione cupitum indicat iter . Ac sic per patentes campos uolucri se transmittens fuga ex oculis mirantis euanuit . Verum hoc utrum diabolus ad terrendum eum simulauerit : an ut solet heremus monstruosorum fera animalium : istam quoque gigneret bestiam : incertum habemus . Stupens itaque Antonius et de eo quod uiderat secum uoluens : ulterius progrediebatur . Nec mora inter saxosam conuallem haud grandem homunculum uidit aduncis naribns† : fronte cornibus exasperata : cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat . Ex hoc Antonius spectaculo stupefactus scutum fidei et loricam spei quasi bonus præliator arripuit . Nihilominus memoratum animal palmarum fructus ad uiaticum quasi pacis obsides offerebat . Quo cognito gradum pressit Anto | nius : et quisnam esset interrogans : hoc ab eo responsum accepit : mortalis ego sum : et unus ex accolis heremi : quos uario delusa errore gentilitas phannos† satyrosque et incubos colit . Legatione fungor gregis mei precamur : ut pro nobis communem dominum depreceris : quem ad salutem mundi olim uenisse cognouimus : et in uniuersa terra exiuit sonus eius . Talia eo loquente : longeuus uiator hubertim faciem lachrymis rigabat : quas magnitudo læticiæ indices cordis effuderat . Gaudebat puippe† de Christi gloria et de interitu Sathanæ : simulque ammirans quod eius posset intelligere sermonem : et baculo humum percutiens aiebat : Væ tibi ciuitas meretrix : in qua totius orbis dæmonia confluxerunt . Væ tibi Alexandria quæ pro deo portenta ueneraris . Quid nunc dictura es : cum bestiæ Christum loquuntur ? Necdum uerba compleuerat : et quasi penigero uolatu petulcum animal aufugit . Hoc ne cui ad incredulitatem scrupulum moueat : sub rege Constantino uniuerso mundo teste defenditur . Nam Alexandriam istiusmodi homo uiuus perductus magnum populo spectaculum præbuit . et postea cadauer exanime ne calore æstatis dissiparetur sale infusum est : et Antiochiam ut ab Imperatore uideretur delatum est . Sed ut propositum prosequar : Antonius cœpta regionis itinera pergebat . ferarum tantum uestigia intuens et heremi latam uastitatem . quid ageret . quo uerteret gradum nesciebat : iam altera fluxerat dies . Restabat unum : et deseri se a Christo non posse confideret . pernox secundas in oratione exegit tenebras : et dubia adhuc luce haud procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem ad radicem montis irrepere : quam secutus oculis et iuxta speluncam : cum fera abiisset : accedens cœpit intus aspicere : nihil curiositate proficiens tenebris resistentibus uisui . Verum ut scriptura ait : perfecta caritas foras mittit timorem : suspenso gradu et anhelitu temperato callidus explorator ingressus est . Ac paulatim progrediens : sæpiusque subsistens : sonum auræ captabat . Tandem per cææ noctis horrorem procul lumen intuitus : dum auidius properat offenso pede lapidem in stre || pitu concitauit . Post cuius sonitum beatus Paulus hostium quod patebat recludens : sera obfirmauit . Tunc uero Antonius præ foribus corruens usque ad sextam et eo amplius horam aditum precabatur dicens : Quis sim : et unde : et cur uenerim nosti . Scio enim me non mereri conspectum tuum : tamen nisi uidero : non recedam . O qui bestias suscipis : hominem cur repellis : quesiui : et inueni . pulso : ut aperiatur mihi . Quod si non impetro . hic moriar ante postes tuos . certe uel sepelies cadauer meum .

Talia perstabat memoransque fixusque manebat :
Ad quem responsum Paulus ita reddidit heros :

Nemo sic petit ut minetur nemo cum lachrimis calumniam facit . et miraris si non recipiam te cum ad moriturum adueneris : sic arridens patefecit ingressum : Quo aperto dum in mutuos miscentur amplexus : propriis se salutauere nominibus . Gratiæ deo in commune referruntur : et post sanctum osculum residens Paulus cum Antonio ita exorsus est : En quem tanto labore quæsisti putrescentibus senectutæ membris operit inculta canicies . en uides hominem puluerem mox futurum . Verum quia caritas omnia sustinet : narra mihi quæso : ut se se habeat hominum genus . an in antiquis urbibus noua tecta consurgunt . quo mundus regitur imperio : an supersint aliqui : qui dæmonum errore capiantur . Inter sermocinationes suspiciunt alitem coruum in ramo arboris consedisse : qui inde leuiter subuolans integrum panem ante mirantium ora deposuit : Post cuius† abscessum : eia inquit Paulus : dominus nobis

misit prandium . Vere pius uere misericors . Sexaginta iam anni sunt quod dimidii semper panis fragmentum accepi uerum ad aduentum tuum Christus militibus suis duplicauit annonam . Igitur in deum gratiarum actione celebrata supra uitrei fontis marginem uterque considunt . Hinc uero quis frangeret panem aborta contentio pene diem duxit in uesperam . Paulus more cogebat hospitii : Antonius iure refellebat ætatis . Tandem consilium fuit : ut appræhensum panem inter se dum ad se quisque mitit trahere pars sua remaneret in manibus . Deinde paululum aquæ prono in fonte ore libarunt : et immolantes deo sacrificium laudis noctem tran | segere uigiliis : Cumque iam esset terris redditus dies : beatus Paulus ad Antoniuum† sic locutus est : Olim te frater in istis regionibus habitare sciebam . olim conseruum suum mihi promisit dominus : Sed quia iam tempus dormitionis aduenit :† mihi : et quia semper desyderabam dissolui et esse cum Christo : peracto cursu superest mihi corona iusticiæ . tu missus a domino es : qui humo corpusculum tegas : immo terram terræ reddas . His Antonius auditis flæns et gemens : ne se desereret : atque ut comitem talem acciperet : precabatur : At ille non debes inquit quærere : quæ tua sunt : sed quæ aliena . Expedit quidem mihi sarcina carnis abiecta agnum sequi : sed et cæteris expedit fratribus : ut tuo ad hnc† instituantur exemplo . Quamobrem perge quæso nisi molestum est : et pallium quod tibi Athanasius episcopus dedit ob obuoluendum corpusculum meum defer . Hoc autem beatus Paulus rogauit non quo magnopere curaret utrum tectum putresceret cadauer an nudum : quippe qui per tanti temporis spatium contextis palmarum foliis uestiebatur : sed ut a se recedente mæror suæ mortis leuaretur . Stupefactus ergo Antonius quod de Athanasio et pallio eius audierat : quasi Christum in Paulo uidens : et in pectore eius dominum ueneraus ultra respondere minime ualuit . sed cum silentio lachrymans exosculatis eius oculis et manibus ad monasterium unde discesserat quod postea a saracenis occupatum est regrediebatur : Neque enim gressus seqnebantur† animum : sed cum corpus inane ieiuniis seniles etiam anni frangerent : animo uincebat ætatem . Tandem defatigatus et anhelus : ad habitaculum suum confecto itinere peruenit : Cui cum duo discipuli sui qui ei iam longæuo ministrare cœperant : occurrissent dicentes : ubi tam diu moratus es pater : Respondit : uæ mihi peccatori : quia falsum nomen monachi fero : Vidi Heliam . uidi Iohannem in deserto : et uere in paradiso uidi Paulum : Ac sic ore compresso : et manu uerberans pectus e cella palium protulit : Rogantibusque discipulis : ut plenius quidnam esset exponeret : ait : tempus loquendi et tempus tacendi : Tunc† egressus foras : et nec modicum quidem cibi sumens per uiam qua ue || nerat regrediebatur : Illum sitiens : illum uidere desyderans : illum oculis ac mente complectens . Timebat enim quod euenit : ne se absente Christo spiritum redderet : Cumque iam dies illuxisset alia : et trium horarum spacium item remaneret : uidit inter angelorum cateruas inter prophetarum et apostolorum choros : in :† sublime Paulum conscendere . Et statim in faciem proruens : sabulum capiti superiaciebat : plorans : atque eiulans cur me inquit Paule dimittis : cur abis insalutatus ? Tam tarde notus : quam cito recedis ? Referebat postea beatus Antonius tanta uelocitate se quod reliquum erat uiæ cucurrisse : ut instar auis peruolaret . Nec immerito ..Nam introgressus speluncam uidit genibus complicatis : erecta ceruice : extentisque in altum manibus corpus exanime . At primo et ipse uiuere eum credens : pariter orabat : postquam uero nulla ut solebat suspiria precantis audiuit : in flebile osculum ruens : intellexit quod etiam cadauer sancti deum cui omnia uiuunt officio gestus precaretur . Igitur obuoluto et prolato foras corpore : psalmis quoque ex christiana traditione cantatis : contristabatur Antonius quod sarculum quo terram foderet non habebat : fluctuans quod† uario mentis æstu : et secum multa reputans : Si rediero ad monasterium : qua triduum iter est : si hic maneam : nihil ultra proficiam . Moriar ergo ut dignum est : et iuxta bellatorem tuum Christe ruens : extremum anhelitum fundam . Talia eo animo uoluente : ecce duo leones ex interioris hæremi parte currentes uolantibus per colla iubbis ferebantur . Quibus aspectis : primum exorruit : rursumque ad deum mentem referens : quasi columbas uideret mansit intrepidus . Et illi quidem directo cursu : ad cadauer beati senis substiterunt . Adulantibusque caudis circa eius pedes accubuerunt : fremitu ingenti rugientes . Prorsus ut intelligeres eos plangere quomodo poterant . Deinde haud procul cœperunt humum pedibus excauare : arenamque certatim egerentes : unius hominis capacem locum effodere . Et statim

quasi mercedem pro opere postulantes : cum motu aurium ceruice deiecta : ad Antonium perrexerunt : manus eius pedesque lingentes : ut ille animaduerteret benedictionem eos a se deprecari . Nec mora | etiam in laudationem Christi effusus : quod muta quoque animalia deum sentirent : ait : Domine sine nutu cuius nec folium arboris defluit : nec unus passerum ad terram cadit : da illis sicut tu scis . Et manu annuens : ut abirent imperauit : cumque illi recessissent : sancti corporis oneri seniles curuauit humeros : et deposito eo in fossam : desuper humum congregans : tumulum ex more composuit . Postquam autem dies illuxerat alia : ne quid pius heres ex intestati bonis non possideret : tunicam sibi eius uendicauit : qnam† in sportarum modum de palmæ foliis sibi ipsi texuerat . ac sic ad monasterium reuersus : disciplulis ex ordine gesta cuncta replicauit . Diebusque solemnibus pasce uel pentecostes : semper pauli tunicam quam secum detulerat uestitus est . Libet in fine opusculi interrogare eos qui patrimonia sua ignorant : qni† domos marmoribus uestiunt : qui uno filio uillarum insunnt† prædia : huic seni nudo quid umquam defuerit . Vos gemmatis calicibus bibitis : ille concauis manibus nature satisfecit . Vos in tunicis auro textis : ille quidem nec uilissimi mancipii uestri indumentum habuit . Sed e contrario illi panperculo† paradisus patuit : uos auratos gehenna suscipiet . Ille Christi uestem licet nudus seruauit : uos uestiti sericis indumentum Christi perdidistis . Paulus uillissimo puluere opertus iacet resurrecturus in gloria : uos operosa saxis sepulcra premunt cum uestris operibus arsura . Parcite saltem diuitiis quas amatis : cur et mortuos uestros auratis obuoluitis uestibus ? Cur ambitio inter luctus lachrimasque non cessat ? An cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt ? Obsecro quicumque hoc legis : ut Hyeronimi peccatoris memineris : cui si dominus optionem daret . multomagis eligeret tunicam pauli cum meritis suis : quam regum purpuras cum regnis suis . Vnde gratias agamus omnes omnipotenti deo : qui tanta mirabilia corruscare dignatus est in sanctis suis : ut ipso adiuuante mereamur eorum adiuuari precibus Amen .

DE SANCTO PAVLINO NOLANAE CIVITATIS EPISCOPI† EX DIVI GREGORII DIALOGIS . ||

Dum de uicinis ualde patribus intendo : maiorum facta reliqueram : ita ut Paulini miraculum Nolanæ urbis episcopi : qui multos quorum memini uirtute et tempore præcessit : memoriæ defuisse uideatur . Sed ad priora nunc redeo : eaque quanta ualeo breuitate perstringo . Sicut enim bonorum facta innotescere citius similibus solent : senioribus nostris per iustorum exempla gradientibus : prædicti uenerabilis uiri celebre nomen innotuit : eiusque opus admirabile ad eorum se instruenda studia tetendit : quorum me necesse fuit grandeuitati tam certo credere : ac si ea quæ dixerant meis oculis uidissem .

Cum sæuientium Vuandalorum tempore fuisset italia in Campaniæ partibus depopulata : multique essent de hac terra in aphricanam regionem traducti : uir domini Paulinus cuncta quæ ad episcopi usum habere potuit captiuis indigentibusque largitus est . Cumque iam nihil omnimodo superesset quod petentihus† dari potuisset : quadam die uidua quedam aduenit quæ a regis Vuandalorum genero filium suum in captiuitatem ductum fuisse perhibuit : atque a uiro dei eius pretium postulauit : si forte illius dominus hoc dignaretur accipere : et hunc concederet ad propria remeare . Sed uir domini magnopere petenti fœminæ quod dare potuisset inquirens : nihil apud se aliud nisi se inuenit : petentique fœminæ respondit dicens : Mulier quid possim tibi dare nihil habeo : sed memetipsum tolle . me seruum iuris tui esse profitere . atque ut filium tuum recipias : me uice illius in seruitium trade : quod illa ex ore tanti uiri audiens : irrisionem potius credidit quam compassionem . At ille ut erat uir eloquentissimus atque apprime exterioribus quoque studiis eruditus : dubitanti fœminæ citius persuasit : ut audita crederet : et pro redemptione filii se in seruitium episcopo† tradere non dubitaret . Perrexere utrique ad Aphricam : procedenti autem regis genero qui eius filium habebat uidua se rogatura obtulit ac prius petiit : ut ei donare debuisset : quod cum uir barbarus typo superbiæ turgidus gaudio transitoriæ prosperitatis

inflatus non solum facere sed etiam audire despiceret : ui | dua subiunxit dicens . Ecce hunc hominem pro eo uicarium præbeo : solummodo pietatem in me exhibe mihique unicnm† filium redde : Cumque ille uenusto uultu hominem conspexisset : quam artem nosset inquisiuit . cui uir domini Paulinus respondit dicens : Artem quidem aliquam nescio : sed hortum bene excolere scio . Quod uir gentilis ualde libenter accepit : cum in nutriendis oleribus quia peritus esset audiuit . Suscepit itaque seruum : et roganti uiduæ reddit filium : quo accepto uidua ab aphricana regione discessit : Paulinus uero excolendi horti suscepit curam : Cumque isdem regis gener crebro ingrederetur hortum : suumque hortulanum quædam requireret : sapientem ualde esse hominem uideret : amicos cœpit familiares deserere : et sæpius cum suo hortulano colloqui : atque eius sermonibus delectari . Cui Paulinus quottidie ad mensam olera uirentesque herbas deferre consueuerat : et accepto pane ad curam horti remeare . Cumque hæc diutius agerentur : quadam die suo domino secum secretius loquenti ait : Vide : quid agas et Vuandalorum regnum qualiter disponi debeat : prouide : quia rex citius et sub omni celeritate est moriturus : quod ille audiens quia ab eodem rege præ cæteris diligebatur ei minime tacuit : sed quid a suo hortulano sapiente scilicet uiro agnouisset indicauit : quod dum audisset : illico respondit . Ego uelim hunc hominem de quo loqueris uidere : Cui gener eius uenerabilis Paulini temporalis dominus respondit dicens : uirentes hærbas mihi ad prandium defferre consueuit : has itaque huc ad mensam eum deportare facio : ut qui sit : qui mihi hæc est locutus agnoscas . Factumque est : ut cum rex ad prandendum discumberet : Paulinus ex suo opere olera et quæque uirentia delaturus uenit . Cumque hunc rex subito conspexisset intremuit : atque accersito eius domino sibi per filiam propinquam ei secretum quod prius absconderat indicauit dicens . Verum est quod audisti . Nam nocte hac in somnium sedentes in tribunalibus contra me iudices uidi : inter quos iste etiam simul sedebat : et flagellum quod aliquando acceperam eorum mihi iudicio tollebatur . Sed percunctare quisnam sit . Nam ego hunc tanti meriti uirum popularem ut conspicitur esse non suspicor . Tunc regis gener secreto Paulinum tulit : quisnam esset inquiiusit† . Cui uir || domini respondit . Seruus tuus sum : quem pro filio uiduæ uicarium suscepisti : Cumque instanter ille requireret : ut non quid esset nunc : sed quid in sua terra fuisset : indicaret : atque hoc ab eo iteratione frequentis inquisitionis exigeret : Vir domini constrictus magnis coniurationibus iam non ualens negare quod esset : episcopum se fuisse testatus est : quod possessor eius audiens ualde pertimuit : atque humiliter obtulit dicens : Pete quid uis : quatenus ad terram tuam a me cum magno munere reuertaris : Cui uir domini Paulinus ait : Vnum est quod mihi impendere beneficium potes : ut omnes ciuitatis mee captiuos relaxes : qui cuncti protinus in aphricana regione requisiti cum honustis frumento nauibus pro uenerandi uiri Paulini satisfactione in eius comitatu laxati sunt . Post non multos uero dies Vuandalorum rex occubuit : et flagellum quod ad suam perniciem dispensante domino pro infidelium disciplina acceperat amisit : Sicque factum est : ut omnipotentis dei famulus Paulinus uera predicaret : Et qui se in seruitium solum tradiderat : cum multis a seruitio ad libertatem rediret : Illum uidelicet imitatus : qui formam serui assumpsit : ne nos essemus serui peccati : Cuius sequens uestigia Paulinus ad tempus uoluntariæ seruus factus est solus : ut esset postmodum liber cum multis .

PETRVS

Cum me audire contingit : quem imitari non ualeo : flære magis libet : quam aliquid dicere .

GREGORIVS

De cuius etiam obitu apud eius ecclesiam scriptum est : quia cum dolore esset lateris tactus : ad extrema perductus est : dumque eius omnis domus in sua soliditate persisteret : cubiculum in quo iacebat æger facto terræmotu contremuit : omnesque qui illic aderant nimio terore concussit . Sicque sancta illa anima carne soluta est : Factumque est : ut magnus pauor inuaderet eos : qui Paulini mortem uidere potuissent . Sed quia hæc superius dixi : Paulini uirtus ualde est intima . nunc si placet ad miracula exteriora ueniamus : Quæ et iam multis nota sunt : et ego tam religiosorum uirorum relatione didici : ut de his omnimodo ambigere non possim .

PASSIO SANCTI PANCRATII MARTYRIS . |

Fuit immanis in christianos persecutio ut tura diis litarent sub Dioclitiano et Maximiano sceleratissimis imperatoribus . Factum est autem ut in ciuitate Frigida post mortem Cledonis et coniugis eius Quiriade nobili genere orti : quorum filius erat Pancratius unicus : quem commendauit pater post obitum matris suæ germano suo Dionisio : Adiurans illum per deum omnipotentem et magnam uirtutem eius et omnium deorum : ut omne patrimonium ne ulla detestabili cupiditate inuasor uideretur : non ut suo nepoti sed ut dignus frater patris in omnibus piissimus illi se ostendisset . Ita Pancratium cœpit amare et diligere : et factum est trienium ut ad urbem Romam properarent : Et cum illic demorarentur : cœperunt habitare in insula caminiana in Celio monte cum omni familia sua in suis prædiis : et quia nimia persecutio erat christianis : Cornelius papa romanus latitabat in uicino Dionisii et Pancratii : et cum audiret Dionisius uniuersas uirtutes : quas Cornelius papa romanus faceret : quomodo uniuersum populum a cultura idolorum amoueret : et ad uiam et uitam æternam perduceret : factum est : ut Dionisius cum nepote Pancratio ad eius notitiam peruenirent : ueniuntque ad ianuam sancti Cornelii . adest Eusebius hostiarius uir totius sanctitatis : et rogant ut mereantur notitia eius sublimari : uadens itaque ingreditur ad sanctum Cornelium Eusebius : dicitque : Domine pater quidam pro foribus sunt nescio qui clarissimi uiri : et rogant : ut domum tuæ beatitudinis mereantur ingredi . Ad hæc Cornelius cœpit gaudio magno repleri et prosternens se in orationem dei ait : Gratias tibi ago domine Iesu Christe rex regum et domine dominantium : qui me ultimum seruum tuum per spiritum sanctum reuelare dignatus es : Et citius iussit eos introduci : introducti miserunt se Dionisius et Pancratius ad pedes sancti Cornelii : et rogare cœperunt : ut tali domino qualem colerent mererentur illuminari . porro erigens eos sanctus uir cœpit eos amplecti : declarans eis : et instruens eos omnem diuinitatem cælestem . Post dies autem uiginti baptizauit et fecit eos christianos : qui ita feruere || cœperunt in timore dei : ut se ipsi ultronei persecutoribus offerrent : Et post paucos dies obiit ad dominum Dionisius : Et cum nimia insania esset paganorum aduersus christianos : cœperunt ingenti furore clamare : Dignissimi et pii imperatores tollite de hac urbe magos et crudeles christianos per quos omnis mundus et omne regnum uestrum decipitur . Quare indignatus et ira commotus Dioclitianus legem dedit : ut si qui huius sectæ inuenirentur : inauditi punirentur : in quibus Pancratius tenetur . Cum uero didicissent persecutores : qui eum tenuerunt : quia magnis natalibus ortus esset : nunciant hæc Dioclitiano . Iussit itaque eum sub omni celeritate ad suum palatium adduci . Et cum uideret faciem Pancratii : cœpit obstupescere infantiam illam mori uelle propter Christum : et dicit ad eum Dioclitianus : Infantule ego tibi suadeo : ut morte mala non moriaris : quia ætas tua ut sapis non est plus minus quam terquinis annis : Et quia nobili genere natus es ex patre Cledonio mihi satis amicissimo et caro : hoc tibi uollo extorquere : ut recedas ab hac christianorum insania : reddasque te natalibus tuis : et te magnificentiorem et ditiorem faciam : et a latere meo non alienus : sed ueluti filius sis . Quod si tibi displicuerint pietatis meæ uerba : iubebo te interfici : et corpus tuum incendi : ne forte ueniant christiani : et ipsi sibi martyrem faciant : Cui Pancratius : Noli frustra errare domine Imperator : quod quem uides puerum annorum quattuordecim scientia aut sensu minimum . dominus noster Iesus Christus talem intellectum nobis donare dignatus est : ut omnis terror principum uel iudicum nostrum tantum apud nos sit : quantum si in pictura ista uideamus . Nam deos et deas tuas quos metu exhortaris ut colam : dæmones sunt deceptores : qui parentibus suis non pepèrcerunt : et germanas suas stupratores polluerunt . Tales dæmones imperator miror : ut non sit tibi deformatio colere . quod si hodie seruos tuos scias tales iure eos iubeas occidi . Tunc iussit Dioclitianus duci eum in uiam Aureliam : ibique capitalem subire sententiam : Quia turpe illi fuit a puero superari et dehonestari . corpus autem eius ablatum est occultæ noctu : et sepelierunt eum christiani in sepulchro nouo quarto idus maias | Regnante domino nostro Iesu christo† : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum amen .

DE SANCTO PATRICIO .

Patricius dum Scothorum regi Christi passionem prædicaret ante eum stans se super ferulam quam manu tenebat et casu pedi regis supposuerat aculeo pedem perforauit . rex uero credens sanctum episcopum ex industria hoc facere : et se aliter fidem non posse suscipere : nisi similia pro christo pateretur patienter sustinuit . Sanctus hæc tandem intelligens obstupuit : et precibus regem sanauit ac toti prouinciæ obtinuit quod nullum uenenosum animal ibidem possit uiuere qui non enim hoc solum obtinuit sed et ligna et coria regionis illius contraria ut dicitur sunt ueneno . Quidam uir conuicini sui furatus fuerat ouem et quam comederat : et cum sanctus sæpius hortaretur satisfacere furem : quicumque ille esset : et nullus appareret : dum totus populus ad ecclesiam conuenisset in uirtute Iesu Christi præcepit : ut in cuius uentrem ouis intrasset : coram omnibus balatum daret : quod factum est : et egit reus pœnitentiam : quo fit ut alii a furtis sibi cauerent . Erat illi etiam et consuetudo omnes cruces quas uidebat deuote uenerari : Sed quandam pulchram crucem inuisam præteriit : et a suis admonitus : a deo cur non uiderit precibus dum requireret : uocem audiuit subterraneam : Non uidisti : quia ego hic sepultus sum paganus : et signo crucis indignus : fecit itaque crucem inde tolli . Cum beatus Patricius per Hyberniam prædicaret : et fructum ibi permodicum faceret : rogauit dominum : ut aliquod signum ostenderet : per quod uel territi pœniterent . Iussu igitur domini in quodam loco circulum magnum baculo designauit : Et ecce terra intra circulum se aperuit : et puteus maximus et profundissimus ibidem apparuit : Reuelatumque est beato Patricio : ibidem quendam purgatorii locum esse : in quem si quisque uellet descendere : alia ei pœnitentia non restaret : nec aliud pro peccatis purgatorium sentiret . plærique autem || inde non redirent : et qui redirent : eos a mane usque in sequens mane ibidem moram facere oporteret . Multi igitur ingrediebantur : qui de cætero non reuertebantur . Post longum igitur tempus mortuo Patricio uir quidam nobilis nomine Nicolaus qui peccata multa commiserat cum eum suorum delictorum pœniteret et purgatorium sancti Patricii sustinere uellet : cum antea octo diebus ut omnes faciebant se ieiuniis macerasset : in prædictum puteum descendit : et quoddam hostium a latere putei inuenit : In quod ingrediens cum ibi oratorium reperisset : quidam monachi albis induti oratorium intrauerunt : et officium facientes Nicolao dixerunt : ut constans esset : quia multa diaboli temptamenta eum percurrere oporteret . Cum autem ille requireret : quod adiutorium contra hæc habere posset : dixerunt : Cum te pœnis afligi senseris : protinus clama : et dic Iesu christe fili dei uiui miserere mihi peccatori . Recedentibus igitur prædictis uiris continuo adsunt dæmones : et ut sibi obediat primo blandis promissionibus persuadent : asserentes : quod eum custodient : et ad propria incolumem perducent . Sed cum ille eis nullatenus obediret : protinus diuersarum ferarum terribiles audiuit uoces pariter et mugitus : ac si elementa omnia tremerent : Ad quod cum ille timore horribili palpitaret : Iesu Christe fili dei uiui miserere mihi peccatori protinus exclamauit : et statim omnis illarum ferarum tumultus terribilis conquieuit : Processit et ultra ad alium locum : et ibi adest multitudo dæmonum ei dicentium : Putas quia manus nostras euaseris ? Nequaquam : sed nunc potius torqueri incipies et afligi . Et ecce quidam maximus ignis et terribilis ibidem apparuit . Dixerunt ei dæmones : Nisi nobis assentias in illum ignem te iactabimus comburendum : quod cum ille renueret : ipsum acceperunt : et in illum ignem terribilem proiecerunt : ubi dum cruciaretur protinus exclamauit Iesu Christe fili dei uiui miserere mihi peccatori : Statimque ille ignis extinctus est . Ad alium denique ductus locum uidit quosdam uiros in igne uiuos cremari : et laminis ferreis candentibus a dæmonibus usque ad uiscera flagellari : aliosque uentres habentes dehorsum terram præ dolore mordere et clamare : Parce . parce . Quos tunc dæmones gra | uius flagellabant : Aliosque uidit : quorum membra serpentes uorabant : et bufones ignitis aculeis eorum uiscera extrahebant . hic itaque cum eis assentire nollet : in eundem ignem et pœnas proicitur : et eisdem laminis et pœnis flagellatur . Sed cum ille Iesu christe fili dei uiui et cætera exclamasset : a

prædicta pœna pœnitus liberatus est ducitur .† deinde ad quendam locum : ubi homines in sartagine frigebantur : et ubi rota maxima erat uncis plena igneis : in quibus per diuersa membra homines erant suspensi : quæ tam uelociter uoluebantur : ut globum igneum emitteret . Post hæc uidit maximam domum habentem foueas metallis bullientibus plenas : in quibus alii unum pedem . Alii duos habebant . Alii ibi erant usque ad genua . Alii usque ad uentrem . Alii usque ad pectus . Alii usque ad collum . Alii usque ad oculos . Sed hæc omnia percurrens nomen domini inuocahat† . Processit iterum : et quendam latissimum puteum intuetur : de quo fumus horribilis et fætor intolerabilis exibat : indeque homines ut ferrum candentes in modum fauillarum exibant : sed dæmones eos retrudebant . Dixeruntque ei dæmones : Locus ille quem conspicis est infernus : in quo dominus noster Belzebub habitat . in ipsum igitur puteum te iactamus si nobis assentire recusas . Postquam autem illuc iactatus fueris : nullum inde euadendi remedium obtinebis : quos dum ille audire contemneret : ipsum arripientes in prædictum puteum iactauerunt . qui tam uehementi dolore absortus est : ut ferre oblitus est nomen domini inuocare . Sed dum ille ad se rediens Iesu christe fili dei uiui miserere mihi peccatori clamasset corde : quia uoce non poterat : protinus inde illæsus exiuit : et omnis dæmonum multitudo tanquam uicta euanuit . Cum igitur redire deberet : uidit quendam pontem : super quem transire opportebat : qui quidem erat strictissimus : et instar glatiei politus et lubricus : sub quo fluuius ingens sulphureus et igneus fluebat : super quem dum se transire posse omnino desperaret : tandem recordatus uerbi : quod eum de tot malis eripuit confidenter accessit : et unum pedem super pontem ponens Iesu christe fili dei uiui et cætera dicere cœpit . Validus autem clamor adeo eum terruit : ut subsistere uix ualeret . sed dum prædictum uerbum protulit : securus mansit . || Denique alium pedem posuit . et eadem uerba iterauit Ad quemlibet etiam passum eadem uerba protulit : et sic securus transiuit . Porro in quoddam pratum amœnissimum deuenit : ubi diuersorum florum mira suauitas redolebat : Et ecce duo speciosi iuuenes apparuerunt : qui ipsum usque ad quandam ciuitatem speciosissimam ex auro et gemis mirabiliter rutilantem perduxerunt : de cuius porta odor mirabilis emanabat : qui illum adeo recrearunt : ut nullum dolorem uel fetorem sensisse uideretur : dixeruntque ei : ciuitatem illam paradisum esse : in quem cum Nicolaus intrare uellet : dixerunt ei prædicti iuuenes ut primum ad suos rediret : et per loca per quæ eum redire oporteret : dæmones tamen eum non læderent : sed eo uiso territi fugerent : Et post dies triginta in pace quiesceret : et tunc ciuitatem illam ciuis perpetuus introiret . Quare Nicolaus inde ascendens in locum per quem ascendit se restitutum inuenit : et omnibus quæ sibi contigerant narrans post triginta dies in domino feliciter requieuit .

DE SANCTA PAVLA .

Paula nobilissima matrona romanarum fuit : cuius uitam beatus Hieronymus conscripsit in hæc uerba : Si concta mei corporis membra uerterentur in linguas : et omnes artus humana uoce resonarent : nihil dignum sanctæ ad uenerabilis paulæ uirtutibus dicerem . Nobilis genere sed nobilior multa sanctitate . potens quondam diuitiis sed nunc paupertate christi insignior . Testor enim Iesum et sanctos angelos eius ipsumque angelum : qui custos fuit et comes admirabilis fœminæ : me nihil in gratiam nihil more laudantium dicere : sed quod dicturus sum pro testimonio minus eius esse meritis : quam totus orbis canit . Vult lector breuiter eius scire uirtutes : omnes suos pau† pauperes pauperior ipsa dimisit . Et sicut inter multas gemmas pretiosa gemma micat : et iubar solis paruos igniculos stellarum obruit et obscurat : ita cunctorum uirtutes et potentiam sua humilitate superauit . Minimaque fuit inter omnes : ut omnium maior esset . Et quanto plus se deiiciebat tanto magis a Christo | subleuabatur . Latebat : et non latebat . Fugiendo gloriam : gloriam merebatur : quæ uirtutes quasi umbra sequitur et appetitores suos deserens appetit contemptores . Hæc cum quinque liberos edidisset . Blesillam : super cuius morte eam Romæ consolatus sum . Paulinamque sanctam : et admirabilem uirum præpositum rerum suarum

Pammachium reliquit hæredem : et ad quem super eius obitum paruum libellum edidimus . Eustochium quæ nunc in sanctis locis uirginitatis et ecclesiæ monile pretiosissimum est . Ruffinam quæ maturo funere pium matris animum consternauit : Et Thodocium parere postquam desiit : ut intelligeres eam non seruire uoluisse officio coniugali sed mariti desyderio : qui mares optabat liberos : obedisse . Postquam uir mortuus est . ita eum planxit : ut prope ipsa moreretur . ita se conuertit ad dei seruitutem ut mortem eius uideretur optasse . Quid ergo referam amplæ et nobilis domus et quondam opulentissime omnes pene diuitias in pauperes errogatas ? Hæc Paulini episcopi Antiocheni et Epiphanii qui Romam uenerant accensa uirtutibus per momenta patriam deserere cogitabat . Quid ultra differo ? descendit ad portum fratre cognatis affinibus et quod his maius est liberis persequentibus . Iam carbasa tendebantur : et remorum ductu nauis in altum pertrahebatur . Paruus Foxotius supplices manus tendebat in littore . Ruffina iam nubilis ut suas expectaret nuptias tacens flætibus obsecrabat : et tamen siccos oculos tenebat ad cælum : impietatem in filios pietatem in deo sperans : nesciebat se matrem : ut Christi se probaret ancillam . Torquebantur uiscera : et quasi a suis membris distraheretur cum dolore pugnabat . Hæc contra iura naturæ plena fide patiebatur immo gaudens animus appetebat : et amorem filiorum maiore in deum amore contemnens in sola Eustochio quæ et propositi et nauigationis eius comes erat acquiescebat . Sulcabat interim nauis mare : cunctis qui cum ea uehebantur littora respicientibus : illa auersos tenebat oculos : ne uideret : quod sine tormento uidere non poterat : Cumque ad loca terræ sanctæ peruenisset : et proconsul Palestinæ qui familiam eius optime nouerat præmissis apparitoribus iussisset parari prætorium : elegit humilem cællam : et cuncta loca tanto ardore ac studio circuibat : ut nisi ad reliqua festinaret : a primis non pos || set adduci : prostrataque ante crucem tanquam pendentem dominumque cerneret adorabat : Ingressaque sepulchrum resurrectionis osculabatur lapidem quem ab hostio monumenti amouerat angelus : et ipsum corporis locum in quo dominus iacuerat quasi sitiens desyderatas aquas fidei ore lambebat . quid ibi lachryarum† quantum gemitum quid doloris effuderit . testis est cuncta Hierosolyma : testis est ipse deus : quem rogabat . Deinde perrexit Bethleem atque in specum saluatoris ingrediens uidit sacrum uirginis diuersorium : et me audiente iurabat cernere se fidei oculis infantem pannis inuolutum uagientem in præsepe : dominum magos adorantes : stellam fulgentem de super matrem uirginem : nutritium : obsequium sedulum : pastores nocte uenientes : ut uiderent uerbum quod factum erat . ut etiam tunc euangeliste Iohannis principium dedicarent . Imprincipio† erat uerbum . et uerbum caro factum est . paruulos interfectos . Herodem sæuientem . Ioseph et Mariam fugientes in egiptum : mixtisque lachrymis gaudio loquebatur : Salue Bethleem domus panis : in qua natus est panis : qui de cælo descendit . Salue ephrata regio huberrima : cuius felicitas deus est . Dauid loquitur confidenter introibimus in tabernaculum eius adorauimus in loco : ubi steterunt pedes eius . Et ego misera atque peccatrix digna sum iudicata deosculari præsepe : in quo dominus paruus uagiit : orare in spelunca : in qua uirgo puerpera deum fudit infantem . Hæc requies mea : quia domini patria est hic habitabo : quoniam saluator elegit eam . tanta se humilitate deiecit : ut qui eam uidisset : et pro celebritate nominis uidere gestisset : ipsam esse non crederet . sed ancillarum ultimam . et cum frequentibus choris uirginum cingeretur ueste et uoce ac habitu et incessu minima omnium erat . Nunquam post uiri mortem usque ad diem dormitionis suæ cum ullo comedit uiro : quamuis eum sanctum et in pontificali culmine positum sciret . Balnea nisi periclitans non adiit . Mollia etiam in grauissima febri lectuli stramenta non habuit : sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat : si tamen illa requies dicenda est : quæ iugibus pene orationibus dies noctesque iungebat . Ita leuia peccata plangebat : ut illam grauissimorum criminum crederes esse ream : Cumque a nobis crebrius moneretur : ut parceret oculis : et | eos seruaret euangelicæ lectioni : aiebat : Turbanda est facies quam contra dei præceptum et purpuris et cerussa et stibio sæpe depinxi . Affligendum est corpus : quod multis uacauit deliciis . longus risus perpetuo compensandus est flætu . mollia linteamina et serica pretiosissima asperitate cylicii commutanda . Quæ uiro et sæculo placui : nunc christo placere desydero . Si inter tales tantasque uirtutes castitatem in illa uoluero prædicare : superfluus uidear : in qua etiam cum sæcularis esset : omnium Romæ matronarum

exemplum fuit : quæ se ita gessit : ut nunquam de illa maledicorum quicquam auderet fama confingere . Fateor errorem meum : cum in largiendo esset profusior : arguebam illud proferens de apostolo : non ut aliis refrigerium : uobis autem tribulatio : sed ex æqualitate in hoc tempore ut nostra abundantia sit ad illorum inopiam : et illorum abundantia sit ad nostram inopiam : et prouidendum esse : ne quod libenter faceret semper facere non posset : multaque huiusmodi mira uerecundia et sermone parcissimo dissoluebat testem inuocans dominum : se pro illius nomine et cuncta facere : et hoc habere uoti : ut mendicans ipsa moreretur : ut unum nummum filiæ non dimitteret : et in funere suo aliena syndone inuolueretur . ad extremum inferebat . Ego si petiero : multos inueniam qui mihi tribuant . iste mendicans si a me non acceperit : quæ ei possum etiam de alieno tribuere : si mortuus fuerit : a quo eius anima requiretur ? Nolebat in hiis lapidibus effundere pecuniam : qui cum terra et sæculo transituri sunt : sed in uiuis lapidibus : qui uoluuntur super terram : de quibus in Apocalipsi Iohannis ciuitas regis magni extruitur . Exceptis festis diebus uix oleum in cibo accipiebat : ut ex hoc uno extimaretur : quid de uino et liquamine et piscibus et lacte ac melle et ouis et reliquis quæ gustu suauia sunt mendicaret : in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant : et si his uentrem ingurgitauerint tutam pudiciciam suspicantur . Noui Susurronem quendam quod genus hominum uel est quasi beniuolum nunciasse ut pro nimio feruore uirtutum quibusdam uideretur insana : et cerebrum illius diceret cunfouendum : Cui illa respondit : theatrum facti sumus mundo : et angelis et hominibus . Nos stulti pro || pter Christum : sed stultum dei sapientius est hominibus . Post uirorum monasterium quod uiris tradiderat gubernandum plures uirgines quas ex diuersis prouinciis congregauerat tam nobilis quam mediocris et infimi generis in tres turmas et monasteria hoc diuisit : Ita dumtaxat : ut in opere et in cibo seperatæ psalmis et orationibus iungerentur . Iurgantes inter se sermone leuissimo† federabat . lasciuientem adolescentularum carnem crebris et duplicatis frangebat ieiuniis : malens eis stomachum dolere quam mentem : dicens mundiciam corporis et uestium animæ esse immundiciam : et quod inter sæculi homines uel leue putatur uel nihil : in monasterio grauissimum dicebat esse delictum : Cumque aliis languentibus large præberet omnia : et esum quoque exhiberet carnium : si quando ipsa egrotasset sibi non indulgebat : et in eo inæqualis uidebatur : quod in aliis clæmentiam in se duritiam commutabat . Referam : quod expertus sum . mense Iulio feruentissimis æstibus incidit in ardorem febris : et post desperationem cum dei misericordia respirasset : et medici suaderent ob refectionem corporis uino opus esse tenui et paruo : ne aquam bibens in hydropem uerteretur : et ego clam beatum Papam Epiphanium rogarem : ut eam moneret : imo compelleret : uinum bibere : Illa ut erat prudens et sollertis ingenii statim sensit insidias : et surridens meum esse : quod ille diceret intimauit . Quid plura ? Cumque beatus pontifex post multa tormenta exisset foras : quærenti mihi quid egisset : respondit : mihi tantum profeci : ut seni homini persuaserit : ne bibam uinum . In luctu mitis erat : et suorum mortibus frangebatur maxime liberorum . Nam et in uiri et filiorum dormitione semper periclitata est : et cum os stomacumque signaret et matris dolorem crucis niteretur impressione lenire : superabat affectum et credulam mentem parentis uiscera consternebant : animoque uicto fragilitatem corporis uincebat . Scripturas sacras tenebat memoriter : et cum amaret hystoriam : et illud ueritatis diceret fundamentum : magnam sequebatur intelligentiam spiritualem : et hoc culmine efficationem animæ protegebat . Loquar et aliis : quod forsitan æmulis uideatur incredulum . Hebream linguam quam ego ab adolescentia multo labore et sudore ex parte didici : et infa | tigabili meditatione non desero : ne ab ea deserar : discere uoluit : et consecuta est ita : ut psalmos hebraice caneret : et sermonem absque ulla latinæ linguæ proprietate uel personaret : quod usque hodie iñ sancta filia eius Eustochio cernimus . Huc usque prosperis nauigauimus uentis : et crispantia maris .† æquora labens carina sulcauit . nunc in scopulos incurrit oratio . Quis enim posset siccis oculis Paulam narrare morientem ? Incidit in grauissimam ualitudinem imo quod optabat : inuenit : ut nos desereret : et domino plenius iungeretur . Quid diu differo : et dolorem meum in aliis immorando facio longiorem ? Sentiebat prudentissima fœminarum adesse mortem : et frigente iam parte corporis atque membrorum : solum animæ teporem in sacro et sancto pectore palpitare : et nihilominus

quasi ad suos pergeret : alienosque despiceret : illos uersiculos susurrabat : Domine dilexi decorem domus tuæ et locum habitationis gloriæ tuæ . Et quam dilecta tabernacula tua domine uirtutum Elegi abiectus esse in domo dei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum Cumque a me interrogaretur : cur taceret : cur nollet respondere : clamanti : an doleret aliquid : greco sermone respondit : Nihil se habere molestiæ : sed omnia quieta et tranquilla respicere . Post hæc obmutuit : et clausis oculis quasi humana despiceret usque ad expirationem animæ eosdem uersiculos repetebat : uix ut audirem quod dicebat : Quem monacorum latentium in heremo cellula sua tenuit : Quam uirginum cubiculorum secreta tenuerunt . Sacrilegium putabat : qui non tali fœminæ ultimum reddidisset officium : donec subter ecclesiam et iuxta specum domini conditetur . Venerabilis filia eius uirgo Eustochium quasi ablactata super matrem suam abstrahi a parente non poterat : deosculari oculos : herere uultui : totum corpus amplexari : et se cum matre uelle sepeliri . Testis est Iesus : ne unum quidem numum ab ea filiæ derelictum : sed magnum es alienum : et quod etiam difficilius est : fratrum et sororum immensam multitudinem quam et sustentare arduum : et abiicere impium est . Vale Paula : et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuua . Titulus sepulchri :

Scipio quam genuit Paulæ fure† parentes proles† .
Hic iacet in tumulo Paulam dixere priores ||
Gracorum soboles agamemnonis inclita proles .
Eustochii genitrix romani prima senatus .
Pauperiem Christi bethlemitica rura secuta est .
Despicis angustum præcisa rupe sepulchrum :
Hospitium paulæ est cælestia regna tenentis .
Fratrem cognatos Romam patriamque relinquens .
Diuitias sobolem . bethleemitico conditur Antro .
Hic præsepe tuum Christe : atque hic mystica magi
Munera portantes . hominique deoque dedere .

Dormiuit sancta Paula septimo calendas februarias tertia sabbati post solis occubitum . uixit in sancto proposito Romæ annos quinque Bethleem annos . xl . omne uitæ tempus impleuit annos . lvi . menses . viii . et dies . xxi .

PASSIO BEATISSIMI PANTALEONIS MARTYRIS .

Regnante impio Maximiano christianorum plurimi hanc uitam despicientes pro ea : quæ in domino est fide : et propter regnum domini nostri Iesu Christi . quidam in montibus se abscondebant : quidam autem in cauernis petrarum : ut absque malis pœnis de uita hac liberarentur . Alii uero in ciuitatibus a pessimis principibus torquebantur : et consumabantur in domino Iesu Christo . Certabat tunc sanctissima fides per patientiam suos athletas coronans . Hæc autem uictoria ad uitam ducit æternam . Impiissimus autem Maximianus certabat insaniens cum esset in Nicomedia . Christi athlæte contrario certabant . Venerabilis uero fides consumabat et coronabat usque in finem perseuerantes . In diebus illis senator erat quidam nomine Eustorgius habitans et ipse in Nicomedia ciuitate . Hic habebat filium nomine Pantaleonem . hunc erudiuit optime litteris : tradiditque eum archeatro cuidam nomine Euphrosino : qui omnem quæ erat circa regem custodiam gerebat in palatio . Hic accipiens Pantaleonem summe docebat medicinæ doctrinam : Et uidens rex et omnis senatus Pantaleonem : dixerunt ad Euphrosinum cuius est hæc speciositas pueri . puer autem erat talis : ut nullum hominum inuenires secundum speciem decoris eius a uestigiis pedum usque ad uerticem . Euphrosinus | dixit : filius est senatoris Eustorgii : mater autem eius dicitur Eubola . dedit eum mihi : ut discat disciplinam artis medicinæ . Rex autem et qui cum eo erant dicebant : Per salutem deorum dignus est iuuenis regi assistere : et conueniebat de die in diem ad magistrum suum : ut disceret omnem disciplinam artis medicinæ . Et rex iubebat admodum Euphrosino : ut summa diligentia doceret puerum : uolens eum habere Euphrosino successorem . Erat autem quidam senior

nomine Hermolaus : qui se absconderat in domo cum aliis duobus christianis : unde transitum habebat Pantaleon . Hunc uidens Hermolaus frequenter secundum consuetudinem et decorem et reuerentiam pueri cognouit per spiritum : quia uas electionis futurus erat secundum beatum paulum . Nemo eum aliquando suasit impudice attendere mulieri : aut in theatrum introire : aut ridere sine causa : sicut consuetudo cæteris iuuenibus : una autem die conuocans eum senior Hermolaus rogauit : ut introiret in domum eius : ubi absconsus erat : Et cum intrasset salutauit eum dicens : gaudeas iuuenis omni decore ornate : Et puer respondit : Gaudeas et tu senior omni decore digne : et senior fecit eum secum sedere : dixitque ei : Quis es tu filiole : et quæ sunt circa te : aut cuius disciplinam uel doctrinam discis? Et Pantaleon respondit : Filius sum senatoris Eustorgii nomine . matris autem Eubolæ quæ iam tempus habet : ex quo defuncta est . Et senior dixit : cuius sectæ consentis : Et puer respondit illi : Cum adhuc uiueret mater mea uoluit habere me secum . et pater prohibuit uolens me in palatio militare . Postquam autem mater mea defuncta est : pater meus ubi uoluit tradidit me . Et senior dixit : Quæ sunt : quæ discis a magistro tuo? Pantaleon respondit : Quæ disco hæc sunt . Aesculapii et Hippocratis Et præcepit mihi magister meus dicens : Quod si didiceris eorum disciplinam : eris curans hominum omnium infirmitates : Et senior dixit illi : fili nihil sunt Aesculapius et Hippocrates aut cæteri dii : quos colit rex . Consenti ergo mihi fili : et crede in Christo : per cuius inuocationem omnem infirmitatem sanabis . Ipse enim mortuos suscitauit : et cæcis uisum donauit . infirmos sanauit : cuius fimbriam mulier tetigit : et || fluxus sanguinis eius duodecim annorum cessauit . Aquam in uinum uertit : et multa mirabilia et inennarrabilia fecit : quorum non est numerus : et adest seruis suis : et liberat eos ex omni tribulatione eorum : et eis qui in eum credunt donat maiora horum facere . Pantaleon autem ut audiuit ut terra bona suscipiens sæmen fructificat secundum euangelium quoddam trigesimum : quoddam sexagesimum : quoddam uero centesimum . Ita et ille uerbum tenuit in semetipso ad fructificationem et salutem multorum : Et dixit : Domine si possibile est ut notum faciam archeato† quæ tu dicis . Hæc enim et a beata matre mea audiebam : et uidebam eam orantem : et inuocantem hunc Christum : quem tu prædicas . Et senior dixit illi : crede in eum : et eris hæc omnia faciens in hominibus . Nunquam autem discedit a seruis suis . Crede ergo in Christo et accipe baptismum cælestis gratiæ . De die autem in diem ibat Pantaleon ad præsbiterum : et confortabatur in fide : nec enim ibat domum nisi prius uidisset eum . Et sic est repletus gratia domini nostri Iesu Christi . una autem die dimissus Pantaleon a magistro suo ibat domum suam : Et declinans modicum de uia uidit puerum mortuum a uipera percussum : et serpens eum perimebat : et Pantaleon perculsus timore discessit modicum : Et in se rediens recordatus est uerbi senis : et rediit ad mortuum dicens : Nunc debeo cognoscere : si uera sunt : quæ ab Hermolao præsbytero dicuntur . Et aspiciens in cælum dixit : Domine Iesu Christe si dignus sum tua uocatione : et uis me seruum tuum esse : in nomine tuo surgat puer hic : Et statim surrexit puer : et serpens crepuit : et tunc fidei maiorem gratiam accepit et exclamauit uoce magna dicens . Benedico te domine Iesu Christe : quia dignatus es me inter seruos tuos annumerare . Veniens autem cum magno gaudio procidit ad pedes præsbyteri dicens : precor te famule christi : da mihi lauacrum immortalitatis . Ego autem cognoui hodie : quia non est alius deus præter dominum Iesum Christum : per quem mortui resurgunt : et narrauit ei omnia : quæ facta sunt : quomodo per inuocationem Christi puer a morte surrexit : et serpens crepuit . Respondit ei senior Fili ostende mihi mortuum serpentem . Et uadens Pantaleon ostendit ei . Videns autem præsbiter hæc : aspiciensque in cælum dixit : Domine Iesu Christe | gloria pietati tuæ gloria misericordiæ tuæ quia accelerasti famulo tuo Pantaleoni tua sacramenta : Et ierunt simul in domum : et facientes omnia secundum legem̃ ecclesiasticam dedit baptismum præsbiter Pantaleoni : et erat cum eo diebus septem . Octauo autem die abiit in domum suam : Et uidens eum pater suus dixit ei : ubi fuisti fili tot diebus : et fecisti me in tribulationibus esse? Respondit Pantaleon Hominem in multa infirmitate constitutum in palatio curauimus : et eo quod esset de optimatibus palatii et amicus regis permansimus ibi diebus septem : donec sanus factus est diligenter : Et credidit ei pater suus . sequenti autem die ibat ad magistrum suum : Qui cum uidisset eum : dixit ei : Dic mihi ubi fuisti tot dies . Pantaleon

respondit : Pater meus agrum comparauit : et misit me fines agri suscipere : et permansi ibi diebus septem : donec intrarem in terminos possessionis : Omni enim margarita pretiosior est possessio : quam possideo . Hæc autem dicebat per illuminationem baptismi : Audiens hæc Euphrosinus cessauit interrogare eum : et gloria Christi repletus Pantaleon et thesaurum fidei acquirens multa illi cura erat : ut patrem suum ad dei scientiam adduceret : Et per singulos dies per Parabolas loquebatur patri suo Christi uirtutes : idolorum uanam gloriam esse dicens : Pater ut quid ita Dii . quicumque eorum stat : semper stat : Et quicumque eorum sedet nunquam surgit . Et pater eius dixit : per meam salutem fili sermo quem requiris grauis est : et non possum tibi respondere : Et sanctus Pantaleon gaudio repletus dedit gloriam deo : quia per unum uerbum uocauit patrem suum ad scientiam ueritatis : Et pater eius ab illa hora dubitans erat circa deos suos : et iam non offerebat eis sacrificia . Habebat enim simulacra in domo sua : et Pantaleon uoluit ea confringere . Iterum reuertebatur dicens : ne forte contristem patrem meum : sed magis credat in dominum Iesum Christum : et sic communi consilio confringemus ea : Hæc cum cogitaret : adduxerunt quendam cæcum ad manum : et pulsantes ianuas interrogabant ubi esset medicus Pantaleon : et cum audissent : quia ibi esset : rogabant : ut exiret : et curaret cæcum . Audiens hæc Pantaleon cum multa festinatione exiit uidere eum assumpto patre suo secum : et || uidens Pantaleon cæcum dixit ei : Quid est : quod uis ? Et cæcus respondit : precor te : miserere mei : qui obscuratus dulcem non uideo lucem . Omnes enim medici in me operati sunt : et nihil mihi profuerunt : sed modicum luminis quod habebam abstulerunt : et nunc cæcus et mendicus remansi . Dicit ei Pantaleon : Si cæteris medicis substantiam tuam dedisti : mihi quid dabis : si lumen uidebis ? Respondit cædus† : et dixit ei : Partem quæ relicta est substantiæ meæ dabo eam tibi . Pantaleon dixit : Lucis donum dabit tibi per me Christus : et quæ mihi promisisti te daturum : pauperibus erroga . Et pater eius ad eum dixit . Recede fili ab homine isto : et da locum . Non enim poteris astutior esse illis medicis : qui ante eum curare noluerunt : Et Pantaleon respondit : curam quam ego præsto huic homini nemo cæterorum medicorum poterat præstare . Magister autem meus uerbo sanat eos : qui credunt in eum . Pater autem eius suspicabatur : quod de Euphrosino diceret . Tunc Pantaleon tenens cæcum : et consignans oculos eius dixit : In nomine domini nostri Iesu Christi qui illuminauit : quæ prius erant obscura : et sanauit : quæ contraria sunt : et collegit quæ dispersa sunt : et conuertit quod errauit : in eius uoluntate eris uidens lucem omnibus diebus uitæ tuæ : Et aliud lumen maius uidebis : si credideris in Christo : Et cum adhuc loqueretur : uidit cæcus : Et statim credidit pater eius cum eo : qui sanatus est . Et uidens Pantaleon retulit præsbitero : quanta fecit dominus per eum : Et erat multis diebus qui curatus est cum eo : Et ibat cum eo et cum patre eius ad sanctum præsbyterum : et qui confortans eos in fide dedit eis baptismum cælestis gratiæ . Non multo post defunctus est pater eius . substantiam uero eius quæ ei dimissa est in pauperibus expendebat . Nec non eis qui in carceribus uel tormentis erant propter nomen domini ministrabat : et curabat eos . cohoperabatur autem ei Christus in omnibus : et multam inuidiam sustinebat a medicis cæteris . Quadam autem die congregati medici stabant dicentes : hic est cæcus : quem nos sanare non potuimus : et quis eum curauit ? uocauerunt autem eum ad se : et dixerunt ei : Quis tibi curam fecit ? Et ille respondit : Pantaleon filius Eustorgii . Et me | dici dixerunt ad Euphrosinum : Nonne tuus discipulus est : Et iterum dixerunt : Per deos magni medici discipulus est . Tametsi ignorantes Christum laudabant : magnam tamen inuidiam habebant Pantaleoni : et quærebant occasionem aliquam inuenire aduersus eum . Per multum autem tempus obseruantes uiderunt quendam de confessoribus curari ab eo : et accusauerunt eum ad regem dicentes : Rex quem iussisti celerius discere artem medicinæ : uolens eum apud te habere : hic ambulat : et eos curat qui diis iniuriantur : uolens et ipse eadem sentire . Si autem uelociter eum non tuleris : multos auertet a diis : et in spiritu transferet : Et rogauerunt regem : ut uocaret : qui cæcus fuerat . Et iussit rex uocari eum : et interrogari qua arte sanatus fuisset . Et respondit ad eos : Christum inuocans Pantaleon signauit oculos meos : et in ipsa hora uidi . Rex autem dixit : tu uero quid dicis ? uirtute deorum sanatus es : an eius : qui dicitur Christus ? Qui sanatus fuerat dixit : Rex quos uides omnes medici multa in me fecerunt : et omnem substantiam meam tulerunt : sed et modicum lumi-

nis quod habebam amputauerunt . Quis ergo maior est Aesculapius qui a multis inuocatus est : et non me potuit sanare : an Christus qui a Pantaleone inuocatus est : et lumen mihi donauit ? Et rex dixit : uide noli esse stultus inuocans Christum : quia dii tibi donauerunt lumen : Et respondit ei : qui sanus factus est dicens : Tu nolli esse stultus . mihi autem Christus donauit duplex lumen per seruum suum Pantaleonem adaperiens oculos meos : et inluminans sensum animæ meæ . Dii autem tui non uident : et quomodo possunt alicui lumen donare ? Et respondit rex : per salutem deorum forsitan uera sunt : quæ mihi medici dixerunt : Et ipsa hora iussit eum duci : et decollari dicens : hic si uixerit : et alios auertet a diis . Postquam autem decollatus est : Pantaleon dedit pecuniam his : qui decollauerunt : et accepit corpus eius et sepeliuit eum ad patrem suum . Iussit autem rex uocari Pantaleonem : et cum duceretur psallebat dicens : Deus laudem meam ne taceas : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est . Locuti sunt aduersum me lingua dolosa et sermonibus odii cir || cundederunt me gratis . Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi : Et apposuerunt aduersum me mala pro bonis et odium pro dilectione mea . Adiuua me domine deus meus : et saluum me fac propter misericordiam tuam : ut induantur qui detrahunt mihi reuerentiam : et operiant se sicut diploide confusione sua . Seruus autem tuus lætabitur in te . Et introductus est Pantaleon ad regem . habebat autem oculos ad dominum : Et dixit ad eum rex : Dic mibi† Pantaleon si uera sunt : quæ audiui de te . Nonne ego præcepi magistro : ut cum diligentia te doceret : uolens te in regno meo propter pulchritudinem ætatis tuæ ? At ille respondit : Quæ sunt : quæ audisti de me ? Et rex dixit : Quæ enim audiui : non credidi . potest et fama mendax esse . Audiui enim : quod ambulas : et quos punimus propter incredulitatem eorum : eos curas : et necessarium præstas ad escam confitens et tu cum eis nomen Iesu . Et Pantaleon dixit repletus spiritu sancto : dii qui cælum et terram non fecerunt dispereant . Dic si mortuos suscitauerunt : aut cæcis lumen donauerunt : aut aliquem infirmum in lecto curauerunt : et credimus eis . si autem non : quid dicis rex ? Et rex dixit : Nunquid ille quem christiani colunt potest hoc facere ? Pantaleon respondit : Quem christiani colunt hoc facit . Iube ergo rex unum paralitycum afferri ex iis : qni† in ciuitate iacent : et ueniant qui inuocant deos uestros : et ego inuocabo Christum meum : et cognoscetis cuius inuocatio sanabit paralyticum : Et iussit paralyticum afferri rex de platea : et poni in medio : et dixit : Per deos bene dixisti fiat sic . Et certabant immundi sacerdotes una cum philosophis habentes uanam spem . Quidam autem eorum inuocabant Aesculapium quidam Hippocratem : alii Iouem : alii Dianam : alii Herculem et cæteros dæmones : quos putabant deos esse : et omnium eorum uana erat inuocatio . Et Pantaleon stabat expectans eorum uanum laborem : Et surridens dicebat : Clarius . inuocate clarius . forsitan dormiunt . Hinc uero postqui† nihil egerunt dixit rex : Faciat et Pantaleon inuocationem suam : at ille respiciens in cælum dixit : Domine exaudi orationem meam : et clamor meus ad te perueniat . Non auertas faciem tuam a me : in quacumque die inuocauero te : uelociter exaudi me : quia ad te animam | meam leuaui : Et ostendam malignis his immundis sacerdotibus : quia tu es : qui sanas sperantes in te . Et tenens manus paralytici erexit eum dicens : In nomine Iesu Christi esto sanus ab hac hora . Et statim surrexit infirmus : et abiit in domum suam sanus gaudens et laudans dominum . Multi autem ab illa hora crediderunt in nomine domini : et discesserunt a uanis idolis . Iterum immundi sacerdotes una cum medicis stridebant aduersus eum dentibus suis : et dicunt ad regem : Destructa est uirtus deorum . Quod si ei concesseris uitam : omnes auertet a diis nostris . Noli ergo ei credere rex . infirmus enim uirtute deorum surrexit . Et consentiens rex uerbis eorum dixit ad Pantaleonem : Consenti mihi : et sacrifica diis . an non uides quanti mortui sunt propter eum ? Pantaleon respondit : Qui propter Christum moriuntur : uiuunt in æternum : quia propter eum mortui sunt . Rex dixit : Cessa Pantaleon inuocare Christum : et miserere tuæ iuuentuti . accede : et sacrifica . Sicut uideo enim multæ et magnæ te pœne expectant : si perseueraueris in hac incredulitate . Pantaleon dixit : Rex quas dicis pœnas celerius mihi infer . Ego enim paratus sum sustinere propter Christum meum . Maximianus tyramnus dixit : Nosti quanta passus est ante dies Antimus presbyter ? Pantaleon respondit : Scis ergo quanta sustinuit ille senex : et non claudicauit in fide : sed prompto animo tradidit tremulum corpus confortatus in fide . quanto magis nos nouelli ætate debemus promptiores

accedere ad fidem : ut digni efficiamur coronam incorruptibilem accipere . Videns autem rex eius constantiam : iussit eum suspendi : et ad ungulas mitti : et lampadas accendi : et ad latera eius poni . Respiciens Pantaleon in cælum uiriliter dolores sufferebat dicens : Domine Iesu Christe qui ad sanandum infirmum affuisti mihi : ita et in pœnis subueni : ut possim perfecte certare : Et apparuit ei Christus in specie Hermolai præsbyteri : et ait ei : Noli trepidare fortissime athleta meus . ego enim tecum sum in omnibus . Et statim manus quæstionariorum dissolutæ sunt : et lampades extinctæ . Videns autem Maximianus : quod factum est : dixit Pantaleoni Quæ est ars magiæ tuæ : ut et lampadas || extinguas : et tortores in defectionem constituas . respondit Pantaleon : mea uirtus Christus est . qui lampadas extinxit : et ministros tuos in defectionem constituit . Maximianus tyramnus dixit : Si ergo maiores pœnas intulero tibi : tunc sacrificabis . Pantaleon respondit : Si tu mihi maiores pœnas intuleris : et Christus mihi maiorem uirtutem donabit . Tunc rex iussit afferri sartaginem ferream : et mitti in eam plumbum : Et cum solutum fuisset plumbum : iussit ut mitterent ibidem iustum : et sic eum punirent : Et cum feruens esset sartago : iussit exhiberi sanctum : et mitti in eam . Respiciens Pantaleon dixit : Exaudi domine uocem meam : quam precor a timore inimici eripe animam meam . protege me a conuentu malignantium et a multitudine operantium iniquitatem : Quia exacuerunt ut gladium linguas suas . Et cum orasset : apparuit ei angelus domini : et intrauit cum eo in sartaginem : et statim ignis extinctus est : et plumbum refrigerauit et sanctus dei psallebat dicens : Ego ad deum clamauit† : et dominus exaudiuit me . uespere mane et meridie narrabo et pronunciabo : et exaudiet uocem meam : liberauit in pace animam meam : quia inter multos erat mecum . astantes autem omnes ualde mirabantur in uisione . Tyramnus uero dixit : Quid uult esse hoc : quia et ignem extinxit : et plumbum frigidum fecit ? Qua ergo pœna puniemus eum ? Astantes dixerunt : Rex in profundum maris proiiciatur . nunquid et mare potest euadere ? Et accipientes eum ministri confusionis duxerunt ad mare : Et rex sequebatur eos : ut uideret quid proueniret : Et accipientes lapidem magnum alligauerunt ei ad collum : et adducentes eum stadia triginta proiecerunt in pellagus : Et apparuit ei Christus in specie Hermolai præsbiteri : et increpuit mare : et mare diuino timore prohibitum super undas eum portabat : et lapis tanquam folium natabat : et sanctus Pantaleon a Christo ducebatur ad manum : et adductus ad terram psallebat : et glorificans deum dicebat : Confiteor tibi domine in toto corde meo : narrabo omnia mirabilia tua . Lætabor : et exultabo in te : et psallam nomini tuo altissime . In conuertendo inimicos meos retrorsum infirmabuntur : et peribunt a facie tua : Quia fecisti iudicium meum et causam meam sedens super | thronum : qui iudicas æquitatem : et dominus in æternum manet . Et cum uenisset ad ripam : dicit ei rex : Pantaleon magiæ tuæ et mare uicerunt . Pantaleon respondit : Non ego sed qui mecum est Christus : quem tu non uides : quia non es dignus . Rex autem insania repletus iussit omnes bestias colligi : ut per ipsas consumeret iustum : Et dicit ei rex : uides bestias : quæ propter te paratæ sunt ? Consenti ergo mihi : et sacrifica diis . Miserere tuæ pulchritudini : ut non moriaris : sicut qui ante te perierunt et sicut stultæ mulieres . Pantaleon respondit : Omni errore replete : cum mihi uis formidinem inferre : fortiorem me constituis . Ille autem mulieres quas dicis omnes adinuentiones tuas uicerunt per nomen domini : Quanto magis et ego ut tali condecorer corona . Qui enim lampadas tuas extinxit : et ministros tuos dissoluit : et plumbum tuum frigidum fecit : et mare infrænauit : ipse et feroces bestias mitigabit : ut per tuam insaniam cruciatus moriaris . Hæc audiens rex iussit eum adduci in harenam : et omnis ciuitas cucurrit ad spectaculum : sedensque rex iussit exhiberi sanctum : Et apparuit ei Christus in specie presbyteri dicens : Pantaleon bone quia in paucis fuisti fidelis : in multis te constituam : Et iussit rex dimitti omnes bestias et circundederunt beatum : sed leones pedibus eius prouoluti se sternebant . cætere autem feræ semetipsas consumebant : certantesque prius uenire ad pedes eius : et sic discesserunt propria uoce benedicentes deum : Et omnis populus exclamauit una uoce dicens : Magnus est deus christianorum . dimittite iustum : Et occidit rex illo die ex eis qui clamabant mille homines : Et bestiis proiiciebantur corpora eorum : et non ea tangebant : Et iussit simul cum eis bestias occidi . Iustus autem erat glorificans deum : et dicens : Gloria tibi domine Iesu Christe in magnis mirabilibus tuis : quia non solum hominum genus propter tuum amorem moritur sed et muta animalia elegerunt mori

magis : quam tangere aliquem de seruis tuis . Christiani autem tulerunt corpora eorum : qui occisi sunt : et sepelierunt occulte . Tunc tyramnus iussit fodere foueam magnam : et ibi mitti bestias simul cum hominibus : Et ait rex ad eos : qui circa eum stabant : Quid faciemus huic puero : qui per magiam || plurimum populum auertit a diis : Et dixerunt ei : iube rotam fieri magnam : et tolli in altum montem : et ligari eum in rotam : et dimitti dehorsum de monte : et sic malis pœnis carnes eius dissipentur : et reddat spiritum . Rex autem iussit sanctum duci in carcerem : donec fabricata est rota in theatro : Et iussit rex : ut annunciarent præcones in ciuitate : ut congregarentur omnes : et expectarent perditionem Pantaleonis : Vt quicumque crederent in Christum : pœniteant : et conuertantur ad deos . Iussit autem adduci Pantaleonem : et cum duceretur Christi martyr psallebat dicens : inclina domine aurem tuam ad me : et exaudi me : quoniam egenus et pauper sum ego . Custodi animam meam : quoniam sanctus es . saluum fac seruum tuum deus meus sperantem in te . Miserere mei domine : quoniam ad te clamaui tota die . Lætifica animam serui tui : quia ad te domine animam meam leuaui . Quoniam tu domine suauis ac mitis es et multum misericors inuocantibus te . Auribus infige domine orationem meam . in die tribulationis meæ clamaui ad te : quoniam exaudisti me : quoniam tu domine adiuuisti me : et consolatus es me : Et post orationem ducentes alligauerunt eum in rota . statim uero ruptæ sunt ligaturæ : et rota dissoluta est : et sanctus stabat illæsus : et deducebatur a Christo : Et rota recurrens occidit animas gentiles quingentas : Et factus est timor magnus super omnes . Rex autem compræhensus cogens iustum dixit ei : Vsquequo hæc facies : ut eos qui uiuunt auertas a diis : et reliquos mortifices ? Beatus Pantaleon respondit : ignominiose et inimice fili diaboli bene dixit de uobis propheta : Conuertatur dolor eorum in caput eorum : et in uerticem eorum iniquitas ipsorum descendat . Maximianus tyramnus dixit : Quis est : qui te docuit hæc omnia miserabilis ? Pantaleon respondit : Dominus meus Hermolaus presbyter . Rex dixit : Possum eum uidere : ut et ego discam ab eo ? Dicebat autem dolo . Pantaleon respondit : Si iubes rex uadam : et adducam eum : Et iussit rex : ut iret cum eis : qui eum custodiebant : Et abiit pantaleon : et intrauit in cellulam : ubi se presbyter absconderat : et uidens eum dixit : Domine pater uocat te rex : et presbyter dixit : Bene fili . uenit enim tempus meum . In | hac autem nocte astitit mihi dominus Christus : et dixit mihi Hermolae oportet te multa certare sicut et seruus meus Pantaleon : Et ibat cum eo gaudens : et cum inductus fuisset ad regem : dixit ei rex : Quod nomen habes ? Presbyter respondit : Domine cognomen christianus : secundum parentes uero Hermolaus . Rex dixit : Habes alios aliquos tecum ? presbyter respondit : Hermitus et Hermogrates et ipsi christiani sunt . Rex dixit : Vocentur et illi : et cum introducti essent : dixit eis rex : Vos estis : qui Pantaleonem apostatare fecistis a diis ? Et dicunt ei : Dignos sibi ad se uocat Christus . Rex dixit : Suadete ei : ut sacrificet : et eritis mihi amici carissimi : Et responderunt : Oramus deum : ut et tu credas : et nos in quo credimus : in ipso consumamur . Et cum starent : et orarent ipsi quattuor : apparuit eis Christus : et statim commotus est locus . ubi stabant : et dixit eis rex uidetis quia dii irati sunt : et commouent terram . Pantaleon respondit : Bene dixisti . Si ergo terra commota est : dii tui cadentes in terra comminuti sunt . quid dicis rex ? Et cum hæc diceret Pantaleon : uenit quidam nunciare regi : quia cadentes dii contriti sunt : Et audiens rex dixit : Hos nisi celerius exterminauero : incipient rebellare se aduersus deos meos : Et iussit Pantaleonem in carcerem mitti : Illos uero tres multum torquens iussit decollari : Et cum orarent amputata sunt capita eorum . Et tollentes corpora eorum christiani sepelierunt eos . Post hæc autem iussit adduci Pantaleonem : et dixit ei : Ne speres : quia uiuus effugias manus meas : si non sacrificaueris diis . Pantaleon respondit : Non habeo opus respondere de hoc sermone . Rex dixit : Ecce magistri tui sacrificauerunt diis : et facti sunt maiores in palatio meo . Pantaleon respondit : iube ergo rex ut uideam illos : et cum illis sim in æterno tempore in cælesti palatio : Et rex dixit : Necessitas mihi facta est . in aliam ciuitatem transmisi eos : et ibi sunt constituti . Pantaleon respondit : Bene impiissime canis uolens mentiri ueritatem locutus es . Sunt enim in cælesti ciuitate Christi constituti . Rex autem iratus torquens eum fortiter iussit decollari : et comburi corpus eius . Ibat autem sanctus dei laudans deum : et dicens : Sæpe expugnauerunt || me a iuuentute mea : dicat nunc israel : sæpe expugnauerunt me a iuuentute : et enim

non potuerunt mihi . supra dorsum meum fabricauerunt peccatores . Prolongauerunt iniquitatem suam : dominus iustus concidet ceruices peccatorum : Et colligentes eum milites foras ciuitatem alligauerunt ad nouellam oliuæ : et accedens unus de militibus percussit eum gladio : et ferrum sicut cera duplicatum est : et non tetigit iustum . Videntes autem milites . quod factum est : dicebant ad inuicem . Vere magna est uirtus Christi : Et procidentes in faciem ad pedes eius dicebant : precamur te famule Christi . ora pro nobis : ut et nos credamus in christo : Et aspiciens in cælum sanctus Pantaleon dixit : Deus meus comple desyderium meum in loco hoc : et uiris istis remissionem peccatorum dona : et da illis partem in regno tuo : et facta est illi uox de cælo dicens : completum est desyderium tuum . aperti sunt tibi cæli : et gratia sanitatum tibi donata est : Et iam non uocaberis Pantaleon : sed Pantalimon erit nomen tuum . hoc est misericors : Propter quod multis eris misericordiam præbens : et sanans eos : Et conuocans milites beatus Pantalimon iussit se percuti : et uiri nolebant . Tunc sanctus Pantalimon dixit eis : Nisi feceritis : non habebitis partem mecum : et hæc audientes milites adorauerunt eum : Et osculati sunt omne membrum eius : et sic decollauerunt eum : Et corpus eius apparuit sicut nix . Pro sanguine autem lac cucurrit : et plantula oliuæ repleta est fructu . Multitudo autem Nicomediæ cum uidissent : quia pro sanguine lac cucurrit de sancto corpore : et plantula fructu repleta est : uoce magna gloriam deo dixerunt : et multi in domino crediderunt . Audiens autem tyramnus omnia : quæ facta sunt : iussit arbusculum excidi : ut ex eo combureret corpus beatum . Venientes autem milites fecerunt sicut iussit : et tamen apponentes ignem ad sanctum corpus : diuisus est ignis in duas partes : Et illæsum eum aspicentes† glorificabant deum et coronam quam sanctus martyr cælestis gratiæ a patre et domino nostro Iesu Christo meruit : et sepelierunt eum in eodem loco : ubi decollatus est . Acta sunt autem hæc in Nicomedia ciuitate sub Maximiano tyramno quarto iduum iuniarum Regnante uerum domino no | stro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

VITA SANCTAE PRAXEDIS VIRGINIS .

Ad uenerabilem uirginem praxedem propter germanæ suæ Pudentianæ obitum multi nobiles christiani ueniebant eamque consolabantur cum sancto Pio episcopo . Veniebat quoque ad eam germanus Nouatus qui est frater noster in domino : et eonsolabatur† eam : multosque christianos pauperes donis suis reficiebat : et de facultatibus propriis in honore sancte uirginis Praxedis omnibus ministrabat . Rogans et petens ab ea : ut orationibus eius indulgentiam a domino mereretur . Qui nos freqnenter† cum beatissimo Pio episcopo ad altare domini commemorabat . Post annum uero et dies uiginti et octo ægritudine detentus est Nouatus . aberatque a conspectu beatæ uirginis praxedis . Requiritur Nouatus uir dei : et cum auditum fuisset ægritudine detineri : contristati omnes sumus . Beata Praxedis dixit ad patrem nostrum sanctum Pium Episcopum . Iubeat sanctimonium uestrum : ut eamus ad eum : et tum uisitatione tum orationibus uestris saluabit eum dominus . Et facta constitutione noctu una cum Pio episcopo et uirgine domini Praxede pereximus ad uirum dei Nouatum . quod ubi uidisset uir dei omnes congregatos ad se uenisse : gratias deo egit : quia meruit a sancto Pio episcopo et uirgine domini una cum nostra deuotione uisitari . Et fuimus in domo eius diebus ac noctibus octo . Cum uero ibi essemus placuit ei ut uobis una cum beato† uirgine Praxede omnem rem suam derelinqueret . Quia uero tertiodecimo die transiuit fidelis ad dominum : de quo facto nos litteras huius textus ad uos direximus : Vna cum beato Pio episcopo sanctæ sedis apostolicæ et uirgine Praxede in domino : ut quid tibi placuerit de substantia germani tui Nouati facias ut tua ordinatio in omnibus custodiatur . Missa per Eusebium ecclesiæ romanæ subdiaconum . Rescripta Thymothei presbiteri urbis Romæ . Thymotheus presbyter : sancto fratri pasto || ri presbytero et sanctissimæ sorori Praxedi in domino salutem . Nos ad famulatum in omnibus præuenientes oramus sanctimonium uestrum : ut nos humiles uestro rogatu memoriæ sanctorum apostolorum : et sancto Pio sanctæ sedis apostolicæ præsuli : et omnibus sanctis commendare dignemini . Ego uestro

gaudio repletus sum . Hoc audiens quod mihi scribere dignatus es . mea notitia fuit et est conscientia : Vnum cognoscat sanctitas uestra : ut quod germano meo Nouato placuit et nobis famulis uestris hoc placet : ut in arbitrio tuo sit : quod sanctæ uirgini et quod mihi dereliquit . quidquid uobis et sanctæ uirgini placuerit : uoto meo habeat potestatem . Accepta hac epistola gaudio repleti sumus : et tradidimus eam legendam sancto Pio episcopo . ille uero deo omnipotenti egit gratias . eo tempore uirgo domini praxedis accepta potestate rogauit Pium episcopum : Vt in thermis Nouati quæ iam in usu non erant ecclesia dedicaretur : quia ædificium in eisdem magnum et speciosum esse uidebatur : quod et Pio episcopo placuit dedicauitque ecclesiam in thermas Nouati in nomine beatæ uirginis praxedis Romæ in uico lateranensi : ubi constituit titulum romanum : et in quo loco baptisteria consecrauit die tertio idus maias . Post annos duos et dies decem et octo facta est persecutio magna christianorum : ut traherentur ad ydolorum culturam . et multi martyrio coronarentur . uirgo itaque domini praxedis feruens in spiritu sancto multos occultabat christianos : quos et cibo et uerbo spiritus sancti pascebat : Relatum est deinde Antonio imperatori conuentum fieret in titulo praxedis fieri : quare multos tenuit : quos inter Sinmetrium presbyterum : cum aliis uiginti duobus : quos sine audientia punire in eodem titulo præcepit . horum corpora noctu beata praxedis collegit : et sepeliuit in cimiterio Priscillæ die septimo calendas iulias . exinde afflictione constricta beata praxedis ingemuit : et orauit ad dominum : ut ex hoc mundo transiret : Cuius orationes et lachrimæ ad dominum Iesum Christum peruenerunt . post dies trigintaquattuor post martyrum supradictorum coronam ad dominum migrauit uirgo sacra die duodecimo calendas Augustas : Cuius corpus ego Pastor pre | sbiter iuxta patrem suum in cimiterio uia Salaria Prisscillæ† sepeliui : Vbi hodie orationes sanctorum florent . Amen .

EPISTOLA BEATI DIONISII ARIOPAGITE DE MORTE APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI AD THYMOTEVM .

Saluto te dominum discipulum et filium spirituallem ueri patris et boni amatoris : qui consumasti uoluntatem magistri tui : et substinuisti cum eo tribulationes et omnes passiones : et perpessus es omnes agones et flagella . Recepisti etiam cum eo famem et sitim et suscepisti omnia obprobria et contemptus et cruciatus et irrogationes : et uenumdatus cum eo fuisti : in laboribus omni tempore et afflictionibus cum dolore et amaritudine : in perturbationibus et temptationibus et diligentia portasti inuictum ministerium : in abstinenciis uigiliis et orattionibus† et gratiis : in fortitudine et agone : in peregrinationibus cum eo contemptus et flagellatus : odio habitus : et abiectus ab inimicis et amicis . Nunquam ab obedientiam piger fuisti nec ad obsequium spiritualis magistri tui : exacerbatus et tractus per uicos flagellatus et dillaceratus : confractus et conuiciatus in omni loco cum eo . Naufragium passus in mari cum eo conturbatus in nauibus : uulneratus in ciuitatibus : in angustia et contumeliis conuiciis et obprobriis in carceribus die et nocte cum eo : in uinculis et uectibus in manicis ferreis : in tribulationibus comitatus cum . Et non solum hæc sed grauiora et innumerabilia tormenta et agones passus es cum eo : qui fuit pater patrum . doctor doctorum et pastor pastorum : Qui curcifixus† fuit mundo : et domini nostri Iesu christi in corpore suo stygmata portauit . Abyssum sapientiæ fistulam altissonam prædicatorem ueritatis infatigabilem : Paulum dico nobilissimum apostolum Qui ecclesias illuminauit : confirmauit christianos : et confregit portas peccati rhumphea bis acuta . Fugauit gentiles deiecit templa idolorum : et dirruit aras : et confregit idola abominabilia : et destruxit altaria eorum : deiecit et humiliauit habitacula dæmonum : et cessare fecit solempnitates et obsequia eo || rum . Hic uere terrestris angelus et homo cælestis : imago et similitudo diuinitatis : credentium gloria . Amicus pœnitentium : generis sui aduocatus : dilectus et desyderatus a gentibus dispersionis . hostis fuit Iudæorum : odio habitus a phariseis . dissipator synagogæ eorum : ædificator ecclasiæ† sanctorum et instans in sollicitudine spirituali . Scutum fidei : minister Christi : præco euangelii eius : os diuinum et lingua spiritualis . Scrutator diuinorum

eloquiorum : inquisitor perditorum : pater pupillorum et studiosus iudex uiduarum : confortator debilium : fortitudo confractorum . Nauis ornata uelis oppugnans fluctibus furibundis : naucleras industrius in sapientia spirituali : disponens bene omnia affectuose desyderans inuariabilem unitatem : Inimicus hæreticorum et mente corruptorum : pater diligens et pastor optimus : magister optimus et dulcis et spiritualis doctor . Hic sanctus artifex gloriosus architectus et studiosus pugil : sanctus et dignissimus et deiformis spiritus omnes nos dereliquit : nos inquam inopes et indignos in hoc mundo contemptibili et maligno : et ingressus est ad Christum deum suum et dominum et amicum . Heu frater mi dilecte animæ meæ ubi est spiritualis pater tuus bone discipulæ magistri amator ? Vnde ulterius salutabit te ? De mari aut de arida de Galatia aut de Hyspania ? Ab Asia aut a Coryntho ? Ecce enim orphanus factus es : et remansisti solus . Cessauit : et consumatus est cursus tuus : quem faciebas cum spirituali patre tuo : uel quo ad eum festinus accedebas . Et iam nequaquam scribet tibi manu sua sanctissima : dicens fili carissime : Sed nec ad te mittet ulterius uocando : festina uenire ad me : expecto enim te in tali et tali ciuitate . O carissime frater Thymothee perfecisti : quod mihi scripsisti : et dixisti . Si audisti : ubi est magister meus : notifica mihi : ut uadam ad eum . Hodie completum est quod dominus discipulis suis dixit : quoniam desyderabitis unam horam magistri : et minime uidebitis : Væ mihi frater Thimothee . Quid hoc accidit nobis tristiciæ et tenebrarum et damni : quia orphanati sumus ? Quis dabit oculis nostris aquas : et pupillis nostris fontes lachrymarum | ut ploremus die et nocte lumen ecclesiarum : quia extinctum est ? Complica frater libros prophetarum : et signa super eos : quia neminem habemus interpretem parabolarum et paradigmatum et eloquiorum ipsorum : et dicamus et nos cum Amos propheta : Pasco ego in locis desertis et in pascuis : ubi non sunt pascua . Vbi sunt lamentationes Hieremiæ prophptæ† dicentis : cor meum conturbatum est ab afflictione et gemitu : et non est mihi consolatio et requies ? Væ mihi frater mi Thymothee Iam non uenient ad te epistolæ eius : in quibus scriptum sit : Paulus modicus seruus Iesu Christi : et iam non scribet de te ibi ulterius ciuitatibus dicens : Suscipite filium meum dilectum Thymotheum . Væ mihi frater . uæ mihi . quis non induet flætum et gemitum : Aut quis non uestietur lugubribus : et mente attonitus non obstupescet ? O frater carissime spiritalis sacerdos : minister Christi et ecclesiæ induere cyliciis et lamento : quia uox in rhama audita est ploratus et hululatus . Et non tantum ploratus et hululatus : sed mortis et orphanitatis . Hæ duæ plagæ terribiles et amare in die una nobis uenerunt : et completum est in nobis dictum Iacob patriarchæ : dum Ioseph adhuc perditus esset : et Symeon non rediret . Ecce et enim Petrus fundamentum ecclesiarum et gloria sanctorum apostolorum recessit a nobis orphanos dereliquit . Paulus quoque gentium familiaris consolator parentum defecit nobis : et ulterius non inuenitur . Et completum est in uos† uerbum Dauid dicentis : posuerunt morticina seruorum tuorum escas uolatilibus cæli et carnes sanctorum tuorum bestiis terræ . Vbi est cursus Pauli et labor sanctorum pedum eius : Euaserunt enim uincula et carceres : et ligno constricta et uecte . Sed nec manus eius industriæ tradentur amodo alligari uinculis ferreis . Vbi est os loquens : et lingua consulens : et spiritus beneplacens deo suo ? O frater mi Thymothee sollemnizemus pro eo : qui non eget orationis patrocinio . Quis non ploret et ululet ? Nam qui meruerunt gloriam et honorem apud deum : tanquam malefactores traduntur in mortem . O frater mi Thymothee si uidisses agones consumationis eorum : defecisses quidem præ tristitia et dolore . Quoniam autem non interfuisti : facile tibi ui || detur opus agonis ipsorum . Quis non flæret hora illa : quando præceptum sententiæ egressum in eos est : ut Petrus silicet crucifigeretur : et Paulus decollaretur ? Vidisses utique tunc turbas Iudæorum et gentilium multitudines percutientes eos : illudentes eis : et spuentes in facies eorum : Ipsi uero quieti et tranquilli extiterunt sicut agni innocentes et mansueti . Adueniente autem terribili tempore consumationis eorum : cum seperarentur ab inuicem : ligauerunt columnas mundi : non utique absque fratrum gemitu et ploratu . Tunc inquit Paulus Petro : Pax tecum fundamentum ecclesiarum et pastor ouium et agnorum Christi . Petrus autem ad Paulum inquit : Vade inquit in pace prædicator bonorum mediator et dux salutis iustorum . Cum autem elongassent eos ab inuicem : secutus sum magistrum meum Paulum : Non enim in eodem uico occiderunt eos . In hora autem illa tristiciæ plena frater mi

dilecte dicente carnifice Paulo collum parare : tunc beatus apostolus suspexit in cælum : muniens frontem et pectus suum signo crucis : et dixit Domine mi Iesu Christe in manus tuas commendo spiritum meum . Et tunc absque tristicia et compulsione extendit collum : et suscepit coronam . Væ mihi : quoniam in illa hora intuitus sum corpus sanctum sanguine innocenti cruentum . Heu mihi pater mi spiritualis et magister et doctor . Non quidem reus tali morte extitisti . Nunc ergo quo ibo te quærere : gloria christianorum et laus ? Quis conticescere fecit uocem tuam fistula altissona plectrum psalterii decachordi ? Vbi te quæram instructor meus ? Vbi te quæram ac inueniam ? O dux uere quid dicam discipulis tuis ? Dicam ne te captum aut uinculatum ? Aut quis eorum utilis erit tibi et mittam eum ad te ? Sed de cætero nemine nostrum indiges aut aliorum . Nam introisti ad deum tuum et dominum : quem desyderasti et toto affectu concupisti : uæ mihi : quoniam manus illas innocentes cathenis duplicibus in Hierusalem ligatas : in Roma dissoluerunt . Dauid propheta plangebat Absalon filium suum et dicebat : Væ mihi pro te fili mi . Væ mihi : Ego autem uæ mihi pro te magister : uere uæ mihi . Amodo cessauit et defcit† conuersus discipulorum tuorum Romam uenientium et quærentium uos . Iam nemo dicturus est : eamus : et | uideamus doctores et interrogemus eos qualiter regere nos oporteat ecclesias nobis commissas : et interpretabuntur nobis præcepta domini nostri Iesu Christi et eloquia prophetarum Hierusalem .† et Roma praua amicitia æquales factæ sunt in malo . Hierusalem crucifixit dominum Iesum Christum : Roma uero apostolos eius interemit . Hierusalem autem seruit ei : quem crucifixit . Roma autem sollemnizando glorificat : quos interemit . Attende miraculum : uide prodigium frater mi dilecte die uictimationis illorum : Nam presto fui in tempore seperationis illorum . Post mortem autem illorum uidi eos inuicem manu ad manum intrantes portas urbis : et indutos ueste luminis et coronis claritatis et lucis ornatos . Non autem ego solus uidi : sed Lemobia pedisequa Serte regis quæ discipula erat Pauli . Et cum duceretur ad mortem martyrii Paulus et egrederetur ex urbe occurrit ei pedissequa illa flens cum lamento : Tunc dixit ei Paulus . Noli flere : sed da mihi uelum quo operitur caput tuum : et statim tibi restituam . Percutiente autem carnifice et amputante Pauli caput : tunc beatissimus in ipso ictu explicuit uelum : et collegit sanguinem proprium in uelo : ligauitque uelum et obuoluit et tradidit illi fœminæ . Et conuerso carnifici militi dixit sancta Lemobia . Vbi dimisisti magistrum meum Paulum ? Respondit miles . Cum sotio enim iacet ibi extra urbem in ualle pugilum : et uello tuo uellata est facies eius . Ipsa autem respondens ait . Ecce nunc intrauerunt Petrus et Paulus induti ueste preclara : et coronas fulgentes luce radiantes habebant in capitibus suis . Et protulit uelum sanguine cruentatum : et monstrauit eis . Propter quod opus quamplures crediderunt in domino : et facti sunt christiani . Et nunc frater mi Thimotee : quos dilexisti et toto corde desyderabas : Saul dico regem et Ionatam filium eius : in uita sua non sunt seperati nec in morte . Et ego etiam non sum seperatus a domino magistro meo : nisi cum nos seperauerunt homines iniqui et pessimi . et seperatio hæc huius ore non erit semper . Annua† eius cognoscit dilectos etiam sine hoc quod ei loquantur : qui tunc elongati sunt . In die autem resurrectionis iactura magna esset sepe || rari ab eis . Sed uere uæ hiis filiis frater mi : qui priuati sunt patre spirituali : quibus priuatus est grex : Et nobis etiam frater uæ : qui priuati sumus magistris nostris spiritualibus : qui collegerunt intellectum et scientiam ueteris ac nouæ legis : et colligauerunt in suis epistolis : Ex quibus unus dicebat : Si in ecclesia non fuerit : qui interprætetur : qui legit lector sileat . Et nunc frater dilecte et amice spiritus mei Thymothee festina rogare dominum oratione et ieiunio uigiliis et laboribus : ut donet tibi dei gratiam magistri tui : sicut donauit Heliseo discipulo Heliæ : quando perdurauit cum eo : et non recessit ab eo quandiu subleuauit eum in alto ab eo deus . Substinebit enim malicias impiorum : et eos qui ex inuidia loquebantur ei dicentes : Ecce discipulus pseudo prophetæ et transgressoris legis . Hæc audiuit : et in nullo diffusus est a magistro suo . Et propter hoc adeptus est : quod petebat geminum spiritum . Et quamuis multos haberet Paulus discipulos : in nullo tamen requieuit spiritus eius sicut in te : qui substinuisti cum eo temptationes et tribulationes : quas perpessus es cum lætifico affectu . Vere tu solus dignus es : carismata talia adipisci . Notum sit tibi insuper : quoniam gloriosum Petrum deposuerunt de ligno : et caput eius corpori adhærebat .

Cum autem Paulum decollauerunt : caput eius seperauerunt a corpore : proiicientes in uallem seperatim a corpore : Et præ multitudine occisorum qui interfecti fuerunt in illa die : disparuit : et non fuit inuentum inter interfectos caput sancti Pauli in illa ualle . christiani autem omnes sciebant : quod caput sancti Pauli non erat inuentum . Post multum autem temporis mandauit rex mundari fossam . Et cum mundaretur : proiectum est caput sancti Pauli cum aliis purgamentis . Quidam autem pastor iuxta locum iter faciens leuauit illud in uirga sua : et fixit iuxta caulas ouium suarum . Vidit autem in eadem nocte super caput illud lucem et gloriam ineffabilem : et hoc per tres noctes continuas uidit . Et tunc ingressus urbem significauit domino suo quod uiderat . Egressus autem dominus eius uidit ut pastor uiderat : Et cum festinatione nunciauit Fabellio patriarchæ romano et omnibus presbyteris et principibus populi : | Et egressi multi uiderunt : et dixerunt inuicem . Vere hoc est caput Pauli . Egressus autem patriarcha cum turbarum multitudine portauerunt illud super mensam auream : et attentabant ponere cum corpore Pauli : sed patriarcha prohibuit dicens : Nos scimus : quod multi fideles occisi sunt in hac urbe : et dispersa sunt in tempore illo membra eorum a gentibus : et non sunt iuncta : Vnde non audeo alterius caput corpori sancti pauli adiungere : Sed exponamus corpus sancti Pauli : et ponamus caput ad pedes corporis : orantes et petentes misericordiam dei : ut si caput hoc abscissum est ab hoc corpore : conuertatur corpus : et iungatur capiti . Et firmata est sententia hæc ad arbitrium patriarchæ : et hoc ideo quia in ea nil dubietatis aut hæsitationis occurrere poterat Et fecerunt : ut dixerat patriarcha : Et dum oraret : uersum est corpus : et adhesit capiti et coniunctum est in iunctura colli in locum suum et omnes qui uiderunt admirati sunt . dantes gloriam deo : Et sciuerunt : quod corpus erat Pauli immaculati : qui fuit seruus et apostolus domini nostri Iesu Christi : quem decet gloria laus et cultus cum patre et spiritu sancto nunc et semper : et in sæcula sæculorum .

ACTVS ET PASSIONES EORVMDEM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI .

Licet plurima de apostolicis signis sacra euangeliorum uel illa : quæ ab ipsis actibus nomen accepit : narrat hystoria : tamen uobis insinuem : ut retractatis exemplaribus ac uoluminibus de uniuscuiusque uirtutibus quantum inuenire possumus libros singulos conscribamus : ut cuicumque delectatio fuerit inquirendi quid ille aut ille proprium gessit apostolus : singilatim reperiatur in singulis . Illud etiam placuit : ut his uirtutibus passionum hystoriæ connectantur . Nam de multis apostolis nihil ad nos aliud præter ipsarum passionum monimenta uenerunt : quod nos pro magno complectimur scientes : scriptum esse : honorandi sunt amici tui deus . Verum utrum magna ostendisset prodigia in populis an minora : non hæc fragilitati humanæ sunt || ascribenda : sed a nobis fideliter confitendum : quia operatur ea unus atque idem dominus Iesus Christus : qui in eis per bonam uoluntatem et sensus puritatem inhabitat : sicut dudum protulit per prophetam : quia inhabitabo in illis et ero illorum deus . Ergo in huius Iesu Christi filii dei omnipotentis nomine cum adiutorio spiritus sancti ab ipso principe Petro sumamus exordium : Igitur post corporeum dominicæ natiuitatis aduentum cum ipse dominus Iesus uera lux mundi mundanis tenebris illuxisset : ambulans iuxta mare galileæ uidit duos fratres : Symonem : qui uocatur Petrus et Andream fratrem eius : mittentes rætia in mare . Erant enim piscatores . Et ait ad illos : uenite post me : et faciam uos piscatores hominum . At illi continuo relictis rætibus secuti sunt eum . Et cum uenisset Cæsaream Philippi : interrogabat discipulos suos dicens : Quem dicunt homines esse filium hominis ? At illi dixerunt : Alii Iohannem baptistam : alii autem Heliam : alii uero Hieremiam aut unum ex prophetis : Dicit illis : Vos autem quem me esse dicitis ? Respondit Symon Petrus : et dixit ei : Tu es Christus filius dei uiui . Respondens Iesus dixit : amen dico Symon bariona : quia caro et sanguis non reuelauit tibi sed pater meus : qui est in cælis . Et ego dico tibi : quia tu es Petrus : et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam :

et portæ inferi non præualebunt aduersus eam . Et tibi dabo claues regni cælorum . Et quodcumque ligaueris super terram : erit ligatum et in cælis : et quodcumque solueris super terram : erit solutum et in cælis . Sciens autem dominus Iesus : quia omnia dedit ei pater in manus : et quia a deo exiuit : et ad deum uadit : surgit a cæna et ponit uestimenta sua : Et cum accepisset linteum . præcinxit se . Deinde misit aquam in peluim : et cœpit lauare pedes discipulorum : et tergere linteo : quo erat præcinctus . Venit ergo ad Symonem Petrum : et dicit ei Petrus : Domine tu mihi lauas pedes ? Respondit Iesus : et dicit ei : Quod ego facio : tu nescis modo : scies autem postea . Dicit ei Symon Petrus . Non lauabis mihi pedes in æternum . Respondit Iesus : Si non lauero te : non habebis partem mecum . Dicit ei Symon Petrus . Domine non tantum pedes meos : sed et manus et caput . | Qui lotus est semel : non indiget : ut iterum lauetur : sed est mundus totus . Post resurrectionem autem suam dicebat dominus Iesus Petro : Symon Iohannis diligis me ? Dicit ei etiam domine : tu scis : quia amo te . Dicit ei Iesus : Pasce oues meas . Dicit ei tertio Symon :† Iohannis amas me ? Contristatus est Petrus : quia dicit ei tertio : amas me : et dicit ei : domine tu omnia nosti : tu scis : quia amo te . Dicit ei pasce oues meas . Amen amen dico tibi : cum esses iunior ambulabas quo uolebas . Cum autem senueris : extendes manus tuas : et alius te cinget : et ducet : quo tu non uis . Hoc autem dixit : significans : qua morte clarificaturus esset deum . Postquam autem dominus Iesus assumptus est in cælum : Petrus et Iohannes ascendebant in templum ad horam orationis nouam† : Et quidam uir qui erat claudus ex utero matris suæ baiulabatur : quem ponebant quottidie ad portam templi : quæ dicitur speciosa : ut peteret eleimosynam ab introeuntibus in templum . Is cum uideret Petrum et Iohannem incipientes introire in templum : rogabat : ut eleimosynam acciperet . Intuens autem in eum Petrus cum Iohanne : dixit : Respice in nos . At ille intendebat in eos : sperans se aliquid accepturum ab eis . Petrus autem dixit : Argentum et Aurum non est mihi : quod autem habeo : hoc tibi do . In nomine Iesu Christi nazareni surge : et ambula . Et apprehensa eius manu dextera alleuauit eum : et protinus consolidatæ sunt bases eius et plantæ . Et exiliens stetit : et ambulabat . Et intrauit cum illis in templum ambulans et exiliens et laudans deum : Annorum enim erat amplius quadraginta . Augebatur autem numerus credentium in domino multitudo uirorum ac mulierum : ita ut in platea eiicerent infirmos : et ponerent in lectulis et in grabbatis : ut ueniente Petro : saltem umbra illius obumbraret quemquam eorum . concurrebat autem et multitudo uicinarum ciuitatum Hierusalem afferentes ægros et uexatos a spiritibus immundis : qui curabantur omnes . Cum audissent autem apostoli : qui erant Hierosolymis : quia recepisset Samaria uerbum dei : miserunt ad illos Petrum et Iohannem : Qui cum uenissent orauerunt pro ipsis : ut acciperent spiritumsanctum . Nundum enim in quemquam illorum uenerat : sed baptizati tantum erant in nomine domini || nostri Iesu Christi . Tunc imponebant manus super illos : et accipiebant spiritum sanctum . Dum autem uidisset Symon qui antea magus : quia per impositionem manus apostolorum daretur spiritus sanctus obtulit eis pecuniam dicens : Date et mihi hanc potestatem : ut cuicumque imposuero manus : accipiat spiritum sanctum . Petrus autem dixit ad eum : pecunia tua tecum sit in perditione tua : quia donum dei existimasti pecunia possideri . Non est pars neque sors in sermone isto . Cor enim tuum non est rectum coram deo . Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua : et roga deum : si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui . In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis : uideo te esse . Respondens autem Symon dixit : Precamini uos pro me ad dominum : ut nihil ueniat super me horum : quæ dixistis : Et illi quidem testificati et locuti uerbum domini redibant hierosolymam : et multis regionibus samaritanorum euangelizantes erant dominum Iesum Christum . Factum est autem dum Petrus transisset uniuersos : ut deueniret ad sanctos : qui habitabant lidæ . Inuenit autem ibi hominem quendam nomine Aeneam ab annis octo iacentem in grabbato : qui erat paralyticus . Et ait illi Petrus : Aenea sanet te dominus Iesus Christus . Surge : et sterne tibi : Et continuo surrexit : Et uiderunt illum omnes : qui habitabant Lidæ et Sanonæ† : qui conuersi sunt ad dominum . In Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Tabita : quæ interpetrata† dicitur Dorcas . Hæc erat plena operibus bonis : et elimosynis : quas faciebat . factum est autem in illis diebus : ut infirmata moreretur . Quam cum lauissent : posuerunt eam in cænaculo . Cum autem prope esset lida ab Ioppe : discipuli audientes :

quia Petrus esset in ea : miserunt duos uiros ad eum dicentes : Ne pigriteris uenire usque ad nos . Exurgens autem Petrus uenit cum illis : Et cum aduenisset : duxerunt illum in cœnaculum : Et circumsteterunt illum omnes uiduæ flæntes : et ostendentes tunicas et uestes : quas faciebat illis Dorcas . Eiectis autem hominibus foras Petrus ponens genua orauit : Conuersusque ad corpus dixit : Tabita surge . At illa aperuit oculos suos : et uiso Petro resedit . Dans autem illi manum : erexit eam : Et cum uocasset sanctos et uiduas : assigna | uit eam uiuam . Notum autem factum est per uniuersam Ioppen : et crediderunt multi in domino . Eodem tempore misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de ecclesia . Occidit autem Iacobum fratrem Iohannis gladio . Videns autem quod placeret Iudæis : apposuit appræhendere et Petrum . Erant autem dies azimorum : quem cum apprehendisset : misit in carcerem . Tradensque quattuor quaternionibus militum custodiendum : uolens post pasca producere eum populo . Et Petrus quidem seruabatur in carcere : oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo . Cum autem producturus esset eum Herodes : in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites uinctus cathenis duabus : et custodes ante hostium custodiebant carcerem . et ecce Angelus domini astitit : et lumen refulsit in habitaculo carceris . Percussoque latere Petri : excitauit eum dicens : Surge uelociter . Et ceciderunt cathenæ de manibus eius . Dixit autem angelus ad eum : præcingere : et calcia te caligas tuas . Et dixit illi : Circunda tibi uestimentum tuum : et sequere me . Et exiens sequebatur eum : et nesciebat : quia uerum est : quod fiebat per angelum . Existimabat autem se uisum uidere . Transeuntes primam et secundam custodiam : uenerunt ad portam ferream : quæ ducit ad ciuitatem : quæ ultro aperta est eis Et exeuntes processerunt uicum unum : et continuo discessit angelus ab eo . Et Petrus ad se reuersus dixit : Nunc scio uere : quia misit dominus angelum suum : et eripuit me de manu herodis et de omni expectatione plebis Iudæorum . His ita gestis surrexit quidam Symon samarius genere : qui dudum uisis miraculis Petri pecunia comparare uoluit donum spirituale : qui se magum et perpetualiter stantem dicebat : promittens eos qui in se crederent prorsus dissolui non posse . Hic enim Petri cupiens euertere uias : et ea quæ dicebat ad irritum reuocare : diem statuit : in quo conuenientibus turbis ad disputandum Petrus ad esset . Erat autem tunc Petrus apud Cæsaream Stratonis . Igitur illucescente statuta die Zacheus qui erat prior ciuitatis astitit Petro dicens : Tempus est enim : ut procedas ad disputandum Petre . Turba autem in medio atrii congregata te operitur : quorum in medio multis fultus auxiliis consistit Symon . || Tunc Petrus ut audiuit : orationis gratia secedere aliquos iubens : qui nondum erant diluti a peccatis : quæ ignorantia comiserant : ait ad reliquos : Oremus omnes fratres : ut deus per Christum suum pro inestimadbili† sua misericordia adiuuet me exeuntem pro salute hominum : qui ab ipso creati sunt . Et cum hoc dixisset : oratione facta processit ad atrium domus : in quo erat multitudo populi plurima congregata : Quos ubi omnes summo cum silentio attentos uidit : et magum Symonem in medio eorum uelut signiferum : statim hoc modo cœpit : Pax uobis sit omnibus : qui parati estis dare dextras ueritati . Quicunque enim obediunt ei : uidentur quidem aliquid gratiæ conferre deo . Porro autem ipsi qui a deo donum summi muneris consequuntur : per iusticiæ eius semitas incedunt . Propter quod et primum est omnium : iusticiam dei regnumque inquirere . Iustitiam quidem ut recta agere doceamur : Regnum uero : ut quæ sit merces posita laboris et patientiæ nouerimus : in quo est bonis quidem æternorum bonorum remuneratio : his autem qui contra uoluntatem eius egerunt pro uniuscuiusque gestis digna retributio . Hic ergo hoc est in præsenti uita positos oportet nos agnoscere uoluntatem dei : ubi et agendi locus est . Nam si quis uelit antequam actus suos emendet de his requirere : quæ non potest inuenire : stulta et inefficax erit huiuscemodi inquisitio . Tempus enim breue est : et iudicium dei gestorum causa agetur non questionum . Ideoque ante omnia huius rei causam quæramus : quid nos aut qualiter agere oporteat : ut æternam uitam consequi mereamur . Mea ergo sententia ista est : sicut et uero prophetæ uisum est : ut primum de iusticia requiratur ab iis maxime : qui deum se nosse confitentur . Si ergo habet aliquis quod esse rectius putet : dicat . Et cum dixerit audiat : sed cum patientia et quiete . Propter hoc enim ab initio salutationis spetiem pacis cunctis præcatus sum . Ad hæc Symon Respondit : Nos pace tua opus non habemus . Si enim pax sit et concordia : ad inueniendam ueritatem nihil profi-

cere poterimus . Habent enim inter se pacem et latrones et scortatores : et omnis nequitia cum se ipsa concordat . Et nos ergo si ad hoc uenimus : ut pa | cis causa omnibus quæ dicuntur præbeamus assensum : nihil auditoribus conferemus : Sed e contra illusis eis nos amici discedemus : propter quod noli uocare pacem sed magis pugnam matrem eius . Et si potes expugnare errores : ne quæras amiciciam iniustis assentationibus paratam . Hoc enim te ante scire uolo : quia duobus inter se dimicantibus : tunc erit pax cum alter ceciderit superatus . Et Petrus ait : Quid times crebro audire pacem ? Aut ignoras : quia perfectio legis pax est ? Expectanti enim bella : nascuntur et certamina . Vbi autem peccatum non fit : pax est . In disputationibus ueritas : in operibus iusticia inuenitur . Et Symon : Nihil momenti continent hæc uerba : quæ loqueris . Sed nunc ostendam tibi uirtutis ac diuinitatis meæ potentiam : ut repente procidas : et adores me . Ego sum prima uirtus : qui semper et sine initio sum . Ingressus autem in utero Rachelis natus sum ex ea : ut homo ab hominibus uideri possim . Ego per aerem uolaui : igui† commixtus : unum corpus effectus sum . Statuas moueri feci : animaui exanimaui . Lapides panem feci : montes uolatu transmeaui . Manibus angelorum sustentatus : ad terram descendi . Hæc non solum feci : sed et nunc facere possum : ut rebus ipsis probem omnibus quia ego sum filius dei stans in æternum : et credentes mihi similiter stare in perpetuum faciam . Tua autem uerba uana sunt omnia : nec aliquid possunt ostendere ueritatis : sicut et ille qui misit te magus : qui nec se ipsum potuit liberare de crucis pœna : possum enim facere : ut uolentibus me compræhendere non appaream : et rursum uolens uideri palam sim . Si fugere uelim : montes perforem : et saxa quasi lutum pertranseam . Si me de monte excelso præcipitem dedero : tanquam subuectus in terram illæsus deferar : uinctus me ipsum soluam . Eos uero qui me in uincula in iecerint : uinctos reddam . In carcere colligatus : claustra sponte patefieri faciam . Statuas animatas reddam : ita ut putentur ab iis qui uiderint homines esse . Nouas arbores subito oriri faciam : et repentina uirgulta producam . In ignem me ipsum iniiciam : et non ardebo . Vultum meum commuto : ut non cognoscar : sed et duas facies habere me : possum hominibus ostendere . Ouis et capra ef || ficiar : pueris paruis barbam producam . In aerem uolando inuehar . Aurum plurimum faciam . reges faciam . adorabor ut deus . publice diuinis donabor honoribus : ita ut mihi simulachrum statuentes tanquam deum colant et adorent . Et quid opus est multa dicere ? Quidquid uoluero facere potero . Multa enim mihi iam experientiæ causa consumata sunt . Denique aliquando cum mater mea Rhachel iuberet me exire ad agrum : ut meterem : ego falcem uidi positam ei : ut iret : et meteret : et messuit decuplum amplius cæteris . Multa iam noua uirgulta produxi de terra conari in altum feci : et sub momento temporis apparere : et montem proximum ego secundo perforaui . His dictis a Symone : Petrus Respondit : uel enim cum sis magus ex ipsis quæ gessisti confessus es : et manifestatus . Noster autem magister qui est filius dei et hominis : manifeste bonus . Quod autem uere sit filius dei : quibus oportuit dictum est : et dicetur . Tu autem si non uis confiteri : quod magus es : cum omni hac turba pergamus ad dominum tuum : et tunc apparebit : quis sit magus . Hæc audiens petro dicente Symon blasphemiis et maledictis agere cœpit : et seditione facta perturbatis omnibus argui non potuit . Et petrus quasi ne blasphemiæ causa cedere uideretur : perstitit immobilis : et arguere uehementius cœpit . Tunc populus indignatus Symonem de atrio eiecerunt : et extra ianuam domus eiectus est . Eoque expulso unus secutus est eum solus . facto autem silentio : Petrus alloqui populum hoc modo cœpit : Patienter fratres malos debetis ferre : scientes : quia deus cum possit eos excidere : patitur tamen durare usque ad præstitutum diem : in quo de omnibus iudicium fiet . Qumodo† ergo nos non patiemur : quos patitur deus ? Vos ergo ad dominum conuertimini per pœnitentiam curuate ei genua . Hæc cum dixisset : omnis multitudo genua flæxit deo : Et Petrus respexit ad cælum : et cum lachrymis orabat super eos : ut deus pro sua bonitate suscipere eos dignaretur confugiens ad se : Et postquam orauit et præcepit ut in die postera maturius conuenirent missam fecit . Tu† deinde secundum consuetudinem quieuit . Mane autem facto : ueniens quidam ex discipulis Symonis clamabat dicens : Obsecro te Petre suscipe miserum : et a mago Symone deceptum : cui | ego uelut cælesti deo intendebam : pro his : quæ per eum fieri mirabilibus uidebam . Auditis tamen sermonibus tuis : cœpit iam homo mihi uideri et quidem malus . Veruntamen cum hinc exisset : eum subsecutus sum solus : quia nondum ad liquidum

impietatis eius ueneram . Cum autem uidisset me subsequentem beatum me dicens : perduxit domum suam . Circa uero medium noctis ait ad me : omnibus hominibus te faciam meliorem : si uolueris usque ad finem perseuerare mecum : Cui cum promississem : exegit a me sacramentúm perseuerantiæ . Eoque accepto imposuit super humeros meos polluta quædam et execrabilia secreta sua ut portarem : et secutus est me . ubi uero uentum est ad mare : nauigium quod forte aderat ingressus : sumit a ceruicibus meis : quod portare me iusserat : et paulo post egressus nihil extulit : certum quod in mare deiecerat . Rogabat me ergo : ut cum illo proficiscerer : dicens per omnia Romam se petere . Ibi enim tantum placiturus : ut deus putetur : et diuinis publice donetur honoribus . Tunc inquit te omnibus diuitiis repletum si huc reddire placuerit pluribus fultum mysteriis remittam . Hoc ergo audiens : nihilque in eo secundum hanc professionem uidens : sed magum et deceptorem eum intelligens : Respondi : quæso te : ignosce mihi : quia pedes doleo : et propterea exire Cæsaream non ualeo . Præterea est mihi uxor : sunt liberi paruuli : quos relinquere omnino non possum . At ille hæc audiens : et ignauiæ me incusans : profectus est Romam dicens : Cum audieris quanta gloria mihi erit in urbe Roma : pœnitebit te . Et post hoc ipse quidem ut aiebat petiit . Ego autem confestim redii huc orans : ut me suscipias ad pœnitentiam : quia ab eo deceptus sum . Cum hæc dixisset is : qui a Symone regressus est : iussit ei Petrus in atrio residere . Procedens autem ipse : et turbas uidens multo plures quam superioribus diebus : stetit in loco solito : et ostendens eum qui a Symone uenerat : ait : Iste fratres quem uidetis Paulo ante uenit ad me de Symonis mihi malis actibus nuncians : quomodo ipsam sceleris officinam proiecerit in profundum : non quasi pœnitentia ductus : sed metuens : ne deprehensus publice legibus subiaceret . Hoc dicente Petro populus uidens hominem qui uenerat a Sy || mone stupebat . Igitur Petrus a Cæsarea digressus : Tripolim uenit : Et ingressus domum Maronis uidit locum aptum ad disputandum . Vt autem uidit turbam uelut ingentis fluuii inundasse leuem meatum : ascendensque super basim quandam : quæ forte iuxta horti parietem stabat : primum religionis more populum salutauit . Et quidam ex his qui aderant : et multo tempore a dæmonibus fuerant fatigati : in terram proruunt obsecrantibus spiritibus immundis : ut uel uno die indulgeretur eis in obsessis corporibus permanere . Duos Petrus increpans : statim iussit abscedere : Et sine mora discesserunt . Post alii longis afflicti langoribus rogabant Petrum et recipere sanitatem : pro quibus se supplicaturum domino pollicetur : cum prius sermo doctrinæ fuisset expletus . Sed statim ut promisit langores resoluti sunt . Et iussit eos residere cum iis : qui a dæmonibus fuerant curati quasi post laboris fatigationem . Petrus autem egressus a Tripoli pergebat Antiochiam : et uenit ad insulam Antandrum nomine : Vbi erant in æde quædam columne uitreæ miræ magnitudinis : ad quas contuendas cum multi abissent cum Petro . et Petrus miraticeis† egressus esset pro foribus : uidit mulierculam quandam : stipem ab introeuntibus deposcentem : quam attentius consyderans ait : Dic mihi mulier : quod tibi membrum deest quod huic iniuriæ te subiecisti ut stipem petas : et non potius manibus tuis : quas a deo accepisti operans acquiras ? At illa suspirans ait . Vtinam inquit mihi manus essent quæ moueri possent Nunc autem species tantum seruata est manuum : Nam ipse sunt mortuæ : et in eis morsibus debiles et sine sensu redditæ . Tunc appræhensis Petrus manibus eius sanauit eas . Erat enim hæc mulier mater clæmentis a quo et in eodem loco coginta† est . Nam per uirtutem petri et alios filios recepit Faustinum et faustum : qui mutatis nominibus Aquila et Niceta appellabantur : et uirum suum Faustinianum : qui multo tempore a se fuerant seperati : Et cum uellent nauigare ex eo in insulam : mater ait ad Clæmentem fili dulcissime rectum est : ut uale dicam mulierculæ quæ me suscepit : est enim egens et paralytica iacens in lectulo : quibus auditis Petrus et omnes qui audierant admirati sunt bonitatem et prudentia† fœminæ Et conti | nuo iussit Petrus ad ire quosdam : et delferre mulierem in lectulo ubi iacebat : Cumque fuisset allata : et in medio populi astantis collocata : in conspectu omnium petrus ait : Si ueritatis ego sum præco : ad confirmandam fidem horum omnium qui assistunt : ut sciant : et credant : quia unus est deus : qui fecit cælum et terram in nomine Iesu Christi filii eius : surgat hæc mulier : Et statim ut hæc Petrus dixit : surrexit mulier sana : et procidens ad pedes eius : atque amicam suam osculis petens gratias domino referebat . His expletis uolente Petro ire ad hospitium : dominus domus ait ad eum : Turpe et

impium tales ac tantos uiros permanere in stabulo : cum ego habeam pene omnem domum uacantem . lectosque stratos quam plurimos : et quæ necessaria sunt parata . Sed Petro contradicente uxor patris familias una cum liberis suis prostrauit se ante eum et exorabat dicens : Obsecro te mane apud nos . Sed ne sic quidem acquiescebat Petrus : donec filia eorum pro qua rogabant quæ ab immundo spiritu temporibus multis uexata et cathenis uincta fuerat et intra conclaui clausa : effugato a se dæmone hac hostiis patefactis cum cathenis suis ueniens : procidit ad pedes petri dicens : Rectum est mi domine : ut agas hodie hic salutaria mea : et non contristes me neque parentes meos . Petro autem requirente cathenarum sermonumque eius causam parentes : præter spem læti effecti de filiæ sanitate et uelut stupore quodam attoniti ipsi quidem dicere nequeunt . Astantes autem familiæ aiunt . Hæc a septimo ætatis anno dæmone detenta omnes qui accedere temptassent ad eam : scindere ac dilaniare morsibus conabatur . Et hoc per uiginti annos usque ad præsens facere nunquam destitit : nec ab aliquo potuit curari sed neque accedere quidem quisque ualebat ad eam . Multos enim inutiles reddidit : et alios peremit : omnibus enim uiris ualidior erat : sine dubio dæmonis uiribus nixa . Nunc uides autem ut ex præsentia tui dæmon quidem fugit : hostia uero qnæ† summo cum munimento clausa fuerant aperta sunt : et ipsa sana stat ante te : rogans ut diem salutarium suorum lætum et ipsi et parentibus eius facias : maneas apud eos . Hæc cum ita unus ex famulis enarrasset : ipse etiam cathene de manibus || eius ac pedibus sponte fuissent resolutæ : Petrus certus quod per ipsum sanitas hæc reddita sit puelle acquieuit : ut permaneret in domo patris eius . Post hæc autem Petrus Romam ueniens multas turbas populorum ad fidem domini nostri Iesu Christi prædicatione sua conuertit . Ante omnia castitatis gratiam pectoribus eorum inserebat adhortans credentes in Christo : ut pudice et continenter se gerent† . Magus n† itaque exarserat pudicicie amorum etiam plæræque fœminæ munda corpora a commixtione uirili seruare cupiebant : ita ut etiam Agrippina et Eucharia et Euphemia et Dione castitati se deuouissent : quæ erant concubine præfeti† Agrippæ . Postea enim quam crediderunt in Christum null† modo ei ad obsequium concubitus acquiescere decreuerunt : confortate a domino Iesu Christo . Videns autem Agrippa præfectus quod petri doctrinam secutæ essent : et libidinem eius unanimiter spuissent : cœpit eis indicere minas : quod et ipsas et incendio concremaret : et Petrum supplicio interficeret . Sed nunquam potuit eas ad inquinamentum commixtionis inflectere : quia apostolico sermone fundatæ erant : Dixeruntque ad inuicem : Melius est nos huic pœne pro castitate succumbere : quam Christum cui eastitatem† deuouimus recusare . Indignabatur itaque Agrippa præfectus in apostolum : et fremebat dentibus super eum : quærens occasionem ut eum posset occidere . Interea post hæc in conuentu senatus surrexerunt quidam senatores : qui et dixerunt : Suggerimus amplitudini uestre nobiles uiri : quod ad peruersionem urbis æternæ Petrus connubia diuortiis mancipat : uxores nostras omnino a nobis disiunxit : et nescioquam nobis nouam et inauditam legem induxit : et hoc audientes incitabant etiam alios ad tumultum et appellationem . Tunc Agrippa gratulatus est : quia quod optabat Petro sub occasione inuenit . In ipsis autem diebus Petrus finem uitæ imminere præsensit : et in conuentu fratrum positus appræhensa Clæmentis manu repente consurgens : in auribus totius ecclesiæ hæc protulit uerba . Audite me fratres et conserui mei : quoniam sicut edoctus sum ab eo : qui misit me domino et magistro meo Iesu Christo dies mortis meæ instat . Clementem hunc episcopum uobis ordino : cui soli | meæ prædicationis et doctrinæ cathedram credo : qui mihi ab initio usque ad finem comes in omnbus† fuit : et per hoc ueritatem totius prædicationis meæ agnouit : qui in omnibus temptationibus meis socius extitit fideliter perseuerans : quem præ cætenis† expertus sum deum colentem : homines diligentem : castum : discendi studiis deditum : sobrium benignum iustum patientem : scientem ferre nonnullorum etiam ex iis : qui uerbo dei instruuntur iniurias : propter quod ipsi trado a domino mihi datam potestatem ligandi et soluendi : ut de omnibus quibuscumque decreuerit in terris hoc decretum sit et in cælis . Ligabit enim quod oportet ligare : et soluet : quod expedit soluere . Et cum hæc dixisset : manus ei imposuit : eumque in cathedra sua sedere compulit : multum eum instruens qualiter ecclesiam sibi commissam regeret : et oues susceptas aleret . Tuuc† et Paulus apostolus Romam ueuiens† Christum dominum prædicabat . Tempore igitur Neronis cæsaris erant Romæ salutiferi doctores

christianorum Petrus et Paulus apostoli : per quos dum fides domini nostri Iesu Christi in nomine claresceret mentibus et religionis propagarentur argumenta : quia essent sublimes operibus clari mysterio ob uirtutem diuinæ gratiæ . Nero per Symonem magum uæhementer aduersari cœpit apostolis : ita magus Cæsaris animum obtinuerat : ut eum salutis suæ præsulem uitæque custodem remota ambiguitate confideret . Nam et bellorum uictorias et subiectiones gentium et prosperitatem rerum se per eum in omnibus habiturum esse credebat . Sed apostolus eius uanitates et flagitia uniuersa detegit : quia ueritas lux et uerbi diuini claritas quæ ob salutem hominum nuper effluxerat : totius mendacii caliginem de humanis mentibus discussis per apostolos ignorantiæ tenebris effugabat . Tunc Symon magus ueri luminis fulgore perculsus cæcitatem continuo malesanæ mentis incurrit . Quippe iam in Iudæa per apostolum Petrum de his quæ gerebat sceleribus confutatus transmarinam ingressus fuerat fugam . Et qui in terrarum partibus Petri erat expertus potentiam : tamen præueniens Romam ausus est se iactare : quod posset mortuos suscitare . Ipso tempore defunctus est quidam adolescens nobilis propinquus Cæsaris : ubi cum multa turba populorum || aduenisset : sciscitabantur inuicem : si esset aliquis : qui posset mortuum suscitare . Celeberrimus tunc silicet Petrus in his operibus habebatur . Sed apud gentiles nulla huiusmodi firmabatur fides . Dolor tamen exegit inquiri remedium porrectum ad Petrum . Fuerunt quidem : qui etiam Symonem accersiendum putarent . Et utrique affuerunt . Tunc Petrus ait ad eos : ut Symon qui de sua se iactat potentia : si posset mortuum suscitaret : si ille nequiuisset : se non defuturum : ut Christus opem ferret defuncto . Symon uero qui putabatur apud gentiles magnæ esse potentiæ : conditionem interposuit ut si mortuum suscitaret : Petrus occideretur : qui tantæ potestati uerbis audacibus lacessendo irrogasset iniuriam . Si uero illo nihil agente Petrus mortuum suscitasset : magus sententiæ quæ in apostolum data fuerat subiaceret . Talis cum esset interiecta conditio : quieuit Petrus : Exorsus est itaque Symon : accessit ad lectulum defuncti : incantare ac murmurare dira carmina cœpit . Visus est a circumstantibus caput agitare defunctus . Clamor gentilium ingens attollitur : quod iam uiueret : quod iam cum Symone loqueretur . Mira indignatio in Petrum esse omnium cœpit : eo quod esset ausus se tantæ potestati conferre . Tunc sanctus Petrus fieri silentium postulauit : et ait ad eos : Si uiuit defunctus : loquatur . Si suscitatus est : surgat . ambulet . fabuletur . phantasma hoc non ueritatem esse quod cernitis : commotum caput esse defuncti . Denique inquit : seperetur magus a lectulo : et ad plenum figmenta diaboli denudentur . Educitur Symon a lectulo : sine ulla spe uitæ defunctus manet immobilis . Astitit Petrus a longe : et in terra se orationi paulisper intentus : magna uoce ait : Adolescens tibi dico surge : sanat te deus noster dominus Iesus Christus : Et statim surrexit adolescens : et locutus est : et ambulauit : et dedit eum petrus matri suæ uiuentem . Qui cum rogaretur : ut ab eo qui illum fecit ex mortuis resurgere non discederet : ait Petrus : In nomine Iesu Christi cuius nos serui sumus : secura esto mater de filio : et ne uerearis : habet enim custodem suum . Et cum uellet populus magum Symonem lapidare : ait Petrus : stans est ad pœnam suam : quod agnoscit se in suis artibus superatum . uiuat . regnum | Christi crescere uideat uel inuitus . Torquebatur magus : et apostolica percussus gloria discedit : seseque ad omnem excitat carminum suorum potentiam . Congregat populum : ostensurum se dicit a Galilæis relicturum se urbem : quam tueri solet . Diem statuit : quo per uolatum supernis se sedibus iactanter promitteret uehendum : quin etiam quando uelit cælum peteret : et conscendens in sua potestate consisteret . Statuto die montem capitolium ascendit : ac se de rupe deiiciens uolare cœpit . Mirari populos ac uenerari plerique dicentes dei esse potentiam non hominis : qui cum corpore uolaret ad cælum : nihilque tale Christum fecisse dicunt . Tunc Petrus in medio stans ait : Domine Iesu ostende uirtutem tuam : et ne permittas his uanis artibus decipi populum : qui tibi est crediturus . Sic decidat domine : ut ueniens se contra potentiam tuam nihil potuisse cognoscat : Cumque hæc cum lachrymis orasset : ait : adiuro uos in nomine Iesu christi angeli Sathanæ : qui eum fertis : ut dimitatis . Et statim in uoce dimissus a dæmonibus implicitis remigiis alarum : quas sumpserat corruit : et statim exanimatus est : sed toto fractus corpore debilitatisque cruribus post paruum horarum spatium ibidem expirauit : Quod ubi Neroni compertum est : deceptum se ac destitutum dolens : sublatumque sibi uirum utilem ac necessarium rei publice indignatus

quærere cœpit causas : quibus Petrum occideret . Et iam dies aderat : quo sancti uocarentur apostoli . Denique dato a Nerone præcepto ut Petrus compræhenderetur : sanctus apostolus rogabatur ab omnibus : ut sese alio loco conferret . At ille resistebat dicens : nequaquam se essc† facturum : ut tanquam metu mortis fugeret territus : quippe cum sciret bonum sibi et omnibus pro passione Christi mori : et immortalitatis gloriam adipisci . hæc et alia Petro obtexente plebs lachrymare cœpit : ne se relinqueret : nec imminentes procellas christianorum despiceret præcabatur : tandem lachrymis uictus populorum ac flætibus acquieuit : promisitque se urbem egressurum . Proxima igitur nocte salutatis fratribus celebrataque oratione proficisci cœpit solus : Vbi uentum est ad portam : uidit sibi Christum occurrere : et adorans eum ait : Domine quo uadis : Cui dominus : uenio Romam ite || rum crucifigi . Intellexit autem Petrus de sua passione hoc dictum : in quo Christus passurus esse uideretur : quem pati constat in singulis : non dolore corporis sed misericordiæ contemplatione : et pietatis affectu . Itaque Petrus reuersns† intra urbem Romam eum gaudio narrabat fratribus quod ei obuius fuisset dominus Iesus : et declarasset ei : quod in ipso esset iterum crucifigendus : quibus cum manifestasset passionem suam : flætum omnes et hululatum emiserunt . Dolebant enim omnes : lachrymas profundebant dicentes : Consydera oues tuas pastor bone : consydera : quoniam fides infirmior tuo sermone roborari expectat . Consydera corda titubantia : quæ per te stabilienda sunt : quibus Petrus ait : Facile est domino : ut seruorum suorum corda corroboret . quos enim ipse plantauit : faciet adolescere : faciet et hoc : ut et uos alios plantare possitis . Ego autem quasi seruus necesse est ut domini obsequar uoluntati . Si enim pati me dignatur : exultabo et lætabor in nomine eius . Cum his igitur uerbis animos fratrum consolaretur : et illi lachrymas non possent tenere : snperuenerunt† quattuor apparitores : qui eum comprehendentes statuerunt Agrippæ præfecto urbis : qui ait : Multa tibi est fiducia in plebibus quas circumuenis : atque in fœminis quæ a thoro matrimoniali discedunt . ausus es etiam ad romanorum iniurias nescioquem Christum inducere : et contra deuotionem sanctæ urbis æternæ nescio quæ inepta et uana docere . Tunc facta est facies apostoli sicut sol splendida : et aperiens os suum ait ad eum : Video quo tendis dux libidinum . amator pollutionum : atrocitatis inuentor : innocentium persecutor : deceptorum fautor : habitaculum Sathanæ . Ignoras tu gloriam : in qua mihi glorior : et ideo dicis : quod in iniuriis et mulieribus mihi sit fiducia : Et ait ad eum præfectus Agrippa : In quo tibi gloriaris : scis quia ignoro : facito me nosse . Et ait ad eum Petrus : Nulla est mihi gloria nisi crux domini mei Iesu Christi : cuius ego seruus sum . Et ait ad eum Agrippa : Vis ergo : ut sicut dominus tuus crucifixus est : ita crucifigaris . Et ait ad eum Petrus : Non sum dignus recta cruce mundum testem facere passionis meæ : sed per quæ uis suplicia opto et desydero eius sequi uestigia passi | onis . Tunc præfectus morbo incontinentiæ suæ prætendens superstitionnis accusationem crucifigi apostolum iussit . Ingens subito concursus est factus diuersæ ætatis utriusque sexus . Conuenerunt diuites : pauperes : uiduæ : pupilli : inopes ac potentes : qui summa uoce clamabant : Vt quid occiditur petrus? Quid admisit christianus ? Quid læsit urbem ? Innocentem damnare nefas est . Non timetur : quod talis ac tanti uiri necem deus uindicet : et nos omnes perire præcipiat ? Et cœperunt in Agrippam populi sæuire . Tunc Petrus restitit modicum : et omnem plebem ad silentium prouocans ait : Si caritas uestra in me uera est : et uiscera integra in me pietatis ostenditis : nolite me reuocare ad dominum euntem nolite impedire properantem ad Christum . Estote ergo quieti : gaudentes : læti : ut hostiam meam cum hilaritate offerram . Hilarem enim datorem diligit deus . Et his dictis uix sedata est seditio : Non quod non possent populi præfectum euretere† sed timebant apostolum contristari . Superuenit autem populus infinitus ad locum : qui appellatur Naumachia iuxta obeliscum Neronis : Illic ei crux posita est . Et respiciens flæntem populum et uolentem seditionem incitare : ait ad eos uoce summa : Nolite obsecro uos oblationem meam impedire . nolite uersus agrippam sæuire : ille enim minister est operationis alienæ . Nam damnationis meæ diabolus auctor est : quia dolet uasa contumeliæ per me sibi esse sublata : et facta sunt diuersoria continentiæ templa Christi domicilia honoris et gratiæ . Itaque fratres mei et filii obedientes estote : quia per reuelationem domini nostri Iesu Christi proditum mihi est : quod ita esset uenturum . Non est discipulus super magistrum : nec seruus super dominum suum . Festino itaque : ut carne iam

exutus assigner domino . Nunc tempus est : in quo meam hostiam offeram . Mementote signorum et prodigiorum : quæ Christo operante et me ministrante uidistis . Ideo enim plurimorum infirmitates curate sunt : ut omnium hominum animæ saluarentur . Ideo mortua suscitata sunt corpora : ut mortuæ animæ reuiuiscerent . Ait autem ad ministros carnificum : quid est : quod tardatis ? Quid adhuc apparitores ad crucem tenetis ? Implete : quod uobis iussum est . Exuite tunicam mortalem : et spiritu adhærebo deo . || Rogauit sane ut uersis pedibus crucifigeretur ea reuerentia qua dominum honorificaret : ne ita seruus crucifigeretur ut dominus . Quod ubi dictum est : cœpit de cruce flæntem populum alloqui : et consolari eos : et dicere : Grande est et profundum mysterium crucis : ineffabile et inseparabile uinculum caritatis . Per crucem ad se traxit omnia deus . hoc est lignum uitæ : quo destructum est mortis imperium . Hoc mihi tu aperuisti domine . aperi et horum omnium oculos : ut uideant consolationem uitæ æternæ . Et his dictis aperuit deus oculos illorum : qui lugebant : et lachrymas fuudebant† in passione eius : et uiderunt angelos stantes cum coronis de floribus rosarum ac liliorum et in uirtute crucis erectum Petrum stantemque et librum a Christo accipientem : et ea uerba quæ loquebatur inde legentem : quod uidentes ita gaudere cœperunt in domino : et lætari : et ridere : ut ipsi increduli : et carnifices uidentes eos lætari et ridere : quos prius tristes uiderant et flæntes : euanescerent . Videns autem Petrus : quod demonstrata esset gloria eius multis flæntibus : gratias agebat domino Iesu christo dicens : Digne tu solus ex alto uertice crucifixus es : quo totum mundum a peccato redemisti . Te imitari etiam in passione optaui : quia ex Adam homines nati sumus : tu uero ex deo deus : et lux uera de uero lumine extitisti . Tu altus : nos secundum carnis originem primi hominis filii sumus : qui principium suum demersit in terra : cuius lapsum significat species generationis humanæ . Sic enim nascimur : ut proni in terram uideamur effundi : et quod ad dextram est : hoc ad sinistram sit : et quod ad sinistram hoc ad dextram sit : eo auctoris uitæ mutata conditio sit . Hoc enim putat mundus iste dextrum : quod sinistrum est : in quo nos sicut in niuiue† inuenisti : et perituros tua sancta prædicatione liberasti . Ait itaque de cruce : Gratias tibi ago domine Iesu Christe non solum corde non solum uoce sed et spiritu : quo te diligo : quo te alloquor : quo te interpello : quo te teneo : quo te intelligo . Tu mihi omnia es . totum quod est : Tu mihi totum . nihil aliud nisi tu solus . Tu es omnia . In te sumus . .In te uiuimus . In te mouemur : Ideo te ut parentem ut fratrem ut omnia habere debemus : ut tu nobis des illa : quæ promisisti : quæ nec oculus uidit : | nec auris audiuit : nec in cor hominis ascendit : quæ præparasti his : qui diligunt te . hæc custodi seruis tuis : hæc tribue atque largire : quia tu es bonus et unus dei filius . Tibi gloria cum patre et spiritu sancto nunc et per cuncta sæcula sæculorum : Statimque ut omnis plebs respondit amen : Petrus reddidit spiritum . Statimque Marcellus non expectata alicuius sententia propriis manibus deposuit corpus : et lauit de uino optimo mirrha etiam et mastice et aloe et stacte et filo cum aromatibus eum ex omni parte liniuit : melle quoque optimo repleuit sarcophagum : atque ita corpus eius in sarcophago conditum collocauit : Ad quem ueniens ipsa nocte Petrus sic uigilanti dixit ei : Marcelle . At ille tremefactus surrexit : et stetit ante . dixit ei Petrus : non audisti uocem domini dicentis : relinque mortuos sepelire mortuos suos ? Et Marcellus ait : audiui . Et Petrus : Ne ergo quasi mortuos mortuum curasse uidearis sed quasi uiuentem : relinque mortuos sepelire mortuos suos : tu autem annuncia regnum dei . Quod cum gratia dei mane cunctis fratribus indicauit : quorum fides ac deuotio meritis sancti Petri ex omni parte confirmata est in nomine Iesu Christi filii eius domini nostri et in sanctificatione spiritus sancti : cui est honor et gloria et imperium per infinita et immortalia sæcula sæculorum .

Paulus hebrayce admirabilis uel mittis apud latinos interpretatur . Hic antea Saulus hoc est sæuus nunc apostolus gentium aduocatus Iudæorum a Christo de cælo uocatus et in terram prostratus : qui oculatus occidit : cæcatus arrexit . Ex persecutore effectus est uas electionis et ex lupo ouis : Cui nulla sors traditur propria cum cæteris apostolis ad prædicandum : quia in omnibus magister et prædicator eligitur . Nam sicut Petro datus est apostolatus in reliquiis circumcisionis : ita et Paulo præputii in gentibus . Hic euangelizauit septem ecclesiis et tribus discipulis . Inter apostolos uocatione nouissimus : prædicatione primus . In lege Gammaliehelis discipulus : In euangelio Christi seruus : Cuius Iudæa gens fuit : genus de tribu Benia-

min . Hic secundo post ascensionem domini anno baptizatus : dignitatem meruit apostolatus : || atque plus omnibus laborans multum latius inter cæteros uerbi Dei gratiam seminauit : atque doctrinam apostolicam sua predicatione compleuit . Incipiens enim ab Hierosolimis usque ad Illyricum et Italiam et Hispaniam processit : ac nomen Christi multis manifestauit gentibus : quibus non fuerat declaratum : cuius miracula noscuntur esse talia . Raptus tertium usque cœlum conscendit : seducentem Phitonis spiritum imperata discessione damnauit . Adolescenti mortuo uitalem redintegrauit spiritum . cæcitate percussit magum . claudum in proprium restaurauit incessum . diri serpentis nec sensit nec coruit morsu : sed igni dedit arsurum : patrem etiam publii a febribus orando sanauit . Ob amorem quoque Christi multas tribulationes grauiaque sustinuit corporis tormenta : in primis iudaicas persecutiones et gentium miserias : laborem : famem : sitim : frigus et nuditatem die noctuque : profundi naufragia : millæ pericula : rabiem fratrum : ubera : carcerales tenebras . Inter hæc ligatur a Iudæis . traditur . lapidatur . ad necem ducitur . in sporta per murum dimittitur . Virgis cæditur . in carcere uinctus terremotu facto resoluitur . ad ultimum a Neronæ gladio cæditur eo die quo et Petrus crucifixus est . Sic enim oportuerat : ut hi qui simul confessi sunt nomen Christi una die eademque hora in cælo coronarentur . Sepultus uero est Paulus Romæ uia hostiensi anno post passionem Domini tricessimo sexto tertio ab urbe miliario contra orientalem plagam . de hoc enim beatus Hieronymus in epistola ad Eustochium sic ait : de uirginibus inquit præceptum dei non habeo . Cur ? Quia et ipse ut esset uirgo non fuit imperii sed propriæ uoluntatis . Neque enim audiendi sunt : qui cum uxore habuisse confingunt cum de continentia edisserens : et suadens perpetuam castitatem intulerit : uolo autem omnes esse sicut meipsum . Et infra : dico autem uiduis et in nuptiis : bonum est illis si sic permanserint : sicut et ego .

MARCELLVS AD NEREVM ET ACHILEVM DE DEPOSITIONE SANCTAE PETRONILLAE VIRGINIS ET DE PASSIONE SANCTAE FELICVLLAE VIRGINIS ET MARTYRIS ET DE PASSIONE SANCTI NICHOMEDIS PRAESBYTERI ET MARTYRIS . |

Petronillam bene nostis uoluntate Petri et Pauli clinicam factam . Nam recolo interfuisse uos : cum apud se ipsum plurimi discipuli eius reficeremur : contigit : ut Titus diceret apostolo : Cum uniuersi a te saluentur infirmi : quare Petronillam paralyticam iacere permittis ? Apostolus uero ait : Sic expedit ei . Sed ne existimetur impossibilitas eius incolumitatis meis sermonibus excussari : ait ad eam : Surge Petronilla : et ministra nobis . Et statim surrexit sana . Ministerio autem expleto iussit eam redire ad grabatum . At ubi in dei timore cœpit esse perfecta : non solum ipsa saluata est : uerum etiam plurimis recusauit in melius suis orationibus sanitatem . Et quoniam nimis speciosa erat : uenit ad eam Flaccus comes cum militibus : ut eam sibi in uxorem acciperet . Cui Petronilla ait : Ad puellam inermem cum militibus armatis uenisti ? Si uxorem me habere uis : fac matronas uirgines honestas ad me post tres dies uenire : ut cum ipsis ueniam domum tuam . Factum est ut trium dierum acceptum spacium uirgo sancta ieiuniis et orationibus occuparet habens sanctam uirginem Felliculam collactaneam suam in dei timore perfectam .`Tertio itaque die ueniens ad eam sanctus Nichomedis presbyter celebrauit misteria Christi . Virgo autem sanctissima mox ut Christi sacramentum accepit : reclinans se in lectulo emisit spiritum . Factum est : ut omnis turba matronarum et uirginum quæ fuerant a Flaco adductæ exequias sanctæ uirginis celebrarent . Flaccus autem uertens animum dixit ad Felliculam : Vnum tibi e duobus elige : aut esto uxor mea : aut diis sacrifica : cui sancta Felicula Respondit : Nec uxor tua ero : quia Christo sacrata sum : nec immolabo diis : quia christiana sum . Tunc Flaccus tradidit eam uicario : et fecit

eam in tenebroso claudi cubiculo sine cibo per septem dies : In quo dicebant ei uxores custodum : Quare uis mala morte mori ? Accipe uirum nobilem : diuitem : iuuenem . elegantem et amicum imperatoris . Audiens hæc Fellicula nullum sermonem accipiebat omnino : et nullum dabat responsum nisi hoc : uirgo Christi sum et præter ipsum nullum omnino accipio : Eiecta autem post septem dies ducta est ad || uirgines Veste : et ibi per alteros septem dies sine cibo permansit . Nulla cum ratione potuerunt eam ad hoc adducere : ut de earum manu cibum acciperet . Post hæc leuata in equuleo clamabat dicens : Modo cœpi uidere amatorem meum Christum : in quo amor meus fixus est . Nega te christianam esse : et dimitteris . Felicula autem clamabat : Ego non nego amatorem meum : qui propter me felle cibatus : aceto potatus ; spinis coronatus et cruci afixus est . Post hæc deposita est : et præcipitata est in cloacam . Sanctus autem Nichomedis presbyter in speculis positus occulte liberauit corpus : et posuit in birote : et perduxit ad casellulam suam septimo miliario ab urbe Roma uia ardeatina : et ibi eam sepeliuit ; In quo loco fructificant orationes eius usque in hodiernum diem . Peruenit autem ad Flaccum hoc fecisse Nicomedem presbyterum : et fecit eum teneri ; ducique ad sacrificandum : qui cum diceret : ego non sacrifico nisi deo omnipotenti : qui regnat in cælis ; custodiuit eum . hæc et multa alia cum diceret : plumbatis diutissime cæsus migrauit ad dominum . Corpus uero eius in Thyberim præcipitatum est . Clericus autem eius presbyteri nomine et opere Iustus collegit corpus : et posuit in bitore† suo : et duxit ad hortulum suum iuxta uiam momentanam† : et illic sepeliuit illud : in quo orantes dominum consequuntur : quæ postulant interuentu martyris ipsius qui passus est pro nomine domini nostri Iesu Christi .

DE SANCTO PETRONIO BONONIENSI EPISCOPO .

Fuit Petronius bononiensis Italiæ episcopus . Virque sanctæ uitæ et monachorum studiis ab adolescentia exercitatus . Hic scripsisse putattur uitas patrum monachorum ægipti : quem uelut speculum ac normam perfectionis suæ monachi amplectuntur . Legi inquit Gennadius sub eius nomine in ordinatione episcopi oratione et humilitate plenum tractatum : quem lingua elegantior ostendit non ipsius esse : sed ut quidam dicunt patris eius Petronii eloquentissimi et eruditissimi in sæcularibus litteris uiri . | Nam et præfectum prætorii se fuisse in ipso tractatu designat . Mortuus est autem : Theodosio Placido et Valentiniano regnantibus .

SANCTI PETRI MARTYRIS PASSIO .

Petrus nouus martyr ordinis prædicatorum fidei pugil egregius Ciuitatis ueronensis fuit oriundus . Hic tanquam splendidum lumen de fumo : Lilium candens de sentibus : rosa de spinis exoritur : dum de parentibus per errorem excæcatis lucidus prædicator exurgit et de sautiatis mente corporeque corruptis uirginale decus procedit : ac de spinis idest æterno incendio deputatis inclitus martyr ascendit . Parentes namque suos infideles et hæreticos beatus Petrus habuit : a quorum tamen errore se penitus mundum seruauit . Cum autem adhuc septem esset annorum et a schola rediret : a patruo qui hæresim sapiebat quidnam in scholis didicisscet† interrogatur . Et ille se didicisse Credo in deum patrem omnipotentem factorem cæli et terre et cætera respondit . ad quem patruus Noli dicere creatorem cæli et terræ : cum ipse uisibilium creator non fuerit : sed diabolus omnia ista quæ uidentur creauerit . Ipse uero puer se potius uelle dicere sicut legerat affirmabat : et sicut scriptum erat se potius credere uelle dicebat . Tunc ille per auctoritates hæc ei persuadere : ut poterat : nitebatur : quas omnes puer spiritusancto plenus contra eum conuertit : eumque proprio gladio percussit : ut ille quo diuerteret non haberet : qui indigne ferens a puero se confusum et patri totum quod inter se gestum fuerat retulit : et ut petrinum a scholis remoueret in omnibus persuasit . Timeo enim ait ne cum petrinus bene fuerit

eruditus : ad meretricem illam se conferat : et sic fidem nostram destruat et confundat . Qui nesciens uerum dixit : dum Petrum hæreticorum perfidiam destructurum esse tanquam alter Cayphas prophetauit . Sed quia res a deo fiebat : beati Petri pater fratris monitis assensum non præbuit : sperans quod per aliquem hæresiarcham ad suam sectam eum trahi faceret : cum in gramaticalibus fuerit eruditus . Videns igitur puer sanctus || non esse tutum cum scorpionibus habitare : mundum et parentes despiciens mundus ipse fratrum prædicatorum ordinem ingressus est . In quo quidem ordine triginta fere annorum spatio fultus catherua uirtutum fide præambula . Spe astante comite caritate sic præualuit : et profecit circa ipsius maxime defensionem fidei : pro qua totus ardebat : quod contra illius duos hostes mente intrepida frequenteque spiritu continuum certamen exercens et agonem diutinum uictrici martyrio feliciter consumauit . Et sic Petrus firmus in .† petra fidei petra demum passionis allisus ad petram Christum dignæ laureandus ostenditur . Virginitatem quoque mentis et corporis semper illibatam seruauit : nec alicuius mortalis criminis unquam sensit contactum : sicut suorum confessorum fideli testimonio probatum est . et quia seruus delicate nutritus proteruit in dominum carnem suam assidua cibi et potus parcitate restrinxit . Ne uero per ocii desidiam hostilibus pateret insidiis : in iustificationibus domini exercebatur assidue : ut eo circa licita totaliter occupato : locum in ipso illicita non haberent : et spiritualibus nequiciis tutus esset . Nocturna siquidem silentia humanæ deputata quieti post dormitionem breuem decurrebat in studiis lectionum tempus somnii occupabat uigiliis . Dies autem impendebat commodis animarum uel sedulis imminendo prædicationibus uel confessionum audientiæ insistendo : aut hæreticorum dogma pestiferum ualidis rationibus confutando : In quibus spiritualis dono gratiæ noscitur claruisse . Deuotione insuper gratus : humilitate lætus : obedientia placidus : benignitate suauis : pietate compatiens patientia constans : caritate præstabilis et in cunctis morum maturitate compositus : alios profusis uirtutum aromatibus attrahebat . Feruens quoque amator fidei et cultor : præcipuus propugnator : ardentior sic animo suo fide impræsserat : sic se totum in illius mancipauerat obsequium : quod quæque illius uerba et opera uirtutem fidei redolebant . Pro hac quoque mortem subire cupiens hoc principaliter a domino attentis et crebris supplicationibus postulasse probatur : ut non eum ex hac luce migrare : nisi sumpto pro illa calice passionis permitteret . Nec fraudatus est tandem a desyderio suo . Multis ue | ro in uita sua miraculis claruit . Nam cum apud Mediolanum quemdam episcopum hæreticorum a fidelibus captum beatus Petrus examinaret : multi episcopi religiosi et maxima pars ciuitatis illuc conuenisset : et dies tum ex prædicatione tum ex examinatione in longum protracta fuisset et maximus estus cunctos affligeret : dixit ille : O Petre peruerse si tu a deo sanctus es sicut hic stultus populus existimat cur eum æstu mori permittis : et non rogas dominum : ut nubem aliquam interponat : ut non stultus hic populus tanto æstu moriatur . ad quem beatus Petrus respondit : Si uis promittere abnegaturum te esse hæresim tuam et fidem catholicam recepturum : rogo dominum : et faciet quod : dixisti : Tunc fautores hæreticorum conclamantes hæresiarchæ dixerunt promitte promitte . Credebant enim fieri nequaquam posse : quod beatus Petrus se facturum coram omnibus spopondit maxime uero cum nulla uel minima nubecula impenderet in aere . Catholici autem super obligatione beati Petri tristari cœperunt timentes : ne orthodoxa fides ex hoc confusionem paritura esset cum ergo hæreticus obligare se nollet : ingentis fiduciæ . beatus Petrus dixit : ut tandem uerus deus uisibilium et inuisibilium creator esse ad consolationem fidelium confusionem uero hæreticorum declaretur rogo deum : ut aliqua nubecula ascendat : seque soli ac populi interponat quod mox præmisso crucis signaculo per magnam horam factum est instar papilionis populum nubecula protegente . Contractus quidam nomine Aserbus : per quinque annos adeo . ut per terram in sextario trãheretur Mediolanum ad beatum Petrum ductus est : quem cum beatus Petrus signasset : sanatus continuo surrexit . Quædam etiam miracula quæ per eum dum uiueret dominus fecit Innocentius in antedicta epistola recitat dicens : Cum cuiusdam nobilis filius præ nimio et horribili gulæ tumore nec loqui nec spirare posset : ad deum manus extulit Petrus : et crucis in eo facto signaculo illoque accipente† ipsius capam : et infirmo superponente loco sanauit : idem quoque uehementi postmodum communis torsione grauatus credens et metuens exinde sibi mortis imminere discrimen capam

ipsam quam ab eo tempore conseruauerat reuerenter iussit afferri : quæ suo apposita peccatori mox quendam || uermem duo habentem capita et pilorum densitate uillosum euomuit : plenaque liberatio secuta est . Cuiusdam etiam iuuenis muti digitum in os immisit : ex quo linguæ soluto ligamine beneficium loquendi consecutus est . Hæc plura dum uiueret dignatus est dominus operari . Verum cum pestis hæretica in lombardiæ prouincia pullularet : multasque iam ciuitates contagione pestifera infecisset : summus pontifex ad abolendam diabolicam pestem diuersos inquisitores ordinis prædicatorum ad diuersa lombardiæ loca delegauit . Sed cum apud Mediolanum hæretici non solum multi numero sed etiam magni sæculari potentia et fraudolenta eloquentia acuti plenique diabolica scientia moram traherent : summus pontifex sciens beatum Petrum uirum constantem et magnanimum esse : qui ab hostium multitudine non paueret : per quem aduersariorum potentiæ nec in modico cederet . cognoscensque eius facundiam per quam facile fallacias hæreticorum detegeret animo ignorans insuper ipsum in diuina plene sapientia eruditum : per quam friuola hæreticorum argumenta rationabiliter confutaret : ipsum tam strenuum fidei pugilem et tam indefessum domini bellatorem in Mediolano eiusque commitatu instituit : et inquisitorem suum auctoritate concessa plenaria ordinauit . Ipse igitur iniunctum sibi officium diligenter exercens hæreticos ubique perquirebat : nullam eis requiem tribuens : sed mirabiliter omnes confundens potenterque expellens sapienter conuincens : ita ut non possent resistere sapientiæ et spiritui qui loquebatur in eo . Quod uidentes hæretici et dolentes : de ipsius morte cum suis fautoribus tractare cœperunt : arbitrantes se posse pacifice uiuere : si eorum tam ualidus persecutor de medio tolleretur . Cum igitur intrepidus prædicator mox martyr futurus ab urbe Como Mediolanum pro inquirendis hæreticis pergeret : in ipso itinere palmam martyrii assecutus est : sicut Innocentius explicat in hæc uerba : cum de ciuitate cumana ubi fratrum sui ordinis immorantium prior erat Mediolanum pergeret : pro exequenda inquisitione contra hæreticos sibi ab apostolica sede commissa : sicut in publica prædicatione prædixerat : quidam de ipsorum hæreticorum credentibus præce illorum inductus et prætio : in eum iter | salutaris propositi prosequentem funestus insiliit : in agnum utique lupus : ferus in mitem in pium impius : furibundus in mansuetum : in modestum efrænis : profanus in sanctum præsumit insultum : exercet conatum : mortem intentat . Sacrum autem illius caput crudeliter impetens sæuis uulneribus et satiato sanguine iusti ense uenerandum illum non diuertentem ab hoste sed se exhibentem in patientia dimisit occisum . Ipso quoque sacrilego percussuras in Christi ministrum geminas conculcante : ille non querula uoce murmurans : sed sufferens omnia patienter suum domino spiritum commendabat dicens : In manus tuas domine commendo spiritum meum . Symbolum etiam fidei cœpit dicere : cuius nec in hoc articulo desiit esse preco : prout ipse nefandus qui a fidelibus captus fuit : et quondam frater Dominicus qui comes illius erat : et ab ipso lictore percussus diebus aliquibus superuixit : postea retulerunt . Sed cum adhuc martyr domini palpitaret : cultellum crudelis lictor arripuit : et per latus eius transfixit . In ipsa autem die sui martyrii confessor martyr propheta et doctor quodam modo esse promeruit . confessor in eo quod fidem christi etiam inter tormenta constantissime confessus fuit : et in eo quod ipsa die confessione more solito facta obtulit deo sacrificium laudis : Martyr in eo quod pro defessione† fidei sanguinem suum fudit : propheta in eo quod cum ipse tunc quartanam pateretur et sotii dicerent : quod non possent Mediolanum applicare : ille respondit : Si non poterimus domum fratrum peruenire : apud sanctum Simplicianum poterimus hsopitari† : Quod et factum est . Nam cum eius sacrum corpus deferretur : fratres propter nimiam populi frequentiam non potuerunt illud eadem die domum deducere . Sed apud sanctum Simplicianum deposuerunt : et ibidem nocte illa remansit . Doctor in eo quod etiam cum pateretur fidem ueram edocuit : dum symbolum fidei clara uoce cecinit . Eius quoque passio ueneranda dominicæ passioni multum similis fuisse uidetur . Christus enim passus est pro ueritate quam prædicabat : Petrus pro ueritate fidei quam defendebat . Christus passus est ab infideli populo Iudæorum . Petrus ab infideli turba hæreticorum . Christus in pascali tempore crucifigitur . Petrus eodem tempore martyrium patitur . Christus cum pateretur : In ma || nus tuas comendo spiritum meum dicebat . Petrus cum occideretur eadem uerba clamitabat . Christus pro triginta denariis fuit traditus : ut crucifige-

retur . Petrus pro libris quadraginta populo fuit uenditus : ut interficeretur . Christus per passionem multos ad fidem adduxit . Petrus per mortem hæreticos multos ad fidem conuertit . Quamuis enim pugil egregius hæreticorum dogma pestiferum in uita sua plurimum eradicauerit : Post mortem tamen suam eius meritis et corruscantibus miraculis fuit adeo extirpatum : ut quamplurimi errorem suum relinquerent : et ad gremium sanctæ ecclesiæ conuolarent : ita ut ciuitas mediolanensis et comitatus eiusdem : ubi tot conuenticula hæreticorum residebant : adeo sit purgata : ut aliis expulsis et aliis ad fidem conuersis nullus ibidem auderet aliquatenus apparere . Plures etiam ex eis maximi et præclari uiri prædicatorum ordinem sunt ingressi : qui usque nunc hæreticos omnes eorumque fautores feruore mirabili persequuntur . Sic noster Sampson plures philisteos interfecit moriens : quam occiderat uiuens . Sic granum frumenti cadens in terram : et infidelium manibus compræssum et mortuum huberem consurgit in spicam . Sic botrus in torculari præssus liquoris refundit copiam . Sic aromata pilo concusa odorem plenius circumfundunt . sic granum sinapis contritum uirtutem suam multipliciter demonstrat . Igitur post sancti uiri gloriosum triumphum multis eum dominus miraculis illustrauit : quorum quædam summus pontifex refert dicens : Post mortem ipsius lampadas ad sepulchrum eius uenerabile dependentes : pluries per se ipsas absque omni humano studio et ministerio diuinitus sunt accensæ : quia conueniens erat : ut quoniam ignæ diuinæ fidei excellenter claruerat : singulare de ipso ignis et luminis miraculum appareret . Quidam autem dum uesceretur cum aliis et eius sanctitatem et miracula deprauaret : sumpto quodam sub ostentatione morsello quod eum non posset si circa hoc delinqueret transglutire : sensit et mox ipsum suo gutturi sic hærentem : ut illum educere uel inducere non ualeret . quare illico pœnitens etiam uultus mutato colore : quasi sentiens uicinæ mortis euentum facto intra se uoto quod | linguam de cætero ad talia non laxaret : fuit protinus illo euomito liberatus . Hydropica quædam ad locum eius passionis auxilio uiri perueniens fusa ibi oratione sanitatem integram mox recepit . Obsessas a dæmonibus longo tempore mulieres martyr ipse deiectis illis cum multo sanguinis uomitu de corporibus liberauit . Febres expulit : langoresque curauit plurimos et diuersos . Cuidam sinistræ manus digitum ex mrobo† fistulæ plurimorum foraminum concauitate defossum mira consolidatione sanauit . Quidam insuper puer ex casu grauissimo sic opræssus est : ut motu et sensu penitus destitutus tanquam mortuus defleretur : mox apposito de terra suo pectori sacro eiusdem martyris cruore contacta : incolumis exurrexit . Quædam etiam cuius carnem cancer edax multa et deformi corrosione uorabat linitis huius modi terra uulneribus est curata . Alii etiam diuersis infirmitatibus affecti : qui sepulchrum eius in uehiculis et aliis substentaculis adierunt : et inde postmodum plena incolumitate recepta sine aliquibus subsidiis rediere . Cum autem summus pontifex Innocentius quartus beatum Petrum sanctorum martyrum cathalogo ascripsisset : fratres apud Mediolanum ad capitulum conuenerunt . Volentes autem eius corpus ad altiorem locum transferre : cum plus quam per annum sub terra iacuisset : ita sanum et integrum ac sine alicuius exalatione fætoris repertum est : ac si eadem fuisset die sepultum . Fratres igitur super magnum pulpitum intra plateam corpus eius cum magna reuerentia deduxerunt : et ibidem sanum et integrum omni populo est ostensum : et ab eo suppliciter adoratum . Præter miracula supradicta in litteris summi pontificis posita : pluribus alia sunt comperta : Nam super locum passionis eius sæpe luminaria de cælo descendentia : et ad cælum ascendentia plures religiosi aliique duos fratres in habitu prædicatorum se uidisse testati sunt . Quidam iuuenis Guifredus nomine de ciuitate Cumana dum de panno tunicæ sancti Petri haberet : et quidam hæreticus eidem deridendo diceret : ut si sanctum eum credebat : in ignem pannum ipsum proiiceret : et si comburi non contingeret : absque dubio sanctus esset : et ipse suæ fidei adhæreret mox super carbones accensos pan || num sancti Petri proiecit : qui ab ipso igne altius resiliuit . Deinde per se super carbones rediens ipsos ardentes penitus extinxit . Tunc incredulis ille dixit : Sic per omnia pannus tunicæ meæ faciet . Positus est igitur super alatos carbones ex una parte pannus hæretici : et ex alia parte pannus sancti Petri . Pannus autem hæretici mox ut ignis calorem sensit penitus est combustus : pannus uero sancti Petri in ignem præualuit : et ignem ipsum extinxit . itaque quod nec pilus aliquis de eo combustus fuit . Quod uidens hæreticus ad uiam

ueritatis rediit : et miraculum omnibus publicauit . Apud Florentiam iuuenis hæretica prauitate corruptus : cum in ecclesia fratrum cum quibusdam aliis iuuenibus ante tabulam : in qua sancti Petri depictum erat martyrium staret : uidens lictorem euaginato ipso gladio in actu percutiendi dixit : Vtinam ego ibi fuissem : quia ualidius percussissem : quo dicto statim mutus effectus est . Cumque socii requirerent : quid haberet et ipse nihil responedre† posset : eum domum reduxerunt . Sed cum in uia quandam ecclesiam sancti Michaelis uidisset : elapsus de manibus sociorum ecclesiam intrauit : et flectens genua : corde sanctum Petrum rogauit : ut sibi parceret : uoto sicut potuit se obligans : quod si liberaretur : peccata sua confiteretur : et omnem hæresim abnegaret : quo facto subito loquelam recuperauit : ueniensque domum fratrum abiurata hæresi : peccata sua confessus est : data licentia confessori ut hoc populo prædicaret . Ipse quoque in publica fratrum prædicatione surgens coram omni multitudine hoc confessus est . Nauis quædam dum in medio mari pene naufragium pateretur : sæua fluctuum inundatione quassata : omnesque caliginosæ noctis tenebris tenerentur : uniuersi nautæ diuersorum sanctorum suffragia postulabant . Sed cum nullum suæ liberationis uiderent indicium : seque periclitari plurimum formidarent : quidam ex eis natione genuensis facto silentio : sic eos alloquitur : uiri fratres nunquam audistis quod quidam frater ordinis prædicatorum nomine frater Petrus nuper ob defensionem fidei catholicæ sit ab hæreticis interfectus : multaque per eum dominus signa ostendat . Nunc igitur deuote eius patrocinium imploremus : quia spero : quod a nostra nequaquam postulatione fraudabimur . Tunc omnes bea | tum Petrum in sui auxilium deuotis precibus inuocauerunt : et illis adhuc orantibus mox antenna nauis in qua uelum appenditur cereis accensis tota plena conspicitur : ita quod omnis obscuritas illorum cereorum mirabili fulgore fugatur : noxque illa tam caliginosa in diem clarissimum commutatur . Respicientesque uiderunt quendam cum habitu fratrum prædicatorum super uelum stantem : de quo nulli dubium fuit : quin beatus Petrus extiterit . Statim igitur mare quieuit : et tranquillitas magna secuta est . Cum ergo prædicti nautæ Genuam incolumes aduenissent : domum fratrum prædicatorum uenerunt : deo et beato Petro gratias referentes : eisdem fratribus totius miraculi seriem narrauerunt . Mulier quædam in Frandria† cum iam tres filios mortuos peperisset : et ex hoc uiro suo odio esset : rogauit sanctum Petrum ut sibi in auxilium fieret . Cum ergo quartum filium peperisset : similiter mortuus est repertus : quem mater accipiens ad rogandum sanctum Petrum totam se contulit : ut filium suum reuiuiscere faceret . Vix orationem compleuerat : et ecce qui erat mortuus apparuit uiuus . Cum igitur ad baptismum delatus fuisset : et ut Iohannes uocaretur esset diffinitum : sacerdos cum eius nomen dicere debuit : nesciens dixit Petrus : Vnde istud nomen ex deuotione sancti Petri postmodum semper retinuit . In prouincia Theutoniæ apud Traiectum mulieres quædam uidentes fratres prædicatores ecclesiam quandam in honorem sancti Petri martyris fabricare : et magnum ibidem concursum fieri populorum : dum ipse in platea consisterent et pensa traherent astantibus sic dicebant : Ecce isti prædicatores omnem modum lucrandi nouerunt . Nam ut magnam possint pecuniam cumulare et lata ædificare palatia : unum nouum martyrem inuenerunt . Dum hæc et similia dicerent : ecce subito filum totum sanguine cruentatur : et digiti quibus filum torquebant sanguine mox replentur : quod illæ uidentes et admirantes : digitos diligenter extergunt : ne forte in eis accidisset aliqua incisura . Sed cum digitos omnino sanos conspicerent : et filum sic sanguinolentum uiderent : trementes ac pœnitentes dicere cœperunt : Vere quia præcioso martyris sanguini detraximus : nobis hoc sanguinis miraculum || tam stupendum euenit . Currentes igitur domum fratrum : priori omnia exposuerunt : ac filum sanguine cruentatum eidem ostenderunt . Prior autem ad multorum instantiam sollemnem prædicationem fecit : et quicquid prædictis mulieribus acciderat omnibus rettulit et cruentatum filum ostendit . Verum quidam magister artis grammaticæ in eadem prædicatione consistens : factum ipsum cœpit plurimum deridere : et astantibus dicere : Videte quonam modo isti fratres simplicium corda hominum decipiunt . Nam cum aliquibus mulierculis de suis familiaribus condixerunt : ut filum ipsum in aliquo sanguine tingerent : et sic miraculose accidisse narrarent . Dum hæc ille diceret : protinus diuinæ ultionis plagam accepit : et ipsum ualidissimarum febrium æstus multis conspicientibus sic uexauit : ut a prædicatione ipsa amicorum manibus

in domum propriam deferretur . Sed cum uæhementer febris excresceret : et ille mortem uicinam timeret : prædictum priorem accersiri fecit : et peccatum suum confitens : domino et beato Petro coram dicto priore uotum uouit : quod si eius meritis sanitatem reciperet : eum semper in speciali deuotione haberet : et de cætero linguam ad talia non laxaret . Mira res . Mox ut prædictum uotum protulit : integra sanitate potitus est : deinde supprior prædicti loci quosdam pulcherrimos lapides et magnos in quadam naui pro constructione supradictæ ecclesiæ duceret : nauis ipsa ex improuiso cuidam littori sic inhæsit : ut nullatenus ammoueri posset . Descendentes uero nautæ omnes unanimiter ipsam impellebant : sed nullatenus eam mouere poterant . Cum ergo nauem se amisisse putarent : prædictus supprior omnibus abire iussit : manum ad nauem apposuit : et leuiter ipsam inpellens dixit : In nomine sancti Petri martyris : in cuius honorem lapides istos deferimus : uade : Statimque nauis uelocissime se mouit : et de littore sana recessit . super quam nautæ ascendentes læti incolumesque ad propria remearunt . In Franciæ ciuitate Serionis puella quædam cum in aqua raptim transiens cecidisset : et per magnum stetisset spatium temporis : tandem de flumine mortua extracta est : Mortis cuius erant quatuor argumenta : magnum temporis spacium : rigiditas corporis et frigi | ditas et nigredo . Delata est igitur a quibusdam ad ecclesiam fratrum . Quod qui cum eam sancto Petro uouissent : continuo uitæ reddita est et saluti . Frater Iohannes Polonus cum apud Bononiam quartana laboraret : et in festo sancti Petri martyris sermonem ad clerum facere deberet : eadem nocte iuxta cursum naturalem expectans : timere ualde cœpit : ne iniuncto sibi sermone accessione febris deficeret . Ad sancti igitur Petri suffragia coram ipsius altari cum deuotione accessit : orans : ut eius meritis iuuaretur : cuius debebat gloriam prædicare : Sicque factum est : quod illa nocte pœnitus febris cessauit . eumque postea nunquam inuasit . Matrona quædam nomine Girolda uxor Iacobi Vallesanæ cum per quattuordecim annos ab immundis spiritibus obsessa fuisset : uenit ad quendam sacerdotem dicens : Fgo† sum dæmoniaca : et spiritus malignus me uexat . Mox sacerdos territus fugiensque sacristiam intrauit : et librum quendam in quo erant coniurationes dæmonum : et stolam latenter sub capam deferens cum bona societate ad mulierem rediuit : quem mox ut uidit . Latro inquit pessime quo iuisti ? quid est : quod sub capa occulte portasti ? Cum autem sacerdos ad iurationes suas faceret : et nil curationis afferret : uenit illa ad beatun† Petrum dum adhuc uiueret ab eo postulans adiuuari . Cui ille prophetica uoce respondit : confide filia . ne desperes : quia et si quod postulas perficere ad præsens non ualeo : tempus tamen ueniet : quo a me id quod petis plenarie obtinebis . quod et factum est . Nam post passionem eius cum ad illius sepulchrum prædicta mulier accessisset : ab illa infestatione dæmonum fuit penitus liberata . Mulier quædam nomine Euphemia de loco cortiongo mediolanensis diocesis septem annis a dæmonibus uexata est . Sed cum ad sepulchrum sancti Petri ducta fuisset : cœperunt dæmones eam amplius agitare : et per os audientibus cunctis clamare . Mariola Mariola . Petrine Petrine . Tunc exeuntes eam quasi mortuam dimiserunt . sed post modicum plene sanata surrexit . Asserebat autem : quod diebus dominicis : et festiuis et maxime quando missa celebrabatur : eam dæmones amplius molestabant . Quædam mulier nomine Verbona de Beregno per sex annos a dæmonibus agitata : Cum ad sepulchrum || sancti Petri adducta fuisset : uix a multis uiris poterat detineri : Inter quos erat quidam credens hæreticorum prauitati nomine Conradus de Ladriano qui : illuc aduenerat : ut sancti Petri miracula derideret : Qui cum prædictam mulierem cum cæteris detineret : dæmones eidem per mulierem† dixerunt : Cur tenes nos ? Nonne noster es ? Nonne ad talem te locum portauimus : et ibi tale perpetrasti homicidium . Nonne ad talem locum te deduximus : et ibi tale et tale flagicium commisisti ? Cumque multa ei peccata diceret : quæ nullus alius præter se tantum sciebat uæhementer expauit . Mox autem dæmones collum mulieris excoriantes et inde exeuntes semiuiuam eam dimiserunt : sed post modicum penitus sanata surrexit . Prædictus autem Conradus hoc uidens et stupens ad fidem catholicam est conuersus . Vir quidam nomine Opico hæreticis adhærens cum occasione cuiusdam hæreticæ consanguineæ suæ ad ecclesiam fratrum uenisset : et ad tumbam sancti Petri pergens duos ibi denarios conspexisset ipsos accipiens dixit : Bonum est : ut bibamus istos . Statim totus cœpit tremere : nec de loco eodem aliquatenus se mouere potuit . ex quo territus denarios ipsos suo loco mox restituit : et sic inde abscessit . Videns

autem beati Petri uirtutem : hæresim deseruit : et ad fidem catholicam se conuertit . Sanctimonialis quædam erat in Alemania in claustro Ocumbath ordinis sancti Sixti constantiensis diocesis : quæ per annum et amplius grauem podagram in genu perpessa est : ita quod nullo remedio poterat liberari . Hæc quia sepulchrum sancti Petri corporaliter uisitare non poterat : ut pote quæ erat sub obedientia constituta : et quæ infirmitate grauissima urgebatur : cogitauit saltem prædictum sepulchrum mentali gressu adire : ac deuotione sedula uisitare . Discens uero quod in quattuordecim diebus de loco illo Mediolanum possit adiri : quottidie pro qualibet die centum pater noster ad honorem beati Petri dicere cœpit . Mirum in modum cum istas mentales dies taliter cœpit agere : successiue semper et paulatim melius se habere cœpit . at ubi ultimam diem perfecit : et ad tumbam mentali gressu peruenit : flexis genibus ac si præsentialiter coram tumba astaret : psalterium cum deuotione maxima totum legit : quo expleto | ab illa infirmitate adeo liberatam se sensit : ut iam uix modicum quid sentiret . Rediens uero eo modo quo iuerat : antequam omnes dies expleuisset penitus sanata est . Vir quidam de canapitio de uilla Magati Ruffinus nomine grauem ualde infirmitatem incurrit . Nam uena fracta in inferioribus partibus anterius sine cessatione sanguinem emittebat . Itaque a uullo† medicorum aliquod ei remedium adhiberi poterat . cum ergo sanguis per sex dies et noctes continue effluxisset : beatum Petrum deuote in sui auxilium aduocauit : qui tam subito sanatus est : ut inter effusam orationem receptamque liberationem nullum pene fuerit interuallum . Cum uero se sopori dedisset : quendam fratrem uidit in habitu ordinis prædicatorum crassum facie atque nigellum : quem sotium beati Petri martyris existimabat : sicut et uere eiusmodi formæ extiterat : qui palmas plenas sanguine cum quodam suaui unguento eidem offerebat dicens : Sanguis adhuc recens est . Veni ad recentem sanguinem sancti Petri : qui euigilans sepulchrum sancti Petri statuit uisitare . Quædam comitissæ de castro Masino hypporeciensis diocesis cum in beatum Petrum spiritualem deuotionem haberent : eiusque uigilia ieiunarent : cum ad suam ecclesiam ut audirent uesperas accessissent : una earum candelam in honore beati Petri martyris ante quoddam altare beati Petri apostoli comburendam posuit : quæ cum domum redissent : sacredos† auaricia ductus in ipsam candelam sufflans eam extinguere uoluit : sed mox lumen rediit : et denuo ipsam accendit . Secundo ac tertio eam extinguere uoluit : quare tædio affectus : chorum intrauit : et ante maius altare aliam candelam inuenit : quam clericus in honorem beati Petri posuerat : qui eius uigilia similiter ieiunauerat . hanc etiam sacerdos bis extinguere uolens nequiuit . Quod uidens clericus iratus dixit : Diabole apertum miraculum non uides ? sanctus enim Petrus non patitur : ut suam extinguatis candelam . Territi igitur et stupentes sacerdos et clericus castrum ascenderunt : prædictumque miraculum omnibus narrauerunt . Vir quidam nomine Roba de Meda cum usque ad uestes ludo omnia perdidisset : domum uesperi rediens cum lucerna accensa lectum adiit : uidensque se tam uiles || pannos habere : et se tot amisisse consyderans : præ nimia desperatione cœpit dæmones inuocare : ac se eisdem ore nefario commendare : Statimque tres dæmones affuerunt : qui lucernam accensam in solarium proiicientes eum per collum arripuerunt : adeo fortiter ipsum stringentes : ut nullatenus loqui posset : quem cum plurimum agitarent : qui erant in inferiori domo ascendentes dixerunt : quid est : quod agis Roba ? dæmones uero Responderunt : Ite in pace uestra : et lectos uestros ingredimini . Illi autem prædicti uiri uocem esse credentes . protinus redierunt : Illis recedentibus cœpit multo fortius a dæmonibus agitari : quod illi cognoscentes : sacerdotem protinus aduocauerunt : qui cum per beatum Petrum dæmones adiurasset : duo protinus exierunt . Sequenti autem die ad sepulchrum sancti Petri deductus est : Ad quem frater Guilielmus de uercellis accedens : cœpit dæmonem increpare : qui eum quem nunquam uiderat ex nomine uocans ait : Frater Guilielme per te nunquam ex ibo : quia hic noster est : et opera nostra fecit : eum uero cum interrogasset : quo nomine uocaretur : ait : Vocor Balzephes . Verum cum per beatum Petrum adiuratus fuisset : ipsum in terram proiiciens : mox exiuit . Ipse autem perfecte sanus remansit : et penitentiam salutarem accepit . Cum quidam hæreticus acerrimus disputator et eloquentie singularis cum beato Petro dum adhuc uiueret disputaret : et errores suos subtiliter et acute proposuisset in medium : ac beatum Petrum ut Responderet ad proposita importunus perurgeret : ille deliberationem petens : oratorium quod prope erat intrauit cum lachrymis deum orans : ut

causam fidei suæ defenderet : et loquacem tumidumque aut ad fidei ueritatem reduceret : aut linguæ priuatione puniret : ne per eam de cætero contra fidei ueritatem intumesceret . Rediensque ad hæreticum coram omnibus palam dixit : ut suas iterum proponeret rationes : qui ita penitus factus est mutus : ut nec ullum solum uerbum aliquatenus proferre ualeret : quam ob rem hæretici confusi recesserunt : et catholici deo gratias retulerunt . Cum in ramis palmarum dum adhuc uiueret : Mediolani predicaret : ibique utriusque sexus esset maxima multitudo : dixit alta uoce : Scio pro certo quod hæretici tra | ctant mortem meam : ita ut pro morte mea iam pecunia deposita est . Sed faciant quidquid possunt : quia magis eos mortuus persequar quam nunc uiuus . quod uerum fuisse manifestum est . Apud Florentiam in monasterio de Ripulis . sanctimonialis quædam in oratione posita ea die qua beatus Petrus mortem sustinuit : uidit beatam uirginem in excelso thoro in gloria residere : duosque fratres ordinis prædicatorum in cælum ascendere : et hinc inde iuxta eam collocatos esse : cumque inquireret : quinam essent : audiuit uocem ei dicentem : Hic est frater Petrus : qui in conspectu domini tanquam fumus aromatum gloriosus ascendit . compertumque uere est eadem die illius mortem subsecutam : qua dicta sanctimonialis uisionem habuit . Vnde cum graui et longa infirmitate laboraret : ad rogandum beatum Petrum tota deuotione se contulit : et sanitatem integram mox recepit . Scholaris quidam cum de Magalona ad Montempessulanum rediret : ex quodam saltu adeo est ruptus in inguine : ut dolore nimio uexaretur : et incedere non ualeret . Hic aliquando audiens prædicari : quod quædam mulier terram sanguine beati Petri respersam super cancri corrosionem ponens : fuerat liberata dixit : domine deus de terra illa non habeo : Sed qui illi terre beati Petri tantam uirtutem dedisti : potes et isti dare . Accipiens igitur de terra cum signo crucis et inuocatione matris loco supposuit : et statim curatus est . Anno domini Milesimo ducentesimo sexagesimo in ciuitate Compostelis fuit Benedictus nomine qui inflatas tibias habebat quasi utres et uentrem tumentem instarque prægnantis faciem præ nimio tumore horribilem totumque corpus tumefactum ita ut monstrum esse uideretur . Hic cum a quadam matrona uix baculo se sustentans eleimosynam peteret : illa Respondit : magis fossa quam cibo aliquo indigeres . Sed meo consilio acquiesce : et domum fratrum prædicatorum pergens et peccata tua confitens beati Petri patrocinia inuoca . Ille autem cum mane domum fratrum uenisset hostiumque ecclesiæ clausum esset : secus portam se reclinauit : et dormiuit . Et ecce quidam reuerendus in habitu prædicatorum eidem apparuit : et capa ipsum cohoperiens ecclesiæ introduxit . Ille autem euigilans et intus ecclesiam se reperit : et perfecte se sanatum inuenit . quæ res multis admira || tionem intulit et stuporem : cum hominem uideret pene mortuum tam subito liberatum .

PASSIO SANCTARVM VIRGINVM . ID EST PISTIS QVOD EST FIDES . ELPIS QVOD EST SPES . AGAPE QVOD EST CARITAS ET MATRIS EARVM SOPHIAE QVOD EST SAPIENTIA .

Licet omnium sanctorum ueneranda gesta uenerabiliter a piis animis legantur et audiantur : nec quisquam poterit ex legentibus seu legendo seu audiendo :† gesta sanctorum piger remanere : et non discussa mentis infirmitate : alacer ad eorumdem sanctorum uenerabilis palmas festinare : ut quos talis passio sancta minimæ occupauit : credulitas et legendi studium et audiendi capacitas faciat socios : obsecro itaque uos omnes qui orbem incolitis ego minimus omnium Iohannes presbyter mediolanensis ciuitatis seruus seruorum Christi : ut si cui donatum fuerit legere uel audire sanctorum martyrum gesta : discussa caligine sæculi quæ habitare consueuit in filiis incredulitatis sereno corde oculoque interioris hominis collyrio ueritatis inuncto sanctorum imitatores existite : ut ualetis : ne in nouissimo audiatis : annunciatum est uobis sed non audistis : Et itererum† scienti bonum et non facienti peccatum est illi : Illis itaque temporibus quibus idolorum cultus : duce perditionis Adriano imperatore tunc

sanctorum fides probabatur : et pie uiuentium in Christo corpora intra urbem Romam diuersis pœnis interficiebantur : quædam matrona nomine Sophia ex urbe mediolanensi quæ omnium matronarum decus dignoscebatur : omni ciuica ei subiacente prouincia : Cum esset igitur primario ciuitatis iugo maritali succumbens : contigit ut amisso marito cum esset ab ipsis cunnabulis christiana soluta dominatione uiri : uenderet omnia bona : quæ suæ licentiæ subiacere dignoscebantur : et hæc in pauperes et in redimendis captiuis erogabat : cumque hæc omnia fideliter Christo iubente consummasset : supererant opes mariti : quas trium filiarum suarum futuras esse non ambigebat : Tunc conuocatis mater uenerabilibus uirginibus di | xit ad eas : Veneranda mihi pignora nunc aduenit nobis uindemiæ tempus : nunc messis matura lætatur . Iam enim in proximo est : ut butriones conculcentur : et triticum a paleis segregetur : Vnde sanctissima pignora : dolores et gemitus uiscerum meorum : queso uos : ut ab istius sæculi amara dulcedine animos declinetis : Totamque animi intentionem et corporis uestri æternæ læticiæ tradatis : Ne delectent uos falsa blandimenta peritura mundi : nec diuitiarum abundantes census illi æternæ promissioni præponatis : Sed præ oculis habeatis apostoli uocem suauiter inuitantem : Præterit enim figura huius mundi : Volo uos sine sollicitudine esse : Ille enim sine sollicitudine esse poterit : qui militans deo uacat a sæculi negotiis : ut illi placeat : cui se probauit : Dicente deo per prophetam : uacate et uidete : quia ego sum deus : Et dominus in euuangelio adolescenti dixit : Dimitte inquit mortuum mortuis : ut ab eis sepelliatur . Tu autem sequere me : Vnde et uos similis delectet mundi contemptus et dapes paternæ quæ licentiæ uestræ relictæ sunt : uoluntarie a uobis sacrificium Christo offerantur : Vnde eas tyrrannica fortitudo non ualeat ex culpere : Ad hæc respondens filia Elpis dixit : Ego nominis mei sector hæreditatem et illius spei quæ non uidetur : Nam spes quæ uidetur non est spes : Spem ergo perituram in sæculo contemnam : et ad spem illam æternam quæ manet in deo meo me extendam : nec temporalem requiro substantiam : cui Christus promittit æternam . Subsecuta Pistis quod est fides dixit : Cordis mei intentio hæc est : ut uocabili† mei nominis rectum teneam tramitem ut de istius sæculi uisco erepta integram fidem exhibeam Christo : ut uere sanctarum uirginum sapientum choro coniuncta : oleo non deficiente de uasculo : fulgente lampade conscientiæ meæ thalamo æterni regis includar . Post hæc uenerabilis Agape quod est caritas dixit : Bona gemmata confessio sororum mearum in odorem suauitatis Christo ascendit : nec ego ab earum calle sequendo a sæculi uoluptatibus irrætita remanebo : quia nominis mei magnas facultates promissas possidere desydero : Nihil enim habet : qui Christi caritatem et proximi non tenet : Tunc enim carior || ero si eius caritate non parentum non mundi amorem præponam : Facultates caducas erogando : acquiro æternas : Hæc audiens uenerabilis Sophia ipsa mater lætabatur in domino : Et ut earum fides roboraretur in Christo : audita est subito uox dicens : pax uobis : confortetur cor uestrum in domino . Ego enim Adonai Hemanuel : qui confirmo hoc opus : quod operor in uobis . Post hæc intra pauci temporis spacia uenerabilis Sophia omnem censum diuitiarum suarum sicut superius memorauimus erogauit in pauperes : et in redimendis captiuis tribuit : omnemque familiam utriusque sexus circiter decemmilia libertate donauit . Tunc itaque intenta cum uideret promptum animum infantum ad supernæ uocationis brauium festinare : dixit ad eas : Sancta mihi in Christo uiscera pietatis uocem domini nostri Iesu Christi audiamus : quam dicit propheta : nemo in patria sua honorem habet : Idem ipse dominus ad Habraham patrem omnium gentium sic loquitur : Exi de terra tua et de cognatione tua : et derelinque domum patris tui : et uade in terram quam dixero : et faciam te in gentem magnam . Ad hæc ille non piger auditor derelicto mundo adhuc in ipsa uernantæ ætate obædiuit illi : qui sæculum senectute concludit : et solus cum sæculo non senescit . Ita et nos condecet facere : ut ubi audiuimus martyrum florere uictorias : Festinemus : ut comprehendamus imo ut nos a Christo comprehendamur : nec a uestigiis sanctorum seperemur . Tunc sanctæ uirgines matris monitiones pie suscipiunt : et dixerunt : fiat uoluntas domini in nos . Quid multa ? Proficiscentibus illis de ciuitate mediolanensi ad urbem Romam : angelicum quottidiæ sentiebant commitatum : ita ut eis aduersi nihil in itinere occurreret : sed omnia prospera contingebant : Nam quantas et quales uirtutes per eas in ipso itinere dominus fecerit non duximus cunscribere : nisi quod ad fidem credentium credimus pertinere : Cum igitur

properarent urbem Romam : decem infirmi in aggere per monumenta degentes : idest quinque cæci : et quinque leprosi : sentientes transeuntium murmur : procedunt de ergastulis suis elemosynam postulantes . Hos intuens sancta Sophia cum tribus filiabus suis pietate cordis compul | sa fixis genibus orationem fudit ad dominum dicens : Deus Abraham Isach Iacob et Dauid : qui es pater domini nostri Iesu Christi : qui dignatus es mundo egrotanti talem mittere medicum : qui non falsis medicamentis et herbis uulnera curaret : sed solo imperio suo dæmonia pelleret : cæcos illuminaret : leprosos mundaret : et omnium infirmitatum finem imponeret : te precamur inseperabilis trinitas : qui es una deitas : ut gemitus cordis nostri exaudias : et ostendas nobis : si accepta est tibi conuersatio nostra : ut mittas angelum tuum : qui istos illuminet : et istos emundet . Statim præsente gratia dei : qui non fraudat ullos sperantes in se : illi cæci illuminati sunt : et leprosi mundati : Qui adhærentes commitatui sanctarum simul ad urbem Romam ad Christi uictorias properabant : Cumque iam mœnia urbis aspicerent : fixis genibus sancta Sophia cum tribus pignoribus suis orauerunt ad dominum : aperiensque os sancta Sophia dixit : Deus qui credentium es uia : cuius gratia illustrat ignaros : adesto nobis domine : et ingredientibus nobis in hanc urbem ignorantibusque quo pergamus : de sumitate cælorum tuorum mitte angelum tuum ductorem : qui iter nostrum illuc dirigat : ubi nomen tuum inuocatur . Prepara nobis etiam in hac urbe : qui pro nomine tuo in hunc mundum peregrinari se fateantur : Cumque finem orationis implesset : astitit angelus crucem in manu gestans et dixit ad eas : Sequimini : dominus dirigit pedes uestros in uiam pacis : Et præbens eis ducatum inter innumerabiles turbas perduxit ad beati Petri apostoli Basilicam : Cumque eas introduceret : dixit : Ecce uota uobis reddentibus deo adueniet uidua sancta nomine Thessaminia : cuius opera quottidiana placent in conspectu dei : prima istius urbis : et cum situ uacans orationibus et ieiuniis . Iam insinuauit et commendauit uos illi dominus : Per hanc enim innotescetis regibus et potestatibus : Eritisque in hac ciuitate cæcis lumen : incredulis firma credulitas : titubantibus inuictum firmamentum . Per uos discat uirgo Christum amare sponsum : uidua permanere in castitate defuncto marito : doctrina uestra adolescentium extinguit corporales flammas : senibus || accrescit sapientiam : et post has uirtutes iam probato per uos multo exercitu Christo : etiam uos ipsæ ad gloriosas martyrii palmas peruenietis : Et hæc dicens angelus domini ab oculis earum sancta uisio migrauit ad cælos : et ecce subito secundum angeli dictum aduenit sancta Thessaminia uidua placens deo : quæ trium senatorum nobilium mater dignoscebatur : Ex quibus duo consules florebant : et tertius uicariam obtinebat dignitatem : Hæc cum ingressa fuisset : inuenit sanctas fixis genibus ad confessionem sancti apostoli orantes : tunc et ipsa ad orationem procidens illis se fecit coæqualem pauimento adhærens : Cumque oratio compleretur ab utrisque : eleuantesque se ita intuens eas uenerabilis Thessaminia dixit : Vos estis dominæ meæ : quas mihi ac† nocte cum apostolis suis commendauit dominus : Vos estis quæ amara dulcedine mundi et dapes laudabiles contempsistis factæ pauperes pro Christo festinantes ad illud : quod nec oculus uidit : nec auris audiuit . Ecce et intra domum meam paraui uobis locum orationis : ubi prædicetis uiam salutis : et seminetis semen illud iusticiæ : quod terra noua credentium suscipiat : et reddat fructum centesimum sexagesimum et trigesimum : et complectens eas osculo suscepit sancto . Tunc sancta Sophia dixit : Gratias tibi domine Iesu Christe : qui es uerus promissor et idoneus redditor . ecce et nobis implesti in hoc sæculo centuplum pro paruo : et hæc completo agone te iuuante expectat regnare : et remunerationem accipere cum eis : quæ impleuerunt uoluntatem tuam . Sanctæ autem puellæ ita fulgebant aspectibus humanis ac sol procedens de ortu suo . Quid plura ? Pergunt domum sanctæ uiduæ Thessaminiæ : et licet essent filii eius sceleratissimi cultores idolorum : hoc obtinuerunt ab imperatore : ut mater eorum Thessaminia ìllustris fœmina christiana fidei suæ ut uellet cultrix existeret . uenerabiles uero anus tali comitatu sibi a domino coniunctæ : non diebus non noctibus ab hymnis spiritalibus recedebant . Tertia : sexta : nona : matutinis et nocturnis : et uesperi cautissime insistebant : Non erat uirgo : quæ eis iungeretur : et Christo non crederet : Quæque cum his uirtutibus et laudibus conuersarentur : contigit ut quædam | uirgo de regio genere quæ prætestati illustiris† germana dignoscebatur hæc cum ab homnbus† adolescentibus illustrissimis peteretur sponsa : nullus ei nec in facultatibus nec in nata-

libus similis reperiri potuit : Hanc parentes nullo reperto consimili : deæ ueste seruitiis inter uirgines sacras definito consilio copulauere . Hæc audiens thessaminiæ uitam : et quia esset tantarum potestatum mater : et sic despicere et pro nichilo habere mundi affluentes dapes et temporales honores : omniaque pro Christi amore contemnere : in semetipsa uenerabilis uirgo cœpit uelle esse quod non nouerat : præcibusque suis inuocare : quem nesciebat . sic præcabatur dicens : Deus Christe quem in hac ciuitate persequuntur principes sine sensu : qui uocant ea quæ non sunt tanquam sint : mitte auxilium tuum : quod me separet de tenebrosa caligine sæculi : et associet me luci tuæ perpetuæ quæ a paucis sanctis tuis in occulto tenetur et colitur . Det mihi ducatum quo Thessaminiæ famulæ tuæ sociari possim : ut per eam cognoscam te uerum deum et æternum sponsum . Et quia dominus non aufert bona quærentibus se : Ea nocte prima uigilia noctis cum iam clauderentur omnia : angelus domini apparuit uirgini dicens : Veni . desyderii tui depræcatio ascendit ad dominum : propterea misit me Christus : quem discere cupis : sequere me : et educam te : ubi uirginalis chori : et uiduarum integritas puro corde deseruit : et animi et corporis tui plenissimam consequaris salutem . Præcedensque eam angelicus splendor : omnia claustra patefecit : Et perducens eam usque in domum Thessaminie uenerabilis uiduæ simili modo claustra patefecit : Et quia beata Sophia a diuinis laudibus non die non nocte discedebat : sicut scriptum est : Si dedero somnum oculis meis et palpebris meis dormitationem : Repleta spiritusancto illuminatoque oculo cordis uidit angelici luminis fulgorem : Psallentium autem uox sic resultabat : Suscepimus deus misericordiam tuam : et statim locus orationis odore suauitatis repletur : ac si odor liliorum et rosarum croci et omnis nectaris omnibus suauitas redoleret : Ad quod miraculum uenerabilis senior Thessaminia clamabat : Confirma hoc deus : quod operatus es in nobis : Et angelica uox audientibus omnibus resul || tauit dicens : Suscipite hanc : quam dominus Christus de caligine sæculi liberauit : Ego enim sum Raphael angelus : me misit Christus dominus de throno gloriæ suæ : qui est occultorum cognitor et mentium testis . Ipse enim eam præcauit in suam gratiam esse futuram : Quam diligenter instruite uiam salutis et secundæ regenerationis baptismi gratiam firmate : est enim uasculum in honore præparatum : Prope est enim ut inquisitio et turbatio magna sit in hac urbe pro ista : Sed dominus Christus qui eam diligit : nihil malorum aduersus eam faciet præualere . Sed confirmata sua gratia octaua die post baptismum recipietur in regno cælorum : quia preuidet eam impetus leonum tollerare non posse . Et iterum angelica uox dixit tertio : Pax uobis : pax uobis : pax uobis : Et statim sancta uisio ab oculis earum migrauit in cælum : Tune† beata sophia cum uenerabili Sene Thessaminia et omni choro sanctarum susceptam uirginem Christi : sacerdote præsente signum Christi hortatur accipere : Quam uirginem beatus presbyter Marcellus statim fecit cathecuminam . Tunc iterum uox resonauit dicens : in uase mundo quod ego mihi mundaui : ne dubites gratiam meam conferre : Tunc faciente sancta Thessaminia adueniens beatissimus papa Anacletus baptismi eam gratia confirmauit : Quam dominus Iesus secundum angelicum promissum octaua die cum magna gloria et decore suscepit in regno cælorum . Quid multa ? Post hæc fuit inquisitio de puella . hoc solum responsum dabant dæmonia interrogata : quia pre nimia pulchritudine Iuppiter eam in cælum rapuisset : Cui parentes sui statuam auream consecrantes die noctuque inter cætera deorum nomina excolebant . credentium uero fides crescebat in domino : et memoriæ uenerandæ uirginis lucine excubiæ excrescebant spiritales : quam omni tempore psallendi ita aspiciebant choro psallentium adhærentem ac in corpore degentem Inter has sanctas actiones sancta Thessaminia læta senior migrauit ad dominum . Beata autem Sophia cum filiabus suis insistebat dei laudibus : ut fides credentium roboraretur in domino . Nam sanctæ uirgines : Pistis Elpis et Agape ita in diuinarum scripturarum florebant gratia : ut omnium gressus per eas firmarentur in uia | domini . Cum igitur ista aguntur : inimicus diabolus qui est omnium bonorum inuidus immisit in cor Antiochi cuiusdam principis . hic accessit ad Adrianum imperatorem et dixit ei : Domine Imperator cum Thessaminia uiueret illustris : quam fidei suæ cultricem existere iusseratis : multas sibi christianorum aggregabat turbas : inter quas mulier quedam cum tribus puellis adueniens in hanc urbem : hæc nunc matronis uel filiabus nostris suadet : ut colant Christum : quem deum dicunt : et fraudant nos a mulieribus nostris : nec enim ad escam aut ad potum

ueniunt nobiscum. Intendentes in illis puellis et in doctrina earum et auferunt doctrinam deorum nostronum† : Hæc audiens Imperator misit protectores ad eas : ut eius aspectibus eas sisterent : Cumque uenissent protectores domum : in qua degebant famulæ dei : præ multitudine sanctas nescientes quæ essent : ponentes custodias domui reuersi sunt ad Imperatorem : et dixerunt ei : Domine Imperator præ multitudine Christianorum : quæ sint : ad quas fuimus destinati : cognoscere non potuimus. Tunc Imperator hoc dedit præceptum : ut solam uenerabilem Sophiam cum tribus filiabus suis suæ audientiæ reseruarent : Cæteras multitudines uno in loco congregatas igni cremarent. Illico reuersi sunt protectores cum nimia apparitione inquirentes beatam Sophiam et filias eius : Sancta itaque Sophia uidens protectores imperatoris egreditur ad eos : requirens ab eis : quidnam uellent : Qui respondentes dixerunt : Sophiam quandam mulierem peregrinam : quæ aduenit in hanc urbem cum tribus filiabus suis : quæ doctrina sua subuertit omnem ciuitatem romanorum. Nam imperator et senatus sedicionem passi sunt pro ea. Hanc inuictissimus Imperator Adrianus iussit cum tribus filiabus suis aspectibus suis præsentari. Tunc sancta Sophia confidens in domino cuius animus pendebat in corona dixit : Ecce ego sum. ecce tria pignora mea : eamus quo uultis : Quas iniecta manu constringentes ducebant ad palatium : Cæteræque multitudines utriusque sexus circiter quattuor millia secundum Imperatoris decretum igne cremati sunt : Inter quos erat beatus Marcellus presbyter et decoratus diaconus : Hii passi sunt extra ciuitatem uia appia septimo || decimo calendas octubris : Sanctæ autem uirgines gaudentes ibant : quarum aspectus omnium uidentium cæcabat oculos : Cumque peruenissent ad palatium : signum Christi erga sua pectora fecerunt. Lætabatur itaque mater de tam beato germinæ filiarum. Erat autem decor puellarum incompræhensibilis Omnes enim homines intuebantur eas : Quisquis enim aspicere uolebat in eas aciem oculorum suorum obtundebat : Quæ cum ingressæ fuissent palatium intuebatur in illas imperator : Et uidens gloriosas ualde facies earum : clamante populo non potuit statim dare sententiam. Contristabatur enim propter eminentem gloriam uultus earum : Paululum autem tacens Imperator : et in semetipsum reuersus dixit ad matrem earum : cuius ciuitatis estis : et ex qua prouincia huc aduenistis : uel quomodo tanto tempore latere potuistis : ut magica incantatione quam christiani nouerunt totam urbem euertisse dicamini ? Ecce enim in seditione conuertistis ciuitatem romanorum : dominos abnegantes deos : et ad huc alios abnegare hortamini : qui uniuersum orbem creauerunt : Quos etiam nos ipsi domini rerum optamus propitios habere. Nunc uero nomen tuum edicito mihi : quo uocaris : Sancta Sophia respondit : christiana sum. Imperator dixit : Ego te de ea appellatione quæ est communis hominum : interrogo non de fide percunctor. Sophia autem respondit : Si quæris nomen meum quod parentes imposuerunt. Sophia dicor. Perfecto autem nomine christiana sum : de primis et gloriosis Italiæ : ciuis autem sum mediolanensis : Quæ cum essem in ciuitate qua gloriabar : liberata de iugo dominantis mariti : impleto præcepto domini mei Iesu† Christi qui dicit : uende quæ habes : et da pauperibus : hæc feci et ad hanc ciuitatem ueni cum paruulis meis a deo donatis : ut castificatas et ipsas triumphum martyrii hostiam et odorem suauitatis ei offeram. Audiens autem Imperator hos sermones falsa pietate commotum seditiosum populum sedauit : Et iussit eas apud quendam primum ciuitatis haberi sub custodia : donec secunda interrogatio fieret. Demorantibus autem illis in domum palladii : erat sancta Sophia mater sanctarum martyrum confortans eas et dicens : Filio | le meæ ecce nunc tempus acceptum : ecce nunc dies salutis : ego uos erudiui Christo domino donante sapientiam. Nunc uero retinete pro corde : cui fidem uestram et cogitatum uestrum in ipso iactate : Ipsique fidem seruate : qui uos uocat : et nolite uernantem ætatem aspicere : sed armate uos lorica fidei : et præparate pedes uestros in euuangelio pacis : ut manum aratro super positam : non aspicientes retro alacres festinate ad palmam supernæ uocationis : ut repositam iusticiæ coronam cum omnibus sanctis recipiatis : ut calcando mortem æternam per præsentem mortem ad illam ueniatis regionem uiuorum : ubi chorus sanctorum hymnum dicent et magnificabunt deum. uiriliter agite : et uincite falsa blandimenta : quæ nunc impius Adrianus excogitat. Falsa promittit : ut uera subripiat : et uos ab amore Christi disiungat. State ergo uiriliter ut et me gloriosam reddatis : et non sim ingrata uisceribus meis. Tunc enim cor meum et caro mea lætantur : si uos ad illum perue-

niatis : qui uos in utero meo formauit : Præcedite ergo me inmaculatæ uirgines et ad regem fortissimum et sponsum æternum Christum : ut per uos et uobiscum merear : quod nec oculus uidit : nec auris audiuit : ut uos læta cognoscam in regno cælorum : Et lætabuntur in me pro uobis : qui deo placuerunt . Filiæ miseramini in miserabilem matrem uestram : et permanete in amore christi . ne timeatis pœnas : quæ uobis post blandimenta a malo artifice parantur : Estote securæ confitentes deum patrem omnipotentem et dominum Iesum christum et spiritum sanctum : qui reddit singulis in suo amore perseuerantibus coronas tollerantiæ uictrices palmas His itaque uerbis seminatis a matre : statim puelarum spiritus generosus crescebat in fidem : et uirtute ac sapientia replebantur : atque inuicem hortabantur pro nomine Christi tollerare supplicia . Orantes omni hora : non diebus non noctibus a dei laudibus recedebant . Memores domini dicentis : oportet semper orare et non deficere . Erant itaque eum† magna fiducia omnem animam dei præcepta docentes : et castitatem : et sobrietatem et humilitatem : et mansuetudinem et obedientiam et mundi contemptum et abstinentiam linguæ uacare et uidere : || et cognoscere : quid sit dominus deus : Ante omnia ab impedimentis sæculi et negotiis eius animum et corpus refrænare . illud quoque expectarent : quod nec oculus uidit : nec auris audiuit : præparata a deo diligentibus se : Ad quarum sanctam doctrinam credidit Palladius uir illustris cum uxore et tribus filiis suis et familia utriusque sexus circiter octomilia : Nec hoc miraculum silebo : Cum omnes baptismi gratia firmati : omnes unanimiter orationem fundentes simul cum beatissimo papa Anacleto uniuersa simulacra quæ in domo Palladii dignoscebantur ceciderunt : et in pulueram redacta sunt : et uox de cælo audita est : pax uobis gens sancta populus acquisitionis : Quid multa ? Palladius illustris cum multitudine credentium licet oculte in dei laudibus proficiebat : Eratque omnibus christianis refectio et spiritalis consolatio ita : ut nullus christianorum† aliquibus egeret . Erat in eis cor unum : fides integra : et omnia communia : omnesque suas facultates in sanctorum dignas sepulturas errogabant . Transactis igitur septem diebus : Imperator Adrianus sedes sibi præparari iussit in senatum : conuocauitque principes et omnes potestates adunatasque senatorum cateruas : Cumque sedisset pro tribunali : iussit adduci sanctas dei uirgines . Tunc productores perrexerunt domum Palladii : ubi sanctæ uirgines sub custodia habebantur : producentes eas . et hanc eis uocem blando sermone dixerunt : Venite gloriosæ uirgines magnum censum et gloriam ab Imperatore consecuturæ : Audiens hæc sancta mater earum Sophia dixit ad eas : hæc initia blandmentorum† serpentis : quare deo dicatæ† uirgines et mente et corpore ad illum festinate : cui uos spopondistis : Sanctæ uirgines responderunt : Paratum est cor nostrum sperare in domino : confirmatum est : et non commouebitur : nullis blandimentis nullisque terroribus quatietur : Cumque producerentur ad senatum : sequebatur et mater læta et gaudens : Quibus ingressis Imperator in regali sede constitutus dixit : O infantulæ sacræ et acceptæ oculis meis : uideo decorem uestrum et speciem : non humanæ substantiæ : sed gloriam uultus uestri uideo similem radiis solis : Decus etiam totum pulchritudinis possi | detis : Ideoque tanquam pater super uos uiscera pietatis impendo : hortans uos ut misereamini senectutis matris uestræ : et acquiescite mihi quasi patri uestro : et sacrificate diis : qui sunt domini orbis terræ . Cum uero mihi acquieueritis appellabo uos in regno mo† filias meas : et delicias habebitis : et erit magna gloria uobis : unde lætamini : cum uos esse Imperatoris filias uniuersus mundus agnouerit : uocabo etiam præfectos et præsides principes locorum et senatum et omnem exercitum ad cælebranda uota factæ in uobis adoptionis : per omnes etiam urbes quæ sub populo meo sunt ducentarum librarum auri singulas uobis erigam statuas imagines uestræ :† ut dearum nomina ab omnibus gentibus uenerabuntur : Consules etiam uobis dabo maritos : Si autem non consenseritis mihi : neque adoraueritis deos : multis et uariis uos tormentis subiiciam : et sic decorem uestrum infantiamque generosissimam dissipabo : Et si qua ex delicatis membris superauerit portio : canibus in deuorationem proiiciam . Videte nunc quid eligatis : gloriam aut tormenta : uitam : an mortem : et respondete mihi : ante quam uos acrius tormenta conueniant . Ego enim quia cognoui uos nobili genere : filias meas esse desydero . Post hæc autem dei ancillæ simul aspicientes in cælum crucis quoque uexillo firmauerunt pectus et frontem : et tanquam ex uno ore Imperatori dixerunt : Erras Imperator in his uanis suasionibus tuis : Nam

si nosses quantum nobis gloaiæ† culmen a fabricatore cæli et terræ Christo domino præparatur : non tu ista tanta falsa de ore tuo proferres . Promittis temporalis : in deoque nihil æternum : nihil stabile in uerbis tuis esse cognoscimus : Et ideo promissis tuis non indigemus : Christi enim nos ancillas esse fatemur : qui est factor cæli et terræ : maris et omnium quæ in eis sunt creator et conditor esse cognoscitur : qui etiam tibi licet indigno hanc dedit regiam potestatem . Nam fabrica corporis nostri quam miraris : plus debes laudare unitatemtrinitatem quæ omnia creauit : Et si ista theca corporis in qua anima quæ est imago dei ad tempus accepit ingressum : qui et completo tempore uitæ similiter habebit egressum : sic clarificata apparet oculis tuis : quanto magis ille laudandus est dominus : || qui omnia in sapientia fecit ? Nos enim quæ a te dicta sunt : ut platearum lutum calcantes et uelut pestifera dicta respuimus : Ad regem regum et ad sponsum æternum Christum festinantes : qui potens est post hanc mortem et corpora et animas nostras clarificatas resuscitare : ut illam ciuitatem quæ in cælis est mereamur ingredi cum omnibus sanctis : quare omnibus promissis tuis iam retice : et cognosce te a dei famulabus esse contemptum : Et si qua te putas habere genera tormentorum adhibe : ut impius et fallax cognoscas : quantum possit deus christianorum . Nam Saturnum et Iouem et Hærculem et Mercurium et Aesculapium . Syluanum . Iunonem Mineruam . Venerem et deam matrem magnam et cætera monstra atque uanas imagines quas colitis : quarum templa expoliata pronīcia† orantis nihil esse simus† : Nobis autem tribus tantummodo infantulis christianis da licentiam : et omnis† dæmonum thecas ad nichilum redigimus : Quod si aliquid ualent : ipsi se uindicent . Sed qualiter se possunt uindicare in omnibus : qui nisi custodiantur a canibus : nocte rapiuntur a furibus ? Et quia stare non posunt ferro et plumbo colliguntur . interiora uero eorum uacua dignoscuntur : ubi mures nidificant et fœtus faciunt : tinea uorat . uermes exterminant . araneæ intexunt . Et ideo quomodo hi tales possunt alios iuuare : qui sibi prodesse non possunt ? Erras Imperator : ut non cognoscas a quo tibi regnum imperii concessum est . Nos autem quia cognouimus ueritatem : ipsa nos ueritas docet : non respicere ad uanitatem et insanias falsas . His auditis ira concitatus est Imperator : uocans matrem earum dixit : Dic tu infausta quo uocabulo uocantur filiæ tuæ ? sancta Sophia respondit : Audi imperator : certe enim uis audire : et discere christianæ sunt . Imperator dixit : Inueterata dierum malorum ego te apud homines quid nuncupentur interrogo : et ideo secundum nomina earum et ætatem edicito : Sancta Sophia respondit : Prima igitur infantum mearum dicitur Pistis : quod est fides : tempus uero annorum duodecim est . Sequens uero Elpis : quod est spes . anni uitæ eius decem aguntur . Tertia uero Agape uocatur : quod est caritas . anni ex quo nata est nouem sunt . Tunc imperator uocans Pistim dixit ei : Audi puella antequam te exter | minare incipiam : sacrifica deæ magnæ Dianæ considerans in ea : cuius pulchritudinis domina sit . Sancta Pistis respondit : Vere dolose agis Imperator . iniquitatem meditaris in corde tuo . asistis omni uiæ non bonæ malitiam diligens . Hanc autem imaginem uanam Dianæ quam laudas : ab hominibus confictam esse manifestas . Nam in falsis libris uestris inueniens eam agreste animal : cui cum feris syluarum ut dicunt erat uita communis . quam horrenda et turpissima fuit : quæ nec hominibus copulari meruit . O quanta est insipientia : et cæcitas uestra : relinquere deum : qui fecit omnia : et colere idola et lapides insensatos : sicut tu es Imperator : qui hæc fieri permittis . Audiens Adrianus hos sermones repletus est ira : et uultus eius ut leonis furentis factus est . Tunc exclamans tortoribus suis dixit : Expoliate eam ueste qua est induta : et neruis crudis cædite : ac tota membra eius dissipate : Cumque duodecim centuriones immutaret illi : lassati sunt qui cædebant . dei autem ancilla nihil plagarum sensit . Iam autem ab hominibus mortua putabatur : cum sic duodecim centuriones uirtutem cædendo amiserunt . Tunc eleuans se dei famula dicebat ad Imperatorem : Hæc snut† totæ minæ tuæ ? Aliquid fortius cogita si uales : ut plus erubescas : Hæc audiens Imperator : iussit afferri nouaculam et eius mamillam dextram præcepit amputari . Qui autem aderant in spectaculum uiri ac mulieres uidentes tantam crudelitatem : flæntesque clamabant : Quid enim mali fecit : ut talibus cruciatibus subiiciatur ? Pessimum iudicium regis . iniqua præceptio præcisa itaque mamilla uirginis sanctæ : iacebat ante oculos corporis portio : De loco autem unde præcisa erat pro sanguine quasi lactis unda currebat . Tunc inclinans se sancta puella et eleuans abscisum membrum reponensque loco suo

sic orauit ad dominum : Tu domine Iesu Christe qui de limo terre hanc carnem formasti : et de cinere reparare potens es : hoc membrum corporis mei tuo imperio redintegretur in loco suo : ut cognoscat iniquus Adrianus : quia tu es deus solus : qui facis mirabilia : Et cum finem orationis complesset : ita mamilla redintegrata est loco suo : ut abscisa penitus non pareret . Obstupuit omnis turba uidens cru || delitatem tyranni dei uirtute esse superatam : magnificabat deum omnis ætas in his magnalibus : quæ uidebant : Sancta uero Pistis dicebat ad imperatorem : Insatiabilis draco hoc solum tibi argumentum ostendit pater tuus diabolus : qui in nirtutibus† dei non credis : neque erubescis : ecce caro mea nullam plagam sensit : rabies tua membrum corporis mei amputauit : et domini mei Iesu Christi uirtus redintegrauit . Quid palles tyrranne ? Quid fremis ? Video te ante pœnam torqueri : ante iudicium iudicari : excogita adhuc : si quid præuales : et adiunge tormenta tormentis : Cur dentibus fremis : et tabescis : Molas leonum confringet dominus . Hæc audiens Imperator cæcatus a diabolo iussit afferri craticulam æream : et supponi ignem copiosum ualde : ita ut ipsa craticula quasi flamma ardens putaretur : Tunc iussu imperatoris apprehendentes puellam sanctam iactauerunt eam super craticulam : Et respondens dixit ad Imperatorem : Tu iniquissime Imperator ignem mihi præparasti temporalem : quem Christus dominus meus euanescere faciet et uim uirtutis eius extinguet : tibi autem et patri tuo diabolo æternum supplicium præparabit : Et hæc dicens requiescebat super craticula : tanquam in rore aut in aqua frigida : Tunc beatissima Pistis uoce magna dicebat : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : qui sic tueris ancillam tuam . Tu domine usque in finem da gloriam nomini tuo : ne me superet crudelitas aduersarii : sed immaculatam me conserua : Igitur cum transiret spatium horæ uiuus† : et non cessaret orans : iussit eam Imperator de craticula tolli : Et præcepit afferri sartaginem : iussitque in ea mitti oleum ceram sulphur et bitumen : cumque igne supposito bulliens pœna repararetur : sancta Pistis erat intendens in cælum : et inuocans deum creatorem omnium et Iesum Christum filium eius et spiritum sanctum : Imperator præcepit : ut apprehenderent eam ministri : et in medio sartaginis mitterent : quod ubi factum fuit : apparuerunt quattor† albis induti : in quorum uultu crux splendebat : qui adprehendentes sartaginem bullientem populum incredulum perfuderunt : et mortua est quos tetigit infinita multitudo . Adrianus autem Imperator indurabatur a diabolo et iussit afferri plumbum et regelari : et caput sanctæ puellæ | in angustum locum coarctari : Et ita plumbum perfundi præcepit . Cumque factum fuisset : exiliens pœna a beata martyræ occidit ministros septem . beata uero martyr immaculata permansit : Cumque uidisset Imperator se non posse eam neque blandimentis neque tormentorum generibus superare : nimium tristabatur : cogitansque quomodo eam posset uita priuare : Hoc consilium iniit : ut eam gladio interficeret : Audiens autem sancta puella sententiam in se prolatam lætabatur : atque exultans in domino ad matrem et sosorores† dixit : confortamini in domino : et uiriliter agite uos quoque ipsas præparate : ut et in uobis Christus dominus glorificetur . Ego uero iam uado regalem Christi uiam. : per quam et uos fiducialiter et digne ambuletis hortor . de cætero orate pro me sanctæ sorores : Cum ergo iam properaret gladius ceruici eius extendens manus orauit dicens : Benedico te domine Iesu Christe : qui es amator castitatis et puræ conscientiæ : qui me hunc mundum impolluto calle transire fecisti : qui corporeas pugnas istas amore tuo extinxisti : Et hæc dicens gladio consumpta perfectum cursum certaminis impleuit : Cuius sanctum corpus mater eius complexa est gaudens in domino . Tunc Adrianus impius et crudelis dixit : Meis aspectibus sistite aliam : et ad eam dixit : Elpis filia mea uel tu adquiesce mihi tanquam patri : et adora deam magnam Iunonem ut salua sis et incolumis . Sancta autem Elpis respondit : Iunonem quam deam dicis : ipsius gesta turpissima in corde et labiis geris . Nam Iuno et Venus ut in libris uestris dignoscitur litigabant inter se utra alteram in actibus turpissimis præcederet : Ita et tu quæris nos seducere falsis blandimentis : Ignoras : quia intra nos est sapientia Christi : qui nos præuidere facit falsas tuas promissiones : Scito te impie quia nihil præualebis aduersus christi ancillas . Hoc autem optime nosti : quia eius sum soror quæ te cum athletico agone contempsit : quia de eodem lacte pota : quo ipsa nutrita est : et iidem† sum erudita doctrinis . ideo ipsam uiam pergere festino : quo illa perrexit : calcatoque capite serpentis cælos conscendit . Retice ergo a uanite sensus tui : Et noli me multa arte uerborum seducere . Te

enim ipsum fallis et decipis : me autem in nullo superare uale || bis : Ego enim in quo spero : ad quem confugi : in quo spem meam iactaui : potens est ostendere et in me uirtutem suam . Tunc diabolus sugessit cordi Adriani imperatoris : et iussit milliarum tertium exhiberi : et repleri bitumine : sulphore : sparto : resina et adipe : ignemque supponi : Et cum iam ebulliret uas ante quam Imperator præciperet : ante quam puella ibi iactaretur illa intendens in cælum : sic orauit : Domine Iesu Christe qui in fornace tribus pueris quartus apparuisti : ut te impius Nabuchodonosor ita confiteretur : ut diceret : nonne tres uiros misimus in fornacem ignis : et ecce uideo quartum in similitudine filii dei : appare domine et nunc in hac hora : et da gloriam nomini tuo : ut hæc ebulliens pœna euanescat : Et uim uirtutis suæ in eos retorqueat : a quibus ministratur : et confundantur omnes : qui adorant idola : Et hæc dicens uidit chorum angelorum astantem sibi : et sanctam pistem sororem suam : quæ eam præcesserat ad dominum auro texto et cyclade indutam : et crucem coronamque in manibus gestans . Tunc respondens sancta Elpis dixit : Quid tu domina hic agonem meum expectas ? Cui sancta Pistis respondit : Misit me Christus dominus cum angelico choro : ut cognoscas : quæ sit gloria mundum contemnere : et relinquere . Non ergo expauescas ascendere uas . ego ingredior tecum . Tyramnus autem urgebat ministros : ut dei famulam in uas mitterent . Tunc sancta Elpis respondit : Non manibus iniquorum tenear : sed prompto animo ego ad supplicium præparatum propero : Non pœna consumar : sed ut ministros diaboli pœnæ tradam : Et hæc dicens : uexillo crucis semetipsam firmauit iactauitque se in uas : de quo ebulliens liquor quosdam incredulorum incendit . Ipsa autem immaculata hymnum deo posita in medio uase canebat . Adrianus hæc uidens dicebat ad principes suos : Magna uis carminis magna uirtus maleficiorum : quæ christiani nouerunt . Quid agam ? quam excogitem pœnam ignoro . unum restat : ut finem magicis artibus imponam : Et hæc dicens iussit eam gladio percuti . Hæc audiens sancta puella in se Imperatoris prolatam sententiam : orauit ad dominum : Benedico te pater domini nostri Iesu Christi : qui lampadam meam spi | ritu sancto succensam oleo lætitiæ abundare fecisti : in manus tuas domine comendo spiritum meum : et ad sororem suam dixit : Prompto animo fidem serua . cursum agonis consumma : Et hæc dicens consummata gladio requieuit in pace : de cuius martyrio gloriosa mater exultabat in domino : Adrianus autem imperator dixit : Sistite aspectibus meis tertiam : quæ cum sisteretur : ad eam dixit : dii omnipotentes si uellent : magnam uirtutem ostenderent : et te puellam in ætate paruam suis cultibus subiugarent : ne et tu audaci animo ut ignorans iuuencula sororum tuarum præsumptione mortis filia deputeris : et talem florem pubescentis ætatis pœnis extermінem : Sancta itaque Agape cælo porrexit aspectum signoque crucis firmans pectus et frontem : gaudensque in spiritu sancto atque subridens ad imperatorem dixit : Noli nescire : quod scis : quia earum sum soror : quæ pro amore Christi omnes uanas temporalesque promissiones tuas te cum ipso mundo contempserunt : Nam ego quidem uideor tibi ætate parua : sed intra me habeo mirabilem Christi sapientiam : quæ per os infantium perfecit laudem . te autem uenenose serpens in nullo pertimesco : Audiens autem hæc uerba impius Adrianus ulterius eam nullis ablactatus est uerbis : sed fremens ut leo exclamauit ad tortores : afferte uelociter lectum æneum . per omnia membra eam distendite : quoadusque compagines membrorum eius abinuicem seperentur : Sancta uero puella tota intentione sua in cælo erat aspiciens : ideo nihil pertimescebat : Cumque eam iussisset super lectum ligari : erat expectantibus ingens murmur et flætus : Tunc apparuerunt ei sanctæ sorores eius cum beata Thessaminia et innumerabiles multitudines candidatorum : quæ tangentes signo crucis fortissimas cannabinas : statim ita putrefactæ sunt : ut stipula ante faciem ignis : Quare exurgens puella : quam iam Imperator existimabat mortuam psallebat in conspectu populi dicens : Laqueus contritus est : et me liberauit dominus Christus . Interim cæcus effectus est imperator : iussitque multitudines serpentium uenenosas compræhendi : scorpiones cornuutas† aspides basiliscos et curtiones ex quorum flatu ignis uidebatur egredi Cumque ei nunciatum fuisset impleta esse quæ ius || serat : iube uas afferri : in qua recludens omne genus serpentium : præcepit puellam expoliari : et in medio eorum deponi : et desuper claudi : ut a serpentibus deuoraretur . Tunc sancta puella clam in medio serpentium sic orauit : Deus qui populo israel qui a serpentibus deuorabantur per Moysen famulum tuum sic donasti salutem : ut quicumque a uenenosa

bestia percussus fuisset : intendens in æneum serpentem saluabatur : ut Serpens etiam ille qui saluabat : et serpentium uenenosos morsus curabat figuram gerebat domini nostri Iesu Christi : ita et modo si quis senserit se diaboli uenenosis artibus mortifica tum : aspiciat ad crucem : in qua Christus pependit : et saluetur : nunc et mihi adesto domine Iesu Christe : et has mitiga feroces serpentes : me quoque immaculatam in tua gratia conserua : Quæ cum finem orationis fecisset : solutum est uas a compaginibus suis : et egressæ serpentes mortificauerunt plures incredulos : Sanctam autem dei martyrem non læserunt : Adrianus autem uidens hæc obstupuit : sed iussit eam uirgis ferreis cædi : Sancta uero puella dicebat : Quid frustra miser laboras : ego enim istas plagas non sentio : Iterum iussit plumbum resolui : et resupinata ea : in ore eius effundi : Cumque factum fuisset : exiliens de ore martyris combussit quosdam : ipsam autem nequaquam læsit : Dixit ad eam Imperator Non intelligis puella : quia immortales dii pro te laborant? ad quem Agape respondit . Hæc enim omnia mira et magna Christus dominus nunc operatur : Tamen crastina die cogitabo magnum et mirabile sacrificium facere diis tuis : quod in memoriam omnibus credentibus faciam : quo ordine autem hæc ab ea dicerentur : non intelligens Imperator lætus effectus est dicens : Gaudeo in te puella : quod sic tibi deos propitios facis : quid multa? Iluxit dies : iussitque imperator apparari templum Iouis : Saturni Iunonis Veneris Mineruæ : Et Dianæ : quæ templa in foro esse dignoscuntur : eaque iussit magnis ornari culturis : et ad beatam uirginem dixit : Imple promissum : et pacifica tibi deos immortales : sancta Agape læta in domino dixit : Impleo Imperator quæ promissi : Imperator dixit : Ingredere ergo : et pone tura inuicto Ioui : Sancta Agape respondit : Memini me promisisse : ut | omnibus diis sacrificium faciam : Imperator dixit : Ecce in his templis sunt omnium deorum dearumque imagines uenerandæ : Ingredere : quid tardas promissum . Cumque ingrederetur intra ianuas templi orauit ad dominum dicens : Deus qui per prophetam sanctum ostendisti : quia omnes dii gentium dæmonia sunt : appare nunc in subuersione harum imaginum : ut ultra non sint ad deceptionem hominum : sed subuertantur et pereant : et audiant ex ore meo nomen tuum sanctum christe nominari : et cadentes in puluerem redigantur : Tunc eleuans oculos ad dæmonum thecas dixit : Imagines uanæ de ligno et gypso constructæ et ad deceptionem hominum inhauratæ imperio domini mei Iesu Christi elidite uos : et comminuitæ in pulueremque redigite : ut uideant omnes : qui gloriantur in uobis et confundantur : Hæc dicens dei ancilla omnia illa figmenta corruerunt : et redacta sunt in puluerem : Et conuersa ad Imperatorem dixit : Miser et infelix : ubi sunt dii tui deæque tuæ : in quibus gloriabaris? Ecce a me inuocato Christi nomine ad nihilum redacta sunt : Et conuersa ad populum dixit : O irrationabiles mentes et anime romanorum . O generosa et cælesti natiuitate formatæ quousque possidetis ferreum pectus : conuertimini a malo : et facite bonum : dum tempus est pœnitendi pœnitentiam agite : Deus enim nuster† quærit in homine : quid indulgeat : non uult inuenire quod puniat : Blandus est et hortans nos : ut bene uiuendo reparemus : quod male uiuendo et luxuriando perdidimus : relinquendo eum : qui creauit nos : uenerando lapides et ligna dimissi sumus secundum desyderia cordis ambulantes in uanitatibus nostris : sed pius creator non in æternum repellens plebem suam clamat ad nos per prophetam dicens : Conuertimini ad me : et ego conuertar ad uos : Cognoscite ergo quia non uult mortem peccatoris : sed ut conuertatur et uiuat : Cum ergo tempus est : per conuersionem pœnitentiæ purificatas animas restituite creatori : Nec differat quis de die in diem conuerti ad dominum : quia exitus sui diem nullus agnoscit : ad cuius sanctam doctrinam populorum utriusque sexus circiter quinque millia ad Christum conuersi sunt : Despicientes idola sanctæ ecclesiæ adhære || bant : et nomen gloriosum domini nostri Iesu Christi in omnibus populis in urbe Roma prædicabatur : Impius autem Adrianus cum uideret se Christi ancillam non posse superare : gladio eam animaduerti præcepit dicens : Si de pœnis aliquid cogitauero plus eam gloriosiorem facio : et data sententia iussit eam duci : Sancta uero Agape dei martyr dicebat : Benedico te domine Iesu Christe : et glorifico sanctum nomen tuum : quia me parua ætate ancillam tuam in tua magna uirtute tanta signa in hac urbe per me ostendere dignatus es in eo : simulacra ad nihilum redegisti : et ignis uirtutis suæ oblitus est : qui et uenenosos serpentium multitudines mitigasti et laqueum inimici distentum contriuisti : Ego uero exultans aspectibus tuis apparui illæsa . Post hæc omnia ad matrem conuersa dicebat :

Vere tu beatum et in æternum possides nomen : et sanctificatus uterus : qui talia luminaria domino christo obtulit : beatus et pater qui sæminis sui fructus in æternis sedibus cum Christo regnare cognoscit : Gratias tibi Christe uera et æterna dulcedo castitatis æternæ sponsæ : qui me dignatus es sociari sororibus meis : Donas mihi promissis tuis delicias æternas paradisi : Te precor integram fiduciam habens quia in nullo fraudas petitiones meas : mectto† plebis tuæ et omnium : qui nomen tuum per nos didicerunt . Integram fidem ut in tuis præceptis permaneant : et omnes perducas ad illam regionem uiuorum : ubi nulla est sollicitudo moriendi : sed sola regnat beatitudo uiuendi : Memor esto domine et sanctæ matris meæ quam celerius nobis in tuo regno associes : Et accedens spiculator gladium eius ceruici immersit : requieuitque in pace . Eadem hora uidentibus et audientibus christianis columba splendidissima de ore eius egressa est : quæ clamans cælos conscendebat dicens : Ego sum sapientia Christi : qui per eam loquebar et operabar in conspectu regum : Tunc gloriosa mater eius adiunxit corpus eius sanctis corporibus sororum exultans et dicens : Tria pignora mea gloriosa non uoluptas obtinuit sæculi : sed integer cursus agonis martyrii gratia fæcundans reddidit : Nihil suggestionibus suis præualuit ille antiquissimus et uenenatissimus serpens ipse solus sua confusi | one tabescat . Video enim te diabole comminutis artibus euacuatisque suggestionibus ore cruento pallere : Dominus autem uirtutum rex gloriæ Christus molas leonum confregit : regiam :† potestatem sub pedibus ancillarum suarum subiugauit . Hæc audiens Adrianus imperator dixit ad eam : Senilis sensus consueuit infantum assequi colloquia . te autem ut putas non penis cruciem : non interficiam gladio : ne te sibi christiani martyrem uindicent : Sufficit tibi dolor interior : quo interemptis uisceribus tuis inueterata infelix diu cruciaberis : in te aspicitur dolenda et inculta canities : quæ infelix ut tu quæ sub unius diei spatium suasione tua nequissima tria tua uiscera comedisti : et adiecit : Ecce habes licentiam : corpora filiarum tuarum sepeli ut uis : Iam enim Adrianus sentiebat sibi properare iram diuinam : Tunc gloriosa mater omnia corpora composuit magno ornatu et glorioso decore : et iungens carucam superimposuit sanctarum reliquias : et exiens foras ad milliarium octauumdecimum ciuitatis posuit eas in loco dignissimo et decoro ualde : Omnes autem matronæ Christianæ multitudinesque uirginum et populorum qui Christi caritate inuiolato corde tenebant aromata et linteamina et unguenta pretiosa attulerunt ad sepulturam sanctarum martyrum : Triduo autem transacto erat sancta Sophia mater sanctarum martyrum cum multitudine uirginum et uiduarum : quas Christo acquisierat orantes et psallentes : cum subito medio noctis apparuit matri oranti et dicenti : Pignora sancta uiscerum meorum nobis orantibus hodie de hoc mortali sæculo liberata uobiscum merear assistere Christo : Hæc ea dicente uox ad eam facta est dicens : Veni benedictarum mater . percipe cum filiabus tuis et cum omnibus sanctis tuis gaudium inennarrabile : quod nec oculus uidit : nec auris audiuit : et cum hæc dixisset : statim Sancta sophia dormiuit in pace : Quæ autem conuenerant cum illa ad sanctarum sepulturam : sepelierunt corpus in eodem loco : in quo positæ sunt sanctæ martyres : Pistis Elpis et Agape : Sepultæ autem sunt sanctæ uirgines pridie chalendas octubres : Palladius autem uenerabilis cum tota domo sua florebat in christi præceptis : quem dominus pro bono opere et recta fide quam || crediderat numquam passus est tribulari : Hic uir christianissimus magnum mausoleum super sanctas reliquias fabricauit : In quo erogare dignoscitur auiri† pondus numero ducentorum : quo etiam ipse sibi cum uxore et filiis uenerabilis præparauit sepulturas : Ad sanctarum uero memoriam magnas dominus uirtutes ostendit usque in hodiernum diem : Ita ut omnis eger adueniens quacumque tenebatur infirmitate sanus abscedebat : Obsecro uos omnes legentes et audientes : ut nulla sit in uestro animo dubitatio : quia sicut uidimus gesta sanctorum : ita scripsimus : Confortamini in domino : ut quos similis passio minime occupauerit credulitas et fides consimiles faciat : Glorificetur dominus : qui sic uincit in sanctis suis cum iudicantur Amen .

INCIPIT PASSIO BEATI PHILIPPI APOSTOLI .

Sanctus Philippus apostolus domini nostri Iesu Christi post ascensum saluatoris per annos uiginti instanter prædicauit gentibus per Scythiam euangelium : Vbi cum tentus esset a gentibus : adductus est ad statuam Martis : Et cum compelleretur ad sacrificandum : Exiit de basi in qua statua Martis stabat draco ingens : et percussit filium pontificis : qui ministrabat ignem sacrificii . percussit etiam duos tribunos : qui præerant prouinciæ : cuius officiales in uinculis tenebant sanctum Philippum apostolum . de flatu autem draconis omnes morbidi redditi uehementer ægrotare cœperunt . quare Philippus omnibus ait : Audite consilium meum : et recuperabitis sanitatem . Sed et isti qui sunt mortui suscitabuntur : Draco quoque qui pro uobis est noxius : in dei mei nomine fugabitur . Dicunt ei omnes : Dic nobis : quid faciamus : Dicit ei † apostolus : Deiicite hunc Martem : et confringite : et in loco in quo fixus stat Crucem dei mei Iesu Christi affigite : et hanc adorate . Tunc illi qui cruciabantur cœperunt clamare : recuperetur in nobis uirtus : et deiicimus hunc Martem . Facto itaque silentio apostolus dixit : præcipio tibi draco in nomine domini nostri Iesu Christi exi de loco isto : | et uade : et morare in loco deserto : ubi non est accessus hominum : et nulla utilitas humanis commodis commoratur : ita ut uadens nemini noceas . Tunc draco ille sæuissimus exiens cœpit ire festinus : et ultra nusquam comparuit . Filium autem pontificis qui ministrabat ignem sacrificii et duos tribunos qui mortui fuerant suscitauit : omnemque turbam quæ mortua fuerat draconis flatu sanitati restituit . Vnde factum est : ut uniuersi Philippum apostolum qui persequebantur pœnitentiam agentes deum hunc extimantes adorarent . ipse autem per unum annum iugiter docebat eos : quomodo periclitanti mundo aduentus domini subuenisset : Quomodo natus ex uirgine : Quomodo passus : Quomodo sepultus die tertia resurrexisset : Quomodo post resurrectionem eadem quæ ante passionem suam docuerat iterasset : Quomodo uidentibus apostolis ascendisset in cælos : Quomodo misisset spiritum sanctum : quem promisit : Et ueniens sedit super apostolos duodecim et omnium linguas et sermocinationes mentibus apostolorum suorum inseruit : Ex quorum ipse numero huc missus scire uos feci ista ydola uana esse et cultoribus suis inimica : hæc et his similia docente Philippo crediderunt . Et multa millia hominum baptizati sunt . Ordinatis autem clericis Episcopo et presbyteris et diaconibus atque ecclesiis multis instructis : ipse per reuelationem ad Asiam reuersus et in ciuitate Hierapoly commoratus hæresem malignam hebionitarum extinxit : qui docebant non uerum natum ex uirgine dei filium hominem assumpsisse . Erant autem duæ filiæ eius sacratissimæ uirgines : per quas dominus multitudinem uirginum lucratus est . ipse autem Philippus ante septem dies migrationis suæ : uocauit ad se omnes presbyteros et diaconos : Sed et uicinarum urbium Episcopos et dixit eis : hos septem dies : mihi dominus in ista uita concessit : Memores estote doctrinæ domini nostri Iesu Chricti† : et state Viriliter . Dominus autem complebit promissa sua : et corroborabit ecclesiam suam . hæc et his similia prædicans apostolus domini Annorum octogintaseptem erat . Post hæc Infideles ipsum tenuerunt : et cruci Instar magistri eius quem prædicabat affixerunt : sicque ad dominum migrauit : et feliciter uitam finiuit : et in ea ciuitate || positum est sanctum corpus eius : et post aliquot annos duæ sacratæ uirgines dextra læuaque parte eius sepultæ sunt : ubi præstantur beneficia dei orante apostolo Philippo omnibus : qui credunt regnum patris et filii et spiritus sancti regnare in sæcula sæculorum . Natalis autem dies depositionis eius colitur . Hierapoly prouinciæ Asiæ calendis maiis regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor : et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI POLYCARPI EPISCOPI.

Vir insignis Polycarpus primo quidem cum audiret uulgus in se acclamationibus excitatum : nihilo quidem motus mansit impauidus. Tranquillus namque erat moribus et serenus aspectu : qui cum in eadem ciuitate uellet interritus permanere : acquiescens tamen præcantibus se familiaribus suis ad agrum quendam ciuitati proximum secessit : atque ibi cum paucis die noctuque nihil aliud agens orationibus uacabat : pro pace ecclesiarum quæ ubique erant deo supplicans : quod in omni uita moris eius fuit. Sed is in oratione positus ante triduum quam comprehenderetur : uisionem per noctem uidit ceruical capitis sui flammis esse consumptum : Cumque euigilasset astantibus somnium suum interpretatus est dicens : certe se pro Christo per ignem moriturum. Cum autem comprehensores suos adesse comperisset : in occursum eorum progressus lætanter eos ualde suscepit : ita ut stuperent omnes : et mirarentur : quod uir tantæ honestatis perquiri et comprehendi iuberetur : continuo mensam hostibus quasi hospitibus iubet apponi : eisque largius epulas ministrari unius horæ spatio ab eis impetrato. Denique memoriam faciens totius ecclesiæ catholicæ : quæ per orbem erat instante iam hora progreditur : et asino sedens ad ciuitatem ducitur : pergenti occurrit præfectus pacis heredes et pater eius : qui leuantes eum in uehiculum secum persuadere conabantur dicentes : Quid enim mali est Cæsarem dominum dicere : et immolare : et de cætero uiuere securum. At ubi se nihil proficere senserunt : indignati cum contumelia eum uehiculo detur | bant : ita ut pedem læderet præceps actus. Cum uero tumultus ingens in stadio ex egressu eius exortus fuisset : uox e cælo elapsa est : Fortis esto Polycarpe : et uiriliter age : Et auctorem quidem uocis nemo uidere potuit auditus tamen ad plurimos uenit. Proconsul eo audito misso curione ad populum iubet magna uoce protestari : Polycarpum tertio confessum se esse christianum : quo audito omnis multitudo tam gentilium quam Iudæorum ciuitatis smyrnensium cum ingenti furore clamabat : Hic est totius Asiæ christianorum doctor. nostrorum autem deorum subuersor ardeat. Tunc ipsis populis ligna uel de balneis uel de publicis locis quibuslibet et sarmenta congregantibus uelociter extructus est rogus. Cum autem eum rogo impositum uellent etiam clauis affigere ait : Sinite me : qui enim dedit mihi ignis ferre supplicium : dabit et ut flammas immobiliter perferam. Tunc omissis clauis solis uinculis usi sunt : quibus post tergum uinctis manibus cum in ipsa passione deum benedixisset : et supposito igne flamma ingens reluxisset : uisum est miraculum a nobis omnibus : quibus ea deus uidere concessit : Ex quibus plurimi ad eo†. ad hoc reseruati sunt ut : anunciarent cæteris : quæ uiderunt. flamma et enim cameræ admodum curuata specie quasi uelum nauis uento sinuatum supra corpus martyris stetit : quod in medio positum non erat ut caro ardens : sed tanquam si argentum aut aurum in fornace candesceret. Tunc propterea odorem naribus hausimus tanquam turis incensi uel pretiosissimi et Fragrantis unguenti. Ad ultimum uidentes scelerum ministri igni corpus non posse consumi : iusserunt propius accedere confectores : et corpus cui ignis cesserat mucrone transfodere : quo facto tam large profusus est sanguis : ut restingueret rogum. Populus autem miraculi stupore attonitus discessit : erga electos dei tam insigni eius fauore perspecto. Cum eo etiam alii duodecim ex Philadelphia uenientes apud Smyrnam martyrio coronati sunt.

PASSIO SANCTI PONTII MARTYRIS.

Valeriano et Gallieno imperantibus et christianos persequentibus : Beatus Pontius fines Italiæ transiens urbem sub iugo alpium procul || sitam petiit nomine Sinielam ubi sedens Claudius pro tribunali iussit eum adduci : dixitque ei : Tu es Pontius : qui urbem Romam nescio per quam seditionem perturbasti : Insuper et priorum principum mentes abalienasti ? qui respondit : neminem turbaui : neque subuerti : sed

ab errore dæmonum ad deum conuerti . Cumque non posset ad sacrificandum adduci : præses iussit omnia tormentorum genera præperari† : et ait : In equuleo aptatus distendatur : ut omnia tormenta per membra eius decurrant : et tunc uideamus : si deus eius eruet eum de manu mea : Cumque equuleo aptaretur : beatus Pontius dixit : licet incredulitas tua impossibilem deum nostrum dixerit : ego tamen in nomine domini mei Iesu Christi credo : ut pœnæ tuæ ad nihilum redactæ nullum corpori meo dolorem incutiant : Cumque equuleo tenderetur : et ministri uectibus impositis cocleam retorquerent : cum magno sontu† equuleus confractus est . ita ut in puluerem redactus non compareret : et exanimes repentino fulgore qui sibi aderat† redderentur . Sanctus uero Pontius lætus et interritus ait : Vel nunc incredule disce : quia deus noster potens est pios de temptatione cripere . uos autem iniquos in die iudicii igni perpetuo deputare : Tunc præside conturbato dixit Anabius assessor : Sapientissime uirorum aduentantibus nobis adducti sunt duo ursi e Dalmaciæ montibus miræ magnitudinis . Præcipe præparari amphiteatrum : ut ab eis deuoratus non habeat sepulturam . Iussu præsidis præparatur amphiteatrum : et beatus Pontius in harena deponitur . Statim egressi duo uenatores cum taureis et neruicis secundum consuetudinem cum stetissent in harena : et sancto dei prouocassent ursos : illi exeuntes de caueis singuli utrosque uenatores arripuerunt : et ita eos discerpserunt : ut penitus qui fuissent : non compareret . Tunc uenientes ad sanctum Pontium non ausi fuerunt propius accedere : aut pedes martyris osculari propter paganorum cruorem sed Paulo longius procumbentes nihil sancto martyri permissi sunt læsionis inferre . Tunc clamor Populi in cælum tollitur : gentiles omnes clamabant Vnus est deus christianorum : quem Pontius colit . Eferatus igitur præses rabida uoce clamare cœpit : ut copiam ligno | rum et omne genus fomitis afferrent : iussitque dei sanctum manibus pedibusque uinciri cathenis : et in media harena statui : multitudinem lignorum in circuitu eius extrui : ignemque supponi : Quod cum factum fuisset : ignis gyrans flammis in sublimem harenam atque torquens plus quam fatigium† helisiæ amphiteatri consumptisque omnibus quæ pabulo ignis fuerant præparata : ita sanctus dei ab omni ardore apparuit illesus : ut nec saltem fimbriam uestimenti eius læderet : tandemque præses uictus atque confusus ait : Nunquid omnia genera tormentorum superasti : et ideo gloriaris nunc : ut reliqua euadas tormenta ? Ecce proximum uenerabile Appolinis templum accede : et sacrifica . Beatus pontius dixit : Sacrifico ego corpus meum domino meo Iesu Christo : quod hactenus a pollutione idolorum immaculatum custodiui . Nam uobis et principibus uestris cito superueniet ultio diuina : quia iniuste persequimini seruos Christi . Tunc uidens præses eius constantiam decretum dedit dicens : Ducite eum : et in saxo quod riuulo imminet decolate : corpusque eius dehorsum mittite : Quod et factum est . Nec multum post completus est sermo quem sanctus Pontius prædixerat : Valerianus scilicet imperator in captiuitatem ductus a sapore rege persarum non gladio sed ludibrio omnibus diebus uitæ suæ merita pro factis percepit : ita ut quotiescumque rex sapor equum conscendere uellet : non manibus eius sed in curuato dorso et in ceruicem eius posito pede : equo membra locaret . Gallienus uero cum Mediolanum intrare uellet : a militibus suis compræhensus gladiis est conffossus . Claudius autem Præses et Anabius assessor eadem hora qua sanctus Pontius decollatus est arrepti a dæmonibus suffocabantur . Nam Claudius linguam sibi morsibus minutatim incidit : Anabii uero oculi e suis concauis ui doloris euulsi pellibus tenuissimis per ora pendebant : Sicque factum est : ut in momento temporis ambo expirarent . Huius autem martyris passio celebratur pridie idus maias .

INCIPIT PASSIO SANCTI PONTIANI MARTYRIS . ||

Temporibus Antonini imperatoris facta est persecutio christianorum : ut idolis immolarent . Insidiabantur infideles fidelibus : et christianum nomen quasi inquinamentum aliquod perhorrebant . Iigitur† ex mperio† Antonini Imperatoris dirrectus est Fauianus iudex in ciuitatem spoletanam : ut ibidem ad culturam idolorum chistiauos† homines compelleret : Cumque in ea ciuitate uenisset sedit pro tribunali : et omnem

populum conuocare iussit : Cumque congregatus fuisset ad eum omnis populus : his uerbis ad eos exorsus est dicens : piissimus imperator Antoninus direxit me in hanc ciuitatem : ut si quis preceptum hoc non obseruauerit : capitali puniatur sententia . Et multi de populo consenserunt : ut idolis sacrificarent : multique permanserunt in fide domini nostri Iesu Christi tolerantes multas tribulationes : ut animas suas domino in martyrio consecrarent . Impius uero Fauianus iudex multas persecutiones christianis intulit : Et cum post turbam egrederetur : ubi christianos ad sacrilegium prouocaret : multi ad palmam martyrii peruenerunt : et fremebat ut leo querens aliquem deuorare : Erat quidam uir sanctus nomine Pontianus in timore dei stabilis : qui noluit idolis immolare : et a ministris eius comprehensus est : et ante tribunal iudicis ductus est . Tunc Fauianus iudex dixit ei : Quo nomine uocaris ? respondit ei : Quod a parentibus meis nomen mihi impositum est : Pontianus uocor . Maius autem nomen christianus : Fauianus iudex dixit : Iuuenis bene nate ammoue incredulitatem tuam . Error enim te inuasit : ut derelinquas piissimos deos : et colas hominem : qui persecutionem passus est de ciuitate in ciuitatem et lapidatus est : qui non te poterit adiuuare : Accede ergo : et adora misericordes deos : et noli seduci humanis maleficiis : quia dominus tuus in quo credis non te potest liberare de manibus meis . Respiciens in eum sanctus Pontianus dixit ei : Immundi sermones tui non me possunt seducere . Neque Imperator tuus auertere me potest a domino meo Iesu Christo : Vt adorem idola surda et muta : quæ non possunt liberare cultores suos . Tunc iratus | Fauianus iudex propter iniurias eius sanctum Pontianum expoliari : et uirgis cædi iussit et non dimitti : donec uideretur sanguis ipsius ut fluuius in terram manare . Cumque cessarent ministri : sanctus Pontianus dixit Fauiano : horribilis uultus et abominabilis diis tuis non erubescis . Vides : quia non sentio pœnas : quas mihi intulisti . Credo enim in domino Iesu Christo : quia ipse te confundet : quemadmodum solet confuudere† patrem tuum diabolum . Tunc iratus Fauianus iudex iussit ut super carbones nudis pedibus ambularet . Et ei duo iudicia proposuit dicens : aut tura des in istis carbonibus et diis immortalibus sacrifica : aut nudis plantis super eos ambula : Sanctus uero Pontianus signo Christi in fronte sibi facto cœpit super ipsos carbones ardentes nudis pedibus ambulare : et dicebat : Ecce ego in nomine domini mei Iesu Cfristi† ambulo super carbones ardentes . Mitte et tu : si potes in nomine Iouis tui manum in calidam aquam et liberet te Iupiter tuus . Tunc Fauianus Iudex iratus iussit equuleum sibi parari : et uncos ferreos fieri : et ibi eum suspendi . his autem factis Ministri defecerunt : et exclamauerunt dicentes : uæ nobis : quia nos magis torquemur quam hic detestabilis . Manus nostræ iam defecerunt : et unci fracti sunt . nihil facere possumus . Tunc impius Fauianus iussit eum in ima carceris claudi : et uenerunt ad eum omnes religiosi : confortantes eum : ut in agone martyrii constanter certaret . Audiens hæc inuidus Fauianns† iussit eum de carcere tolli : et in amphitheatro induci : et præcepit duos sæuos leones ad eum duci : ut ossa eius comminuerent : Cumque relaxarentur bestiæ : sanctus Pontianus orauit dicens : Domine Iesu Christe salua me de ore leonum : ut ennarrem nomen tuum fratribus meis . Dum uero complesset orationem : uenerunt ad eum ipsi leones rugientes : et cum uidissent illum ita sunt mansueti effecti : ut inclinantes capita sua adorarent beatum Pontianum : Quod cum uidssiet† omnis populus exclamauit uoce magna : uere magnus est deus christiaoorum† . Dimittatur sanctus dei . Tunc uidens Fauianus sedicionem in populo fieri : Iussit eum iterum in carcerem retrudi : et ibi eum per duodecim dies relinqui : donec fmem† apectus† eius || exhallaret : Cumque reclusus esset in carcere : Ecce circa mediam noctem angelus domini apparuit ei in ima carceris cum cibo cælesti : et confortauit eum dicens : forti animo esto . post duodecim dies uenerunt ministri : ut tollerent corpus eius : extimabant enim eum mortuum esse præ nimietate famis : et inuenerunt ipsum psallentem atque dicentem : In domino confido non timebo : quid faciat mihi homo : Renunciauerunt que nihil mali sensisse . Tunc Fauianus præses præcepit : ut educeretur de carcere : et iussit liquifieri plumbum : et eo dorsum eius perfundi : Et dum audissent ministri : attulerunt æneum cacabum : fecerunt eum cum plumbo feruere : Et nunciauerunt præsidi paratam esse pœnam . Audiens hæc præses dixit : extendite eum in lectum ferreum : et perfundite super eum . Forte exterritus sacrificabit diis . Tunc ministri tollentes cacabum æneum dorsum sancti Pontiani plumbo perfuderunt : Et sicut enatat aqua in mar-

more : sic et plumbum de dorso enatauit : Et dixit ad præsidem : Ecce dominus meus de omnibus suppliciis tuis me eruit : et non erubescis . Fauianus iudex dixit : Audi me Pontiane et sacrifica diis : et salua animam tuam : Cui Pontianus Obmutesce infelix : et noli auribus meis hanc iniuriam facere : quoniam dii tui dæmonia sunt muti et surdi : qui nemminem possunt adiuuare . Audiens hæc Fauianus : iratus est ualde et dixit : Contemptor deorum Pontianus qui diis sacrificare noluit spiculatori tradatur : et caput eius ab ipso abscidatur : Quo dicto : duxerunt eum : Et ibi genua figens orationem fudit ad dominum dicens : Gratias tibi omnipotens deus : qui me ad hanc horam perduxisti : ut per agonem passionis diabolum confunderem in tuo sancto nomine : Et nunc domine suscipe spiritum meum in pace : Et cum hæc diceret : percussit eum spiculator : et statim sanctus Pontianus consumauit martyrium suum decimo nono calendas februarias : Et aduenerunt christiani per noctem abstuleruntque corpus eius a ponte sanguinario : et sepelierrunt in pace non longe a muro Ciuiuitatis† spoletanæ in fundo : qui appellatur Lucianum : Et sepultus est quintodecimo calendas septembres : dederuntque omnes gloriam deo : qui uincit inimicos et coronat | sanctos suos . Ipsi honor et gloria in sæcula sæculorum . Amen .

PASSIO SANCTI POLOCRONII ET SOCIORVM MARTYRVM .

Orta tempestate sub Decio multi christianorum in urbe Roma necati sunt . Præsidente in urbe Galba pergit Decius ad persas cum bello urgeretur persarum : et ueniens in ciuitatem : quæ cognominatur Pontica sedit in eadem : bello tamen urgebatur . Ascendit autem Decius in montem Medorum : et facto conflictu pugnæ cum militia romana uictoria Potitus est : interfecitque persarum multitudinem : et obtinuit Babyloniam . Bactrianam . Hyrcaniam . Chordulam : et Assiriam . ubi etiam inuenit multos christianos : quos suppliciis et afflictionibus necauit . per idem tempus inuenit in ciuitate Babylonia episcopum nomine Polochronium . et presbyteros Parmenium . Elimam . Chrisotelimum et diaconos Lucam et Mucum : quos ubi compræhendisset : protinus iussit duci ad sacrificandum idolis . Tunc Polochronius egit instanter dicens : Ipsi nos domino nostro Iesu Christo offerimus : nam dæmonibus nunquam humiliamur idest manu factis idolis uanis : quare reclusit eum cum clero suo in custodiam : et ædificauit in eadem ciuitate templum Saturno : fecitque ei simulacrum ex gypso : et deaurauit : et scripsit epistolam Valeriano præfecto ita : Illustri et magnifico uiro Turcio Appollonio Valeriano præfecto Decius Cæsar . Quod nostri uoti declarat amor et competens beneficiorum deorum uictorias nos perfecisse cognosce . Illustris itaque et carissime nobis hoc sentire cognosce . ut frequenter deos nostros placare festines per sacrificia et odoramenta turificationum : per quorum beneficia nos semper uictores congratularis . Et ammonemus urgentes : ut si quos profanos christianos inueneris in urbe protinus ad tormenta trahi eos non differas . qui noluerint diis nostris humiliari : et sacrificia offerre : ut possimus eos placatos habere : et uictores ubique consistere : ut et possit romana libertas augeri . Vale carissime . Eodem tempore perfceit† templum in || Babylonia Saturno . Tunc iussit sibi præsentari Polochronium episcopum cum presbyteris suis et diaconibus : quem interrogans dixit : Tu es Polochronius sacrilegus : qui neque deos neque principum præcepta custodis ? Polochronius uero non respondit ei uerbum . Dixit itaque Decius ad clerum eius : Obmutuit princeps uester . Respondit Parmenius presbyter : dicens : Non obmutuit pater noster sed præcepto domini nostri Iesu Christi æterni creatoris utitur : ut non polluatur os sanctum : quod a creatore nostro purificatum est : quia sic præcepit dominus noster apostolis : Ne misertis† Margaritas uestras ante porcos : et conculcent eas pedibus suis : et conuersi elidant uos . Iustum ne tibi uidetur : ut quod semel purificatum est : coinquinetur stercore ? Decius dixit : Ergo nos stercora sumus ? Et iussit iratus : ut lingua eius præcideretur . Cum autem precissa fuisset lingua Parmenii : cœpit clamare dicens : Beate Pater Polocroni ora pro me : quia uideo in te spiritum sanctum regnantem et os sanctum tuum signantem : et mihi fauum mellis in ore distillantem . Decius dixit : Polochroni sacrifica diis : et esto noster amicus : et habeto et nos et templum commendatum . Polochronius uero non

respondit ei aliquod uerbum . Tunc iratus Decius iussit : os eius lapidibus tundi : Ille uero extensis oculis in cælum emissit spiritum . eadem hora dimisit corpus eius ante templum : et ambulauit in ciuitatem Cordulam : tertiodecimo calendas marcias . Eadem nocte uenerunt duo subreguli : qui erant oculte christiani : rapueruntque corpus eius : et sepelierunt ante muros portæ Babylonis . Et iussit Decius presbyteros et diaconos uinctos cathenis secum duci : qui dum ducerentur : cadebant uincula de collo et de manibus eorum . Veniens autem Decius in ciuitatem Cordulam cum furore iussit sibi præsentari presbyteros et diaconos : eosque aggreditur dicens : Et uos stulti desyderatis perire ? Ecce commoneo uos : sacrificare diis immortalibus . Respondens autem Parmenius presbyter : cœpit clara uoce dicere : O miser manufactis idolis nos compellis humiliari ? Infelix humiliari debes Christo creatori omnium rerum : non idolis manufactis . Nam peribis tu et dii tui tecum : quos iniuste colis . Tunc | Decius iussit in equuleo omnes suspendi : qui dum traherentur neruis : cœperunt omnes gratias agere deo : et dicere ad Parmenium presbyterum : Orationem da super nos . Respondit Parmenius : det uobis deus pater domini nostri Iesu Christi consolationem spiritus sancti : qui regnat in sæcula sæculorum : Et responderunt omnes presbyteri et diaconi uoce clara Amen . Tunc Decius iratus dixit : Hoc argumentum homini sine lingua loqui : magica ars cognoscitur esse . Respondit Parmenius : dominus noster Iesus Christus qui mutum loquentem fecit : ipse mihi peccatori dedit sine lingua loqui : nam dum tu loqueris : obmutescis : Eadem hora Decius iussit eos ignibus uri : qui dum incenderentur : audita est uox de cælo : Venite ad me humiles corde . Decius dixit : Vere magica ars est istud . Et iussit laminas ardentes circa latera eorum poni : et ungulis lacerari . Eadem hora iussit Decius deponi eos de equuleo : et præcepit : ut capite truncarentur . Illi autem dum decollati fuissent : iactauerunt corpora eorum in publicam uiam : ita ut custodirentur : ne quis eos sepeliret . Tunc audientes subreguli uiri religiosi Abdon et Sennes uenerunt noctu : et collegerunt corpora sanctorum presbyterorum Parmenii et Eliniæ† et Chrisoteli . et diaconos hos Lucam et Mucum : sepelieruntque in prædio suo iuxta ciuitatem cordulam decimo calendas maias .

VITA SANCTAE POTENTIANAE VIRGINIS .

Omnia quæ a sanctis gesta sunt : uel geruntur : si quis uoluerit studiose perquirere : et sibi et plurimis ædificationis exhiberet fructum : et quasi arbor fructifera : ne sine causa probetur terram occupare dum uiuit : ut cum et ipse suis pomis ordinatur : et omnis qui ex eo fructum perceperit saginatur . Scribimus ut in gestis inuenimus : quid egerint : quid locuti : quid passi sunt sancti . Ostendite uos esse catholicos : qui Christi uictorias semper libenter legitis : libenter auditis : et interrogo uos : quas tamen inter apocriphas litteras hæc uolando censetis : per || quos Prudens frater noster et amicus apostolorum : nam et cultor et susceptor sanctorum peregrinorum summa ambitione fuit : qui contempnens mundum et parentum facultates Christo semper paratus in domini præceptis omnibus eruditus est . post transitum parentum suorum id est patris Punici et Prisillæ matris : qui eum iunxerunt uxori . Ergo ut superius memorauimus defuncta uxore nomine Sabinella : quæ reliquerat ei duas filias Praxedin et Potentianam : Quas Prudens Cum omni castitate nutriuit : et nimio amore christianitatis omnem legem diuinam edocuit . Hic in domum suam studio sanctam ecclesiam sanctificauit : et per nos peccatores dedicauit : Vbi et titulum nostro nomini constituit in urbe Roma : qui appellatur uicus patricii . Hic Prudens doctus a beato Paulo qui te docuit et nutriuit . Tantæ felicitatis fuit studio : ut fidei documenta testantur : De quibus clarum tibi facio : eum migrasse ad dominum : et reliquit duas castitate fultas . omnem legem diuinam eruditas : quæ sine dolo amore Christi tenentur integræ : et in uirginitatis flore omnimodo gloriantur . Vigiliis ieiuniis et orationibus perdurant . Ipsa autem praxedis et potentiana omnem facultatem diuidentes inter se cœperunt uendere omne patrimonium : et erogare pauperibus . in eodem uero loco ubi titulum meo nomini pater earum Prudens dedicauit . Consilium hoc inter me et famulas christi Praxedin et Potentianam filias sacratas conuenit : ut in die sancto pasche quia desyderium earum nimio ardore fidei urgebatur

propter familiam communem quæ gentilis erat : in eodem titulo fontem baptismi construere mereamur : De quo consilio itidem consulimus sanctum Pium prime apostolicæ sedis episcopum : cui tanto desyderio placuit consilium : ut plus ipse exhortaretur fieri in eodem titulo baptisterium . e studio summo fauoris amore ipso beatissimus Pius episcopus manu sua fontem designauit et construxit . Perfecto autem fonte deo adiuuante famulæ christi conuocauerunt familiam suam tam de urbe quam de possessionibus communibus : feceruntque discussionem . quoscumque inuenerunt Christianos : donauerunt uinculo ingenuitatis . quos autem inuenerunt gentiles : applicauerunt ad credulitatem legis sanctæ chri | stianæ et facto consilio ueritatis exemplo . cum beato Pio episcopo in eodem titulo secundum normam antiquitatis manumissio ce† celebratur . Et in die sancto paschæ baptizati sunt promiscui sexus numero nonaginta sex in eodem titulo . Et cum omnia consumata fuissent : cœpit esse conuentus in eodem titulo ut diebus ac noctibus gloria hymnorum non cessaret : et multitudo ad credulitatem ex paganis conueniret : qui et cum omni gaudio baptizabantur : De qua re sciat sanctitas tua : quia suggestio facta est Antonino imperatori de christianis . Qui quidem Antoninus piissimus augustus hoc sua autoritate præcepit : ut quicumque Christum colere scirentur : sufficeret eis in habitaculis suis uiuere . Nullam conuentionem cum populo sæculi coniungerent neque in thermis publicis habitarent : sed tantum in domibus suis habitarent . Et dum custoditur ab uniuersis christianis : filias nostras dicatas domino et uirginitatem pro testimonio confirmatas in domo sua in titulo supradicto orationibus et uigiliis et ieiuniis cum populo dei nostri et domini Iesu Christi et spiritussancti amore incessanter die noctuque in laudibus et hymnis uidebamus sufficientes . Exultans nobiscum semper beatissimus Pius episcopus : et gloriam et sacrificia offerens ministrabat . Concludente autem mense decimo et annis duobus uirgo domini Potentiana migrauit ad dominum : Cuius corpus nos una cum germana eius inuoluimus cum omni diligentia et aromatibus : habuimusque ocultum in titulo suprascripto .' Post dies uigintiocto noctu detulimus corpus : et posuimus iuxta patrem suum Prudentem in cymiterio Priscillæ uia salaria quarto decimo calendas iunias : Vbi exhuberant beneficia diuina orationibus sanctitatis eius usque in diem hunc Per eum : qui uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM PROTHI ET HIACYNTHI MARTYRVM .

Septimo consulatu Commodus Imperator illustrem uirum Philippum dirigit in Egyptum : ut et præfecturam Alexandriæ ageret potestatis : quæ per totam || Egyptum eius dictioni seruirent . Hic itaque Philippus cum uxore sua Claudia et cum duobus filiis Auitto et Sergio et cum Eugenia filia a Roma moderationem composuit : Cuius filia Eugenia nimis elegans corpore sed elegantior mente sextodecimo ætatis anno ita græco latinoque sermone in liberalibus litteris probatur esse perfecta : et ita grauitate composita : ut eam etiam philosophi mirarentur . Denique dum a patre interrogaretur : si Aquilini consulis filii coniunx fieri consentiret : respondit : Maritus magis honestate quam natalibus eligendus est . moribus eius enim nobis non honoribus utendum est . Igitur dum aliis : atque aliis poscentibus animo castitatis obsisteret : peruenit ad manus eius beati Pauli Apostoli epistola et uirginis Teclæ historia et legens occulte flæbat quottidie : et licet sub paganissimis parentibus ageret : cœpit animo esse christiana : Cumque quottidie uersaret in animo : qua arte ad christianam doctrinam contingeret a parentibus quæsiuit : ut uisitationis gratia ab urbe properaret ad uillam Cumque iter ageret : euentum Teclæ uirginis inter Basternam legens animo reuoluebat . Tunc dicit ad pueros suos Prothum et Hiacynctum . Socios uos mecum litteris eruditos nec uos lateat : quanta de deo poetæ confingant : quanta philosophi commententur et sentiant . Nunquid tale aliquid et tam uerum quam in his actibus legitur :† de deo potuistis audire ? Nunquid non uere absurdum et miserum culturæ hoc genus est deum lapidem credere : et lignum ad auxilium inuocare . Interea cœperunt iter carpentes discuti debere diuersas sectas gentium : et definire inter se nihil melius posse hac prædicatione sentiri : Cumque hæc et his similia : mutua locutione discuterent : audiuit psallentes christianos omnes dii gentium dæmonia

deus autem cælos fecit . Audiens hæc Eugenia præcepit stare uehiculum : et diutissime rationem et uim carminis consyderans ait : oportuno satis testimonio conuenimur . Cesset omnis ignauia et inutilis de preterito errore cultura : si nolumus perire : credendum est . Agamus itaque : quod sapienter agendum uideamus . Igitur dum eadem sollicituis† mutuo sermone repeterent : et dum de deo uero alterna fabulatione tractarent : fit concordia fidei : et ordo quæri | tur : quo possit fuga sancta institui : qua incredulitas diaboli dimitteretur : et fides domini teneretur . Tunc Eugenia Prothum et Hiacynthum his uerbis alloquitur : Dominam me uobis humana temeritas sed sororem sapientia fecit . Simus enim fratres animo concordia uoto atque prudentia : et omnem humanæ dignitatis gloriam relinquentes ordinate ad dei homines properemus . Sed ne aliquo casu alterutro seperemur : prius crinibus meis tonsuram adhibete . Crastina uero nobis ad dei homines transitus præbeatur : et uobis duobus dextra læuaque iuxta Basternam nos tres uirili habitu ad dei homines properemus . placet utrisque consilium : et consequenti nocte sicut ordinauerunt adimpletur . Tantam credentibus sibi gratiam Christus exhibere dignatus est : ut statim Basternam . eis ascendentibus Helenus superueniret episcopus : quem psallentium comitabatur exercitus . Psallebant autem simul una uoce dicentes : uia iustorum recta facta est : et iter sanctorum præparatum est . Tunc Eugenia dixit ad socios suos : Consyderate uim carminum : et uidete si non nos respicit quidquid christianos audiuimus deo suo canere . Denique cum deuoto dei noster haberet sermo tractatum : audiuimus canentes : Omnes dii gentium dæmonia . Deus autem cælos fecit : Et ecce non recedentibus nobis ab idolorum cultura millia occurrunt dicentes : Via iustorum recta facta est : iter præparatum est . Iungamus itaque nos canentibus turbis et quasi ex eorum numero computati ingrediamur : ut socii : quousque in notitia collocemur . Igitur cum se iunxissent psallentibus : inquirunt : quis esset senior : qui solus in medio populi aselli uehiculo uteretur . Tunc audiuit a quodam quod hic esset Helenus episcopus ab infantia christianissimus : qui dum puerulus a monasterio egrederetur : et ignem e uicino postularet ardentes prunas uestimento deferebat illæso . Sed quid ennarrem præteritas eius de longinquo uirtutes ? Nuper hic quidam Zereas nomine magus aduenit : qui ex scripturis diuinis populum conabatur euertere : ausus quin etiam cum sancto Heleno conflictum habere sermonis : Quem uidens uersutum pater Helenus : et uerbis concludere non posse : dixit coram omni populo : Quod || opus est O filioli mei : ut altercatione nostra subuertantur aliqui infirmi ? nam ut cursus intentionis nostræ non solum iacentes non subleuet : uerum etiam stantes titubare compellat : in promptum est probare : quod dei est . Accendite ignem in medio ciuitatis : et in conspectu uestro ingrediamur ambo : qui adustus ex eo non fuerit : huius prædicatio uera esse credatur ab omnibus . Placet omni populo : iam enim maxima pars populi fuerat a mago peruersa : Statimque ignis copiosus accenditur : quo accenso imperat beatus Helenus : ut ambo simul ingrederentur intrepidi . ad hæc Zereas : Non inquit ita est . Sed unusquisque nostrum singilatim introeat . Tu tamen prior ingredere : qui hoc fieri præcepisti . At ille continuo extensis manibus cælos attendit : et fundens orationem cum lachrymis dixit : Tu scis domine Iesu Christe fili dei uiui : qui quartus in camino tribus missis pueris apparuisti : quia nulla me humanæ gloriæ incitauit cupditas† sed salus populi mei : Cui me rectorem dare dignatus es : quem diabolus per ministrum suum recto itinere reuocans præcipitem uult tradere morti . Huius ergo causa salutis flammas ingredior : credens : quod te illic inueniam super me influentem rorem : ne in aliquo ab igne contingar : Et hæc dicens : consignansque se intrepidus et in nomine domini stans illic diutissime penitus illesus stetit . Tunc populus in unum atque reluctantem zeream flammas immittit : Cumque cœpisset aduri : currens beatus Helenus licet seniiustum† uiuum tamen eripuit : et illum quidem cum exprobratione turba omnis eiecit . hunc autem sicut uidetis quottidie in domini laudibus comitatur . Tunc Eugenia simul cum Protho et Hiacyntho genibus eius qui sibi ista referebat aduoluitur : et rogat : ut per eum notitiæ eius insinuari mereantur : quibus ille respondit : Consuenit † factis matutinis requiescere : cum surexerit : qualiter uos ei insinuetis ordinate : Cui dixit Eugenia dignare : huiuscemodi ei de nobis suggestionculam intimare . Tres pueruli fratres natione Romani relinquentes ydolorum culturam hodie uestigia tua prosequentes huc ingressi rogant : ut beatitudinis tuæ aspectibus præsententur . Interea dum ista narrantur requiescens |

senior omnia quæ gerebantur per uisum agnouit : Cui expergefacto uenerabilis Eutropius suggessit eadem dicens : Tres pueruli fratres unanimiter relinquentes ydolorum culturam Christo seruientium numero sociari desyderant : quorum hoc primum et ualidum desyderium esse cognoui : ut mereantur noticiæ tuæ beatitudinis reuelari . Tunc beatus Helenus dixit : Gratias tibi domine Iesu Christe refero : qui me præuenire fecisti reuelationis tuæ gratia : ut euidentius mihi ista quæ nunc audio demonstrentur : Intromissis igitur ad se pueris fudit orationem : quam dum complesset apprehendit manum Eugeniæ et cum suis comitibus sequestrans eam dixit : Licet insinuante uiro dei agnouerim : quod me exiguum Christi seruum uidere uolueritis : quæ tamen uoibs† me uidendi extiterit uoluntas : a uobis audire desydero : ut possim gratias bonæ uestræ agere uoluntati . Tunc Eugenia : Agnoscentes inquit in nullo metallo uel ligno diuinam maiestatem posse consistere : et inquirentes : quæ esset uera relligio : et in qua uerus deus adorandus sit et colendus : ex hoc loco audiuimus una uoce psallentes : omnes dii gentium dæmonia deus autem noster cælos fecit . Hac rationabili uoce prouocati : reliquimus uanam superstitionem symulachrorum : et huc festinantes inuenimus plebem uenerabilitatis tuæ uestigia prosequentem : His adiuncti credentes deo huc ingressi sumus . Germanitas nobis tribus coniungitur unus ex his Prothus dicitur : alius uero nominatur Hiacynthus : Ego Eugenius nuncupor : Cui beatus Helenus Recte inquit uocaris Eugenius : quia uirliter† agendum te in agone obtulisti . Scias te mihi a domino Eugeniam esse demonstratam : et unde ueneris : et cuius sis filia : et quid tibi isti sint scias mihi dominum euidentius demonstrasse : Et confortans animum eorum exhortatione sua sancta per tres menses secum ecclesias seu monasteria circuire promisit : quousque instructos in Christi religione perficeret : et sacrosancta baptismatis sanctificatione muniret . Post hæc reuocat eos et monasterio : in quo fidei rudimenta susceperant† : ut decebat : dei famulos commendauit . Nulli tamen qui essent credidit intimandum . Redeamus nunc ad illud tempus : quo Prothus : et Hia || cynthus offerentes Eugeniam abierunt . e† Basterna igitur iumentis perambulantibus peruenit ad matrem . Occurrunt cum gaudio uniuersi : et nihil inuenientes in uectatorio omnes simul mugitum dederunt . Fit repente totius ciuitatis strepitus . Quis enim uel audire poterat præfectum filiam beatissimam perdidisse ? Erat itaque planctus inextimabilis flætus immensus . Lugebantque uniuersi parentes filiam . fratres sororem . seruuli dominam : et tenebat uniuersos mæror et infinita animi tribulatio . Fit per totam prouintiam inquisitio . interrogantur haruspices . inquiruntnr† phytones . sacrificiis ydola siscitantur . omnes una uoce respondent . Eugeniam a diis immortalibus in cælo esse sublatam . Credit factum pater : et flætum ad consolationem reuocans dat festa responsis : atque deorum illam numero consecrans ex auro puro eius fecit fusile simulachrum . Mater tamen eius Claudia et fratres Auitus et Sergius nulla poterant consolatione releuari : sed erant intolerabiliter flæntes eam . Beata uero Eugenia uirili habitu et animo cum Protho et Hiacyntho in predicto monasterio persistebat . Vbi ita diutinis eruditionibus profecit in Christo : ut intra secundum annum omnes pene scripturas dominicas retineret . Tertio itaque anno conuersionis eius : qui præerat fratribus : migrauit ad dominum . Post cuius excessum omnibus placuit : Vt beatum sibi Eugenium præesse eligerent . Tunc beata Eugenia recusabat . conscientia sexus . ut fœmina supra uiros dei haberet principatum . Item timebat : ne contristaret : et offenderet unaminiter† præcantes . Sed cum omnes in hac definitione intentos aspiceret : hac eos alloquitur uoce : Quotienscumque in conuentu christianorum aliquid ex consensu faciendum est : Christi sunt pro hac ipsa definitione præcepta tenenda . Vnde si iubetis : deferantur euangelia sacrorum Christi sermonum : ut quid in hac parte præceperit audiamus : cumque allatum fuisset suscipiens adorauit : aperuit et uoluens folia uenit ad locum : quem inquirebat : et facto silentio hanc domini nnstri† Iesu Christi cœpit recitare sententiam : Dixit autem discipulis suis : Nescitis quia principes gentium maiores eorum sunt : quibus dominantur : et principatum | gerunt . apud uos autem non est sic : sed si quis inter uos uult maior esse : sit uester seruus . et his lectis ait : hoc ordine consentiam imperiis uestris : ita ut Christi præceptis insistam : Ita enim debet conseruis obtemperare conseruus : ut uoluntati eorum domini sui præferat uoluntatem . Suscipit igitur nomen præpositi ad hoc tantum : ne contristaret unaminiter† postulantes : et sui negligens de omnibus cœpit esse sollicita . Omne denique opus quod ultima solebat

exercere persona arripuit : et cœpit aquam haurire de puteo : ligna confringere : adhibere mundicias : et coquinæ ad mensuram fratrum necessaria inseruire . Denique in eo loco cellulam collocauit : ubi hostiarius monasterii morabatur : ne uel ipso superiorem se esse ostenderet . Sane ad uigilandum et canendum deo : omnibus inueniebatur anterior . Nec inueniebatur inter omnes : qui illa in humilitate superior probaretur . Ita circa ora omnium erat auribus sollicita : ut nullum pateretur in iuramenti uerba prorumpere : et in sermone aliquo ocioso garrire . Dicebat ergo omnibus : quanta reuerentia exhibeamus deo seruicium : ex præceptis eius ostendimus : si talem apud mentem nostram ei nobis personam constituamus : quæ non debeat in illo præcepto contemni . Negat enim quodammodo dominum suum esse : qui prohibita ab eo docetur agere : et iussa negligit adimplere . his igitur monitis quottidie infestabat : et non diebus ac noctibus a colloquiis diuinis et oratione cessabat . Ita denique dei carior esse cœpit : ut dæmones repelleret : et saluaret per eum dominus : quoscumque uisitasset infirmos . Sed quia multa sunt gesta eius : quæ narrare longum est : quantum permittit breuitas accedamus . Matrona quædam opulentissima clarissimaque Nelancia nomine quartano typo multo tempore fatigata : uenit ad eam Eugenia : Cui cum fecisset in pectore signaculum crucis : omnem abundantiam humoris lœtalis euomuit : et sanissima reddita ad uicinum monasterii quod possidebat prædium properauit . Ex quo tempore quasi uenarationis† intuitu frequentabat ire ad eum : Et ignorans quod esset fœmina : non sicut decebat beatum diligi : per quem saluata fuerat diligebat : sed sui similem existimans his uerbis secrete alloquitur : quid || temet ipsum inanibus abstinentiis maceras et florem perdis gratissimæ iuuentutis : quasi tristes dominus diligat : exurientes suscipiat : delectamenta sua contempnentes foueat : et solis hominum cruciatibus delectetur ? Et cur omnis homo idcirco diuinis insistit oraculis : ut lætis successionibus floreat : et tempora iucunda suscipiat . Videmur ergo abuti donis dei : et ingrati refundere largitori : quod donat : Vnde meritis tuis me tibi crede dominum præstitisse : ut per me finem his afflictionibus ponas : et lætiora tempora et iucunda suscipias . Esto dominus rerum mearum : imo et meus efficiaris dominus . Nam dignitas me et generositas ornat illustrium . et locupletatio mihi infinita exhuberat . Non enim puto : quod iniusticia sit apud dominum : si maritus meus esse digneris : et fruaris tempus leticiæ quod tristiciæ mancipasti . Hæc et his similia dicente Melancia : Beata Eugenia monitis salutaribus obsistebat : et uolens animam de laqueo diaboli liberare : ostendebat ei desyderia mundi misera esse : et sic dum putantur teneri effugere : atque per unius puncti delectamenta perpetua detrimenta inducunt : nec consentiendum omnino corporali concupiscentiæ : quia blanditur : ut maculet : inuitatur : ut teneat . lætíciam promittit : ut perdat . Hæc et huiuscemodi prosequente Eugenia Melantia surda aure transibat . Circundederat enim cor eius clandestina calamitas : et ut scriptum est in maliuolam animam non introibit sapientia salutaris . Interea dum Eugenia conaretur Malanciam de laqueo mortis eripere : At e conuerso ipsa etiam Melancia quatenus Eugeniam irrætiret cogitabat . Simulatur infirmitas : Melancia rogat : ut ab Eugenia salutetur : Cumque ad eam uisitandam ingressa esset Eugenia : et sederet intra cubiculum obsenis eam amplexibus infelix Melancia adire temptabat : et uerbis procacioribus ad crimen hortari . Tunc beata Eugenia exigens dexteram signa frontem suam signo crucis : et clarissimo suæ uocis strepitu cum gemitu ait : Recte Melancia nomen habere cognosceris . Nigredinis enim repleta perfidia : nigra diceris : et obscura tenebrarum amica diaboli : dux pollutionis : fomentum libidinis : soror anxietatis perpetuæ : et filia mortis sempiternæ . discede a cerui | ce Christi deceptrix et illecebrosa cordis insania : nulla tibi pars nec societas cum famulis Christi . Illa uero his auditis accenditur : et detectionis suæ pudorem non ferens : sperans etiam se prius detegi ad aures famæ : nisi prior ipsa detegeret : redit Alexandriam : et publica interpellatione talia quædam præfecti cœpit auribus intimare : Iuuenem perfidum qui se dicit christianum incurri . Ad me autem illum medendi gratia : quia dicebat se posse infirmantibus subuenirē† : dum fecisset ingredi : ausus temerario ore me impudenter cœpit alloqui : et uerbis impudentibus ad crimen hortari . Quid multa ? Ad ultimum : ut captiuam ut barbarus inire congressus est : Quæ nisi unius quæ intra cubiculum erat fuissem ancillule liberata suffragio : me suæ libidini subiugasset . Audiens præfectus accenditur animo : et missa apparitorum multitudine omnes ferro uinctos deposuit :

et diem constituit munerum : in quo eos coram populo in amphiteatro audiens iuberet tradi morsibus bestiarum : Cumque die posito munera ederentur : et beata Eugenia cum hominibus dei in cathenis fuisset ingressa ignorantibus ueritatem mater populi perstrepebat . Erat enim ad accusationem Melantiæ uaria ignobilis uulgi sententia . Alii denique ignibus cremari debere : Alii diuersis pœnis eos affici . Alii clamabant debere eos ferarum atrocitate consumi . Tunc præfectus imperato silentio in conspectu omnium suis eam iussit aspectibus sisti : Et interrogans eam dixit : Dic furcifer : quæ temeritas te compulit : ut illustrem fœminam Melantiam appeteres : An uilem qualemcumque existimasti personam ut ingressus sub specie christianalis medici castitatem generosissimam ad lupanaris ignominiam prouocares ? Numquid hæc uos Christus uester facere docet : Et hæc est tota religionis uestræ professio : ut corruptionibus operam detis . Tunc Eugenia his uerbis præfectum alloquitur : Optaueram quidem crimen obiectum sola conscientia uincere : et falsæ obiectionis famam futuro iudici reseruare . Non enim pertimescere uera castitas potest . quid de ea iactet mundialis opinio simul cum ipso mundo lapsura . Non enim ad laudem hominum sed honorem dei pudicicia a sapientibus regitur . custoditur integritas . castitas possidetur : et quia uiriliter in amore || dei agit animus christianus : confidentiam meam nolui esse fœemineam† . Consideraui enim inimicam honestati simulationem : per quam fœmina uirum simulat . Sed magis hoc iure puniri : si pro affectu uiciorum uir fœminam stringat et hoc iure laudandum : si pro affectu uirtutum sexus infirmior uirilem formam imittetur . Id circo ego nunc amore diuinæ relligionis accensa uirilem habitum sumpsi : et uirum gessi perfectum : uirginitatem Christo fortiter conseruando . Et hæc dicens : scidit a capite tunicam : qua erat induta : et insignis facie paruit et pulcro pectore uirgo : atque statim tegens : licet scissis uestibus : membra dixit præfecto : Tu quidem mihi secundum carnem pater es : claudia mater : fratres quoque sunt mihi hi : qui tecum sunt Auitus et Sergius . Ego uero sum Eugenia filia tua : quæ pro amore Christi mundum cum deliciis suis respui . Ecce Prothus et Hiacinthus eunuchi mei : cum quibus scholam Christi ingressa sum . Christus autem tam idoneus tibi extitit : ut eruditam me tibi et uictricem libidinis in conspectu omnium præsentaret . Cui credo me affinem iugiter permansuram . Agnoscunt pater filiam : fratres sororem : et currentes in conspectu populi amplexibus eius Lachrimas fundentes inherescunt . Nunciantur hæc claudiæ matri eius : quæ statim rapidissimo cursu cum omni familia ad spectaculum properat . Deferuntur illico uestimenta auro texta : et licet inuitam Eugeniam induunt : atque in triumpho impositam in sublimi attollunt : et ab omni populo clamatur : unus est Christus et uerus deus christianorum . Sacerdotes uero et episcopi : qui multo tempore circa amphiteatrum cum populo christiano in speculis erant : ut dum fuissent interfecti hi qui accusabantur sepelirentur ab eis : ingrediuntur amphiteatrum hymnum dicentes domino . Dextera tua domine magnificata est in uirtute . dextera manus tuæ confregit inimicum . Tollitur ergo in triumpho Eugenia : Et ne tantæ gloriæ defuisset probatio castitatis : uisus est ignis de cælo descendens : qui consumpsit Melantiam cum domo sua : et quæcumque cum ea inuenta sunt in domo perierunt . Fit gaudium populi cum timore dei . Ecclesia quæ per octo annos fuerat clausa aperitur . Reuo | catur omnis populus christianus ad cultum . Baptizatur Philippus præfectus et filii eius . Baptizatur Claudia et omnis familia et innumerabilis multitudo paganorum conuertitur ad dominum : et omnis Alexandria fit quasi una ecclæsia . Sed qui fuerat antistes diuinæ legis in persecutione : quia migrauit ad dominum : omnis ciuitas in episcopatum Philippum elegit : et cœpit eum habere sancta ecclæsia dignum Episcopum : et res publica habere præfectum : quia successor nullus aduenerat . Omnis pene prouincia Aegypti hac occasione ab errore idolorum ad Christum conuersa est : et per omnes ciuitates ecclesiæ restaurabantur : et dignitas christiani nominis crescebat . Sed quia sanctitatem æmulatio inimica semper subsequitur : Imperatores paganissimi sanctæ religionis inimici : detestabili persecutione contra Philippum prosequuntur . Quid multa ? mittitur Philippo successor Perennius in præceptis qui acceperat : ut Philippum interficeret . Sed cum hoc Perennus successor implere non posset : quia uniuersus populus ciuitatis in amore Philippi ueluti quibusdam uinculis uidebatnr† astrictus : immisit ei aliquos : qui se fingerent christianos : quique ingredientes ecclesiam percusserunt eum in oratione dominica constitutum : Durauit autem in episcopatu anno uno et mensibus tri-

bus : et cum Tropheo professionis et martyrii præfectus migrauit ad Christum . Post hæc beata Eugenia iuxta Nitriam ubi mater eius Claudia xenodochium collocauerat patris martyris corpusculum sepeliuit : ubi dignissimam Basilicam fratres eius fabricauerunt : in qua benedicitur dominus usque in hodiernum diem : quam cum dedicassent : reuertuntur pariter ad urbem Romam . Parata eis fuit gratia dei : per quam cum gaudio a senatu Auitus et Sergius suscepti sunt : Ita ut proconsulem unum Carthaginis alium Vicarium Africæ destinarent . Claudia uero et Eugenia occupatæ quottidie in amore diuino multas animas domino lucrabantur : Cumque inter matronas et uirgines opinio christiana gauderet : Basilla quæ erat neptis Gallieni Augusti uirgo conspicua atque prudentissima peruenit ad Eugeniam occulte : et audiens sermonem ueritatis ex ore Eugeniæ ita credidit Christo : ut incomparabilis haberetur . Sed quia chri || stiana religio humanis legibus prohibebatur : et quottidie se uidere non poterant : Prothum et Hiacynthum quasi donum ab Eugenia sibi datum Basilla suscepit : Cum quibus non diebus neque noctibus a diuinis hymnis et colloquiis et oratione cessabat . Tunc Papa urbis Romæ Soter nomine uir sanctus et in diuina oratione ualde perfectus peruenit ad Basillam per beatam Eugeniam : et baptismo eam consecrauit cum omnibus : qui simul cum ea crediderant : et diligentius erudiuit : Ita ut in amore Christi succenderet : et etiam ad martyrii fastigia concitaret . In illo tempore orta est sedicio christianorum : quod quasi Soter urbem Romam sua superstitione peruerteret : et Cyprianus Carthaginem uiolaret : Vnde factum est : ut Dacianus proconsul ex sacro rescripto Cyprianum interficeret . Soter autem euaderet : quia multorum nobilium urbis Romæ eum latebra fouebant : quo tempore uidens Eugenia uenientem ad se Basyllam amplectitur congaudens : et osculans eam ait : Hodie mihi dominus reuelare dignatus est : quod roseo sanguinis tui flore perfusa in confessione Christi decoranda sis : et accepta palma martyrii ad Christum sis cum gaudio perrectura : quod beata Basilla audiens expandit manus suas : deo gratias egit cum gaudio : Cumque orassent simul et complessent orationem : sederunt . Tunc beata Basilla dixit Eugeniæ Alternarum nostrarum gloriam coronarum ut uideo : deo manifestante cognouimus : Nam sicut tibi de me : ta† de te mihi rerum exitum Christus aperuit . Vidi enim : et probaui quod te duplex palma in cælo suscipiat : una quam in agone uirginitatis apud Alexandriam acquisisti : altera quam nunc in effusione sanguinis perceptura es . Simili modo audiens hæc beata Eugenia exhilaratur : et gaudens atque uniuersas uirgines ad se conuocans : quæ per ipsam illibatæ pudiciciæ gratiam obtinebant : secum iubet orationem effundere : quam cum complessent : eas alloqui his sermonibus cœpit . Ecce uindemiæ tempus : in quo uuæ fertiles succidantur . Et uos uitis meæ propagines et meorum uiscerum botriones estote paratæ uigiles atque perfectæ . uirginitas enim prima est : uirtutis indicium : similis angelorum parens uitæ . amica sanctitatis : gaudii dux : | Ideoque carissimæ uirgines mecum in agone ipsius uirginitatis fortiter permanete in amore domini : ut gaudia eterna cum omni dilectione possitis sustinere . Ego enim commendo uos spirirui† sancto : quia credo : quod uos in regno suo integras illibatasque restituet . Nolite itaque ex hoc faciem meam corporaliter uidere : sed exemplum meum ante oculos habentes : monita mea mente complectimini . Huiuscemodi monitis eas osculatas exhortabatur : ut forti essent animo . Basilla autem et Eugenia oratione facta discedunt : et ecce una ex ancillis Basillæ eodem die uadit ad Pompeium : et dixit ei : Scias sponsam tuam dominam meam ab Eugenia esse persuasam : ut omnino neget te suo matrimonio sociare . Hæc audiens Pompeius ardescit : peruenitque ad cubiculum : in quo Basilla cum Protho et Hiacyntho erat : hymnis et orationibus occupata : Cumque se intromitti peteret : audit sibi a Basilla mandatum : causam uidendi scias penitus non habere . Abscedit tristis et anxius : et diuersas matronas mittit ad eam quasi suadentes : Vt sponsum suum Basilla recip̂iat : quas suadentes eam atque uæhementius insistentes his uerbis alloquitur : inter sapientes et insipientes hoc interest : quod insipientes nec mala recusare nec bona appetere arguuntur . Sapientes autem sic bona appetunt : ut meliora habere contendant . Si enim bonum est : ut sponsum meum hominem mortalem accipiam : quanto magis melius est : ut creatorem meum non renuam immortalem accipiam : quanto magis melius est : ut creatorem meum non renuam immortalem accipere . Gratuletur ergo : et gaudeat : quod amori eius deum solum præposui : et illi qui mihi corpus integrum

commendauit : integrum fideliter conseruare studui . uideo enim omnia præsentis temporis gaudia repentini finis uinculis esse constricta : et quodammodo desinendo incipere pergunt ad occasum : statim ut operiuntur leticiæ temporales : et ut facies prati uernantis cuncta quæ floruerunt deflorescunt . Sed tollentes spem suam ab homine mortali in omnipotente confidant : qui unigenitum suum misit ad terras : ut ostenderet nobis : quod uere diligere debeamus . Nam amorem sincerum impollutum et integrum eius uirtutibus || exhibentes nemo ex uobis existimet ignorare : quem diligam . Est enim unigenitus filius dei uiui : qui ad nos per uirginem ueniens : ipse quoque uirgo permansit . Intrauit denique in uterum uirginis : quasi deus . natus est quasi homo . adorandus quasi rex ungitur . Docet ut magister . uicit ut omnipotens . uænditur ut seruus . estimatur ut propheta . patitur ut noxius . moritur quasi homo . resurrexit ut dominus . uidentibus multis testibus ascendit in cælum . Hæc dicente Basilla omnes pene matronæ in amore Christi succensæ sunt : ita ut si fieri potuisset nulla earum uoluisset domum propriam reuerti . Denique nulla earum dignata est responsum dare Pompeio : Ideoque Pompeio decreuit Gallienus augustus : ut aut sponsum Basilla reciperet : aut gladio iuguletur . Eugenia uero aut diis omnipotentibus inseruire : aut crudeliter interire iussit : Et dedit generalem legem : ut quicunque christianus sacrificare idolis contempsisset : specialiter puniretur . Interea conuenitur Basilla : ut recipiat Pompeium sponsum atque per multos dies diuersis persuasionibus fatigatur . hinc matronæ atque aliæ : hinc uirgines : inde affines et proximi . hinc etiam uetulæ : quibus mos est licentius persuadere : quæ cupiunt . Quid multa ? Omnibus obstitit fortiter : et suæ constantiæ immutabiliter effectum ostendit . Verum quoniam ex genere regio erat : et publice audiri non poterat : intra domum suam pro amore uirginitatis et Christi gladio transuerberata est : qua interfecta tenentur Prothus et Hiacinthus : iubenturque Ioui sacrificare . Sed contemnentes perferunt diuersa supplicia : et perseuerantes pariter decollati sunt . Post hæc tenetur Eugenia : et iubetur a Decio præfecto urbis Dianæ uictimas immolare . Stans autem Eugenia ante templum extensis manibus preces fudit : quæ dum oraret ita simulachrum Dianæ in fragmenta conuersus est : ut sola pulueris eius indicia mansissent . Tunc iubetur quasi magicis artibus plena colligata in Thiberim præcipitari . Statim autem ut iactata est : uincula dirrupta sunt cum saxo . Beata uero Eugenia supersedens ferebatur unda : sola genua sub aqua habens : quod uidentes omnes populi mirabantur : et erat gau | dium magnum christianis . Credebant enim hoc esse cum Eugenia in flumine : quod in mari erat cum Petro : ne mergeretur . Inde sublata in fornacibus thermarum seuerinarum mittitur : quæ sic statim extinctæ sunt : ut etiam ipse thermæ ulterius omnino calefieri non possent . Mittitur post hæc in custodiam tenebrosam : ubi uiginti dies clausa deficeret negato cibo uel potu : et ut lumen penitus non uideret . Sed ibi quottidie tantus fulgebat splendor : ut quasi apertus fuisset locus : ita uiginti dies beata illic Eugenia stabat quasi lumen aliquod radiaret . Apparuit autem illi saluator cum ingenti lumine in abditis : qui quottidie eam reficiens atque confortans dixit : Noli timere Eugenia ego saluator tuus : Cui totam et integram semper mentis deuotionem seruasti . Eodem die in cælo te suscipiam : quo ipse descendi ad terras . Ipso autem die natalis domini missus est spiculator : qui illam in custodia positam percuteret : Tunc sublatum corpus eius a christianis positum est non longe ab urbe Roma in uia : quæ appellabatur Latina . Claudia uero mater eius dum ad eius sepulchrum flæret : apparuit ei Eugenia uigilanti : et dixit ei : Gaude mater Claudia : quia et me introduxit Christus in exultationem sanctorum : et patrem meum in Patriarcharum gaudio collocauit . Te ipsam quoque dominica ueniente die in refrigerium sempiternum suscipiet . Commenda ergo filiis tuis fratribus meis : ut custodiant signaculum crucis : per quod mereantur effici participes nostri . Factum est autem : ut ueniens domum Claudia instrueret filios suos iuxta id quod monita fuerat . Die autem dominica mysteriis celebratis in oratione posita emisit spiritum : quam filii iuxta sororem suam sepelientes : ita in timore dei perfecti cœperunt esse : ut multorum animos ad se conuerterent paganorum . Denique de ipso capitollio paratos ad sacrificandum homines sua exhortatione tollentes ad ecclesiam adduxerunt : quos baptismatis sanctificatione purgatos in suo gremio diuina aula suscepit : et quottidiana damna diabolo inferentes per multos annos Christo uixerunt : et cum bono uitæ profectu de hac luce ad syderea regna migrarunt . patrem et filium et spiritum sanctum confitentes . Amen . ||

DE SANCTO PROSDOCIMO EPISCOPO.

Prosdocimus nobilissimis quidem natalibus ortus : cum a parentibus suis litterarum studiis erudiendus traditus fuisset : probitate morum enitens : quanquam sæculari sapientiæ intenderet quæ apud deum stulticia esse perhibetur : Christiano uocabulo functus se in diuinæ sapientiæ cultum protendere cuprebat† : Qui cum non haberet monstrantem sibi declinare a uia erroris : et ingredi uiam ueritatis : ecce ut pro paucis plurima reciperet : terrena pro æterna hæreditate despexit : et in annis puerilibus diuini amoris iugo se totum inflexit . collegas uero probatissimos Marcum et Apollinarem sibi associauit : et eisdem comitantibus uiam arripuit : ingressusque ciuitatem Antiochiam sancti Petri tunc patriarchæ conspectui se præsentauit : et eius dominio se subiugauit : ut suis eruditionibus imbutus mundum et concupiscentiam despiceret eius . O ammirabilis dei omnipotentis clementia . O . unius et trini innumerabilis læticia . O et uos fratres carissimi unum in tribus personis conlaudemus deum : qui hos ad salutem nostram conglomerauit patronos . hos perfectos Christi seruos . Marchum : Prosdocimum et Apollinarem cum beatus Petrus uidisset : læto animo eos suscepit : et diurnis nocturnisque horis in diuiuo† seruitio ardentissimo amore sibi adhærere fecit : ut per unius instructionem et trium amplificationem per uniuersam ecclesiam reuerentia diuinæ unitatis et fides excitaretur sanctæ trinitatis . Omnes habentes aures audite : et intento corde percipite : ut beatus agricola Petrus euangelicæ doctrinæ in cordibus fidelium sæmina sæminauit : et pacis et caritatis prædicamenta monstrando in eis fructificauit. Docuit enim homines mundum despicere : et concupiscentiam carnis paruipendere : deum amare : et omni desyderio ad cælestia anhelare : et sic illustrando populum conuertebat ad dominum . His ita digestis sancti eius dicipuli Marchus Prosdocinus† et Apollinaris Christum pro humano genere natum passum mortuum sepultum et tertia die resurrexisse : cun | ctosque in se credentes de morte liberasse prædicabant . et non patientes inter sancta magistri eorum sæmina diabolici inimici supra sæminantis oriri zizanias : eas radicitus eradicabant : et corda audientium in documentis fidei et uirtutum non minus corroborabant . Horum talibus eruditionibus et nos dilectissimi instructi gratias agamus domino nostro : qui talium nos erudiuit documento . Operis autem cœpta dum beatus Petrus trium discipulorum Marci Prosdocimi et Appollinaris adminiculo complesset : et normam catholicæ fidei longe lateque prorogasset : ouibus sibi comissis sanctæ doctrinæ pabula fideliter administrauit : et eis æternam dulcedinem præbens fidei spei caritatisque agnitione ad plenum usque sacrauit . In tempore igitur Claudii Cæsaris exiens beatissimus Petrus de ciuitate Antiochia cum discipulis suis Marcho Prosdocimo et Apollinari ad expugnandum Symonem magum Romam usque peruenit : Cumque introisset beatus Petrus cum ipsis discipulis a turba fidelium honorifice susceptus est . Quo ordine suscepto oues sibi commissas ut pius pastor regere cœpit : et quod debile et morbidum erat foras eiecit . audiens autem et alia sua ouilia deserta et oues eius pastorem non habentes a latrunculis dispersas a rabidis lupis esse discerptas : onus sibi commissum quodammodo lenire placuit : et ecclesiæ sibi commisse quosdam post se rectores præuidere uoluit . Ad hæc uero diuina gratia admonitus ne tantarum lucernarum radii unius tantum domus spacio detenti : sed sparsim per latum orbem diffusi ignorantias hominum depellerent : et caligines erroris eorum ueri luminis cognitione illustrarent ecce ordinans episcopos : Marchum ad Aquilegiam ciuitatem dixerit† euangelizare : et prædicare Iesum Christum . Apollari† uero Rauennam comissit : Et his in rem directis dixit iisdem† sanctus Petrus ad beatum Prosdocimum : non oportet talentum tibi traditum in terra abscondi : sed in lucrum huiuscemodi thesaurum non habentibus tradi : ut cum deus tuus redierit : non inter pigros et malos seruos te computet : sed inter fideles gaudium sempiternum introire faciat . Iam enim messem maturam te metere mitto multum populum urbis patauinæ uario langore depressum || tibi sanandum committo . Respondens autem beatus Prosdocimus sancto Petro dixit : pater sanctæ et magister inclyte : nam et homo iuuenis sum : et non sum dignus ad hoc annorum uiginti . respondit ei beatus Petrus : noli timere fili mi : quoniam domi-

nus deus tuus spiritum sapientiæ suæ daturus est tibi . Et ordinans eum episcopum pastorali uirga muniuit : et dixit : Accipe baculum : Et habeas potestatem infirmos sanandi : paraliticos curandi : dæmones efugandi : cæcos illuminandi et mortuos suscitandi : dansque ei osculum dixit : uade in pace : et gratia dei semper tecum sit . Beatus autem Prosdocimus magno gaudio repletus abiit : et Patauium felix eius aduentu iustus et sanctus intrauit . Erant autem ante portam ciuitatis multi infirmi uaria infirmitate depressi : quos sanctus Prosdocimus signo crucis muniens ad expugnandas discordias et inimicorum insidias pacem immisit dicens : Pax huic domui : nec in orando non eius pax assecuta est . cum autem uisitasset infirmos beatus Prosdocimus : et in primis genuflexo orabat ad dominum dicens . Domine deus pater cæli et terræ qui es uera salus et uerus medicus : in cuius aduentu uaria infirmitas mundi istius sanata et pristinæ sanitati restituta est : ne despicias famuli tui flæbiles preces : sed exaudi : et immitte ad immaginem tuam conditis spiritum sanctum de cælis : quo illuminati idola uana respuant : et te solum uiuum et uerum deum agnoscant : et tibi fideliter obediant : qua completa oratione erigens se singulis manus imposuit : et in uirtute domini nostri Iesu Christi sanati sunt . Qui cum uariis langoribus erepti fuissent : omnes una uoce clamabant dicentes : magnus est deus christianorum . Dixit autem eis : Si idola uana et surda : quæ nec sibi nec aliis prodesse possunt : respuatis : et in dominum Iesum Christum toto corde et tota anima credatis : maiori uidelicet sanitati restituemini : et omnes insidias diaboli euitabitis . Ipse enim Christus Iesus propter primi hominis Adæ debitum soluendum de uirgine natus est : ut nos secundo generaret : passus et uulneratus est : ut nos passione animarum et uulneribus peccatorum sanaret : mortuus et sepultus tertia die resurrexit : ut nos a perpetua morte sepultos resuscitaret : in | quem si credideritis : in sæcula sæculorum cum ipso regnare ualebitis . Omnis autem multitudo clamabat dicens : Credimus in dominum Iesum : quem tu prædicas : quia cum uario langore multo tempore essemus grauati : et quis deus christianorum esset prorsus gnari†: diis immanibus hostias portantes eos misereri nobis inuocauimus : et nihil profecimus . Ecce una hora sub inuocatione nominis Iesu Christi uariis langoribus sanati sumus : et in eum fideliter credimus . Beatus autem Prosdocimus eleuans manus ad cælum deum benedixit dicens : gratias tibi ago domine Iesu Christe : qui non derelinquis sperantes in te : sed quidquid serui tui sæminis doctrinæ tuæ sæminauerint in cordibus fidelium fructificare iubes immittendo spiritum sanctum : qui gloriosus uiuis et regnas in sæcula sæculorum : qui cum respondissent : Amen : prædicans eis penitentiam in remissionem peccatorum† : baptizauit eos in nomine patris et filii et spiritus sancti . et ueniens spiritus sanctus de cælo eos illuminauit : et illuminatos in fide Christi confirmauit . Eadem uero hora baptizati sunt numero centumsexaginta promiscui sexus et eo amplius . unde et nos fratres carissimi glorificemus deum : qui tantam multitudinem coadunauit numero fidelium : Cumque in nomine domini nostri Iesu Christi beatus Prosdocimus has et alias uirtutes præclaras ostenderet : et populo sibi commisso quid declinandum esset : quid ue faciendum suggeret† : ut turris in cacumine montium ædificata non potuit templum spiritus sancti abscondi : sed per opera et mirabilium exercicia quæ in spiritu sancto infirmis faciebat uiri dei fama personuit : et ad noticiam Viteliani regis peruenit : Et ipse quidem rex uario langore oppressus erat : qui cum diu beatum Prosdocimum inquireret : et quibus in locis habitaret diligenti animo inuestigaret : Ecce quidam uir qui ab eo sanatus erat dixit Viteliano regi : homo iste quem tu requiris seruus dei est electus : et artibus medicinæ perfectæ instructus : et quibuscumque inuocando nomen Christi sui manus imponit : eos pristinæ sanitati reddit : quem si ad te uenire iusseris abrenuncians diabolo et pompis eius et respuendo idola uana in deum christianorum credideris || procul dubio ab omni dolore curabit te : et in anima et in corpore sanaberis . Rex autem dixit ei : Et tu credis deum christianorum maiorem esse diis nostris Ioue . Marte . Apolline : qui nos et misericordia dirigunt : et ab omni aduersitate defendunt ? Respondens autem ipse dixit utique in deum : qui fecit omnia quecumque sunt in cælo et in terra credo : et idola uana respuo : quia ut dicit psalmista : simulacra gentium argentum et aurum opera manuum hominum . Oculos habent : et non uident . aures habent : et non audient . manus habent : et non palpabunt . pedes habent : et non ambulabunt : neque enim est spiritus in ore ipsorum . Et alibi : similes illis fiant : qui faciunt ea :

et credentes in eis pariter cum illis æterna uita priuentur : et perpetuis suppliciis deputentur . Quod cum talia audisset . Vitelianus rex : dixit ei : Adiuro te per deum : quem tu credis : ut hominem istum ad me inducas : et si me meosque ab instantis infirmitatis periculo suo inuocatione nominis Christi sui liberabit : ego et uxor mea cum tota familia in Christum credemus : nam uiam ueritatis agnoscere desyderamus . Accurrens autem homo ille festinanter ad beatum Prosdocimum dixit ei : Quid moraris ? Noli tardare : ipse enim Vitelianus rex tuæ uisitationis aduentum expectat : et curationi tuæ medella subueniri exoptat . Audiens hoc Christi confessor magno gaudio repletus est : et suspiciens in cælum dixit : Domine mi rex æternæ gloriæ mitte spiritum sanctum tuum in os meum : qui loquatur in me uerbum tuæ salutis : et corda audientium hoc intelligere et intelligendo implere concedat . Et hæc dicens citissimo cursu festinauit : et domum regis Vitelliani intrauit : qui cum ingeredretur† : signaculum sanctæ crucis in quattuor partibus cubiculi regis impressit : et indicens pacem ad lectum eius accessit . Erigens autem se Vitellianus rex dixit sacerdoti Christi Prosdocimo : cuius nationis es ? Cui respondens ait : Christi enim seruus sum ego : et colo dominum meum Iesum Christum : qui pro humano genere de cælo descendere et ex maria uirgine dignatus est nasci . Ipse pro nobis pati et crucem subire uoluit iustus pro iniustis : mortuus et sepultus tertia die resurrexit : et quadraginta | dies apparens discipulis suis locutus est de regno dei : et uidentibus illis eleuatus ferebatur in cælum : quo omnes credentes secuturi sunt eum : et cum ipso regnaturi sunt per æuum : in quem si corde credideris : salutem profecto corporis et animæ consequeris : et per fontem baptismatis ablutus et ingressus regenerationis uiam : ipsum proculdubio comitaberis : et æterni regni perticeps† eris . Audiens uero Vitellianus rex uerba huiuscemodi exhortationis leuans utrasque manus ad cælum cum lachrymis aiebat : Domine deus quem uir fidelis prædicat : aperi mihi fontem uitæ : et ad eum dignanter concede me seruum tuum uenire : et conuersus ad beatum Prosdocimum dixit : Serue dei electe festina ne moreris : et baptiza me . Et continuo cathetizauit eum et uxorem eius : benedicensque aquam expansis manibus ad deum orabat : Domine Iesu christe in compræhensibilis : ad cuius nutum reguntur omnia : et subsistunt uniuersa : aperi his uiam ueritatis et agnitionis tuæ : ut te deum uiuum et uerum cognoscant : et tibi fideliter seruiant : et dignæ et laudabiliter benedicant nomen tuum gloriosum in sæcula sæculorum . Illis autem respondentibus : Amen . tunc prædicans eis pœnitentiam in remissionem pecatorum primis dixit Viteliano : credis in deum patrem omnipotentem factorem cæli et terræ maris et omnium quæ in eis sunt ? At ille respondit : credo . Credis et in Iesum Christum filium eius pro nobis natum passum mortuum et sepultum : et tertia die resurgentem a mortuis : et te post mortem resuscitaturum : et uitam æternam tibi daturum ? Et ille respondit : Credo . Et finito sanctæ fidei documento : baptizauit eum et uxorem eius cum diuersa familia sua : et sic ab omni langore curati : perfectæque sanitati restituti sunt . Et dixit Vitelianus rex : Magnus est deus : quem tu prædicas : Mittensque per uniuersum populum urbis Pataui uicinarumque uillarum undique : ad egregium Christi sacerdotem regali præcepto confluere iussit : ut omnes qui sub eius dominio fuissent : nullum alium nisi uerum deum christianorum colerent : qua conuentione facta populi : uir dei in nomine patris et filii et spiritussancti baptizauit eos : et in fide sanctæ trinitatis confirmauit . Erat enim innume || rabilis multitudo uirorum ac mulierum : qui baptizati sunt a uiro dei : et benedicens eos ibi refecit : qui gaudentes et exultantes in domino et corde retinentes salutis uerba remeabant ad propria : quod postquam factum est : diuulgabatur fama : Vitelianum regem christianum effectum esse : et idola uana respuisse : ac in Christo firmiter credidisse : Eodem uero tempore cum cresceret multitudo christianorum : et diuinæ legis cultus per uniuersam Patauium mirifice coleretur : ecce Viteliano regi et omnibus suis placuit domum ædificare : et in ea diuinis laudibus die noctuque immorari : quod in honorem domini nostri Iesu Christi : et sanctæ Sophiæ consecrauit : ut postposita huius mundi stulticia uera sapientia hoc in templo celebraretur : et sapientibus sapientior deus dignæ glorificaretur . Ad hæc uero diuinæ legis cultores quosdam presbyteros quosdam autem diacones et totius ordinis uiros ordinauit : et eisdem cum eo conuersantibus diuinisque nocturnisque horis domino deo nostro fideliter ministrauit : et sacrificans hostiam laudis uota sua in conspectu populi reddidit . In illis autem diebus Vitelianus non habebat filium nec

filiam : sed placuit domino Iesu Christo : ut cognosceret uxorem suam : quæ concepit : et peperit filiam : quam beatus Prosdocimus baptizans eam ipse de fonte suscepit : et nomen ei Iustinam ipsosint† : et sanctarum litterarum disciplinis imbuit : quo facto dixit Vitelianus rex ad beatum Prosdocimum . Accipe milites meos : et uade per uniuersas regni mei ciuitates : et prædica dominum Iesum Christum : qui me per te seruum suum uisitauit : et ab omni langore curauit . nec moratus Christi sacerdos uiam ingressus est : et apropinquans ciuitati nomine Adest ab omni populo quamuis pagano : honorifice tamen susceptus est : quibus cum uerba salutis prædicaret : et uiam ueritatis monstraret : baptizans omnes christianos fecit : et prouidens eis quosdam rectores animarum eorum : commendatos Christo et salutatos eos emisit . Exiens autem inde intrauit ciuitatem Vincentiæ : et ibi prædicauit baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum : et multu† cathetizans populum conuertebat ad dominum : Et secedens inde castellum Asilum adiit : In quo prædicando in numerabilem populum conuertebat | et Christo credere fecit : construxitque ibi ecclesiam in honorem sanctæ Mariæ uirginis : et in eo loco rectores ecclesiæ ordinauit . Inde uero egressus ciuitatem nomine Feltrum intrauit : et ibi maximam multitudinem promiscui sexus fonte baptismatis innouauit : ibique construens ecclesiam sancti Petri apostoli consecrauit . Post hæc uero Altinam ciuitatem mnltaque† alia oppida et castella pergens fidelibus monitis imbuit : et relictis idolis uerum deum colere fecit . Construxit autem in his prætaxatis locis singulas ecclesias : et presbyteros et diacones ad regendum populum ordinauit : et benedixit eos : ac dimisit . Cumque cœpisset ire per uillas et loca sanctus Prosdocimus prædicando usque ad Tiruicinam ciuitatem peruenit : ibique apud quendam militem Euphrosinum nomine mansit : cui indicans unde adueniret : aut quid ageret : ait ad eum ille miles : hospes filia mea excecata est . adhibe medicinam : ut uideat : et sequar deum tuum credens in eum : quam puellam beatus Prosdocimus alacriter ad se perduci fecit : et uidentibus cunctis qui aderant nihil aliud quam signum crucis super oculos faciens dixit : Domine deus omnipotens tu intromitte cognitionem filii tui domini nostri Iesu Christi in hanc ciuitatem : ut non solum istius puellæ oculos corporales illumines sed etiam interiores oculos gentilium commorantium in loco isto aperias : et ut celeriter agnoscant Iesum Cheistum† filium tuum esse deum locus mihi prædicationis cum magno effectu tribuatur . Expletis his sermonibus uidit cæca : et prouoluta pedibus beati Prosdocimi una cum parentibus suis : credentes in Christo baptizati sunt in flumine Sylo non longe ab urbe Triuicia defluente . Erat autem uxor cuiusdam comitis nomine Theodora : quæ per multos annos grauissima tenebatur infirmitate : quam nullus medicorum curare poterat . factum est autem quod prædictus miles Christianus astaret ante comitem de coniuge infirma sermocinantem . Et ait ad eum miles : est apud me quidam peregrinus prouectæ ætatis : qui etiam filiam meam illuminauit : si permiseris eum illam uidere : mox conualescet . Ait ei comes : Et hic unde aduenit ? Qui respondit ab urbe Patauio . Comes dixit : Ergo romani generis est ? Respondit : Nescio : plus tamen Græcus uidetur . Dicit || ei comes Secreto duc eum in domum meam : ut cognoscam uera esse : quæ dicis : Et factum est ita : cumque ingressus esset in urbem Triuicinam beatus Prosdocimus circumsignans se dixit : deus qui operaris cum magistro meo Petro : operare et mecum : ut clarificetur nomen tuum : et fiat uoluntas tua . et ingressus domum comitis eum† honore susceptus est . Ait autem ad eum comes : Bene aduenisti medice : cui beatus Prosdocimus respondit : Requiescat in uobis Pax dei et domini nostri Iesu Cristi . Comes dixit : Quis est : de quo dicis ? sanctus Prosdocimus respondit : filius dei uiui . Comes ait : ut uideo Galileus es tu . Et Prosdocimus : etiam . Dicit ei : nosti curationes ? Prosdocimus respondit nihil sine nomine Iesu . Comes ait : Quæ uirtus est in Iesu ? Beatus Prosdocimus : Conuoca ait huc milites tuos et cunctis uidentibus agnosces uirtutem domini nostri Iesu Christi : Cumque astarent ait comes : Ecce mulier mea lecto tenetur infirma annis plurimis : cui omnis medicina contraria extitit : Si qua enim est in te : operare : Cui beatus Prosdocimus ait : Aperiat deus oculos cordis uestri : ut uidentes mirabilia eius : credatis in Iesum Christum . Et appræhendens manum mulieris ait : Surge in nomine domini nostri Iesu Christi : Esto sana : et crede in illum . Statim surgens mulier descendit sana de lectulo clamans et dicens : quod non est alius deus præter Iesum : quem tu prædicas . hoc autem uidens comes et milites eius obstupuerunt dicentes : Quia hic est

uere deus : qui talia facit . Interea ipse comes cum uxore et filiis et familia sua credentes in Iesum baptizati sunt in illo die centum duodecim . Sed et multi alii ex paganis qui interfuerunt perceperunt fidem Iesu Christi . habitauit uero intra domum comitis in urbe Triuicina beatus Prosdocimus aliquanto tempore : et continue ueniebant ad eum multi ex populo : et docebat eos secreto dicens : credite in Iesum christum : quoniam ipse est deus cæli et terræ : et credentes baptizabantur . multi uero nobiles dabant filios suos beato Prosdocimo : ut et ab eodem sacris litteris erudirentur . construxit autem ecclesiam in honorem sancti Petri apostoli : et consecrauit eam : tresque presbyteros ibi ordinauit et dia | cones duos et clericos quinque ad regendum populum domini : Benedixitque : et reuersus est ad sedem suam : Cumque introisset ciuitatem Patauium ab omni clero et populo cum magno gaudio susceptus est . factum est autem post multum temporis : ut Vitelianus rex migraret ad dominum : et sepeliretur in sepultura patrum suorum : et post triginta dies uxor eius Prepidigna mortua est : et sepulta iuxta uirum suum : post quorum obitum beatissima Iustina orationi ieiunioque uigilanti animo instabat orans dominum : ut eam sibi seruaret ancillam : et sponsam seruaret : et edaci strupro† et coniugali çrimine eam polui non pateretur . Audiens autem impiissimus et crudelissimus Maximianus mortem Viteliani regis ardens in concupiscentiam beatissimæ Iustinæ uirginis concito cursu Patauium ingressus est : et missis militibus suis sanctam uirginem sibi fecit præsentari : ut relicta christiani nominis cultura idolis compelleret immolare : et eius thalamis frui : Quæ cum æterni sponsi delicias adamasset : et culturam quæ de terreno sponso promittebatur aurum argentum seruos et ancillas pro nihilo duceret diuersis pœnis crúciata est : et gladio lateri infixo sauciata feliciter migrauit ad Christum . Maximianus uero cito reuersus est Romam . Beatus autem Prosdocimus accipiens corpus beatissimæ Iustinæ uirginis cum aromatibus condiuit : et pluribus secum commeantibus in condigno deo cymiterio sepeliuit : ubi per eius interuentionem et merita multa a deo populis præstantur beneficia . Passionem uero eius idem uir sanctus Prosdocimus scripsit : et nostræ memoriæ tenendam commisit . Proximo uero tempore impiissimo Maximiano imperatore mortuo in hac ciuitate Pataujo quidam Patricius nomine Opilius uir christianissimus diuina admonitione admonitus construxit ecclesiam in honorem sanctæ Iustinæ : et prope eam lapidibus pretiosis fecit oratorium in honorem sanctæ Mariæ : Quam ecclesiam simul cum oratorio sanctus Prosdocimus consecrauit : et ibi plurimas sanctimoniales fœminas deo seruientes ordinauit . Quid plura ? ne recepti sermonis prolixior eloquii tarditas interrumpat : et ne audientium uilescat intentio : ecce de multis ad pauca redeamus . Cum sanctus Prosdocimus gemmas || pontificum per plures annos in pontificali sede præsideret : et dominus noster Iesus Christus per merita et intercessionem eius infirmos sanando : paralyticos curando : dæmones efugando : surdis auditum et mutis eloquia reddendo : magna et innumerabilia prodigia populo ostenderet : maturus æuo et cursu finito septimo Idus nouembres ad Christum migrauit : qui ab uniuerso populo ciuitatis susceptus est : et in oratorio sanctæ Mariæ sepultus . Vixit autem beatus Prosdocimus in episcopatu suo annis nonaginta tribus mense uno et diebus quindecim : in cuius transitu exultat cælum continens eius spiritum . exultat tellus : quæ tantæ dignitatis erat suscipere eius sacratissimum corpus . lætatur autem et tota mater Pataujii ecclesia cum electis filiis suis : quæ fouet pretiosa beatissimi confessoris ossa : cuius merito et obtentu assiduo istic nititur atque consistit . Et nos fratres carissimi plus solito lætabundi tantæ solemnitatis diem celebrantes gaudeamus et exultemus in domino : qui tanto talique nos glorificauit patrono . Ipse enim pro nobis ad dominum nostrum exorare dignetur : ut qui deuotis laudibus ex animo sua hodie celebramus festa : æterna cum illo in cælis concelebrare mereamur sollemnia . Post obitum uero eius Maximus successor ipsius ab omni clero et populo electus : et a romano episcopo consecratus ista omnia quæ uidi : et audiui de eo : scripsi : Multa præter hæc scio : sed parua quidem narro . Vos autem fratres qui hæc gesta auditis : fideliter tenete : et merita beati Prosdocimi sollicite precamini : ut per eius merita uota nostra perficiantur : ut descendat super nos pia benedictio domini : detque nobis deus ita uitam agere in hoc sæculo : ut post transitum nostrum mereamur cum illo uitam percipere amen . Tempore Thelesphori papæ et Antonii pii imperatoris quarto anno uel circa obiit beatus Prosdocimus completis Nonagintatribus annis et uno mense et diebus

quindecim in episcopatu : cuius ordinatio in episcopum est septimo die exeunte septembre . Computatio ista de tempore beati Prosdocimi incipit a quarto anno claudii : in quo beatus Petrus Romam intrauit : et eodem anno Prosdocimum Pataium destinauit . |

PASSIO SANCTORVM PROCESSI ET MARTINIANI . MARTYRVM .

Tempore quo Symon magus crepuit : et impiissimus Nero tradidit beatissimos apostolos Christi Petrum et Paulum Paulino uiro benigno . Magister potestatis Paulinus mancipauit beatissimos apostolos in custodia Mamertini : ueniebantque ad eos multi e christianis infirmi : et a suis curabantur infirmitatibus : atque alii a dæmonibus liberabantur per orationes apostolorum . Erant autem custodientes eosdem beatissimos apostolos multi milites : inter quos duo magistri principes fuere Processus et Martinianus . Hi cum uiderent mirabilia : quæ faciebat per beatissimos apostolos suos dominus Iesus Christus : mirari cœperunt dicentes : Viri uenerabiles nostis : quia hic imperator Nero iam in obluuione† processit a persona uestra . ecce enim nouem menses sunt quod in custodia estis . Rogamus itaque uos : ut ambuletis : quo uolueritis in huius nomine : in cuius uos cognouimus facere uirtutes magnas . baptizate nos . Tunc dixerunt eis beatissimi apostoli Petrus et Paulus : Vos credite et omni corde et mente uestra in nomine trinitatis : et uos ipsi potestis facere : quæ nos facere cognouistis . Hoc audientes omnes qui in custodia erant : clamauerunt unanimiter dicentes : donate nobis aquam : quia siti periclitamur . Eadem autem hora beatissimus Petrus in ipsa custodia Mamertini dum esset : dixit ad omnes : Credite in deum patrem omnipntentem† et in Iesum Christum filium eius dominum unigenitum et in spiritum sanctum : et omnia ministrabuntur uobis . Eadem autem hora miserunt se omnes ad pedes apostolorum rogantes : ut baptismum ab eis accipiant . At uero beatissimi apostoli orauerunt in eadem custodia : Cunque orassent : illico beatus Petrus apostolus facto signo Crucis iu† monte Tarpeio in custodia Mamertini eadem hora emanauerunt aquæ de monte . Tunc baptizati sunt beatus processus et Martinianus magistriani principes a beato Petro apostolo . Hoc dum uidissent cuncti : qui in custodia erant : prostrauerunt se ad pedes beati Petri apostoli : || et baptizati sunt promiscui sexus et ætatis numero quinquagintaseptem . Tunc obtulit pro eis sacrificium laudis : et participati sunt omnes corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi . uidentes autem beati Processus et Martinianus magistri dixerunt ad sanctos apostolos Christi Petrum et Paulum : Pergite quo desyderatis : quia oblitus Nero desperauit de uobis . Exeuntes uero de custodia sancti apostoli Petrus et Paulus uenerunt per uiam : quæ Appia nuncupatur : et cœperunt peruenire usque ad portam Appiam . Tunc beatissimus Petrus dum tibiam demolitam haberet de compede ferri . cedite ei fasciola ante septem solium in uia noua . Eodem autem tempore ueniens iuxta portam Appiam uidit dominum Iesum : quem cognoscens dixit ei Petrus : domine quo pergis ? Et dominus inquit : Romam redeo iterum crucifigi . tu autem redi Romam . Et rediit Petrus Romam : Cunque rediret mane : ecce magistriani tenuerunt eum . Eodem uero tempore nunciatum est Paulino uiro clarissimo magistro officii : eo quod Processus et Martinianus magistriani christiani effecti fuerant . misit milites et tenuit eos : et iussit in custodiam recludi . Alia autem die præcepit eos sibi præsentari . Qui cum adducti fuissent : dixit eis Paulinus : Sic stulti facti estis ut deserentes deos et deas : quas inuictissimi principes Colunt : et antiquitas nostra adorat : sequi uelitis uana et mendacia ? Respondit Martinianus clara uoce et dixit : Nos modo cœpimus habere sacramenta militiæ cælestis . Paulinus dixit : deponite iam amentiam cordis uestri : Et adorate deos immortales : quos a cunabulis uestris uenerati estis . Beati martyres Processus et Martinianus respondentes : una uoce dixernnt† : Nos christiani facti sumus . Dixit autem ad eos Paulinus : Audite me commilitones mei : et facite quæ dico : et estote amici mei : fruiminique militia uestra : et estote clari principum : et sacrificate diis omnipotentibus : et uiuite : respondentes ambo simul tanquam ex uno

ore dixerunt ei : Sufficit nos declarare tibi : quia christiani ueraces sumus et serui dei et domini nostri Iesu Christi : quem beatissimi apostoli eius Petrus Cum Paulo prædicauerunt . Paulinus | igitur dixit : Iam dixi uobis . et audistis : et nunc iterum dico uobis : Audite consilium meum : et uiuite . Illi autem tacuerunt . Iterum autem atque iterum interrogauit eos Paulinus : et iussit : ut cum lapidibus tunc ora eorum contunderentur : Cumque diu cæderentur : Clamabant ambo pariter dicentes : Gloria in excelsis deo : et in terra pax hominibus bone uoluntatis . Paulinus uero dixit militibus suis : Proferte modo tripoda† : et thurificent maiestatibus . Beati igitur martyres Processus et Martinianus hoc audientes dixerunt : Nosmetipsos semel obtulimus deo omnipotenti . Et allata tripoda dixit eis : facite quæ dico : Et detulerunt Iouem aureum . Hoc autem cum uiderent : risum facientes : expuerunt in Iouem et tripodam coram Paulino magistro officii . Iterum autem idem Paulinus præcepit eos in equuleo suspendi : et attrahi neruis et cædi fustibus . Illi autem uultu alacri gaudentes dicebant : Gratias tibi agimus domine Iesu Christe . Paulinus nimio furore accensus iussit : ut flammas ponerent circa latera eorum . Illi autem uociferabant benedictum nomen domini nostri Iesu Christi : quem beatissimi apostoli eius Petrus et Paulus prædicauerunt . Erat autem ibi quædam matrona nobilissima fœmina nomine Lucina : quæ ante illos stabat et eos confortabat : dicebatque eis : Milites Christi nolite metuere pœnas : quæ ad tempus sunt . Paulinus ad eos dixit : Quæ est ista amentia uestra ? Illi autem corroborati deridebant tormenta . iussit itaque militibus : ut scorpionibus eos appensos in equuleo castigarent sub uoce præconia dicentes : præcepta principum contemnere nolite . Eadem autem hora Paulinus magister officii amisit oculum sinistrum ex quo pœnitentia ductus præ timore et dolore . cœpit clamare : oh carmina artis magicæ : præcepit que eos deponi de equuleo : et diu maceratos retrudi in custodia Mamertini . Matrona autem uenerahlis† Lucina incessanter ministrabat sanctis martyribus in custodia : post triduum autem Paulinus subito a dæmonio arreptus expirauit . Tunc filius eius Pampinius cœpit clamare ad palatium pergens : moderatores et gubernatores reipublicæ uestræ subuenite : ut extinguantur magicæ artis induti : Hæc audiens Præfectus urbis Cæsarius intimauit Neroni augusto tem† || gestam . Nero autem imperator præcepit dicens . Non tardentur : sed celerius extinguantur . Pompinius uero magistri officii filius cœpit fortiter urgere præfectum urbis Cæsarium : Quare ille lata sententia : iussit eos eiici de custodia : et duci foras muros urbis Romæ : in uiam : quæ Aurelia nuncupatur : et ibi capite gladio sunt amputati . Beatissima autem Lucina cum hoc uideret : sequebatur eos cum familia sua : usque dum peruenirent iuxta formam aquæductus : ubi etiam decolati sunt : et corpora eorum relicta sunt truncata a canibus deuoranda . sanctissima uero fœmina lucina collegit corpora eorum : et condiuit cum aromatibus pretiosis : sepeliuitque in prædio suo in harenario iuxta locum : ubi decolati sunt sub die sexto nonas iulias uia Aurelia : ubi præstantur beneficia eorum usque in diem hunc : Regnante domino nostro Iesu Christo : qui uiuit et regnat deus in unitate spiritussancti per omnia sæcula sæculorum . Amen .

VITA SANCTI PROSPERI EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Licet autem carissimi fratres omnium sanctorum solemniter ac miro ordine celebranda sit festiuitas : iuxta propheticum uaticinium : nimis inquiens : honorandi sunt amici tui deus : præcipue tamen illorum sollemnia largius uenerari : piaque mentis deuotione celebrare nobis conuenit : quorum corpora in urbe nostra propinquis locis domino fauente quiescere . quosque patres nostros iugi intercessu signis et miraculis corruscantibus pro certo florere cognoscimus : Vnde etiam cum olim dominus uniuersitatis auctor et mirabilis rerum cunctarum dispositor clæmentiæ suæ bonitatem et misericordiam mortalibus luce clarius innotescere uellet . ipsosque de sede florigera in huius uitæ exilium miserabiliter propulsos gratuito munere : sibi filios facere decreuisset : ineffabili miroque modo unicum filium suum ex se ante luciferum genitum : ad reformandum uidelicet humani generis lapsum sancto cohoperante spiritu de uirgine natum : uisibili spe | ciæ in mundum dirrexit : Vt autem iuxta euangelii fidem deus homo factus plasma quod ipse formauerat diaboli ueneno infectum : atque

ad utriusque mortis damna perductum ad uitam reformaret : et ad pristinam libertatem perduceret : ipse quidem nulla peccati lege cogente : sed propria uoluntate pro nobis mortem subire dignatus est : Ob id quidem dilectisimi Christus Iesus mortis atrocitatem corporaliter perferre uoluit : quatinus mortis auctorem carnis infirmitate superaret : Per quod Crucis uexillum in electis suis ipsam mortem funditus destrueret : sibique homines gratia sua per fidei copulam operunque exhibitionem gratiosissimos faceret amicos : Vnde ipsa ueritas in euangelio : Vos inquit amici mei estis : si feceritis : quæ ego præcipio uobis . Igitur quia omnes peccati conditione mortales apostoli scilicet ac reliqui eorundem successores amici domini nostri Iesu Christi ueracissime comprobantur : summopere necessarium fore credimus : quo eos ad continuæ intercessionis nostræque salutis suffragium sedula prece implorare studeamus : quatinus apud dominum ipsos patronos et amicos Christi opitulante gratia iugiter habere mereamur . Scire namque cupimus dilectissimi caritatis uestræ fraternitatem : quia postquam filius dei carnem quam de uirgine sumpserat : ad alta cælorum potenter euexit : dum adhuc singulæ gentes per uarias idolorum culturas diabolo instigante baccharentur : iam spiritusancto cælitus apostolis misso : quatinus eosdem cælos faceret : qui iuxta propheticum dictum in omni terra gloriam dei enarrarent : ipse futurorum præscius gratia sua præeunte ac misericordia subsequente salutifera Pauli apostoli uisitatione Hispaniæ regionem fecit sublimem . Scilicet ut iuxta prophetam in omnem terram exiret sonus apostolorum : et in fines orbis terræ uerba eorum : Quam prefatus apostolus domino Iesu Christo cuncta salubriter ordinante ingressus : mox populis ibidem degentibus ut fidelis dispensator euangelica sæmina diffundere cœpit . Multis autem signis ac prodigiis in iam dicta regione per eundem apostolum corruscantibus : ifinitæ† populorum cateruæ diuinæ prædicationis nouitate suscenssæ† uariis dæmonum spurciciis ab || renunciantes fide Christi percepta sacroque baptismate renouatæ . sanctæ matris ecclesiæ cœtui spiritualiter sunt unitæ . Post hæc uero multis iam dillatis temporum curriculis : cum deo placitum fuit : cuius sapientia conditi sumus : et prouidentia gubernamur : memor misericordiæ suæ : quæ a sæculo est : quodam magistro mirabili luce persuaso Prospero uidelicet sanctissimo et illustrissimo uiro : ad reformandam nihilominus christianitatis relligionem : iterum iam prælibatam Hyspaniæ regionem clæmenter illustrare dignatus est . Re uera sicut olim uariis cælum syderibus ornauit : et uernantibus florum diuersitatibus arua depinxit : ita postmodum tempora festis diebus uidetur distinguere : ac totius mundi clymata nouo sanctorum lumine mirabiliter decorare . Nec mirum : cum ipse sit Christus lux uera : quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum : Cuius itaque luce undique perfusus atque uniuersa morum honestate præclarus uelut sol radians in uirtute sua iubar sanctitatis illius longe lateque spargebatur . Tandem uero idem sanctissimus Prosper decursis euangelistarum documentis uentum est ad locum : ubi Christus inter cætera cuidam lagisperito† dixerat : Si uis perfectus esse : uade : uende omnia : quæ habes : et da pauperibus : et habebis thesaurum in cælo : et ueni . sequere me . Hac quidem audita præcellentissimus Prosper saluatoris nostri ammonitione : non iam tunc segniter euangelii auditor . illico omnem terrenarum rerum opulentiam : cuncta gemarum auri simul et argenti pondera in alimoniam pauperum distribuit : ut iusticia eius maneret in sæculum sæculi : et cornu eius exaltaretur in gloria æterna . quin etiam ut ipse liberius deo uacare posset : iuxta præceptum dominicum : quo dicitur : qui non reliquerit omnia : quæ possidet : non potest meus esse discipulus : seruis uel ancillis libertate donatis : omnibusque huius uitæ pompis et secularibus negotiis atque proprietatibus abrenunciatis : Christo ducente Romam peruenit : qui licet exteriori scemate putaretur esse miles sæculi : interior tamen habitus ostendebat eum non fictæ militie esse dei : Cunque idem beatus Prosper : cuius iuxta apostolum | conuersatio iam in cælis erat : Christi apostolorum Limina per agrasset : precesque suas domino suppliciter obtulisset : mox fama sanctitatis illius ad sumi pontificis noticiam beati uidelicet Leonis papæ Luculentissimi : qui eo tempore in urbe Roma quæ : totius orbis est caput : statum ecclesiæ doctrina pariter et exemplo irreprehensibiliter gubernabat : perlata est : quem illico Prælibatus papa sancto instigante spiritu simulque Christi precepto subnixus : quo præcipitur : qui uos recipit : me recipit : inter sedis accitum officiosissime suscipiens : eiusdem caritate fraterna interueniente potitus alloquio nimia cœpit iucundari læticia .

Nam sicut olim beatus Petrus ex aduentu et indiuidua fidei societate Pauli apostoli : cum se primum in urbe romana uideret lætatus fuerat : postque gaudio lachrimas fudisset : certe nouimus : sic et iste summus pontifex ex aduentu tanti uiri tamque in sacrarum scripturarum disertionibus prudentissimi gratulanter exultabat . Eo namque tempore sicut in libro refertur apostolorum : per diuersa sanctæ matris ecclesiæ loca : maxime quidem in ciuitate calcedonia hæresis Euticiana simul et Nestoriana fonte scilicet diaboli profussa pullulabat : qui unam duntaxat in Christo Iesu domino nostro contra fidem catholicam asserere nitebantur naturam . Quorum igitur ob nefandam perfidiam præfatus pontifex Leo destruendam simul cum beato Prospero uiro quidem eruditissimo uel reliquis Romane ecclesiæ præsulibus christianæ fidei zelo successi collatione facta : iuxta regulam catholicæ fidei in synodum Nicenam constitutam sanctam trinitatem pariter confessi sunt . simul et in uno Christo deo uidelicet nostro ante luciferum ex patre genito : et homine in fine sæculorum ex uirgine nato duas naturas : prout sancta fatetur ecclesia : asserentes prædictas hæreses ore iuridico contriuerunt : ipsosque antichristos Euticem scilicet et Nestorium iuxta chirographum tunc ad Martianum imperatorem dirrectum consona fidei uoce damnarunt . Dumque per aliquantum temporis reuerendus Prosper cum papa Leone precibus illius deuictus dominoque uolente ibidem moraretur : oppido necessariis ad diuersas ecclesias directis epistolis multisque hæresibus ipso || rum dogmate contritis uellet iam destinatum carpere iter : idem sanctissimus papa Leo cælitus per uisum ammonitus eidem beato Prospero futura episcopalis dignitatis in ciuitate Hæmyliensi hore prophetico deprompsit præsagia : quod ille audiens reluctare cœpit : seque tanti ponderis sarcinam ferre non posse respondit : Sed quia obedire oportebat magis deo quam hominibus : mox prædictus pontifex eundem Prosperum domino sibi reuelante in ciuitate Hæmyliensi episcopali dignitate per sancti spiritus gratiam sacratum ac sacerdotali petaso sublimatum dato illi pacis osculo ad supradictam ciuitatem in qua sibi illum dominus in sacordotem† elegerat auctoritate concessa direxit . Verum antequam ipse Christo ducente ad eandem ciuitatem peruenisset præsul ciuitatis eiusdem Longo iam confectus senio relicto carnis pondere diem clausit extremum . illico ciuitas illa cum uniuerso ciuitatis collegio pro amisso uidelicet pastore in luctum conuersa irremediabiliter tristabatur . Erat namque in urbe eadem presbyter quidam tunc temporis : qui ab ineunte ætate inter ipsos laudabilem et præclaram uitam duxerat : cui superna ut credimus prouidentia per uisum reuelatum est : quatinus deposita pro pastoris obitu mæsticia beati Prosperi in domino dignissimi uiri : qui ab urbe romana digressus : Hæmyliam aduentabat Ipsum habitura episcopum : et a beato Leone sanctissimo pontifice sacratum læti præstolarentur aduentum : quod dum prælibatus presbyter sacerdotibus eiusdem urbis simul et cnnctis† ciuibus retulisset : mox omnino uoluntate dei comperta sunt recreati . Euolutis autem paucis diebus cum iuxta conditam presbyteri reuelationem tanti uiri præstolarentur aduentum : fama sanctitatis illius præueniente uir prædictus iam fate ciuitati appropinquabat . Tunc sacerdotes uniuersi cognito aduentu ipsius cum clero simul et populo una cum pauperibus ac deuoto fœmineo sexu obuiam exeuntes magno illum cum gaudio susceperunt : Illico autem ipsius urbis cunctorum ciuium mentes Christi fauente clæmentia : qui sibi in ciuitate ipsa dignum præparabat antistitem : quasi uiri unius in unam concordiam redactæ Prosperum sibi patrem : Prosperum pastorem| concessumque a deo pontificem unanimiter acclamabant : Tunc ille iuxta denuntiata sibi a summo pontifice præconia : ne sancto spiritui qui ipsum ad statum eiusdem ecclesiæ regendum elegerat contrairet : quoniam iuxta apostolum oportebat episcopum irrepræhensibilem esse : omnibus se concorditer petentibus ad suscipiendum uidelicet episcopatus ipsius Cathedram iam coactus : uotis illorum annuens liberum eis deo uolente præbuit assensum . Ad episcopatus itaque tantæ sublimitatis excellentiam sanctissimus Prosper continuo ne lucerna Christi lumine accensa sub modio lateret : catholicæ fidei dogma et euangelicæ prædicationis arcana ut bonus pastor ouibus cælitus sibi commissis uoce uiua pandere cœpit . Quamuis me fratres carissimi inter primordia susceptæ dignitatis iudicii uestri graue pondus oppresserit : memini tamen quod magnam nostræ paruitati debeam gratiam conferre : cui deo uolente maximam contulistis : et ideo uobis parendi magis quam iubendi uoluntatem habuerim ; mutaui tamen personam per officium seruiendi animum . Estote ergo caritatis

amatores deum et proximum diligentes . Estote humiles . Estote pacifici . Estote misericordes . Estote unanimes : quatinus iuxta apostolorum acta sit uobis omnibus cor unum et anima una : quod deo placitum fuerit iugiter sectantes . Onus meum dilectissimi mecum diuidite per caritatem Christi inuicem seruientes . fit enim sarcina facilis ad pondus : quam multorum colla sustentant . Speculum animæ conuersanti in terra et si aliquid indignum agnoueritis : caritate interueniente cohercete . Nemo quidem ecclesiæ principem ammonere timeat : si probat errantem . Prophetica namque auctoritate compellimur sanctissimi fratres : ut unusquisque nostrum ex corde pœnitens dicat : Erraui sicut ouis : quæ perierat : et quia iuxta prophetam . Nos† populus domini et oues pascuæ Christi estis uelocius ad obseruantiam mandatorum dei currite : et fides uestra non ociosa : sed piis operibus per dilectionem cumulata reperiatur : quatinus humeris nostris supportati ad gaudia superni gregis quandoque peruenire ualeatis . Post hæc uero tantam deus beato Prospero regiensis || urbis episcopo gratiam prædicationis contulit : ut nullus foret : qui non eum ex caritatis affectu diligeret : et hunc uerum dei cultorem acclamaret . Nihil enim arrogantia nihil superbia de moribus illius usurpabat sed omnibus beniuolus in terra positus cælestibus se aptum moribus ostendebat . Erat enim fide catholicus aspectu angelicus : sermone præclarus : opere sanctus : corpore castus : ingenio optimus : consilio magnus : spe patientissimus : caritate diffusus : Et cum tantis uirtutum moribus esset redimitus : ueterumque prosapia parentum nobiliter decoratus : liberalium tamen artium gemmis ita extitit insignitus : ut tullianis in prosa floreret orationibus : et marronianis in metro uernaret eloquiis : Cuius hodie lucent lectorum compositiones librorum : et uniuersis ecclesiis luce clarius testimoniuiū† perhibent . Ex quibus constat chronica illius nomine prætitulata : quæ singulorum iuxta plenissimam sanctarum scripturarum fidem ab ipsa mundi conditione usque ad obitum Valentiniani augusti : et romanæ captiuitatem urbis ab Alarico Vandalorum rege impie illatam ordinabili serie continet acta . Triumphalibus etiam auctoritatis euangelicæ dogmatibus pertinacem cassiani iugulat ac constantissime infamat libelum . Id circo per omnes occidentalium partium ecclesias inter præclaros ac illustrissimos doctores obtinet principatum . Epigramata quæque ex sacris beatissimi Augustini dictis dulci modulamine condidit : atque elegiaco carmine mirabiliter distinxit . Ad Iulianum insuper pontificem duos libellos de contemplatiua atque actiua seu et resurrectione uel uita sanctorum falerato sermone descripsit : fecit et libellum hexametro et pentametro carmine de diuersis causis compositum : Cuius principium est de uera innocentia : quem per capitula sententiarum perduxit usque ad octogintaocto : Cuius oris aurei lingua si perspicaciter lectoris iudicio perpensa fuerit : aduertet auditor : quanta gratia spiritus sancti in eo manserit : quanta profunditas scripturarum in eo redundauerit : quanta secretorum dei reuelatio in eo fulserit : quantus uir fuerit : Cuius etiam si cuncta inuestigare conemur opuscula : dies | quam sermo cessabit . Ipse enim non ad cuiuscumque personæ potentiam : sed morum elegantiam attendebat . Tanto enim unumquemque eminentius honorabat : quanto uiuere sanctius didicisset . Ne autem oues Christi sub uirga tanti pastoris constitutæ diuini uerbi inedia tabescerent : mox ipse iuxta euangelium saluatoris igne succensus cunctos ecclesiæ suæ filios ueridica prædicatione instruere cœpit : quatinus ad uerbum dei in ecclesia audiendum alacriter occurrerent : et quod auribus perciperent ad operis effectum certatim perducerent . Deinde sicut occultus arbiter erga omnes proprios diligenter ob tutus : quibus moribus qua ue conuersatione intra matris ecclesiæ sinum quisque conuersarent : sagaciter perquirebat caute prouidens : ne ex ouibus sibi creditis lubrici anguis astutia : aliqua pateretur dispendia . Sicut enim auis quælibet dum proprios fouet pullos : contra accipitris uel milui insidias prouida inuigilat : sic et iste pater sanctus erga cunctorum salutem contra chilidrum draconem inuidum sollicitus existebat . Sacerdotes denique ecclesiæ suæ iuxta apostolum senes obsecrabat ut patres : iuuenes ut fratres : anus ut matres : iuuenculas ut sorores in omni castitate : Viduas similiter obsecrationibus nocte ac die domino seruientes . Finitimarum etiam urbium præsules : ne ipsi luporum raptum incurrerent : sed erga filiorum suorum salutem sollicite excubarent fraterna exhortatione præmonebat . Ipse autem quottidianis uigiliis orationibus simul et ieiuniis per annos uiginti et duos bellatricem corporis sui macerans carnem dignanter et sine querela regiensis ecclesiæ

statum gubernans tam deo quam hominibus irrepræhensibiliter placebat . Cum uero deus tanto labori eiusque certamini perennem gloriam tribuere decreuisset : appropinquante uitæ eius termino molestiaque corporis superueniente : conuocatis omnibus sacerdotibus ac leuitis : reliquoque populo quos excelsi nominis gratia supernæ inuocationis sanctorum apostolorum benedicens omnibus qui aderant flæntibus atque lugentibus : inter diuina colloquia spiritum cælo reddidit angelicis manibus deportatum . Iste inquit uerus fuit israelita absque amaritudinis dolo : absque inuidiæ ueneno : absque ullius superbiæ neuo : ad cuius beatissima || funera sepulchri : Christi uigilat gratia : dum diuersa infirmantium genera eius expectant merita : et reformati sanitati prospero successu redeunt ad propria . Denique sæua dæmonum perit ibi rapina : peruicax monstrum pauet et fugit : figmentum diabolicum obsessa corpora eiulans laxat : febris accerba ossa uexata relinquit . Vmbra diurna cæcis extincta in solem uertitur : neruorum genua tramite recto soluuntur : omniumque infirmitatum cathena frangitur : speque felici desolati inuidia iterum reformantur gratia . Sepultus itaque est cum omni reuerentia multisque aromatibus pro competente tanti pontificis honore : septimo calendas decembres in basilica non longle† ab ipsa ciuitate constructa : quam ipse olim in honore sancti Apollinaris Christi confessoris et martyris deo sacrauerat : Cui est honor et gloria uirtus et potestas in sæcula sæculorum Amen .

DE SANCTO PETRO AD VINCVLA .

Festum sancti Petri quod ad uincula dicitur quadruplici de causa Institutum fuisse putatur : Immemoriam† liberationis Petri : In memoriam liberationis Alexandri : Pro destruendo ritu gentilium : Et pro impetranda absolutione spiritualium uinculorum . Prima ergo causa est in memoriam liherationis† Petri . Nam sicut dicitur in istoriis scolasticis : Herodes Agrippa Romam adiit : et ibi Gaio nepoti Thyberii Cæsaris familiarissimus extitit . Quadam autem die cum esset Hærodes in curru cum Gaio eleuatis oculis in cælum et manibus ait : Vtinam uiderem mortem illius senis et te deum totius orbis . Sed hoc auriga Herodis audiuit : et Thyberio continuo intimauit : Quapropter indignatus Thiberius Cæsar Herodem reclusit in carcerem . Vbi dum quadam die iuxta arborem nux esset : cuius frondibus insidebat bubo : unus de concaptiuis peritus in auguriis dixit ei : Noli timere : quia cito liberaberis . et in tantum sublimaberis quod et amicos tuos in inuidiam concitabis : et in hac prosperitate morieris : quam cito autem huius anima | lis genus uideris super te : ultra quartum diem uiuere non ualebis . Post aliquod tempus Thiberius moritur : et Gaius in imperium sublimatur : Qui quidem herodem de uinculis liberauit : et magnifice sublimatum regem in Iudæam misit : Cumque uenisset : misit manus : ut affligeret quosdam de ecclesia . Occiso autem Iacobo fratre Iohannis gladio ab eodem ante dies azimorum uidens quia hoc gratum erat Iudæis in diebus azimorum Petrum apprehendit : et in carcerem reclusit : uolens post pascha eum producere populo . Angelus autem eidem nocte assistens mirabiliter eum a uinculorum funibus absoluit : et ad ministerium predicationis liberum ire iussit . Facinus autem Regis dilationem non patitur ultionis . sequenti uero die custodes ad se uenire fecit : ut pro fuga Petri duris eos pœnis afficeret . hoc tamen facere impeditus est : ne solutio Petri alicui noceret . Nam concitus in Cæsaream descendit : et ibi percussus ab angelo expirauit . Et enim sicut refert Iosephus in uigesimo antiquitatum libro : cum Cæsaream aduenisset : et ad eum totius prouinciæ uiri unanimiter conuenissent : Ille uæste fulgenti auro argentoque mirabiliter contexta indutus incipiente die procedit ad theatrum : Vbi cum primo solis radios uestis argentea suscepisset : repercusso splendore duplicatam spectantibus lucem fulgor metali uibrantis effudit : ut intuentibus perstringeret aciem teror aspectus : et per hoc plus aliquid de eo quam humanæ naturæ est : artifex arrogantia mentiretur : Illico adulantis uulgi concrepant uoces dicentes : Nunc usque ut hominem te tenuimus : sed ex hoc iam super humanam naturam te esse fatemur . Et dum adulatoriis demulceretur honoribus : et oblatos sibi diuinos honores non respueret : respiciens uidit insistentem super funiculum capiti suo Angelum idest hominem mortis

eius proxime nuncium : Respiciensque populum dixit : Heu ego deus uester morior . Sciebat enim iuxta prædictionem Auguris se infra quinque dies moriturum : et continuo percussus per quinque dies uermibus uiscera eius corrodentibus expirauit . Hæc Iosephus . In memoria igitur tam miræ liberationis principis apostolorum a uinculis . et tam diræ uindictæ in tyrannum protinus secutæ : Ecclesia festum sancti Petri ad || uincula solemnizat : Vnde et epistola in missa cantatur in qua hæc liberatio facta fuisse uidetur : et secundum hoc festum debet uocari Petri ad uincula . Secunda causa institutionis extitit : quoniam Alexander papa qui sextus post beatum Petrum rexit ecclesiam et Hermes præfectus urbis Romæ qui per Alexandrum ad fidem conuersus fuerat a Quirino tribuno in diuersis locis custodia tenebatur : Dixitque tribunus ad Hermem præfectum : Miror te uirum prudentem honorem dimittere præfecturæ et uitam alienam somniare : Cui Hermes dixit : Et ego ante hos annos hæc omnia deridebam : et hanc uitam solam esse putabam . Respondit Quirinus : fac ergo me probare : quod aliam uitam esse noueris : et continuo fidei tuæ discipulum me habebis : Cui hermes dixit : Sanctus Alexander quem tenes in uinculis ipse hoc melius te docebit . Tunc Quirinus maledicens Alexandro ait : Ego dixi tibi : ut me probare faceres : et nunc me mittis ad Alexandrum : quem pro suis sceleribus in uinculis teneo : Verumtamen super te et Alexandrum custodiam duplicabo : et si ipsum tecum uel te cum illo inuenire potero : uere fidem tuis et eius sermonibus adhibebo . fecit quod dixit : et Alexandro hoc protinus indicauit . Orante igitur sancto Alexandro angelus ad eum uenit : et ipsum ad hermem in carcerem adduxit : et inueniens eos Quirinus simul plurimum admiratus est : Et cum hermes Quirino narraret : quod Alexander filium suum mortuum suscitasset : Dixit Aleeandro† Quirinus : habeo filiam gutturosam nomine Balbinam . promitto igitur me tuam recipere fidem : si filiæ meæ impetrare poteris sanitatem : Cui Alexander : Vade citius : et eam ad carcerem meum adducito : Cui dixit Quirinus : Cum hic sis : quomodo in tuo carcere te potero inuenire : ad quem Alexander : Vade citius : quia qui me huc adduxit : illuc me cito reducet . Pergens igitur Quirinus filiam suam ad carcerem Alexandri adduxit : et ibidem ipsum inueniens ad pedes suos se prostrauit . Tunc filia eius cœpit uincula sancti Alexandri deuote osculari : ut sanitatem reciperet : cui Alexander ait : noli filia has meas osculari cathenas : sed bogas sancti Petri diligenter inqui | re : quas dauote† osculans recipies sanitatem : Quirinus igitur ubi Petrus detentus fuerat in carcere bogas diligenter inquiri fecit : easque cum inuenisset : filiæ suæ osculandas dedit . Illa mox ut osculata est uincula : sanitatis est integre beneficium assecuta . Tunc Quirinus ueniam petens Alexandrum de carcere extraxit : et ipse cum familia et aliis compluribus baptisma suscepit . Tunc sanctus Alexander hoc festum in calendas Augusti celebrandum instituit : et in honorem apostoli Petri ecclesiam fabricauit : ubi uincula reposuit : et ad uincula nominauit . In hac solemnitate ad prædictam ecclesiam fit magnus populi concursus : et ibidem populus uincula osculatur . Tertia causa institutionis secundum Bedam hæc est : Octauianus imperator et Antonius sibi inuicem affinitate coniuncti sunt : sic inter se mundi totius imperium diuiserunt : ut Octauianus in occidente Italiam : Galliam et Hispaniam . Antonius in oriente Asiam : pontum et Aphricam possiderent . Antonius uero lasciuus et lubricus cum sororem Octauiani in uxorem haberet ipsam repudiauit : et Cleopatram reginam Egipti in uxorem accepit . Ob hoc indignatus Octauianus manu armata in Asiam contra Antonium procedit : et ipsum in omnibus superauit . Tunc Antonius et Cleopatra uicti fuerunt : ac semetipsos præ dolore nimio occiderunt . Aegypti igitur regnum Octauianus destruxit : et romanam prouinciam fecit . idem Alexandriam perrexit : et eam omnibus diuitiis spolians Romam ipsas transuexit . Vnde in tantum rem publicam auxit : ut pro uno denario daretur : quod prius quattuor uendebatur : et quia ciuilia bella ualde urbem uastauerant : ita eam reuocauit : ut dixerit : Inueni latericiam relinquo marmoream . Quia ergo rem publicam longe exauxerat : Augustus primo omnium uocatus est . Vnde et ab eo Augusti dicti sunt : qui sibi in imperio succeserunt : sicut a Iulio Cæsare auunculo eius Cæsares appelantur . Vnde et hunc mensem Augustum qui prius dicebatur Sextilis : quia a martio sextus erat : populus suo nomine nominauit eum Augustum . In memoria itaque et honore uictoriæ illius quam prima die Augusti Octauianus habuit : omnes || romani hac die solemnizat usque ad tempus Theodosii imperatoris : qui cœpit regnare anno domini quadringentesimo

uigesimoquinto . Theodosia igitur filia prædicti imperatoris Theodosii uxor Valentiniani Hierosolymam ex uoto perrexit : ubi quidam Iudæus pro magno munere duas ei cathenas obtulit : quibus sub Herode Petrus apostolus uinctus fuit . Cum igitur Romam rediisset : in calendas Augusti in honorem imperatoris Augusti : omnes romanos solemnizare uideret : dolens quod damnato homini tantus honor exhiberetur : cogitansque quod non de facili eos a tali consuetudine reuocare posset : tractauit : ut obseruantia sic staret : sed in honorem sancti Petri fieret : et illum diem uniuersus populus ad uincula nominaret . Habita igitur collatione cum beato Pelagio papa populum blandis exhortationibus induxerunt : ut obliuioni traderent memoriam regis paganorum : et celebris fieret memoria principis apostolorum . Quod dum cunctis placuisset : illas cathenas quas de Hierusalem attulerat protulit : et populo ostendit . Papa uero et illam cathenam obtulit qua sub Nerone Idem apostolus uinctus fuit . Hac ergo illi sociata ita miraculose una cathena facta est : ac si semper una et eadem extitisset . Vnde et Papa et Regina protinus statuerunt : ut quod hominum indiscreta religio faciebat : gentili damnato : mutatum in melius fieret apostolorum principi Petro . Ipsa igitur uincula Papa cum regina in ecclesia sancti Petri ad uincula posuit : et ipsam muneribus multis et priuilegiis magnis dotauit : ac prædictam diem ubique celebrandam instituit : hæc Beda . Idem dicit Sigibertus presbyter . Quantæ autem uirtutis hæc cathena fuerit : anno domini noningentesimo quadragesimo apparuit . Quendam enim comitem Othonis imperatoris propinquum : diabolus tam crudeliter ante omnium oculos arripuit : ut se ipsum dentibus laceraret . Tunc iussu imperatoris ad Iohannem papam adducitur : ut cathena sancti Petri eius collo circumdaretur . Sed dum quædam alia cathena furentis collo imponitur : et nihil ex hac proueniret salutis . nimirum ubi nil latebat uirtutis . Tandem uera Petri cathena producitur : et furentis collo imponitur . Tantæ autem uirtutis | pondus diabolus ferre non potuit : sed mox exclamans coram omnibus recessit . Tunc Theodorus metensis episcopus ipsam cathenam arripuit : et eam se nullatenus dimissuram nisi manus sibi præcideretur asseruit . Cum igitur super hoc inter ipsum et papam aliosque clericos grauis oriretur contentio : imperator ipsum litigium sedauit : et episcopus ex ipsa cathena a papa annulum impetrauit . Narrat Miletus in chronica et idem habetur in historia tripartita : quod in his diebus apud Aphirum ingens draco apparuit : in cuius ore Donatus episcopus ingentis uirtutis expuens mox eum occidit . Prius tamen ante eius faciem episcopus digitis designans crucem : et eidem ostedens† : quem uix septem iuga bouum ne eius putredine aer inficeretur : ad locum incendii trahere potuerunt . Ibidem quoque ait idem : et in eadem tripartita habetur : quod in terra diabolus in speciem Moisi se posuit : qui iudæos undecumque congregans super magnum montis præcipitium iuxta mare eos duxit : Quos dum ad terram promissionis sicco pede se præeunte ducere se policeretur : innumeros necauit : Vnde creditur : quod diabolus indignatus : quia occasione iudæi qui cathenam reginæ dederat plausus Octauiani cessauit de his taliter se uindicauit . Multi autem ex eis qui euaserant ad baptismi gratiam conuolarunt . Cum enim mons ipse decliuus incumberet : et illi sese euoluerent : priores tamen acutis rupibus lacerati : plurimique in mari præfocati mortui sunt . Cum reliqui idem facere uellent : et de prioribus quod eis acciderit ignorent : quidam piscatores inde transeuntes malum quod acciderat narrauerunt eisdem : et sic illi conuersi sunt . hæc in historia tripartita . Quarta causa institutionis hæc assignari potest . Dominus enim a uinculis Petrum miraculose absoluit : et eidem ligandi et absoluendi potestatem dedit . Nos autem uinculis peccatorum obligati tenemur : et absolui indigemus : Ideo igitur ipsum in solemnitate quæ dicitur ad uincula honoramus . Vt sicut ipse a uinculis absolui meruit : et sicut absoluendi a domino potestatem accepit : sic et ipse a peccatorum uinculis nos absoluat . hanc ultimam institutionis causam non nullam extitisse de facili quis || perpendere potest : si uideat quod a uinculis absolutionem in apostolum facta epistola commemorat : absoluendi sibi potestatem concessam euangelium recitat : absolutionem ab ipso faciendam hodierna oratio postulat .

PASSIO SANCTI PRIVATI EPISCOPI ET MARTYRIS .

Temporibus Valeriani et Gallieni sæuiente in christianos persecutione indignatio domini commota est contra romanos : ita ut barbaræ nationes ab oriente et occidente aduersus rempublicam proruerent : ut populos trucidarent . Tunc Alemanni cum Herode rege suo transmisso Reno gallias petierunt : et in guaualitanæ regionis excidio animos armaque conuerterunt . Tunc incolæ loci ad montemed† Gredonæ quasi ad præsidium confugerunt : Cui regioni uel ecclesiæ Priuatus episcopus præsidebat : qui cauernam sibi in montis cuiusdam supercilio fecit : in quo omni tempore stetit : nisi cum ad agenda solemnia procedebat . Ibique positus licet gredonensibus præsentia non adesset : oratione non deerat : Et quos corpore consolari non poterat : spiritu confortabat . Interea barbari regionem uastantes et ad gredonensem montem confluunt : et quos oppugnatione capere non poterant : duobus annis conclusos tenuerunt : ut eos uel fame uincerent . Igitur dum in hac intentione persistunt : fama detulit : episcopum regionis non esse cum clausis : sed intra receptaculum quod sibi tempore pacis parauerat commorari . Illico ad rapiendum eum conuolant : sperantes per eum totius populi animos continuo frangi : et ad illam conditionem sponte descendere : in qua uidissent episcopum retineri : Cumque uir sanctus a barbaris per interpretem compellatus fuisset : Comperissetque ad hoc se perniciter captum : ut suornm† animos ad deditionem persuaderet : molliter respondit nequaquam se hoc facturum : meliusque sibi esse quælibet subire discrimina : quam ad tale facinus præbere consensum . Tali itaque barbari responsione permoti : statim eum fustibus cædunt : multisque actum uerberibus ad uicum usque perducunt : credentes uel post | illata supplicia eius sententiam esse mutandam . At ipso in eadem uoce persistente : illi sacrificia funesta cum ingenti honore obtulerunt dicentes : ut aut idolis imolaret : aut in tormentis deficeret . At ille : Melius est inquit mihi præsentes pœnas experiri : quod uobis et dæmonibus uestris stultissime humiliari : Cumque hæc et alia plura proclamaret : sic in eum cœpit sæuire barbaries : ut maioribus flagris ardentioribusque flammis et nouis pœnarum generibus excruciatus exanimis relinqueretur . Post hoc barbari cum uiderent se nihil posse proficere : ad Gredonem redierunt : ut ab inclusis pacem postularent : uersaque uice rerum perstiterunt obsessi : quod rogare debuerunt . Plebs ergo egrediendi libertate concessa illico ad episcopum congratulans uniuersa cucurrit . Alii genibus eius aduoluti : alii ore proprio sancto corpori ulcera inflicta lambentes . At uero sanctus martyr Priuatus ex ipsa cruciatione cassatus : non multo post migrauit ad dominum : Et quia tunc tanta in christianos persecutorum feruebat rabies : ut nec sanctorum cineribus parcerent : cripta in subterraneo facta est : in qua sanctum corpus cum honore collocatum est . Huius passio celebratur duodecimo calendas septembres .

PASSIO SANCTORVM PRIMI ET FELICIANI ET† MARTYRVM .

Temporibus Diocliciani et Maximiani imperatorum sæua fuerat christianis orta persecutio : ut quicumque inuentus fuisset huius uiæ sectator et idolis consentire noluisset : diuersis ac uariis suppliciis puniretur . Viri Primus et Felicianus in domino perdurantes . a templorum pontificibus accusati sunt Diocliciano et Maximiano his uerbis : Dii nobis dare responsa contemunt† dicentes : Nisi Primum et Felicianum sacrificare compelletis : nulla uos beneficia consequi poteritis . Succurrite ergo uobis et imperio uestro : ne pereamus : Tunc Dioclicianus et Maximianus iusserunt militibus : ut inquirentes eos diligentius comprehenderent : Erant enim ciues romani . Itaque || eos ad imperatores : et iusserunt eos ferro uinctos in carcerem recludi : Cumque pro Christi nomine uincti fuissent : affuit eis angelus domini : qui eos consolaretur : et absoluit eos a uinculis : quibus constricti erant . Et dixerunt beati martyres : Te benedicimus domine deus noster : quia consolatus es nos seruos tuos : et disoluisti omnia uincula nostra per angelum tuum : quemadmodum beato apostolo

tuo Petro . Et te petimus domine Iesu Christe : ut ab eius meritis non nos facias esse alienos . Post aliquot uero dies iusserunt eos imperatores suis aspectibus representari . Cumque intromissi fuissent beati martyres : Primus et Felicianus ex oficio dictum est : astant : Et dixerunt eis imperatores : Vos estis qui iussa nostra contemnitis et pro nihilo computatis ? Sancti martyres dixerunt : et pro nihilo computabimus semper . Imperatores dixerunt : Patienter ferimus iniurias nostras . Sacrificate deo Herculi et Ioui : et nolite perdere uestri generis dignitatem . Beati martyres dixerunt : nos hostias placationis et laudis in odorem suauitatis offerimus : et non consentimus operibus tenebrarum : quorum uos participes estis : quibus imperatores dixerunt : Accedite : et sacrificate deo Herculi et Ioui inuictissimis : alias fortiter uos carnifices laniabinut† . Tum beati martyres Primus et Felicianus ita inquiunt . Si meremur pro Christi nomine hæc pati : ut ad martyrii coronam nos faciat peruenire : et promissionum eius fieri participes : secundum quod promissit se daturum his : qui pro eius nomine omnia blandimenta huius mundi respuerunt : ut sequantur agnum quocumque ierit : quomodo ergo possumus lapides et ligna ad auxilium inuocare ? Non dicimus deorum . sed dæmoniorum uestrorum . Nam et ipsi dii uestri in quantum obprobrium sunt redacti : ut nisi ferro et plumbo fuerint strictius confixi : nullo modo stare possint : et nisi a canibus custodiantur : a furibus nocte rapiuntur . Vt quid tam cæci estis ? Tunc indignati Dioclitianus et Maximianus iusserunt militibus : ut ducerent eos ad fanum Herculis : et si sacrificare noluissent : fortiter eos pœnis affligerent . accipientes itaque eos milites secundum Iussionem imperatorum duxerunt illos ad fanum Herculis : Et cum nulla | possent eos ratione mouere : sed pro Christi nomine optarent magis mori quam uiuere : extenderunt eos milites : et uirgis acriter affecerunt dicentes : Quare non obeditis decretis imperatorum : ut sacrificetis diis omnipotentibus : sicut eos natura esse dictauit ? quibus Martyres : Imperatori cælesti deo obedire debemus : qui potestatem habet corpus et animam perdere in gehennam . Imperatores uestros terrenos qui colunt simulacra uana et inania : gehenna ignis inextinguibilis suscipiet : Cumque hæc imperatoribus milites nunciassent quæ gesta sunt : Irati ualde iusserunt eos tradi Promoto præsidi ciuittais† Numentanæ : ut eos acerrime lainaret† . Et si diis libamina ponere noluissent : eos deinde interficeret . Et accipientes eos milites duxerunt in uiam : quæ dicitur Numentana terciodecimo miliario ferro uinctos : et miserunt eos in carcerem iuxta forum ciuitatis . Beati uero martyres Primus et Felicianus ab oratione et hymnis non cessabant psallentes domino : et dicentes : propter honorem nominis tui domine libera nos : et propicius esto peccatis nostris propter nomen tuum : ne quando dicant gentes : ubi est deus eorum . Quottidiæ uero ab angelo domini refocilabantur : et benedicebant dominum dicentes : Nam et si ambulemus in medio umbræ mortis non timebimus mala : quoniam tu nobiscum es . Post multum uero temporis iussit sibi Promotus præses in foro ciuitatis Numentanæ tribunal parari : sedensque pro tribunali dixit : Intromittantur personæ : Cumque intromissi fuissent sanctus Primus et Felicianus : dixit ad eos præses : Secundum præceptum dominorum nostrorum principum sacrificate diis : quos magnos esse diuinitas dictauit . Sancti martyres dixerunt : Noli dicere dominorum : sed dic impiorum : qui interficiunt in Christo credentes : et colunt lapides et ligna : quæ sine auditu esse noscuntur . Quomodo autem nobis præstare possunt : qui loquentibus non loquuntur : uidentes non uident : nec aliquando uisuri erunt : et eos qui colunt illos ignis perpetuus deuorabit . Audiens hæc præses iussit eos seperari : Existimans eos per pœnam posse mutari a consensu : et sic sacrificarent . Et seperato ab eo beato Primo : dixit beato Feliciano : Consule || sennectuti tuæ : et sacrifica inuictissimo deo Ioui secundum iussionem dominorum nostrorum . Respondit beatus Felicianus : Consulet dominus meus senectuti meæ : qui me ex iuuentute mea in fide sui nominis custodiuit : et custodire dignetur . Nam minæ tuæ terrorem mihi possunt ferre terrenum : sensum uero meum nullomodo poteris immutare . Iratus uero præses iussit eum plumbatis tundi . Postca† uero erecto dixit ei : Vt quid non deponis istam pectoris tui insaniam ? Et elige deos bonos et iucundos : ut non diuersis tormentis corpus tuum uideas macerari . Et Felicianus : Ego iam habeo octoginta annos uitæ meæ : et sunt anni triginta quo agnoui ueritatem dei . et elegi bene in Christo uiuere : qui de manibus tuæ crudelitatis liberauit me : qui nihil de blandimentis huius mundi cogitans ; elegi seruire æterno creatori meo omnipotenti deo . Et cum multa his similia

diceret : iussst† eum præses ad stipitem ligari : et acutos in manibus eius ac pedibus clauos affigi præcepit : eique dixit : Insane tandiu fixus stabis : quandiu diis immortalibus debitum reddes officium . Ad hæc sanctus Felicianus fixus in dei timore læto uultu : pendens in ligno psallebat domino dicens : In domino sperabo : non timebo : quid faciat mihi homo . dicit ei præses : Miser depone hanc tuæ uanitatis uanitatem et nega te esse christianum : et libera te a cruciatibus diuersis : qui tibi præparantur : Cui respondit sanctus Felicianus : et dixit : Infelix homo ac miserrimæ omnium creatorem meum denegabo : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt ? Quomodo hunc ipsum negare : et adorare deos truncos et uanos debeo ? Tunc furore repletus præses iussit eum diu torqueri . Sanctus uero Felicianus dixit : Gratias tibi ago domine iesu Christe unigenite uiui et ueri dei : quia merui computari modo in eorum societatem : qui pro nomine tuo ad martyrii coronam perrexerunt . Iratus uero præses iussit eum tribus diebus et tribus noctibus in ipso ligno manere : et neque aquam neque aliam creaturam ministrari ei præcepit : et dixit : uel sic deficiat : Cunque completi fuissent dies tres et tres noctes : et sanctus Felicianus permaneret in dei laudi | bus saciatus cibo cælesti et diceret : adiutor meus esto : ne derelinquas me : neque despicias me deus salutaris meus . Et iterum : In eum dum congregarentur omnes simul aduersum me : ut acciperent animam meam conciliati sunt . Ego autem semper in te sperabo domine . dixi tu es deus meus . in manibus tuis tempora mea . Libera me : et eripe me de manibus inimicorum meorum : et a persequentibus me illumina faciem tuam super seruum tuum : Et iterum : Da mihi auxilium de tribulatione : et uana salus hominis In deo faciemus uirtutem : et ipsum ad nihilum deducet tribulantes nos : et rursum : fac misericordiam cum seruo tuo domine : ut possim superare humani generis inimicum . præses uero furore repletus iussit eum flagellis cædi : et de stipite deponi : et in custodiam recludi : Et iussit : ut nullus ad eum penitus ingrederetur . Alia uero die iussit sibi beatum Primum præsentari : dixitque ei Promotus præses : Ecce frater tuus iam consentiens imperatorum decretis : sacrificans diis immortalibus modo est augustorum amicus et dominus intra palatium : Vnde et tu similiter si consenseris et sacrificaueris diis inuictissimis : eritis ambo augustorum amici . Respondit sanctus Primus : et si filius es diaboli : tamen pronuncians quia frater meus consenssisset imperatori cælesti et non hominibus : qui spem suam in domino ponere nolunt : et exterminio erit anima eorum et in interitum : et quasi suadendo alia meditaris : Nihil enim ignorare possunt hi : qui semper sanctum accipiunt Nam beatus Felicianus quem tu suppliciis fatigasti : Et cum a proposito suo mutare non potuisti : in custodia eum esse fecisti : illic autem pro nomine domini quasi in paradiso testatur Verumtamen quantascumque illi pœnas et uerbera intulisti : hodie mihi per angelum domini nunciata sunt : unde si mereor : ut a passione eius non seperer . Tunc iussit eum fustibus ualidissimis cædi : quousque sacrificiis consentiret : Cumque cæderetur : respondit beatus Primus : Et si corpus meum in potestate habes : animam tamen meam non habes . solus deus : qui eam fecit habet in potestate . Iterum dixit ei præses : Accede : sacrifica diis : cui sanctus Primus : Tu inquit sacrifica et omnes asistentes tibi . Ego autem sacrificabo deo meo sacrificium et hostiam || placationis . Dixit iterum præses militibus : ut lampadibus latera eius exurerent : cumque leuassent eum in equuleum : et lampadibus corpus eius exurerent : psallebat beatus ac gloriosus martyr Christi Primus dicens : igne me examinasti sicut igne examinatur argentum : et non moriar : sed uiuam : et narrabo opera domini : et benedico te domine Iesu Christe : quia in te confidens nihil sentio : quæ mihi ministri diaboli intulerunt . Et cum hæc audisset præses : quia nihil sentit : dixit ad suos : Puto deus uirtutes suas ostendere hominibus : aut per maleficia superant hæc omnia . Ad hæc sanctus Primus : Præses maleficiis imputas : quæ Christus ad sui nominis laudem suis seruis conferre dignatus est ? Et iussit eum deponi de equuleo : præcepitque reliquari plumbum : et extensum eum in lecto bulliens in ore eius fundi : ut omnia interiora eius consumerentur . Et præcepit adesse sanctum Felicianum : ut quasi terreretur passione eius : et sacrificiis consentiret . Cumque extensus fuisset beatus Primus : quasi aquam frigidissimam ita omne plumbum bibit : quod ei infuderunt : psallebat domino : et dicebat : Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum . Et iterum : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine super mel et fauum ori meo . Et dicebat beatus Primus præsidi : Ecce non

est separatus a me : de quo promittebas et dicebas mihi : quia diis uestris mortalibus consentiret . Hic est confidens in domino . ipse nos liberauit de omnibus pœnis : pro cuius nomine hæc patimur : quia omnia quæ uidentur : ad tempus sunt : quæ autem non uidentur : æterna sunt : quæ præparauit deus iis : qui diligunt eum . Qui ecce adunati facti sumus in gloriam redemptionis : ut nulla nos inimicus fraude decipiat : nec aliqua nobis tenebrarum caligo surripiat : quia et si tu uelis credere in dominum Iesum Christum : poteris agnoscere creatorem tuum : et maiora horum uidere : Cui præses : sacrificate diis : et libamina ponite . Nam ferarum uos faciam morsibus cruciari . Beati martyres dixerunt : Audite nos : et intelligite : et recedite ab idolis mortuis et perituris : et credite in deum uiuum et uerum et Iesum Christum filium eius : ut saluentur animæ uestræ : quia bea | tus est : qui animam suam a pœna perpetua liberauerit . Tunc præses accensus furia dixit : Feliciane quid in insania perduras? sicut et hic perditus? Accedite : et immolate diis . Sanctus Felicianus dixit : Non est enim perditus : sed si acquiesces uerbis eius : mereberis introire in potentias domini . Sed quia te obdurauit pater tuus diabolus : introitum habebis in ignem æternum : qui tibi paratus est et omnibus consentientibus tibi : Cumque in angustia animi positus esset : iussit eos ad amphiteatrum duci : quod est iuxta forum ciuitatis Numentanæ : et sedens pro tribunali iussit ad eos dimitti duos leones ingentes : quorum rugitus omnis populus ciuitatis Numentanæ expauescebat : Cumque dimissi fuissent corruentes cum impetu ad pedes ipsorum se uoluere cœperunt : et quasi pater filium post multum tempus uidens : ita cum omni gaudio et mansuetudine congratulabantur eis : et ad uestigia eorum se uolutabant : Cumque recessissent leones : iussit ursos ferocissimos dimitti : qui et ipsi pariter cum dimissi fuissent : deposita omni sæuicia quasi agni blandientes effecti sunt . Sed et ipsi uoluere se ad uestigia sanctorum martyrum cœperunt : dixerunt itaque beati martyres : Præses iniquitatis ecce feræ agnoscunt creatorem suum : et uos cæci corde perdurati estis : ut non cognoscatis deum : qui uos ad imaginem suam creare dignatus est . Tunc populi fremitus inter se : et infinitos clamores ad cælum dabant : Et crediderunt in domino plus quam mille quingenti uiri cum omnibus suis . Conuenerat autem multitudo uicinarum ciuitatum ad spectaculum quasi duodecim millia exceptis pueris ac mulieribus . Videns autem præses : quia non potuit eos superare : Et quia multi credebant per eos in dominum : iussit eos capitalem subire sententiam : Cumque eiecti fuissent extra amphitheatrum : ibidem iuxta decolati sunt . Et corpora eorum proiecerunt inhumata canibus : et neque feræ neque canes neque aues neque musce : corpora eorum tangere potuerunt . Noctu uero a Christi fidelibus rapta sunt corpora eorum : quæ portauerunt ad arcum numentanum inter harenarium : et ibi fecerunt planctum magnum : inuoluentesque ea in syndones nouas cum aromatibus iuxta harenarium || posuerunt . Et per triginta dies ac noctes in dei laudibus et nomine perdurabant . Et si quis ægrotorum ibidem perductus fuisset infirmitate detentus sanus fiebat : quod facere Christum nullus ambigit usque in hodiernum diem : Cum uero post aliquantos annos cessaret persecutio paganorum : multi christiani in honore beatorum martyrum Primi et feliciani basilicam in nomine ipsorum construxeunt† : sperantes se misericordiam consequi per eos in nomine domini nostri Iesu Christi . Est autem basilica ab urbe Roma milliario quartodecimo : quorum natalis est quinto idus iunii Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

DE SANCTO PHORSEO EPISCOPO .

Phorseus episcopus cuius historiam Bedam scripsisse creditur : dum omni uirtute et bonitate polleret : ad extremum ueniens : spiritum emisit : Viditque duos angelos ad se uenientes tertium uero armatum scuto candido et gladio fulgureo se præcedentem conspexit : Deinde dæmones clamantes audiuit : Præcedamus : et ante faciem illius bella commoueamus . Cum ergo processissent conuersi ignita iacula in eum iactabant . Sed angelus præcedens scuto ea suscipiebat : et protinus extinguebat . Tunc dæmones angelis opponentes dixerunt : Otiosos sermones sæpe dixit : ideo illæsus uita beata frui non debet : quibus angelus : Nisi principalia uitia contra eum

protuleritis : propter minima non peribit . Tunc dixit dæmon : Si iustus est deus : homo hic non saluabitur . Scriptum est enim : nisi conuersi fueritis : et efficiamini sicut paruuli : non intrabitis in regnum cælorum : Cui angelus excusans ait : Indulgentiam in corde habuit : sed consuetudo hominum continuit . Cui dæmon : Sicut accepit malum ex consuetudine : ita accipiat uindictam a superno iudice . Sanctus angelus dixit : Iudicemur ante deum . Præliante angelo aduersarii contriti sunt . Tunc dæmon dixit : seruus qui scit uoluntatem domini sui : et non facit : plagis multis uapulabit : Cui angelus : Quid enim de | domini sui uoluntate non impleuit : Cui dæmon : Bona iniquorum recepit : cui angelus : credidit quod unusquisque pœnitentiam egisset . Dæmon dixit : Ante debuit probare pœnitentiæ perseuerantiam : et sic fructus recipere . Angelus respondit : Iudicemur ante dominum : sed dæmon succubuit . Iterum autem ad bellandum surrexit dicens : Vsque nunc deum estimabamus ueracem : qui omne delictum quod in terris non purgatur : se in æternum puniturum promisit . Hic ergo homo quandam uestem a quodam usurario recepit : nec de hoc punitus fuit : ubi est ergo iustitia dei ? Cui angelus : Silete : quia dei occulta iudicia ignoratis : quandiu enim speratur pœnitentia : comittatur hominem diuina misericordia . Dæmon respondit : Sed nullus hic locus est pœnitentiæ : Cui angelus : Profunditatem iudiciorum dei ignoratis erit et enim . Tunc diabolus tam grauiter eum percussit : ut postmodum uitæ restitutus semper percussionis uestigium retineret : Arripientes enim dæmones unum ex iis : quos ignibus torrebant : ipsum in eum iactauerunt : qui eius humerum maxillamque incendit : cognouitque hominem : quia ille erat : cuius uestem acceperat : Dixitque angelus : Quod incendisti : ardet in te . Si enim huius uiri in peccatis mortui donum non accepisses : nec pœna in te arderet . Hanc enim percussionem permittente deo pro receptione illius uestis recepit . Alter autem dæmon dixit : Adhuc restat illi augusta porta : ubi illum superare poterimus . Diliges proximum tuum sicut te ipsum . Respondit angelus : uir iste in proximos suos operatus est bona . Aduersarius respondit : Non sufficit hæc : nisi etiam sicut se ipsum dilexerit : Cui angelus : fructus dilectionis est bene operari : quia deus reddet unicuique secundum opera sua : Dixitque dæmon : Sed quia uerbum de diligendo non impleuit : damnandus erit . Pugnante turba nefanda sancti angeli uictores fuerunt . Dixit iterum dæmon : Si deus iniquus non est : et uerbi illius transgressio ei displicet : uir iste pœnarum expers non erit : Promisit enim sæculo abrenunciare : et e contrario sæculum dilexit : contra id quod dictum est : Nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt . San || ctus angelus respondit : Non sibi ea quæ sunt sæculi sed hominibus indigentibus dispensanda dilexit . Diabolus respondit : Qualicumque modo diligantur : contra præceptum domini est . Victis aduersariis rursum diabolus ad callidas conuertitur accusationes dicens : Scriptum est : Si non annunciaueris iniquo iniquitatem suam : sanguinem eius de manu tua requiram . Hic non annunciauit digne peccatoribus pœnitentiam . Sanctus angelus respondit : Quando auditores despiciunt uerbum : lingua etiam doctoris loqui præpeditur : dum uidet : quod prædicatio audita despicitur . Vnde prudentis est : dum non est tempus : nosse tacere . In omni uero contradictione dæmonum præualida nimis extitit pugna : donec iudice domino triumphantibus angelis deuictisque aduersariis immensa claritate sanctus circumfusus est . Vnus autem ut idem Beda testatur ex angelis dixit ei : Respice mundum . Respiciensque uidit uallem tenebrosam et quatuor ignes in aere aliquibus spatiis a se distantes : Dixitque ei angelus : Hi sunt quattuor ignes : qui mundum succendunt unus est ignis mendacii : cum hoc : quod abrenunciare diabolo et omnibus pompis eius in baptismo homines promiserunt minime implerunt : Secundus cupidatis : cum mundi diuitias amori cælestium præponunt : Tertius est dissensionis : cum animos proximorum in superuacuis rebus offendere non formidant . Quartus est impietatis : cum infirmiores spoliare : et eis facere fraudem pro nihilo ducunt . Deinde ili† ignes appropinquantes in unum redacti sunt : et illi appropinquabant : Timensque angelo dixit : Domine ignis mihi appropinquabat : Cui angelus : Quod non accendisti : non ardebit in te . Ignis enim iste secundum merita operum singulos examinat . Nam sicut corpus ardet per uoluptatem illicitam : ita etiam ardebit per debitam pœnam . Tandem ad proprium ductus est corpus plangentibus propinquis : qui eum mortuum estimabant . Ille autem aliquanto tempore superuixit : et in bonis operibus laudabiliter uitam finiuit .

PASSIO SANCTORVM PONTICI ET BLANDINAE MARTYRVM . |

Nouissimo iam munerum die Blandina rursum inducitur cum Pontico annorum fere quindecim puero : quique et impiorum cunciatibus† iussi sunt semper astare : quod magis cæterorum uidentes supplicia terrerentur . statuuntur ergo in medio et iubentur iurare per deos . Illi uero e contrario nullos esse aiebant istos : per quos iurare cogerentur : Cumque aliis quamplurimis uerbis exprobrarent gentium deos : insanire magis in eos cœpit populi multitudo : neque teneram pueri ætatem neque sexum fœminæ miserantes : sed per omnia tormentorum genera quasi quodam eos circulo peragentes : nihil deesse pœnis patiebantur : quod crudelitas inuenisset . Tunc Ponticus maximum patientiæ robur materna exhortatione suscipiens : et perseuerans in confessione ueræ fidei impolutum spiritum reddidit . Beata uero Blandina ultima omnium uelut omnium nobilis mater præmissos ad martyrii coronam filios insequi iam secura festinat exultans et ouans uelut ad thalamum sponsi inuitata et ad nuptiale conuiuium : Ex quo fiebat : ut in uerberibus exultaret : et craticulis exusta gauderet : ac tam hilaris uideretur et læta : quasi inter dapes regia accubaret . Post hæc ad bestias traditur : sed ab his intacta perdurat . Inde etiam aliud excogitatur crudelitatis genus : ut ræti constricta obiiceretur tauro ferociter instigato a quo cum fuisset innumeris ictibus lacessita : et toto harenæ ambitu iactata : nihil penitus læditur : sed permanebat læto ut semper uultu : mente constanti : spe ipsa et animi securitate cum Christo colloquens : ad ultimum iugulari gladio iubetur : stupentibus etiam impiis et dicentibus : quod nunquam fuerit fœmina : quæ tanta ac talia ferre potuisset .

PASSIO SANCTORVM PHOTINI ET SOCIORVM MARTYRVM .

Beatus Photinus lugdunensium episcopus cum nonagenario maior esset : cætera pœne iam mortuus solo martyrii amore uiuebat . ducitur ad tribunalia : sed || potius defertur senio et langore resolutus : Cuius ad hoc anima solum seruabatur : ut Christus per eum magnificentius in fragili corpore triumpharet . Statuitur interea senior cum tribunalibus . Impiæ plebis undique clamor attolitur : Hunc ipsum esse insonant christianum . Cum uero a præsidæ interrogaretur : quisnam esset christianorum deus : respondit : Si dignus fueris : scies . hinc uero cunctos uelut rabies immensi cuiusdam furoris inuasit : ita ut qui prope astabant : alii pugnis alii calcibus subigerent senem : nec ætati nec grauitati aliquid reuerentiæ deferentes . illi uero qui longius erant quidquid furentibus teli uenisset in manus : æminus iaciebant : ita ut unusquisque summi sibi esse delicti duceret : ubi aliquid in eo sceleris non intulisset . In hoc et enim uindicandos deos suos esse credebant . Quem cum seminecem proiecissent in carcerem : incontaminatum paulo post spiritum reddidit . Denique Maturus ?† et Sanctus ac Blandina et Attalus in illis diebus innumeris millibus gentium diuersarum ad spectaculum congregatis statuuntur in medio harenæ . Et rursum Maturus cum Sancto quasi nihil prius gestum fuisset ad omnia tormentorum et uerberum genera renouantur : certantibus omnimodis aduersariis : quatenus eorum patientiam frangerent : et ab ipso ut ita dicam uertice coronas eorum diriperent : insanis populi uocibus instigati : sed illis eo magis animos roborabat spes uicinæ iam gloriæ quam sibi iam iamque manu contingere et contrectare dexteris uidebantur : Cumque ad suppliciorum genera spectaculaque pene iam tempus fuisset assumptum : nec moueri a sententia ullatenus ualuissent : cum etiam sellæ ferreæ suppositæ consumptæ uerberibus carnem iguis† subministratus exureret : ad ultimum infatigabiles martyrum spiritus ferro cæsis ceruicibus effugarunt : Blandina uero religata ad stipitem atque in modum crucis distenta bestiis pabulum præparatur : quæ tamen in ligno pendens uultu interrito et satis læto orationem fundebat ad dominum . Sed cum nulla ex bestiis corpus eius auderet attingere : de ligno rursus reuocatur ad carcerem aliis ad huc

agonibus præparanda . Attalus quoque populi uoc bus† postulatur . Erat enim ualde nobilis : et quod cunctis no | bilius est uir optimæ conscientiæ : et in fide Christi per omnia exercicia semper martyr : Cumque circumactus fuisset in amphiteatro : titulo se præcedente in quo scriptum erat : Attalus christianus : fremere in eum uulgi insanientis furor uæhementius cœpit . Rursum itaque furor rursum pœnæ rursum tormenta præparantur . Et si qui forte romani ciues reperti sunt hos plecti capite decreuit : cæteros uero bestiis tradi .

PASSIO SANCTI PHOCAE EPISCOPI ET MARTYRIS .

Sanctorum singule passiones nihil sunt aliud quam instructio christianitatis et uite : corroborant enim animum et præteritæ uirtutis exenplo reddunt hominem ad omnia certiorem : Nam ut apostoli secuti sunt Christum : sic apostolos martyres . Triplex nos per successionem doctrina corroborat : ut aut martyres aut apostolos imitemur aut Christum . Intimanda uobis itaque per litteras credidi fratres dilectissimi Phoce sancti gesta gloriosa : mittens libros omnium quæ fuere gestorum legendos cunctis : qui incolitis Pontum : Bythiniam : Paphlagoniam : Missiam : Galatiam : Capadociam . et Armeniam : ut tanti nominis martyr ubique laudetur : et uos ad similia perferenda si occasio obtulerit haberetis auctorem . Per ignem enim siue per ferrum per tormenta crucis et per uincula cathenarum impetratur corona cælestis . Quæcumque enim in hoc sæculo acerba toleramus : scire debemus in illo æternæ gloriæ loco in melius nobis per dominum nostrum Iesum Christum esse reddenda : Cui gloria et imperium in sæcula sæculorum Amen . Ammiranda namque et stupenda omnibus sancti Phocæ passio non silebitur : qui non solum in igne et singulis quibusque tormentis qualis esset ostendit : sed omni uitæ suæ tempore tanto dei amore deuinctus est : ut non incurrisse martyrium sed impetrasse credatur : sic enim infantiæ tempus exegit : ut admirabile nescioquid etiam tum in eo præclaræ indolis appareret . Iam cum puberes annos et adolescentiæ primum limen ingressus est : senilem cœpit monstra || re sapientiam . Accessu placidus : mente sobrius : castitate gloriosus : amator iusticiæ : misericordiæ magister : humilitatis instructor : Quamuis enim huius singulas laudes enumerare humana lingua non possit : dicentur tamen a me pauca pro multis . Itaque cum singulos christianos grauis gentilium iudicum terror urgeret : et aliquot iam diuersis pœnis excruciassent : aliisque latebra fuisset auxilio : Phocas pro opinione nominis sui qua per omnes populos laudabatur indagatione peruigili iubetur inquiri . Tandem inuentus adducitur : nec enim tantæ gloriæ uir diutius latere poterat : aut uolebat : Quo exhibito Aphricanus præfectus tribunal ascendit : et introducto ad se Phoca huiuscemodi uerba ei profudit : quis est : qui Traianum principem nostrum deum non esse testatur : qui omnes inimicos suos ut uidit extinxit : Phocas ad ista sic tacuit : quasi aut non audisset : aut alteri putasset hoc dictum : quo silente Aphricanus exclamat : quid taces ? cur non ad interrogata respondes ? An ignoras : apud cuius tribunal assistis ? Respondit Phocas : si diuina perscrutaris : respondeo : quod in cælis habitare estimes deos : si uero terrena perquiris : a me non poteris audire . ad quem Aphricanus : Tu imperatores negare ausus es deos ? Respondit Phocas : Iam Traiano non sufficit : quod dicitur imperator : nisi diuinum sibi insuper et inuisibile omnibus nomen adsciscat ? Aphricanus ait : te christiani deum fatentur : quod tanta ab his ueneratione diligeris . Respondit Phocas : Absit ab intellectu omnium nec tu unquam præfecte tantum scelus suspiceris : homo enim sum fragilis carnis et corporis peccatis plenus mortique subiectus uitæ meæ et conuersationis rationem cum dies iudicii uenerit redditurus . Non itaque christianorum deus sum : sed opto si merear esse conseruus . Tum Aphricanus ait : Quomodo ergo fama tua ad imperatorem usque peruenit ? Respondit Phocas : Non ut dei sed ut serui dei honorem mihi ut episcopo fieri uides : non ut aliquid me a se maius existiment : sed quia deo seruit : cum obsequitur quicunque pastori . Nam dominus inuisibilis et inestimabilis non uultu sed potentiæ uirtute sua notus est : Quibus ualemus ministris eius obsequimur ab ipso | merita recepturi : Nec enim maiestati eius aut obsequia humana necessaria sunt : aut querit aliquid : qui totum habet : sed iusticiam requirit in sin-

gulos : et quottidiana seruitia non tam sibi necessaria quam nostræ saluti sunt profutura . Ecce tu perfecturæ† honore cumulatus es : numquid deus esse cœpisti : et aliud factus repeote† quam natus . Aphricanus ait : Aduocatorum turba opus est : ut tibi possit obsisti . Respondit Phocas : Totum licet ad respondendum aduoces mundum : inferiorem se tamen Christi modico qualicunque discipulo esse testabitur . Ad hæc Aphricanus : Christum quem talem doctorem estimas quis ignorat esse cruciatum ? Respondit Pphocas† : Non miror : si rationem rei huius ignoras : cum cæcitate nescioqua ipsum ignores et deum . Hæc uero uestra uersutia non ex ratione sed ex inhumanitate descendit : Prudentia enim omnis ex Christo sicut scriptum est : qui dat prudentiam sapientibus : legimus et denuo : ne te estimes esse securum : qui ulciscitur sapientes in astutia eorum . Et iterum perdam sapientiam sapientium : et prudentiam prudentium reprobabo . Aphricanus ait : Numquid me imperator tecum agere de legum inquisitione mandauit ? respondit Phocas : Ego tibi dei omnipotentis præcepta demonstro : et adhuc nebularum tenebris inuolutus ad ueram non uis uenire rationem . Tu me sæcularis hominis præcepto et imperatoris tui minis a ueritate estimas posse subduci : cum tuus ille præceptor uitæ suæ fine completo : qui est hodie : crastino non futurus sit . Aphricanus ait : Vanam proiice aliquando sententiam : et potius philosophiam scire festina : ne me cogas aliquid de supplicii tui acerbitate disponere . Respondit Phocas : Qui esuriens rogatus ad cænam : non tanta cum alacritate festinet ? desyderata itaque mihi sunt supplicia : quæ minaris . festina : si consulis : in celeritate gaudium dabis : in dilatione supplicium . Cui Aphricanus Non est inquit pœna quæ cupitur : parco itaque tibi : quia perire festinas : Respondit Phocas : si parcis : interfice . Viuere enim me salute perpetua prius scito non posse nisi moriar . Aphricanus ait : Homicidæ malefici uitam cupiunt : et quam aliis abstulerunt hac luce contenti sunt . Tu sapiens perire festinas homo qui et Aristo || tele poteras esse prudentior . quod uere me dicere iuro per solem . Respondit Phocas : philosopus† esse non opto sed Christi amator et famulus sum : ipsum dominum deum imperatoremque cognosco : Aristoteles philosophiæ suæ uana sectetur . errore plenum iter hominibus temptet exponere : ubi nec salus aliqua nec uera doctrina est : scripturæ uero pudorem patientiam pietatem et omnia quæ sunt magna collaudant : et mercedem credentibus pollicentur . Aphricanus ait : Declarare uoluisti quod stulticia plenus : totius ueritatis ignarus sis : qui tanta potestate asseris habere cruciatum . respondit Phocas : Est causa certissima iam ante prædicta : quæ dementiam uestram ducit in præceps : scriptum enim constat esse de Christo : Iudæis quidem scandalum : gentibus autem stulticiam : Nobis uero fidelibus prudentia futurus est Christus . Aphricanus ait : est deus cruciatus ? ad quem Phocas : sunt dii deæque saxei manu hominis effecti : Cæterum quis mortalium naturam Christi possit exponere ? Aphricanus ait : Intuere cælum digestis per singulas formas syderibus ornatum . Aspice et igniferum solem micantibus radiis quadriga alacri clara terras luce perfundere : et agnoscis quam miserum sit hæc uitæ ornamenta deserere . Respondit Phocas : Cælum syderaque collaudans ignoras horum omnium conditorem . Nunquid sol lunam fecit : aut lunæ manu facta sunt sydera ? hæc omnia nostris usibus seruitura in dei uerbo Christo ordinante perfecta sunt . Aphricanus ait : usque ad hoc te furoris magnitudo perduxit : ut solem lunam ac sydera ab alio asseras fuisse constructa : et ne horum quidem potestate frangaris . Respondit Phocas : Quis tam ineptus inueniatur aut stultus : qui elementis deorum nomen imponat ? Aphricanus ait : Ostende nobis deum tuum : et ego ab imperatore meo : ut ei deseruiat obtinebo . Respondit Phocas : dominus deus noster ut ante iam dixi regnat in cælis . est inuisibilis atque magnus . Ille non uidetur uultu : sed timore cognoscitur . Nec enim cum tibi placuerit e cælo imber effunditur : nec in uoluntate solis est : quando procedat : sydera non nisi præcepta resplendent : nec se unquam | nubes in globum colligunt : nisi deò regantur auctore : nec æstas suo procedit arbitrio : nec pelagi in propria uoluntate tranquilitas est . Quid ego diutius ista commemorem : cum in his sufficere hominis possit exemplum ? Nec enim quando uolumus sani omnibus membris sumus : sed quando nostro qui est uerus uidetur artifici . Nec uenatio ipsa ut uelis in potestate uenantis est : et ut de imperatore tuo disseram : euentus prælii et læta uictoria non in dimicatione hominis sed in dei pendet arbitrio . Illi ergo animis omnibus seruiamus : qui dixit in lege : Ego occidam : et ego uiuificabo . Ad hæc Aphricanus : Et supra hæc

omnia illum estimas deum esse : quem crucis tormenta lacerarunt ? Respondit Phocas : Intueris uoluntariam carnalis corporis passionem : nec non resurrectionis quæ mox affuit ammiratione mulceris . Certe et excusare te non potes : ista nescisse : nam qui confiteris passionis quantum estimas pœnam nosti . optimæ ascensionis et gloriam scripturis accipe : a quo uel tu uel imperator tuus sit creatus agnosce : et inuenies Iesum : quem tu cruciatum estimas in illa sede cælesti sedere ad dexteram patris : et iudicare de singulis . Aphricanus ait : Demostenis iam loquacitatem superasti . sacrifica : quod restat : ne duro uraris incendio . Aspice quinquaginta millia plus uirorum ad te unum oculos animumque dirigere : quos si in pertinacia tua manseris ad similem uanæ huius religionis es inuitaturus insaniam . Respondit Phocas : Et quod resistendi oportunius tempus inueniam : quam hoc : quod morte mea omnibus prosim . Nam si secuturis præbenda est uia : in deum confessione prosternar . quod si per me tota potuerit multitudo seruari : ad ignem itaque libenter accedo : ne ex ouibus quæcunque maculetur . Hæc enim et in scripturis præcepta suscepi . Ad quem Aphricanus dolorem inquit mihi amor tuus misericordiæ facit et contemplatio : nec sapientia tua flector aut frangor . Tu uero ad sedicionem paratus : patientia mea abuteris . Et quod pietati præsto : id credis fieri tuorum contemplatione meritorum . Respondit Phocas : Odit misericordem paratus ad mortem : et superfluum est tunc adire conscilium : cum iam in unanquamque partem || deliberata sententia est . Nolo alium meo dolore torqueri . satis ipse mihi consulo : quæuis tormenta contemno : ne uinci suppliciorum nouitate me credas : Demosthenes uos instruat : me uero ad omnia Christus armauit . Tum Aphricanus : Si albescentibus canis senilis te inuenisset ætas : delyrare te crederem : et frigiscentem sensu aliquid de corde deposuisse : aut certe si sumptu egens inopem uitam uili cibo alereris : crederem te fractum miseria mala lucis huius horrere . At cum non sint : uiuere cur detrectas ? Respondit Phocas : omnes mihi sæculi fructus et locupletes diuitum census odiosi sunt : Longe a me posita est uestra hæc temporalis ambitio : ad eælestia† et æterna confugi : quæ nec tu præfectæ nec imperator tuus Traianus arripiet . Itaque non sacrifico : sed paratus sum omnes subire cruciatus . Aphricanus ait : puris et m̄agnis diis sacrificare debemus : quos tu scelestos esse pronuncias . Respondit Phocas : non scelesti solum sed miseri : adulteri : sacrilegi ac dæmones estimandi sunt . Nec illi solum sed etiam qui perditionis huius cultu dei nomen ignorant : qui regnat in cælis : cui gloria in sæcula sæculorum : et omnis cum eo fratrum quæ circunstabat turba respondit amen . Tunc cuncta sonuerunt : ac patefactis cæli portis immensus imber effusus est : Nec mora omnis terra concussa est ac resolui instabili solui firmitate omnium cœpere uestigia . Cadit præceps Aphricanus in faciem : Et cum his militibus qui ei circulum fecerant sine uoce sine sensu solo stratus aduoluitur Hæc aliquot uidimus : quibus reuelationem uoluntas diuina concessit . tantus enim horror et tanta reuerentia illius miraculi fuit : ut uix paucis concederetur aspectus : Ignis enim nimius e cælo dum hæc aguntur ostendit : qui feriendo oculorum aciem occultum faceret esse : quod gestum est : Quinquies itaque splendidior sole illa lux uisa est . Astabant tres angeli equitum more compositi : quorum effigiem flamma formabat . Tremor omnium membra peruasit . stetimus exangues : et desperata salute de sola iam morte solliciti . Illi ut erant ignei et incredibili proceritate sublimes : lateri se sancti Phocæ libenter associant . Et habita cum eo inuicem | non parua confabulatione discedunt . petunt itaque cælum uolatu : Et ecce post Paululum Terentiana Aphricani uxor attonita sparsis crinibus : uultu lacero : ueste deformis cum filiis quinque et omni familia ad Phoce sancti genua conuolauit . Ibi inhærens pedibus ueniam tanti sceleris implorat . Hoc quoque se pactione constringens ut si ei donaretur maritus : ad christianam legem cum tota domo filiisque migraret : Nec fuit hæc falsa promissio . Nam quidquid spoponderat non negauit . Huius lachrymis flexus sanctus Phocas omnes clericos conuocauit : et facta pro præfecto iugi oratione præstitit ei remedium : a quo Paulo ante formidarat exitium . Statim Aphricanus memor nouæ salutis ex cælestibus auxiliis Traianum gesta perdocuit . Imperator Phocam iussit acciri : Quo introducto ait : contemnis regiam potestatem ? quis te ad superbiam erigit deus : ut imperatorem spernas ? incognitum nobis nomen ascendit . sed absit : ut ætatem tuam : et hanc sapientiæ indicem formam stulta credam persuasione deludi : et non potius probatam nobis omnibus amare sententiam : Certe si in ea uanitate permanseris : quod futurum esse minime

reor : experiere quam non tibi prosit tuus propitius deus : et quam noceat Traianus iratus . Respondit Phocas : licet me apud te imperator libere loqui ? Traianus ait : licet omnibus et maxime pro salute dicturis . Respondit Phocas : Imperium tibi a deo traditum est si beneficii memor es : illi obsequium redde : qui præstitit : ad quem Traianus mihi ait imperium plurimi dii dederunt : uoti reus semper exsoluo . saluatoribus enim nostris ista debentur : Respondit Phocas omnipotenti deo obedire debemus pietatem maxime sequi et omnia scripturarum implere præcepta . Traianus ait : Non ad philosophiam sed ad sacrificium te uocaui . Respondit Phocas : Cui deo sacrificare me precipis ? Traianus Aesculapio . Respondit Phocas : ubi est . ostende : ut uideamus : Et cum peruenisset ad templum : Traianus ait : Hii sunt : quos aspicis dii : quorum mundus fauore seruatur Ait Phocas : tibi dico lapis responde : si potes . esca delectaris aut potu : an odore recrearis ? Quid est optime imperator . nemo respondet : quin etiam stant numina tua . iube sedeant : nec se : || ut uideo commouet : nec eriguntur a terra . Errauit artifex . uapulet si uidetur homo ille qui fecit . Hic citharam tenet : sed cessante dextera nullum melos resonat . Ordo iste chordarum . Alterius operta sunt ora : nec est : quod imputemus artifici . Nam labia sculpendo patefacta sunt : Et tamen nulla uox sequitur . cæci atque inanes oculi : et aperta sunt lumina . Ecce sacrificium a porrigente non accipiet : si præcipis : brachia illi utraque confringo : et omne illiud† saxeum corpus euerto . Videamus : an se ualeat uindicare : an persequatur inimicum ante adiutorium suum imperator imploret . Opus est enim : ut talis deus habeat defensorem : ab illo enim seruandus : a quo uidetur effectus . Ecce dii uestri . ecce quos colitis : qui a cultoribus suis opem expectant : non eis largiuntur auxilium . Traianus ait : deceperas me loquendo : si conditionis tuæ expers nautam te fuisse nescirem : et quottidiana neptuno uota celebrasse . Respondit Phocas : Ego non solum nauta sed et gubernator fui . Sed a deo semper qui est uerus spem securitatis et salutis obtinui . Illi et uota optuli : et offerre non desinam . Ad quem Traianus : uideamus : quis est ille : cui sacrificas . Respondit Phocas : scire tibi non licet : scriptum est enim : nolite mittere margaritas uestras ante porcos . Cui Traianus : porci inquit ergo tibi uidemur : ut dicis . Respondit Phocas : Vtinam muta animalia essetis : dei enim super uos iudicium non ueniret . Imaginem : quod est scelestius : humanam geris sensumque porcor.um† Adqui animalia illa plus sapiunt . Iumenta enim illa quæ uos colitis simulacra contemnunt : melior tu es longe qui colis : quam ille qui colitur . Inter imperatorem enim multum distat et lapidem . Traianus ait : Ecce suspenderis ad lignum . Videamus quid tibi prosit animus iste tam pertinax . Tum Phocas : Ego suspensus ligno ad cælestia regna migrabo . Tu uero cum diis tuis perpetuis tenebris inuolutus æterna apud inferos morte torqueberis : ut uel sero intelligas : quid colueris : quem ue contempseris . Tunc ut erat suspensus impresu ungularum impetu per omnia membra torquetur : ut patentibus rimis latera ipsa disciscerent : sed nullum in hoc dolore sermonem aut uictus aut iratus emi | sit . Tantum labia commouebat . Et oratione tacita agebat gratias protectori : cum uero uenisset ad finem : amen clamauit . Et e cælo uox sonuit cum ingenti ante murmure strepituque descendens : et ait : Alacer esto Phoca . ego sum tecum . Ecce paratus est tibi in paradiso locus cum omnibus patriarchis et cum his : qui nec me nec patrem negauerunt . Traianus uero in eo quo uoluisti loco : et ea pœna cruciabitur . Statim imperator expauit . auferri eum ab equuleo iubet : Et quattuor milites a quibus seruaretur apponi : Centurionem etiam Crispinianum nomine ad eius custodiam deputauit : a quibus susceptus Phocas ibat lætus ad carcerem domino uota persoluens . Iuxta eius fores tota nocte sedere custodes : sed mox ut medium noctis tempus emensum est : cœpit orare : Christe fili dei sanctum nomen tuum ac perennis uirtutis et gloriæ domine saluator deus angelorum deus omnium : qui sunt ubique : pastor hominum cibusque languentium gregem tuum inuiolatum illæsumque conserua . Arce multipedem lupum deceptorem ouium et raptorem semper agnorum . Ne concedas ei domine uexationem innocentium . Ne sceleratissimus dæmon frugiferam uitem tuam uiolet : ne immaculatam columbam impurissimus deuoret serpens . sed plantationem tuam uitemque conserua : ne dexteræ tuæ opus inimici cousumat† impietas . Gratias tibi ago domine in æternum collaudans patrem et filium et spiritum sanctum . concede quoque mihi promissum honorem : et cælesti cæne socia . Illæsus et immaculatus aduenio . rege animam meam : ut dominus : ut

deus : ut pastor : ut pater . ne sibilet aduersum me draco : ne me uoret serpens : neque enim auro aut argento sæculi huius illusus ueram margaritam salutis abieci . Relinquo ecce omnia : ut te uideam misericordem largum perennem . Induo me ad patrem tuum et ad illa : quæ seruis tuis habitacula sunt parata : qui benedictus es semper in sæcula sæculorum amen . Tam uenerabili oratione completa carceris claustra resērata† sunt : et infuso desuper lumine lampadarum totum repente patefactum est . mille autem amplius milites quos habebat illa custodia tanta uirtute perterriti et ammiratione defixi amplexi Phocæ genua re || media salutis implorant . Paululum itaque extra muros ad pelagi littus accedunt . ibi ab eo et gratiam baptismi et signum crucis accipiunt : ut et mentes adhuc teneras et rudimentis nouæ crudelitatis instabiles radix firmior miraculi certioris armaret . ostendit se his omnibus dominus : et ut mortales oculi poterant cernere maiestas cælestis emicuit : Illi iam uilem ducentes huius lucis usuram redeunt non ignari diuine legis ad carcerem : sed nocte depulsa mox ut lux orta est omnis ad forum multitudo concurrit futurum Phocæ certamen expectans : Cui ait Traianus : exhibito sacrifica Neptunno . Respondit Phocas : Non sacrifico portentis . Traianus ait : si dii portenta et nos dæmones sumus : quis ergo est deus ? Respondit Phocas : Ignoras illum : qui hoc donauit imperium ? Nunquid fefellit qui uobis animalium nomen imposuit ? Traianus ait saltem deo tuo sacrifica : si numina quæ sunt nostra contemnis . Respondit Phocas : deus meus nullo indiget dono nec fumantia altaria nec cruorem quærit agnorum . non ex istis pascitur nec cibum aliquem sordidæ carnis exoptat : Cui ipsa elementa deseruiunt . dextera operosa ieiunia paratam ad subueniendum . Cæterum hæc omnia nostris usibus seruitura concessit . Respondit Traianus : philosopharis ut uideo . sacrificia diis et non illi : quem scis esse cruciatum . Tum Phocas : Illum cruciatum frequenter expertus es : si motus fuerit contra te : quis ei resistit : cuius annuæ et legimus seperant montes et irata maria perrumpit . Traianus ait : Apud quem loqueris : uel cui resistis : agnoscis ? Respondit sanctus Phocas : Quis me interrogauerit : noui . quid dixerim memini . Ideo ad sacrificium me nemo perducet . Hanc uocem semper effundam : quæ uis exquire tormenta . Christi sum ut sæpe iam dixi . Traianus iratus crudelem protulit aliquando sententiam . Nam mergi eum in camino ardentis calcis propere iubet et illo lacu effluentis ardoris præcipitepm ronumque† detrudi : metuens silicet : ne ad aliquam membrorum partem non perueniret incendium . Et ait : uideamus : an tibi prosit ille : quem metuis . Impositus itaque flamæ quam parari | præceperat imperator continuis tribus horis in eo igne durauit : qui ita integris membris omnibus et uultu inde productus est : quasi non fuisset in flamma . Superatus itaque in hac pactione Traianus rediuiua iterum flammatur insania dicens : Therme propter te ante triduum sunt subustæ : quas adhuc nemo patefecit . illuc te iubemus induci . Phocas uero signum sibi crucis imponens ubi iubebatur ingreditur . tantus itaque in illis ignis fuit et tanta uis flammæ : ut candentibus : hinc inde fornacibus ipsi etiam parietes colorem ignei ruboris acciperent . Ibi stans lætus Phocas his uerbis deo uota reddebat : Gratias ago tibi domine : quod ad hoc decus electus ad felicis martyrii gloriam tuo fauore perueni : quod pro confessione nominis tui carcerem : uincula : crucem ignemque non timui : et nunc domine mitte angelum tuum : et de Traiani manu eripe me : ne quando dicant gentes : ubi est deus tuus : mox hæc toto mentis affectu deo uota persoluit : statimque emisit spiritum . Patefactis itaque post paululum thermis sanctæ reliquiæ compositæ et nulla caloris acerbitate fœdate inueniuntur in thermis . corpus ipsum flatum nardi traxerat : et omne illud membri spatium quo iacebat simili odore condierat . Balneæ uero gelidæ et glatiali quodam rigore perstinctæ quasi nullo fuissent unquam igne succensæ . Perspectis Traianus sancti Phocæ reliquiis miraculo tantæ nouitaris† obstupuit : et referre patientiam eius militibus suis cœpit stupens uirtutem mentis et corporis : et ait . Vere non est alter deus nisi ille : qui regnat in cælis . Hoc dicto ex illis balneis cum timore discedit : cui subito referenti pedem Phocas ante ianuam lætus sese ostendit : et ait ei : Traianæ Traianæ perge ad loca ulterioris abyssi : et ad præparata tibi tormenta festina : ubi nocte perpetua et sæuo es exurendus incendio : mihi uero promissa felicibus loca et paradisi claustra reserata sunt . Expectant te sedes infernæ : quæ te et illa quæ colitis simulacra suscipiant : triduum hoc in luce uersaberis : quo emenso caligo te mortis excipiet . Nec . enim esse diutius inultus innocentium sanguis potest . uocat te ad supplicium

animus illo sine sensu et ef || frenata crudelitas . Hac imprecatione uel potius denunciatione completa palatium Traianus ascendit . Et ex ipso miraculo febrium calore constrictus dedit se statim lecto . Nec enim ægritudo tam multa consistere ilum sinebat in genibus . tertia uero die ut sanctus dei seruus prædixerat expirauit . Hac Phocas passione gloriosus et martyrii corona laudabilis merito habetur primus in Ponto : qui per omnem illius patriæ tractum iusti nominis meruit principatum . celeberrime ubique glorie per Pontum Paphlagoniam et per totam habendus Armeniam uir apostolicus et omni deo mente deuotus nominandus semper in sæcula sæculorum Amen .

FINIS

PASSIO BEATISSIMI QVIRINI MARTYRIS .

Cum mundi istius principes ad cruciandas sanctorum animas diabolus commouisset : et ubique domini ecclesias diuersis persecutionum tempestatibus uentilaret : suscitatis regnorum amicis per quos amplius aduersus dei populum prælia commoueret : agebat quottidie suæ incrementa sæuiciæ . Perimentibus itaque eos Maximiani imperatoris legibus : christianus infestabatur exercitus . Per Illyricum uero Dioclitianus in Christi populum hostiliter sæuiebat : addito tyramnidi suæ Maximiano in regno participe : qui et suam rabiem et Dioclitiani per omnem Illyricum ostenderet . Fere tamen omnes prouinciarum iudices nefandorum principum sacrilegos apices mittebant : ut in templa dæmonum immolare cogerent christianos . Christi ecclesiæ claudebantur : Christi sacerdotes et ministros parere cogerent legibus publicis ita ut confiterentur deos esse : quibus si tura nollent accendere suppliciis diuersis et mortibus subiacerent . Inter multos autem qui Christi exercitum triumphabant : beatus Quirinus episcopus Siscianus a Maximo præside iussus est compræ | hendi : quem cum studiose quærerent : et beatus id sensisset episcopus : egressus est ciuitatem : et fugiens compræhensus est deductusque : Cum uero a Maximo iudice interrogaretur : quo fugeret : Quirinus respondit : non fugiebam : sed iussum domini mei faciebam . Scriptum nobis est : si nos persequentur in una ciuitate : fugite in aliam . Maximus præses dixit : Quis hoc præcepit ? ad quem Quirinus : Christus qui uerus est deus . Et Maximus dixit : Et nescis : quia ubique te imperatorum præcepta poterant inuenire ? Et hic quem dicis dominum uerum compræhenso tibi subuenire non poterit : sicut et modo fugiens comprehensus es et deductus ? Quirinus episcopus respondit : Semper nobiscum est : et ubi fuerimus : dominus quem colimus subuenire potest . Et modo cum apræhensus essem : mecum erat : et hic mecum est confortans me : et ipse de meo ore tibi respondet . ad quem Maximus : Multa loqueris : et loquendo magnorum regum instituta differs . Lege ergo diuinos apices : et fac : quod iussum est . Respondit Quirinus : ego imperatorum tuorum iussionem non audio : quia sacrilega est : et contra dei præcepta iubet seruos Christi diis uestris immolare : quibus ego non seruio : quia nihil sunt . Deus autem meus cui seruio ipse est in cælo et in terra et in mari . ipse est et in omni loco . omnibus autem superior : qui intra se continet omnia : Quoniam per ipsum cuncta facta sunt : et in ipso constant uniuersa . Tunc Maximus : Per nimium tempus quasdam fabulas didicisti . ponuntur tibi tura : et disce deos esse : quos nescis . Non parum consecuturus eos munus intelligentiæ : si præceptis obediens esse uolueris . quod si tibi ipse non suaseris : ut deuotus appareas : cognosce te subiiciendum diuersis iniuriis : et iam morte horribili uitam tuam esse finiendam . Ad hæc Quirinus : iniurias quas mihi minaris gloriam puto : et promissa mors : si merear : uitam dabit æternam : Propterea deo meo deuotus esse cupio non regibus tuis . Neque enim deos credo esse : qui non sunt : et aris dæmonum tura non pono : quia scio aram esse dei mei : in qua apta ei sacrificia boni odoris incendi . Respondit Maximus : uideo : quia te insania co || git ad mortem . sacrifica diis Quirinus Respondit : Non sacrifico dæmoniis : quia scriptum est . omnes dii gentium dæmonia : Et qui sacrificant diis eradicabuntur . Tunc Maximus præses iussit eum fustibus cædi : cui et dixit : Respice : et agnosce potentes esse deos : quibus romanorum seruit imperium : propter quod consentiens eris sacerdos magno deo Iouis : Alioquin ad Amantii præsidis primæ Pannoniæ iudicio

dirigeris : a quo dignam sententiam mortis excipias . Ergo ab stulticia tua reuersus acquiesce . Ad hæc Quirinus : Vere modo sacerdotio fungor . uere modo sacerdos effectus sum : si me ipsum deo uero sacrificium obtulero : et hoc quod corpus meum cæsum est delector nullum sentiens dolorem : Ideoque offero me maioribus suppliciis : ut me quibus præpositus fui in hac uita sequantur ad illam æternam uitam : ad quam per huiusmodi iter facile peruenitur . Et Maximus præses dixit : Claudatur in carcere : et grauetur cathenis : donec sobrius efficiatur . Tum Quirinus : Non expauesco carcerem credens dominum meum mecum esse in carcere : si semper est cum suis cultoribus : Cumque ligatus fuisset : recluditur in carcerem Quirinus episcopus : et mittens se in orationem dixit : Gratias tibi domine : quia propter te hæ mihi illatæ sunt contumeliæ : et rogo : ut qui in hoc carcere detinentur sentiant me cultorem ueri dei esse : et credant : quia non est alius deus nisi tu . Media autem nocte apparuit splendor magnus in carcere : quem cum uidisset Marcelus custos personarum aperuit carcerem : et prostrauit se ad pedes beati Quirini episcopi dicens cum lachrymis : ora pro me domine : quia credo non esse alium deum : nisi quem tu colis . Multa autem hortatus est eum beatus episcopus : et consignauit eum in nomine domini nostri Iesu Christi . Post triduum autem Maximus Quirinum episcopum iussit ad Amantium primæ Pannoniæ præsidem deduci : ut pro contumacia quam in leges imperatorum exhibuerat ultimam sententiam sustineret : Cumque deductus fuisset beatus Quirinus ad primam Pannoniam et per singulas ciuitates uinctus cathenis ad præsidis Amantii iudicium traheretur : siquidem ad ripam Danubii ad singulas ciuitates | Amantio eodem die reuertente de ciuicate† Scarabeteus offertur ei beatus Quirinus episcopus : quem præses ad urbem Sabariensem ad audiendum reuerti censuit . Tunc ingredientes ad sanctum Quirinum episcopum christianæ mulieres cibum potumque obtulerunt ei : quarum fidem intuens beatus episcopus : dum ea quæ offerunt benedicit : cathenæ quibus ligatæ manus eius et pedes fuerant ceciderunt . Accepta igitur æsca regressisque mulieribus : hi qui eum custodiebant Sabariem deduxerunt : quem præses Amantius per officium suum offerri sibi iussit in theatrum : et ubi oblatus fuisset : Amantius præses dixit : Requiro a te : si ea quæ in Sissia apud ueridicum Maximum gesta monstrantur uera sunt . Quirinus respondit : Apud Sissiam uerum deum confessus sum : ipsum semper colui . ipsum corde teneo : nec me ab eo qui unus deus et uerus est homo poterit seperare . ad quem Amantius præses : Aetatem tuam dolemus iaculari uerberibus : tamen sensum tuum optamus emendari sermonibus : et præmio promissæ uitæ corrigere : ut reliquum senectutis tuæ tempore iuxta legum imperialium sanctionem diis seruiens perfruaris . Ad hæc Beatus Quirinus episcopus dixit : quid de ætate dubitas : quam fides inuiolata reddere potest omnibus suppliciis fortiorem : Nec tormentis frangitur mea confessio : nec uitæ præsentis delectatione corrigitur . nec timore mortis quam uix acerbe mentis meæ soliditas perturbatur . Tum Amantius : cur instans es ad mortem : ut diis et romano imperio appareas indeuotus : Et contra humanum morem uitam tibi eligas denegandam : dum hi qui euadere mortem cupiunt : negando quæ gesserunt tormenta deludunt ? Tu autem dicis uitæ tuæ dulcedinem otiosam : et festinus curris ad mortem imperatoribusque contra dicis : propter quod adhuc te hortantur : ut uiuas : et uitam tuam redimas : et cultorem te legibus romanis exhibeas . Cui Quirinus episcopus dixit . Allocutio ista si forte flectat animos pueriles qui longiori uitæ suspirant : ego autem didici a deo meo : ut debeam ad illam uitam peruenire : quæ post mortem mortis intercisione non clauditur : et ideo ad temporalis huius uitæ terminum fidelis accedo . Non enim similis sum noxiorum sicut po || testas tua loquitur . Illi enim uiuere cupiunt : negando deum uere moriuntur . Ego autem ad æternitatem uitæ confitendo peruenio : nec uestris legibus acquiesco : quia Christi dei mei legitima quæ fidelibus prædicaui custodio . Ad quem Amantius : Diu te ad obedientiam regalium præceptorum inclinare uoluimus : sed quia rigor mentis domari non potuit : eris exemplo omnium christianorum : ut formam tuæ mortis qui uiuere cupiunt expauescant . Tunc inter cæteras quas pertulit passiones iussit sancto dei sacerdoti uel famulo molam ad collum ligari : et in fluuii Sibaris undas demergi : Cumque de ponte præcipitatus fuisset in fluuium : et diutissime supernataret : cum spectantibus colloquutus est : ne suo terrerentur exemplo . uix orans ut mergeretur : obtinuit : Cuius corpus non longe ab eodem loco ubi demersum fuerat inuentum est : ubi etiam et locus orationis habetur .

Sed ipsum sanctum corpus in basilicam ad scarabetenensem portam est depositum : ubi maior est pro meritis eius frequentia procedendi . Passus est autem beatus Quirinus episcopus Siscianus martyr Christi pridie nonas Iunias : et coronatus est a domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria et potestas in sæcula sæculorum amen . Facta autem incursione barbarorum in partes Pannoniæ populus christianus de scarabetenensi ciuitate Romam fugiens sanctum corpus beati Quirini episcopi et martyris auferentes secum duxerunt : quem uia appia milliario tertio sepelierunt in basilica apostolorum : ubi corpora principum apostolorum : aliquando iacuerunt idest Petri et Pauli : Vbi et sanctus Sebastianus martyr requiescit in loco : qui dicitur Catatumbas ædificantes nomini eius dignam ecclesiam : quo in loco præstantur beneficia eius usque in hodiernum diem . Postea per dominum pissimum† Angilbertum uenerabilem archiepiscopum mediolanensem deportatus et honorifice apud monasterium beati læuitæ Vincentii simul cum sancto Nicomede presbytero summa cum reuerentia est reconditus Præstante domino nostro Iesu Christo : Cui est honor et gloria in sæculc† sæculorum . |

QVADRAGINTA MILITVM MARTYRVM PASSIO .

Sub duce Licinio et Agricolao præside passi sunt septimo idus maias apud Sebasten Armeniæ minoris milites quadraginta quorum præcipui erant Quirion et Candidus : qui Candidus Agricolao ait digne hoc nomen tibi impositum est : agrectis† enim blanditor es . Sanctus autem Quirion ait ad socios : sæpe pauci multos in fugam conuertimus : Nunc uero tres sunt : qui nos impugnant . Sathanas et dux Licinius et præses Agricolaus : et hii tres unum sunt . Absit autem ut hic unus quadraginta uincat . Iussi sunt autem lapidibus cædi : Sed ministri leuantes lapides alterutrum se cædebant . Exardescens autem dux licinius et tollens lapidem : ut aliquem sanctorum percuteret : in faciem præsidis adduxit lapidem : et comminuit faciem eius . Stantibus autem sanctis ante faciem præsidis : apparuit eis diabolus tenens dextera manu gladium sinistra uero draconem : qui dicebat in aurem præsidis : meus es . Circa erat autem Sebasten stagnum habens aquam multam : quod tunc uæhæmenter frigidum erat tempere† hyemis poisiti† sunt sancti in medio nudi ad uesperum . positum etiam . est balneum iuxta stagnum : ut si quis uellet resipiscere : fugeret ad balneum : et ibi positi sunt iuxta custodes milites et clauicularius Vnus autem ex illis quadraginta pusillanimis effectus refugit . ad balneum : qui mox ut attigit calorem : resolutus est . quod uidentes alii dixerunt quasi ex uno ore : Ne in fluminibus irascaris domine : Clauicularius autem uigilans et auscultans cæteris custodibus dormientibus uidit de cælo descendentes trigintanouem . expergefaciens uero custodes proiecit uestimenta in facies illorum : et exiliuit nudus in stagnum clamans : et ego christianus sum . Victus autem Sathanas et transfigurans se in uirum ligatis manibus genua flexit : dicitque in conspectu omninm† : Væ mihi . Victus sum ab istis : et factns† sum ridiculum omnibus : quia non habui unanimes ministros . Vnius autem mater perdurat cum ipsis : cuius filius cæteris erat iunior : quæ timens pro filio semper confortabat eum : Cuius nomen erat Meliton . Iussum est igi || tur omnium crura confringi : et simul omnes præter illum iuuenem animas reddiderunt . Quorum corpora super birotia sunt iussa imponi : ut comburerentur . Iunior autem relictus est ad oram fluminis : quem mater suscipiens in humeris portabat post cæteros : qui dum portaretur lætus emisit spiritum . Cuius corpus mater proiecit super sanctos : et omnes combusti sunt : quorum cineres iactati sunt in amnem : sed in loco præcipiti et uadoso restiterunt : et congregati sunt : et nihil eorum iminuit fluuius . Post tres dies reuelati sunt episcopo ciuitatis ab ipsis sanctis : qui accipiens clerum et populum illuc perrexit : et uiderunt reliquias in aqua fulgentes tanquam luminaria : super quos aqua decurrebat illarum nil secum thraens† et si quid alicubi relictum fuerat : a splendore demonstrabatur . Isti omnes martyres milites fuerunt natione capadoces : ut in passione ipsorum scriptum est . Passi sunt quinto idus Marcii . Sed in martyrologio passio eorum annunciatur septimo idus martii : quod quare† factum sit nescio : forte eo die sepulture traditæ eorum reliquiæ sunt .

PASSIO SANCTI QVINTINI MARTYRIS .

Sub Maximiano imperatore multi christiani persecutionem patiebantur propter regnum dei et fidem domini nostri Iesu Christi : multi in montibus et speluncis petrarum : et alii quidem absconsi suffocabantur . Sanctus uero Quintinus una cum beato Lucio qui et ipse dei martyr probatus est : ab urbe Roma se in hanc transtulerunt regionem . Non illic esse renuentes : sed ut Christus nobis pro delictis nostris largiri intercessores dignaretur . Cum inter Gallias ambianensium ciuitatem peruenissent : loca in quibus habitarent elegerunt . Sanctus uero Quintinus ambianensem resedit . Lucius Beloacus expetiit : ut per signa uirtutum et orationes eorum multorum animæ saluari possent : cæcos illuminare : paralysim curare : membra pristinam reciperent sanitatem : Ieiuniis et orationibus instantes tanquam monachi omnibus ho | ris deum precantes factum est autem in illis diebus : ut persecutio insurgeret christianorum per uniuersum orbem terrarum . Ritionarus expetiit a Maximiano imperatore : ut inter Gallias perfecturæ † acciperet potestatem . Veniens itaque in Basiliam ciuitatem : ubi Arola fluuius ingrediens in Rhenum . et multos christianos ibidem demersit : quorum tumuli sub aqua in testimonium in futuro sæculo reseruantur . Sic per uniuersa loca facta est inquisitio christianorum . Peruenit autem ciuitatem audiens de beati Quintini fama : quod plurima signa per eum dominus demonstrabat in populo : sic eum compræhendi præcepit : Cumque conpræhensus fuisset : et cathenatus : iussit eum in carcerem mancipari : Et cum ad carcerem duceretur : psallebat dicens : cogitauerunt aduersum me ne me derelinquas ne forte exaltentur : caput circuitus eorum : et cum completum fuisset initium psalmi item dixit : Deus deus eripe me de manu peccatoris : et de manu contra legem agentis et iniqui . Quia tu es patria mea domine : spes mea a iuuentute mea . Et sequenti die Ritionarus iussit sibi tribunal construi in consistorio : et sanctum Quintinum præcepit adduci : Dumque ad eum ductus fuisset : ait illi : Quod tibi nomen est ? respondit : christianus sum : et Christum confiteor : Si tamen uis scire nomen meum : Quintinus uocor . Ad quem Ritionarus dixit : Ex qua progenie natus es ? Et ille . Vrbis Romæ oriundus sum : et filius Zenonis sum Ritionarius dixit : Quid passus es : ut de tam nobili genere et talis uiri filius uanissimæ te tradideris religioni : et colas eum : qui ab hominibus est crucifixus ? Sed magis recede ab hac stulticia : qua teneris : et sacrifica diis . Sanctus Quintinus respondit : Ego uero stultus non sum : sed sapientiam quæro . Nam illi certe stulti sunt : qui tibi audiunt et sacrificant . Ipsi non sunt ueritatis et fidei : et lumen iusticiæ nesciunt : sed sunt in tenebris : et in ignem perpetuum ibidem cremabuntur . Tunc Ritionarus accede ait nunc : et sacrifica diis : quod si nolueris : per deos iuro : diuersis pœnis te faciam interfici . Sanctus Quintinus respondit : Per deum iuro : qni† fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis || sunt : quia non pertimesco minas tuas . Celerius fac :† quod uis paratus sum . Carnem meam in potestatem habes : animam uero meam in potestatem non habes sed solus deus : qui eam dedit . Tunc Ritionarus furore commotus : iussit eum tradi : et a quattuor quaternionibus cæli† præcepit . Cum uero cæderetur sanctus : eleuauit oculos suos ad cælos dicens : Domine deus meus qui omnia nosti ante quam fiant gratias ago tibi per gloriam uirtutis tuæ : quia propter nomen sanctum tuum has patior pœnas . Sed tu domine deus meus da mihi indigno et peccatori fortitudinem et uirtutem auxiliatricem dexteræ tuæ : qualiter possim euadere omnia tela inimici atque superare : et te adiuuante confundere tribunalia huius Rictionarii præfecti : ut magnificetur nomen tuum in gentibus : quod est sanctum et benedictum . in sæcula sæculorum amen . Et audita est uox de cælo dicens : Quintine famule meus constans esto : et uiriliter age . ego autem adero tibi . Tunc factum est : ut qui eum cædebant . Supra pedes suos stare non possent . Et dum cædere putabant : ipsi magis ab angelo torquebantur . Et clamauerunt præfecto dicentes : domine adiuua nos : Nam et nos magis ab angelis flagellis cædimur : et in igne cremamur : et iam nec loqui : nec stare super pedes nostros possumus . Sanctus uero Quintinus nihil mali sentiebat : sed sanctus spiritus suo eum defendebat auxilio . Præfectus autem dixit : Per deos iuro : quia magus est

et maleficia sua præualent . Tunc ussit† eum in carcerem recludi dicens : Ducite eum in obscuriorem locum : ubi nec ullum uideat lumen : nec ullus de populo ingredi possit ad eum : Sanctus uero Quintinus psallebat dicens : Eripe me domine ab homine malo : et a uiro iniquo libera me : quia cogitauit supplantare gressus meos : tota die constituit prælia . acuit linguas suas sicut serpentis : uenenum sub labiis eius : Et in secuta nocte cum se sopori dedisset : apparuit ei angelus domini dicens ad eum : Quintine exurge : et sta in media ciuitate : et confortare : et corrobora omnem populum : et credat in dominum Iesum Christum : et baptizentur in nomine patris et filii et spiritussancti : quia appropinquauit redemptio eorum : et potius con | fundatur inimicus dei Ritionarius præfectus . Euigilans sanctus uir Quintinus et cum transisset primam et secundam custodiam : uenit in locum : in quo dixerat ei angelus domini : et cœpit prædicare : et laudare nomen domini : quantas uirtutes per Iesum Christum dominum filium suum deus in semetipsum ostendere dignatus est fratres : audite me : et conuertimini a uiis malignis : et baptizamini in nomine patris et filii et spiritussancti : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt : qui mortuos suscitauit : cæcis uisum præstitit : atque restituit : languentes sanauit : mulierem a profluxu sanguinis liberauit : leprosos mundauit : paralyticos ambulare fecit : in cana Galileæ aquam in uinum conuertit : et multa mirabilia ostendit : quorum non est numerus : nunquam enim derelinquit seruos suos : sed liberat eos a tribulatione : Et cum prolungasset sermonem : crediderunt per eum sexcenti homines : Et euigilantes custodes inuenerunt carcerem clausum : Et neminem intus inuenerunt . Currentes autem repererunt eum in medio populi prædicantem uerbum domini : pergentes igitur cum magno tremore nunciauerunt præfecto dicentes : uere magnus est deus christianorum : in quo nobis omnino credere opportet . Notum tibi sit : quia dii tui infirmi sunt : et ipsi qui tibi audiunt . Iam nobis sufficit . Vnus est et uerus deus quem per famulum suum Quintinum cognouimus . Tunc Ritionarius dixit : Ergo et uos magi effecti estis ? At illi dixerunt : Nos quidem magi non effecti sumus : sed sumus confessores domini Iesu Christi filii dei : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt . Ritionarius dixit : Insana loquimini nihil enim est ista uestra credulitas . Recedite a me Insipientes et stulti corde . Tunc recesserunt ab eo . Tum uero fremens et stridens dentibus suis dixit : Si Quintinum ego non interfecero et deleam nomen eius a terra : multos seducturus est ad istam uanam et supersticiosam sectam : et perit honor dominorum nostrorum . In ipso igitur die iussit exhiberi beatum Quintinum : et dixit præfectus : frater Quintine erubesco ob tuam nobilitatem : quia de tantis opibus diuitiarum quæ tibi fuerunt et parentibus || tuis tam facile te inuasit insania : ut omnia dereliqueris : et tanquam pauper atque mendicus esse uidearis . Sed modo audi meum consilium accede nunc : et sacrifica magnis diis : et ego mitto relationem meam ad sacratissimum imperatorem : ut omnes diuitias quas reliquisti tibi restituat : et purpura et bysso operiaris : et honorem magnum accipies : et zona aurea circumderis . cui ille o Lupe rapax stulte insipiens in quo non est intellectus sicut in cane rabido : putas tu donum dei pecunia euertere ? Habeas ope† tuas : et tecum sint in perditione . Me autem non poteris mutare a sensu meo : quem habeo in Christo Iesu domino nostro a pueritia mea . Nunc ergo audi infelix : non est pauper : qui Christum mendicat : hic in æternum gratiam dei possidebit . nam potestas uestra caduca est : et honor uester temporalis . honor uero quem Christus dat diligentibus se : finem non habebit : sed permanet in æternum . Ricionarius dixit : Per magnos deos iuro celerius te faciam puniri . ad quem Sanctus Quintinus : dominus mihi adiutor est : et non timebo : quid faciat mihi homo . Tunc ricionarius furore commotus iussit eum ad colleas torqueri . Ita ut omnia membra eius seperarentur : et resticulis ferreis cædi præcepit : et oleum candens et pices et adipem freuentem† super dorsum eius applicari iussit . Cum applicuissent hæc omnia : sanctus Quintinus dixit ricionario : furcifer . amens diabole fili iniquitatis ista omnia quæ a te inferuntur : non dolorem sed refrigerium mihi præstant tanquam ros super hærbam . Et Ricionarius : Afferte inquit mihi calicem et accetum cum sinapi : et infundam in os eius : ut sic taceat : et non amplius debellet hanc plebem . respondit : Quintinus : Quam dulcia faucibus meis eloquia tua domine super mel et fauum ori meo . Ritionarius dixit : Per magnum Aesculapium et Iouem . et Mercurium iuro : quia Romam te faciam uinctum præsentari : ibi multis tormentis subiicieris coram domino Imperatore : cui

tu fuga lapsus es . Respondit sanctus Quintinus : et hic et illic deus est : qui tuam superabit insaniam . Nam ego confidens sum in eo : quod cursum finis mei in hac prouincia accepturus sum . Tunc Ricionarius iussit ponderosis cathenis collum eius circum | dari : et militibus præcepit dicens : Ite diligenter custodite : et ducite eum quousque uos prosequar . egressis itaque itinere quo : eis fuerat imperatum . sanctus uero Quintinus psalebat dicens : Domine uias tuas notas fac mihi : et semitas tuas doce me : Et iterum : deduc me in uiam tuam . letetur cor meum : ut timeat nomen tuum . Et cum peruenisset in quoddam municipium qui Augusta iurmandorum† noncupatur in eodem loco iusserat expectare : non quasi ex hoc imperare debuissent : sed quia Christus athletam suum noluit† in loco ipso cursum terminis ac finis accipere . Veniens ipse postea Ricionarius sanctum Quintinum sibi præsentari præcepit : dixitque ei blandis sermonibus : frater Quintine : adhuc patiens in te sum : consenti mihi : et sacrifica diis Ioui et Appollini : et si uolueris in hanc prouinciam magis ditari opulentius : mittam ad sacratissimum imperatorem : ut te principem constituat in loco isto . Respondit sanctus Quintinus : iam tibi sæpius dixi : non sacrifico dæmoniis : qui cælos non fecerunt neque terram : ipsi pereant : et qui seruiunt eis : quia non sunt dii scuptilia† et opera manuum hominum sine auditu sine ullo intellectu uel flatu absque gressu : in quibus nec eloquium nec spiritus est : sicut dixit propheta similes illis fiant qui faciunt ea : et omnes qui confidant in eis . Tunc præfectus iussit uocari fabrum ferrarum : et produci ferrum : et facere tarencas duas : quæ attingerent a ceruice eius usque ad crura ilius aliasque inter ungulas et carnem in digitis ipsius mitterentur : perfecit itaque faber quæ ei iussa fuerant . Sic præfectus statim in ipsa hora sancti Quintini ceruicem : transfigi præcepit . Similiter et in digitis eius candentes tarencas intulit dicens : ob hoc ut christiani habeant metum atque exemplum ne talia debeant perpetrare : sicut Quintinus fecit . Ritionarius accepit a quodam consilium Seuero honorato : ut eum capitalem faceret subire sententiam . Cum autem ductus fuisset in locum : urbi cursum consumationis erat accepturus : petiit a persecutoribus : ut paululum orationi uacare posset . Cum ergo accubuisset : orauit dicens : domine deus meus Iesu Christe lumen ueritatis qui es et qui eras ante dispositionem mundi : qui cælum palma et terram pugillo mensurasti : qui || perducis nubes ab extremo terræ : qui perducis uentos a tesauris tuis : qui uocas ea quæ† non sunt : qui solem splendore tuo oriri super bonos et malos iubes : qui iustis et iniustis secundum merita eorum reddere non desinis : te precor deus : cuius ueritatem confiteor Christe : quem retineo : quem cernere desydero : cui me tradidi ex toto corde ex tota anima mea : ne derelinquas me in sempiternum : qui regnas in sæcula sæculorum : Amen . Hæc cum dixisset : ceruicem suam percussoribus obtulit dicens : facite nunc : quod præceptum est . At illi abstracto gladio caput eius amputauerunt : et sanguis statim exiit de collo eius candidus tanquam nix : Ille uero cælos penetrauit : et uox de cælis sonuit dicens : Quintine famule meus ueni accipe coronam : quam tibi præparaui : suscipient te angeli mei : et producent te in cælestem Hierusalem . Tunc Ricionarius iussit custodiri corpus beati Quintini : ut a populo christiano honorem aut salutem acciperet . Consumauit autem martyrium pridie calendas nouembres . Aqua ante fuerat ei tumulus annis quinquaginta et quinque . Expletis autem his diebus uoluit dominus : ut ostenderetur plæbicolæ occultatum thesaurum . Resuscitauit enim dominus deus quamdam matronam ab urbe Roma nomine Eusebia opibus magnis diuitem et nobilem natalibus : Cuius erat locupletatio magna et infinitus familiæ numerus et ministerium copiosum . Et hæc cæca erat effecta per annos octo : Cumque promptissime deum precaretur : apparuit ei angelus domini in uisione dicens : Eusebia exaudita est oratio tua . surge : et uade in Gallias . et require locum : qui dicitur Augusta uirmandorum iuxta fluuium qui uocatur Sumia : ubi est iter publicum : quod uenit de Ambianensium ciuitate : et pergit contra lugdunum clauatum . In ipso igitur loco reliquias inuenies sub aqua . corpus beati Quintini martyris mei . At ubi reuelatum et per te in populo fuerit demonstratum : statim oculorum recipies lumen : et sano corpore et firma mente ad tuum reuerteris tugurium : Cumque bis et ter hæc uisio apparuisset : tum illa de fide credulitatis non dubitauit : iterque quod ei angelus domini nunciauit proficisci conabatur . iunxit curriculos suos : et | omnia que in uia erant necessaria secum duxit : pueros puellasque et ministerium copiosum : ut si corpus beati uiri inueniret linteamina ad sepeliendum secum haberet . At ubi inter

Gallias angelo duce ingressa est : celeriter ubi desyderabat excucurrit : Peruenitque in eundem locum : quem ei angelus domini ostenderat per uisum . Tunc quidam senex nomne† Eraclianus in uia ei obuius fuit . At illa diligenter rogare cœpit ubi esset locus uel municipium : quod nuncuparetur augusta uirmandorum . Senex quidem respondit : iam inquit in proximo es domina mi . At illa dixit : Dic mihi rogo te Si noueris aliquo tempore quendam christianum nomine Quintinum a persecutoribus interfectum fuisse . Senex item respondit : Audiui : iam longum tempus est : quo hæc acta sunt . Eusebia interrogauit eum dicens : Corpus illius gloriosi martyris ubi est repositum ? Respondit senex : Nescio . Illa dixit : Per deum te specialiter rogo : simulque coniuro : ut mihi ostendas : ubi iter publicum in hunc fluuium ingreditur : uel transit . Et pergentibus simul : senex ei respondit dicens : Ecce locus : quem quæris . Tunc præfata matrona figens in terra genua et inclinans caput atque manus : pectus suum percutiens ait : Domine Deus Aabraam† . Deus Isaac . Deus Iacob . Deus prophetarum . Deus apostolorum . deus martyrum . deus omnium confessorum : deus per quem omnia elementa gubernantur : per te tonitrua et fulgura et corruscationes desiliunt . dæus pater omnium sæculorum te deprecor : exaudi me humillimam et peccatricem : sicut exaudire dignatus es orantem Tobiam et Sarram : dum orarent in atrio domus suæ : ita tu me piissime Pater exaudire digneris : et quemadmodum exaudisti famulum tuum Moisen et Aaron : et ostendisti illis ossa patris Ioseph : quomodo replesti desyderium beatæ Helenæ : et ostendisti occultatum thesaurum : ita mihi indignæ famulæ tuæ ostendi iubeas uenerabile pignus : quod propter nomen gloriæ tuæ passus est . Ita domine pater omnium sæculorum ne patiaris me ab hoc loco discedere : nisi inueniam quod desyderat anima mea ut uideant oculi mei salutare tuum : et ut magnificetur in gentibus nomen tuum : quod est benedictum in sæcula sæculorum amen : || Quæ ut compleuit orationem suam statim commotus est locus ille : ubi corpus sancti Quintini sub aqua iacebat : et quasi crispanti emittebat dorsum sub aqua : et uenerabile corpus super aquam natare cœpit : Caput eius per allium meatum exiens . Tunc fidelissima mulier cum gaudio magno atque tremore suscipiens corpus beati martyris Quintini : non enim illud aut humor aut aliqua lues inuaserat : sed erat candidum sicut nix : et uelut rosarum . aut liliorum odor agri pleri† : quem benedixit dominus et alabastrum unguenti pretiosi : qui aderant impleuit : Ita ut omnia delectamenta mundi nobis in obliuione esse uiderentur tunc fidelissima mulier . accepit uenerabile sancti Quintini corpus inuolutum in linteaminibus mundis : uoluit in uirmandorum ciuitate sepelire eum : Cumque in itinere exissent : uenientes in municipium agusta uirmandorum : deposuerunt eum : quia præ pondere ambulare non poterant . Videns igitur quæ agebantur præfata matrona : eo loco ipsum sepeliuit : et super sepulturam eius cælulam ædificauit . Statim pro uice beneficiorum suorum que in ipso sancto uiro domino iubente operata est : Exiit ab oculis eius tanquam squamma : et lumen oculorum recepit : et ipsa sensit uirtutem in se sicut ab adolescentia sua esse consueuerat ex uirginitate : et quotquot ibidem infirmi fuerunt : pristinam sanitatem receperunt . tarencas autem illas quæ in sancto confixæ fuerant corpore ex ipsis accipiens fidelissima mulier pro reliquiis corporis secum dettulit : atque cum suis omnibus reuersa est in suam prouinciam : et multa ibidem in pauperes reliquit dona . sepultum est autem corpus beati Quintini martyris octauo calendas iulias post gloriosam resurrectionem domini nostri Iesu christi : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM QVIRICI ET IVLITTE . MARTYRVM .

Sanctorum Christi martyrum pia certamina ueneratione debita recolentes : mirabilem in sanctis suis dominum collaudemus : qui beato infanti Quirico ab | ipso natiuitatis die toto necdum euoluto triennio : eiusque sacræ genitrici Iulitte natalibus ac probis moribus generosæ : muneris superni gratia roborante ætatis et sexus infirma pro ipsius nominis amore uincentibus : Illis quidem gloriosam martyrum palmam contulit in cælestibus . nobis autem plurima confert beneficia : eisdem ut credimus

patrocinantibus : qua propter sicuti quottidiana ammonitione per suos præsules sanctamque matrem ecclesiam nos hortatur agere : dignum iustumque est et nobis in contis salubriter dominum deum nostrum in omni tempore et in omni loco laudando glorificare : atque gratificando laudare semper atque benedicere : Vt implere ualeamus illud psalmistæ : Benedicam dominum in omni tempore : semper laus eius in ore meo . Hoc est enim sacrificium : quo deus pie colitur ab uniuersis gradibus bene uiuentium : dum illi condigne referunt : quantum possibile est actiones gratiarum : quod et ipse nos per beatum Dauid ammonet dicens : immola deo sacrificium laudis . Hoc est denique dignum pro immensis beneficiis eius iustumque nostris obsequiis ipsa die tantæ æquitate rationis salubre est etiam animabus et corporibus nostris : Nam quantum nobis hoc prosit : euidenter sacra prodit scriptura : Quæ cum dixisset immola deo sacrificium laudis : et redde altissimo uota tua : statim subintulit dicens : Et inuoca me in die tribulationis : et eruam te : et honorificabis me . Itemque alias dicit : laudans inuocabo dominum : et ab inimicis meis saluus ero . Denique quia hoc deuotissime ac constantissime et hi sancti dei quorum nunc memoriam celebramus : et cæteri diuini martyres hoc adimplere studuerunt laudantes et inuocantes eum in sua tribulatione : erripuit eos ab instanti inimicorum suorum afflictione : et saluos fecit eos in regno suo cælesti : in quo perennis fælicitatis ab eo gloriati iure et ipsum illi honorificant laude perenni . Nos quoque in huius nostri incolatus exillii inter multiplices uitæ præsentis angustias positi : laudantes inuocemus patrem totius consolationis : Credentes : quia et hic consolabitur nos in omni tribulatione nostra : qui sumus sperantes in eius misericordia : et illic illius consolationis cui nul || la succedit tristicia largietur nobis gaudia suffragantibus horum meritis sanctorum : quorum nunc ueneramur sollemnia : et quorum mira strictim narrare suscepimus certamina . abdicantes imo ut fætida respuentes stercora illa friuola : quæ a quodam Idiota Mimographo et falsiloquo de ipsis scrabroso† nimis stilo sunt ineptissime edita : et idcirco a fidelibus christicolis maximeque a heato† Blasio papa iure inter multa sunt ut apocripha repudiata . Nos autem ammirabile cunctis tropheum Quirici parui infantis et magni martyris ad honorem recolimus sancti tui nominis domine : qui ante quam te scire posset per ætatem corporis : præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis et ex ore infantis et lactentis perfecisti laudem ammirabilis nominis tui : ut per eum destrueres mirabiliter inimicos resistentes tibi : ac per te alacri consumato martyrio lætificasti eum in gaudio cum uultu tuo . Vnde sicut et in omnibus benedicta sit magnificentia uirtutis tuæ : quæ sic mirifice antiquum uicit inimicum : per dilectum sibi inuicem Quiricum : cuius suffragiis nobis quæsumus largiaris : de eiusdem maligni hostis triumphare insidiis . Ergo ad hæc fideliter explicanda iam nunc accedamus . Sexte quæ nunc agitur ætatis initio quo dominus Iesus Christus : deus uerus et homo suum consecrare dignatus est aduentum quadragessimo scilicet secundo imperii Octauiani Cæsaris Augusti anno : quod quidem obtinuit per annos quinquagintasex secundum nutum ipsius ueræ pacis tunc in carne apparentis : postmodum per totum oceani ambitum cunctis una pace gentibus compositis pacatum rexit : atque totius orbis monarchiam possedit : eandemque imperii potestatem reliquit . E quibus posteris post eum Aurelius Alexander imperator uicesimus : transactis a natiuitate domini ad illud usque tempus plus minusue ducentis uigintisex annis extitit . Huius igitur temporibus cum maxima uexatio ecclesiis esset : præclara a militibus Christi pro pietate certamina martyrii gerebantur : qui pro suppliciorum patientia : donabantur a deo immortalitatis corona : In quibus et beatus pater Calistus sacerdotii dignitate papa romanus . a beatissimo Petro apostolorum principe or | dine sextusdecimus : dum fixus staret in domo domini perseuerando in mandatis eius et in sancta caritate . Et pio ouili dominico uelut aries electus ac dux totius gregis subito iussu ipsius Alexandri rapitur . carceri mancipatur : fame diuturna cruciatur . fustibus quottidie cæditur . ad ultimum per fenestram domus præcipitatur : et ligato ad collum eius saxo in puteum demergitur : in eumque desuper rudera tumulatur : Atque ita a deo corona martyrii decoratur . Huius susccessor† sanctus fuit Vrbanus eiusdem sanctæ romanæ sedis episcopus : qui doctrina salutari multos ad martyrium prouocans . calicem quem aliis propinauit ipse quoque potauit . Ea igitur facta persecutione sicut diximus christianorum sub Alexandro imperatore cum sæua supra modum exardesceret undique secus eos insectandi intentio : orientalium quoque pro-

uinciarum fines appræhendit : In quarum partibus preses Alexander præerat : qui sicut nomine sic imperatori suo erat par ferocitate . hic inter innumeros quos uariis cruciatibus et excogitatis affecerat pœnis . Iulittam matronam nobilem in lege domini meditantem die ac nocte fama boni odoris celebrem missis officialibus suis iussit præsentari tribunalibus . Erat autem Iulitta seruiens domino in timore Casto : quæ filium alebat paruulum Quiricum : cui cum lacte carnis disciplinam tradidit diuinæ legis . Inter caros denique amplexus et maternæ pietatis oscula quo uerum parentem angnosceret† coleret atque diligeret : dum lacte dulci ex eius aleretur huberibus : ab ipsius ore pro tempore pure fidei imbuebatur dogmatibus . Insurgentibus igitur aduersus eam persecutoribus pro sua paruulique salute ad dominum clamabat . Ante conspectum denique præsentata præsidis : et ab eo requisita : cuius esset prouinciæ uel ciuitatis : aut quæ proprii ei esset cognitio nominis : respondit : De hisauria quidem prouincia : et de primioribus ciuitatis Hyboniarum progenita ad cyliciæ tuas deuitans persecutiones demigraui loca : Tarsoque sum immorata : Et cum sim uere christiana : est mihi nomen Iulitta : Cui præses : Hortor inquit te : tu tibi consule . Imperatoris iussa perfice : atque debita diis nostris offer libamina . Beata Iulitta respondit : ego || immundis non sacrifico dæmoniis : quia unius uiui et ueri dei uera sum cultrix . Ait præses : Sacrifica diis : ante quam ad tormenta ducaris . Et illa : Nec diis tuis sacrificabo uanis : nec tormenta pauesco . Interim dum hi inter eos sermones feruntur : alma genitrix Quirici non modico angebatur mærore animi : quod ipsa posita in procinctu belli pro confessione fidei : sui esset destituta solatio paruuli . Ad eius tamen suggestionem iubente præside : et matre eum ueluti prodente perquisitus tenellus infans Quiricus et a militibus præsidis repertus : ante ipsum perductus est : primo quidem blandimentis lenibus ut infans demulcetur : deinde minis exasperatur . Ille uero blandientem æque ut minantem paruipendens : mente maiore et disertissimo sermone christianum se esse constanter est professus : et a professione se ullo modo diuelli non posse firmissime protestatur : Rex æternus deus noster qui apparens in carne ad bellandum fortem armatum . mundumque in maligno positum suæ se maiestatis præcinxit uirtute : quique firmauit orbem terræ : sanctam uidelicet ecclesiam toto orbe terrarum difusam ne a suæ moueatur fidei stabilitate ne ue præualeant aduersus eam inferi portæ : Ipse per spiritum sanctum firmam dedit constantiam uirtutis suæ in dilecti sibi infantis Quirici corde : et sermonis facundiam in eius posuit ore : qui aperuit ora mutorum et linguas infantium facit disertas : Vnde dum ante præsidem staret secundum tempus elinguis infantulus : non ille sed in eo et per eum loquebatur spiritus sanctus : cuius adipe et pinguedine replebatur anima et os eius . Dixit autem ei Alexander : Volo mihi ut ueraciter pandas : quis huius sanctæ doctrinæ extiterit magister : simulque ab hac desistas pertinacia quam celeriter : ne pro deorum et imperatoris contemptu pœnis acriter afficiaris . Ad hæc infans : Tuam ait o præses miror insipientiam : qui in me cernens tantillam ætatem : nedum transacto trium annorum curriculo discenda etiam scientia minus idoneum perconctaris : quis me docuerit diuinam sapientiam . Auditis præses huiuscemodi sermonibus correptus est furore ac iussit infantem cædi uæhementissime . ille uero dum cæderetur erectis ad cælum oculis et par | uis manibus passis† ueluti athleta fortis benedicit dominum in excelsis : Gratias tibi ago domine deus . te benedicit anima mea et omnia interiora mea . Tibi laus uirtutum domine : quia uirtutem perficis in mea infirmitate . Tum uero ueluti insultans carnificibus clara uoce pro uiribus insonabat frequentius : Vtique christianus sum : et quotiens emiserat hanc uocem piæ professionis : totiens ei reparabantur nouæ corporis uires . ita ut et præses et cuncti qui aderant tantam imbecillis mirarentur ætatis tolerantiam . Deus quippe Iusticiæ qui illum in primis annis infantiæ sua gratia iustificauit : in tribulatione ad se clamantem misericorditer exaudiuit : et in conspectu omnium magnifice mirificauit . gloriosa uero mater in eiusmodi agone eum positum cernens totoque corde exultans in dominum extensisque in cælum manibus uoce exultationis et confessionis glorificabat dominum : et ut in perseuerantia persisteret fidei suum hortabatur filium . Verebatur siquidem : ne forte cæderet flagellis pre teneritudine corporis : sed cum pene iam resoluerentur et concidérent cædentium manus : ipse ab inhabitante in se dei spiritu : firmum gerens animum instaurabatur recentius ad sufferendum . Iterum præses iussit sibi matrem cum filio præsentari . Et cum eos nullo modo reuocare a proposito uere fidei posset : fecit

eos diuersis pœnarum modis torqueri : ac ita demum horribilibus carceribus mancipari : sancti uero dei martyres artissimo reclusi ergastulo his uerbis læti psallebant deo : Fac nobiscum domine signum in bonum : ut uideant : qui oderunt nos : et confundantur : quoniam tu domine adiuuisti nos : et consolatus es nos . Erant autem persistentes in orationibus : et laudantes deum : postulantesque se eius potentia uirtutis eripi a laqueis et malignitate diaboli et a tyrannide ipsius satellitis Alexandri . Sed ipsi inter capedinem quam ad hoc solum modo sortiuntur : ut eis multiplicium pœnarum accerbitas pararetur : ne quam sibi proximis infructuosam fore patiuntur pœnam . Namque fortitudine animi et constantia fidei et patientia tolerandi infirmiores quosque prouocabant ad imitationem sui . In eadem siquidem custodia habebantur in uinculis detenti circiter quadringentiquadragintaquattuor ui || ri : quos hortabantur hi sancti dei conuerti ad fidem Christi . attestantes non esse aliud nomen sub cælo datum homini : in quo possit quis saluus fieri : Cumque et uerbis et exemplis hæc probarent uera esse : gratia illius operante qui uult omnes homines saluos fieri : et ad agnitionem ueritatis uenire : illi abrenunciantes omnibus operibus et pompis Satanæ : confessi sunt se in unum uerum deum patrem omnipotentem : et in Iesum Christum filium eius unicum dominum et in spiritum sanctum credere . et hæc tria non tres deos sed unum esse : qui solus potens est fideles suos ex omni tribulatione eripere : et saluos in regnum suum cæleste facere . In huius ergo soliditate confessionis magis fundati habiles facti sunt in regno dei : Postquam uero comperit Alexander quod hæc turba Neophita piæ matris Iulitte filiique eius Quirici industria ad tironatum Christi militiæ esset ascripta : nimia peruasus furoris uæsania : omnem illam laudabilem phalanga ad sua præcepit produci tribunalia . Vbi dum starent absque animi mutatione se nihil aliud quam christianos consona uoce esse fatentur . Tunc præses lata sententia iubet eos quantocius plecti capitali pœna . At illi mente alacri signantes se signo Christi certatim suas protendebant ceruices percussori : sicque sæculi huius ærumnis adempti uitam per eum et cum eo et in eo percipientes æternam : pro cuius amore non sunt cunctati mortem subire temporalem . Per acta igitur tam felicis commutatione mercimonii ii sancti negotiatores dei quadringentiquadragintaquattuor uiri obierunt pridie nonas Iunias : similes homini negotiatori quærenti bonas margaritas . Inuenientes enim unam prætiosam margaritam dederunt non solum omnia sua sed et seipsos : et comparauerunt eam : quam etiam iure nunc possidentes hæreditario : eiusque pulchritudinem mundi cordis conspicientes oculo gaudio ob eam gaudent pleno atque perfecto : Effuso autem sanguine sanctorum Christi martyrum cruentus iussit preses pretiosa membra eorum concidi : et ossa ac uiscera dispergi : ut non esset : qui sepeliret : impleta psalmistæ sententia : Posuerunt morticina seruorum tuorum æscas uolatilibus cæli : carnes sanctorum tuorum bestiis terræ . effuderunt san | guinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem : et non erat : qui sepeliret . His igitur martyribus consumatis statim Alexander præses ut leo frendens iubet nouorum arma suppliciorum sibi exhiberi : quæ antea Iulittæ bonæ certatrici eiusque tironculo iusserat præparari : et ipsis singula applicari . Gestiebat denique singulis membris specialia inferre tormenta . At uero illi posteaquam frequenter passionibus suis et cruciatibus glorificauerunt deum : dum de uinculis ad tribunalia et a tribunali reuocantur ad uincula : Inter horrifica et exquisitissima tormentorum genera uicissim sibi succedentia : cum preciosa Christi martyrum membra uariis distenderentur cruciatibus : consolatione semper cælesti a cunctis eruebantur tribulationibus : Quoniam ut ait psalmista : Oculi domini super iustos : et aures eius in preces eorum : Itemque clamauerunt iusti : et dominus exaudiuit eos : et ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos . Perpendens ergo tyrannus sanctos dei in tolerando alacres : in certando insuperabiles : tulit sententiam : capita illorum auelli a ceruicibus : quo factum est ut postquam tot agones martyrii desudauerunt : felices eorum animæ nexibus solutæ corporeis canditatis† sanctorum martyrum sociatæ sunt choris : recipientes a magistro remuneratore suo Iesu benigno singulas immortalitatis suæ stolas : et requiescentes sub altari dei aureo : atque post uelamentum interius positum offerunt ei thimiamata laudis : et quam in priori tabernaculo obtulerunt : illi non hircorum aut uitulorum sanguinem sed corpora sua hostiam uiuentem sanctam deo placentem nunc sacrificant gratissimam iubilationis hostiam : magnæ deuotionis ac desyderii sui præstolantes diem : quo binis gaudeant stolis :

dum corruptibile hoc induerit incorruptibilitatem : mortale hoc immortalitatem : et in terra sua duplicia possideant iuxta propheticam Isaiæ pollicitationem . Aeternæ ergo claritatis amicti stolis palmasque uictoriæ eo : quod diabolum et sæculum in Christo uicerunt tenentes in manibus suis canticum non officio oris : sed summæ dulcedine caritatis dicentes alleluia : Laus et gloria et uirtus deo nostro est : quia uera et iusta iudicia eius sunt . Et iterum || iterumque frequentatur amen . Hæc tua domine uirtutum præclara gratiarum præmia et hæc iucunda gaudiorum mnuera† consyderans psalmista tibi psallit mente deuota . Beati : qui habitant in domo tua domine in sæcula sæculorum laudabunt te . Hanc cunctis felicibus desyderabilem domum tuam domine cælestem dilectus tuus Quiricus non suis uiribus fidens sed in multitudine misericordiæ introiuit : et quia tua largiente gratia innocens extitit : et sine macula quia nesciuit malum : nec dolum egit in lingua sua : ab ea non mouebitur in sæcula : sed ibi in æternum exultans : ubi dies est sine nocte : gaudium sine mærore laus sine defectu gloriatur cum eis : qui diligunt nomen tuum . Nos uero in hac conuallæ lachrimarum inter uarias temptationes positi auxilium domine petimus a te eas superandi : ut qui dedisti nobis legem iusticiæ : des benedictionem tuæ gratiæ : quatinus gradientes felici ascensu de uirtute in uirtutem peruenire ualeamus horum interuentu sanctorum : ut te uidere atque cum eis laudare mereamur in Syon cælesti . Sane interim dum in hoc corruptibili moramur corpore : et peregrinamur a te : meditandum nobis est in uia : quod agendum constet in patria . Sed et pro posse nobis hic partim agendum est : quod illic semper perficiendum erit : ut te benedicamus omni tempore : semper laus tua sit in ore nostro : quæ licet non sit speciosa in ore peccatorum : est tamen uere pulchra in ecclesia sanctorum : quæ tibi semper cantat canticum nouum : ubi sanctus infans Quiricus et eius mater pia Iulitta sanctorum martyrum iuncti choro te laudantes lætantur in æternum : quorum gloriosa nunc recolentes sollemnia : et quæ illis tua contulit gratia prædicantes magnalia : te benedicimus : te glorificamus : o benedicta et gloriosa trinitas unus deus . Oh quam magnus es domine et laudabilis ualde faciens prodigia in cælo et in terra . quam mirabilis es in sanctis tuis : qui sancto infanti Quirico nec dum trium annorum ætatem implenti tantam uirtutem dedisti et fortitudinem : ut per te naturaliter excedens legem a te singulis attributam : hic tantillæ ætatis infantulus et animi sapientia et linguæ facundia : et in sufferenda tormentorum tolerantia tam forti uigeret constantia : et usque | ad finem pro fide et amore tui nominis perseuerantia . Sit nomen tuum deus benedictum in sæcula . Vos quoque sancti et humiles corde cuncti testes Christi fideles usque ad uestri sanguinis effusionem nobiscum benedicite dominum : qui innocentis Quirici collegio martyrum laudabilem decorauit numerum . Supplices etiam exposcimus : ut ipse uester conciuis paruus ætate Quiricus magnus et martyrio inclitus : Cui mirificum diuinæ gratiæ collatum est munus : interueniat pro nobis omnibus apud suum glorificatorem in cælestibus : qui est super omnia deus in sæcula benedictus : cuius gratia cohoperante compleuerunt hi sancti felix martyrium certaminis sextodecimo calendas Iulii tempore Alexandri Imperatoris qui cœpit anno domini ducentesimouigesimoquarto imperauitque annis tredicim . Expleta igitur prout nobis datum est nosse fideli et competenti relatione ammirandæ passionis tuæ o gratiose Christe martyr Quirice huius nostri licet exigui laboris magne quam possimus mercedis uicem rependere : atque cum Iulitta nobili genitrice et candidata omnium sanctorum martyrum societate : pro nobis apud pium dominum intercede : ut nos semper et suæ gratiæ : et uestræ faciat esse participes gloriæ : cui est cum æterno patre deo sanctoque spiritu honor uirtus et imperium per infinita sæcula sæculorum . Quoniam uero sancti Quirici et Iulittæ martyris eius ueneranda passio diuerso quidem relatu sed uero et pari martyrio pene constat esse nota populo christiano : de insuperabili miraculorum suorum profunditate quibus in sæculo disponente deo claruerunt : ueluti quendam riuulum deducens pauca libare curaui : et ad honorem ecclesiæ sacris paginis indagare studui . Annorum igitur multorum excurso tempore post perceptam martyrii coronam sanctus Amator Eutissiodorensis episcopus cum clarissimo uiro Sauino comite fines Antiochiæ peragrans : sacratissima corpora illorum Christi gratia reperit : quæ cum magnæ uenerationis cultura ducens in partes Galliarum attulit : et Autricæ urbi delata : solo tantum pueri brachio sancti Sauini precibus concesso : in domo sua : quia idem præsul meritorum gloria pollens a fide-

libus uenerabatur : iterum honorifice tumulauit . Hunc ergo || inconparabilem thesaurum ideo ciuitas illa promeruit sibi a deo dari multorum sanctorum titulis exornata : ut salus corporum et animarum inde populo suo proueniret .

FINIS

PASSIO SANCTAE RADEGVNDIS VIRGINIS ET MARTYRIS .

Redemptoris nostri adeo diues est largitas : ut in sexu muliebri celebret fortes uictorias : Et corpore fragiliore ipsas reddat fœminas uirtute mentis inclyte·gloriosas : quas habentes nascendo molliciem fecit Christo robustas ex fide : ut quæ uidentur imbecilles : dum coronantur ex meritis : a quo efficiuntur fortes : laudem sui cumulant creatoris : habendo in uasis fictilibus thesauros cæli reconditos : in quorum uisceribus cum suis diuiciis ipse rex habitator est Christus . Quæ morftiicant† se sæculo : despecto terræ consortio : defecato mundi contagio : non confidentes in lubricum : non stantes in lapsum . quærentes uiuere deo : ad gloriam redemptoris sunt copulatæ paradiso : In quo est pariter numero : cuius uitæ præsentis cursum licet sermone tam priuato ferre temptamus in publicum . Et cuius est uita cum Christo memoria : gloria relato celebretur in mundo . Beatissima igitur Radegundis natione barbara de regione thoringa : Auo rege Besino : patruo Hermenfredo : patre Rege Berethario : Quæ quamuis regio de germine celsa nata sit : longe tamen celsior uixit actione : Hæc itaque cum summis parentibus breui commanens tempore tempestate barbarica francorum uictoria regione uastata uice israhelitica exit : et migrat de patria . Tunc inter ipsos uictores cuius esset in præda regalis puella : fit contenio† de captiua : Et nisi reddita fuisset : transacto certamine in se reges arma mouissent : quæ ueniens in sorte præcelsi regis Clotharii . in Veromande adducta ad Teias uillam regiam nutriendi causa | Custodibus deputata est Puella nata laboribus : quæ conueniunt sexui : inter opera reliqua fit barbaris litterata frequenter loquens : cum paruulis : si conferret sors temporis : martyr fieri cupiens . Indicabat adolescens iam tum merita senectutis : obtinens pro parte : quæ peciit . Denique cum esset in pace florens ecclesia : ipsa est a domesticis persequutionem perpessa : iam tunc id agens infantula : quidquid sibi remansisset in mensa . collectis aliis paruulis lauans capita singulis compositis sellulis . porrigens aquam manibus : ipsa inferebat infantulis . Hoc etiam præmeditans cum Samuele paruulo clerico facta cruce lignea præcedentem . subsequens psallendo ad oratorium grauitate matura simul paruuli properabant . Ipsa tamen cum sua ueste pauimentum mundans : circa altare uero sudario iacentem puluerem coligens foras recondebat : Qua præparatis expensis uictoria : quo uoluisset eam prædictus rex accipere per Beralchamadadum : Teias nocte cum paucis elapsa est . Deinde sessiones cum eam direxisset : ut reginam erigeret : euitans pompam regalem fugit : ne sæculo erescerct† . Sed cui debebatur et cælestis et humana gloria non mutatur . Nubit ergo terreno principi : nec tamen seperatur a cælesti : ac dum sibi accessisset secularis potestas magis quam permitteret dignitas : plus inclinauit uoluntas : subdita semper deo secreta monita sacerdotum plus participata Christo quam sociata ieiunio . Temptemus itaque patefacere de multis pauca quæ gesserit . Iuncta principi timens ne ideo declinaret : cum mundi gradu proficeret : suas tum facultates eleimosynis dedicauit . Nam cum sibi aliquid de tributis accederet : ex omnibus quæ uenissent ante dedit decimas : quam recepit . deinde quod super erat : monasteriis dispensabat : Et quo ire pede non poterat missa munera erogabat . Ad cuius munificentiam nec ipse se abscondere potuit heremita . Sic ne premeretur a sarcina : quod acceperat erogabat : apud quam nec egeni uox inaniter sonuit nec ipsa surda præteriit . Sæpe donans indumenta : credens sub inopis ueste Christi membra se tegere . Hoc se putans perdere quidquid in pauperes non dedisset . adhuc animo tendens ad opus mi || sericordiæ ad Teias domum instruit . Quo lectis occultis compositis et congregatis egenis fœminas ipsa lauans in thermis morborumque curans putredines et uirorum capita diluens . quos antea lauerat sua manu miscebat Et fessos de sudore sumpta potio recentaret . sic deuota fœmina nata et nupta regina

palatii domina pauperibus seruiebat ancilla . In mensa uero subocculte ne cognosceretur ab aliquo ante se posito . cum legumine ferculo inter epulas regum more trium puerorum faba uel lenticula delectabiliter uescebatur . decantando uero cum sederet in prandio : excusans se regi : aliquo casu ut deo redderet debitum : se subducebat a conuiuio : Quo egressa domino psalleret : et curiose requireret : quali cibo pauperes refecisset . Item nocturno tempore cum declinaret cum principe rogans se pro humana necessitate consurgere : egressaque a cubiculo tam ante secretum orationi incumbebat iactato cylicio : ut solo calens spiritu iaceret gelu penetrata tota carne præmortua . Non curans corporis tormentum mens intenta paradiso . leuia reputans quæ ferret tantum ne Christo uilesceret . Inde regressa cubiculo uix tepefieri poterat uel lectulo : De qua a rege dicebatur : se habere potuis† iugalem monacham quam reginam : Vnde et ipse irritatus pro bonis erat asperrimus : Sed illa pro parte luens pro parte tolerabat modeste rixas illatas a coniuge . diebus uero quadragesime satis est scire : qualiter se redegit inter uestes regias singulariter pœnitentem . Igitur apropinquante ieiunii tempore mittens ad religiosam Piam nomine monacham : Cui sancto proposito illa dirigebat uenerantur in linteo singullatim cylicium : quod sancta induens ad corpus pet† totam quadragesimam subtus uestem regiam dulci portabat in sarcina . Transactis autem diebus similiter singullatim retransmittebat cylicio . Sin autem rex deesset : quis credat : qualiter se tanquam præsentis Christi pedibus alligaret : quasi repleta deliciis ? Si longo ieiunio satiaretur in lachrymis : Cui despectis uentris edulio Cristi illi tota refectio : et tota fames erat in Christo . Illud qua pietate peragebat sollicite : ut quæ per oratoria uel loca uenerabilia tota perlucerent : candelas | suis manibus factas iugiter ministraret : Pro quarum mora serotina dum sibi nunciaretur tarde : quod se ad mensam rex quereret : rixas habebat a coniuge . Ita ut uicibus princeps per munera satisfaceret : quod ei per linguam peccasset : Ad cuius opinionem si quis seruorum dei uisus fuisset : uel per se uel euocatus occurrere : uideres illam cælestem habere læticiam : et hora noctis decursa cum paucis pergens et intimis per niuem : lutum uel puluerem aqua calida parata ipsa lauabat : et tergebat ueneranda uestigia : nec resistente seruo dei et propinquabat in patera . Sequenti die curam domus committens creditariis : ipsa se totam occupabat circa uiri iusta uerba circa salutis instituta : circa despiciendi mundi delicias . Cælesti commercio retentabatur per dies : et si uenisset uel pontifex : quos uidens lætificata remuneratos relaxabat . ipsa tristis ad propria . Illud quoque quam prudenter pro sua salute uidebat impendere : quotienscunque forte nouum linteum auro uel gemmis ornatum more uestiebat de barbarico . a circumstantibus puellis si laudaretur pulcherrimum indignam adiudicans tali componi linteolo : mox exuens se uestimento dirigebat loco sancto : quisquis esset in proximo : Et pro palla ponebatur diuino semper altario . Qualiter uero si quis pro culpa carnali ut assolet a rege deputabatur interfici . Sanctissima regina mouebatur cruciatu : ne designatus reus moreretur in gladio . Qualiter conuersabatur per domesticos fideles seruientes et proceres : quibus blandimentis mulcebat animum principis : donec in ipsa regis ira unde processerat sors mortis : inde concurreret uox salutis . His igitur beatis actibus occupatam in tantum prouexit diuina clementia : Vt etiam adhuc in palatio laicam domino largiente declararent miracula . Denique in Perrona uilla sumpto prandio dum ambularet per hortum sanctissima rei retrusi pro crimine succurrere sibi : perclamabant uociferantes de carcere . Ipsa quid esset interrogabat : Mentiuntur ministi† : quod mendicorum turba quæreret eleimosynam : Credens hoc illa transmitit : quod indigebat inopia . Interea a iudice compelluntur tacere : Cum uero nox superuenisset : dum sibi cursum diceret : fractis || uinculis soluti occurrunt sanctæ de carcere : quo cognito reos se uiderunt qui beatæ mentiti sunt : dum qui ræi fuerant : de cathenis soluti sunt : Et quod frequenter aliqua occasione diuinitate prosperante casus ceditur ad salutem . Vt hæc religiosius uiueret : frater interficitur innocenter . Directa igitur a rege ueniens ad beatum Medardum episcopum : supplicat instanter : ut ipsam mutata ueste domino consecraret : Sed memor dicentis apostoli : si qua ligata sit coniugi : non quærat dissolui : differebat reginam : ne ueste tegeret monacham . Adhuc beatum uirum perturbabant proceres : et per basilicam grauiter ab altari trahebant : ne uelaret regi coniunctam : ne uideretur : ut sacerdos præsumeret principi subducere reginam : quo sanctissima cognito intrans secretarium monachæ uestem induitur procedit ad

altare : ac beatissimum Medardum his uerbis alloquitur : si me consecrare distuleris : et plus hominem quam deum timueris : de manu tua pastor ouis requiretur : quo ille contestationis concussus tonitruo : manu superposita consecrauit diaconissam . Mox indumentum nobile : quo celeberrima die solebat pompa commitante regina procedere : exuta ponit in altare : et oblatis gemmis et ornamentis mensam diuinæ gloriæ onerat per honorem . Cingulum auri ponderatum fractum dat opus in pauperum . Similiter accedens ad cellam sancti Iumeris die uno quo se ornabat felix regina : composito : sermone ut loquar barbarico : stapione : camisias manicas cofias fibulas cuncta auro quædam gennus† exornata . per circulum sibi pro futura sancto tradidit altari . Inde procedens ad cellam uenerabilis Daddonis die quo debuit ornari præstanter in sæculo : quidquid induere poterat censu diuite fœmina : abbate remunerato : totum dedit cœnobio Aequiter gundulfi : post facti mitis episcopi progressa receptaculo non minori labore nobilitauit inergium . Hinc felici nauigio turonis appulsa : quæ suppleat eloquentia quam officiosam quam se monstrauit munificam ? Quid egerit circa sancti Martini atria : templa : Basilicam : flæns lachrymis insatiata singula iacens per limina ubi missa reuocata uestibus et ornamento quæ se clario | re cultu solebat ferre palatio : sacro componit altari . Hinc dum in uico Condade quo gloriosus uir Martinus et Christi satis intimus senator migrauit de :† sæculo ancilla domini peruenisset : dedit non inferiora domini crescens in gratia . Hinc cum in uilla Suedas pictauo territorio iuxta prædictum uicum decenter accederet : itinere prosperante qualem se gessit per singula : quis enumeraret infinita ? quod immensum sub fladone seclatio pane absconse uel ordeatio manducabat occulte : sic ut nemo id perciperet . Nam ex illo tempore quo beato Medardo consecrante uelata est : usque ad infirmitatem præter legumen et olera . non pomum non piscem : non ouum uel aliquid aliud edit : potum uero præter aquam mulsam atque pyratium non bibit : non uini puritatem : aut mellis decoctionem ceruisiæque turbinem . Tum more sansti† Germani iubet sibi molam secretissime deferri : ad quam tota quadragesima in quantum quatriduana refectio postulauit sua manu commoluit : Oblationes etiam suis manibus faciens locis uenerabilibus incessabiliter dispensauit . Ergo apud sanctam non minus erat usus misericordiæ : quam erat concursus plebis : Nec deessent : qui peterent : nec deficeret : qui donaret : mirandum : ut omnibus satisfaceret . Vnde thesauri tot exuli ? Vnde tot diuitiæ peregrinæ ? Quantum expendebat diuturna redemptio . quo sola sciebat : quæ petentibus deportabat . Nam præter quottidianam mensam qua refouebat matriculam duobus semper diebus : sabbato : et quinta feria duabus uicibus balneo parato ipsa succincta de sabano capita lauans egenorum defricans quid erat : crustam scabiem tineam nec purulenta fastidiens : Interdum et uermes extraens : purgansque cutis putredines singullatim capita pectebat ipsa : quæ lauerat : hulcera uero cicatricum quæ cutis laxa detexerat aut ungues erasperauerant : more euangelico oleo super fuso mulcebat morbi contagium . Mulierum uero descendentium intima ipsa cum sapone a capite usque ad plantas membra singula diluebat . Egredientibus exinde si cui ueterata indumenta conspiceret : tollens rara noua reddens ante pannosos faciebat uenire cultos ad prandium : quibus congregatis mini || sterio parato ipsa aquam siue mappam singulis porrigebat : et inualidis ipsa pariter os et manus tergebat . Hinc tribus ferculis illatis farcitis deliciis stans ante prandentes ieiuna præsens conuiuiis ipsa incidebat panem carnemque et quidquid apponeret . Languidis et cæcis non cessabat ipsa cocleari porrigere . Hoc præsentibus duabus : sed sola seruiente : ut noua Martha satageret : donec potulenti fratres læti feruerent conuiuiis . Tunc illa remouens se loco : ut ablueret manus iam bene culto conuiuio tota gratificabatur . Si quid audiret de fremitu . Iubebat tamen : ut sederent : donec uellent surgere : Venerabile uero omni die dominico hoc habebat in canone uel æstate uel hyeme : ut pauperibus collectis primum merum de sua manu dulce porrigeret : Puellæ postea committens omnibus illa propinaret : quia ipsa festinabat orationi concurrere : quo et cursum consumaret : et sacerdotibus ad mensam occurreret : quos adhuc regali more ad propria cum redirent sine munere non laxaret . Hanc quoque rem intermescendam† qua peragebat dulcedine : cum leprosi uenientes : signo facto se proderent : iubebat adminiculæ : ut inde uel quot essent : pia cura requireret : qua sibi renunciante parata mensa missorum : cocleares : cultellos : cannas : potum et calices schola subsequente : intromittebantur furtim : quo se nemo perciperet . Ipsa tamen mulieres

uariis sæpe maculis compræhendens amplexu osculabatur : et uultus toto diligens animo . Deinde posita mensa afferens aquam calidam facies lauabat manus ungues et hulcera : et rursus ministrabat ipsa pascens per singula . Recedentibus præferebat auri uel uestimenti uix una teste munuscula . Ministra tamen præsumebat : et sub blandimentis sic appelare sanctissimam : Domina : quis te osculetur : quæ sic leprosos amplecteris . Illa respondit beniuole : Vere si me non osculeris : hinc mihi cura nulla est : quo tamen præstante deo diuerso fulsit miraculo . Denique si quis postule desperaret de uulnere offerebat ministra sanctæ folium Pampini . mentiens sibi opus hoc esse : sic iux† obtento signaculo portans ad desperatum uulneri superposito : mox occurrebat remedium . | Item frigoreticus : qui uenisset aut languidus dicens in somnis se iudisse† : Vt pro sua salute fœminæ sanctæ occurreret : offerens candelam alicui de ministris : qua incensa per noctem morbus accipiebat mortem : morbidus sanitatem : Quotiens autem cognouisset decubantem in lectulo portans poma peregrina dulce simul : et calidum reficiebat ægrotum : et qui nec decimo iam die : quid percepisset cibaria : ipsa mox administrante : languidus accipiebat cibum pariter et salutem : quod· tamen ipsa impetrabat : ne quis profereret† in fabula . Quanta uero congressio popularis extitit : die qua se sancta deliberauit reclaudere : ut quos platee non caperent ascendentes tecta complerent . Quid autem sanctissima ieiunii : obsequii : humilitatis : caritatis : laboris et cruciatus feruenter idepta† sit : si quis cuncta percurreret : ipsam prædicaret tam confessorem quam martyrem : ergo uenerabili præter diem dominicum : fuit sacratissimæ omnis dies ieiunium : Lenticula uel olus prope ieiunia refectio . Non autem piscem uel pomum nec ouum habens edulium . Panis uero deliciarum segale fuit aut ordeum : quem absconse sub fladone sumebat : ne quis perciperet . Hæc fuit etiam potio : aqua mulsa pyratio sed modice libata sitibunda potatio : Prima quoque quadragesima qua se reclausit in cellula : donec fuisset transacta : panis non sumpsit cibaria : nisi dominico die tantum : radices herbarum aut olera ex malua sine olei gutta et sine sale composita . Verum aqua toto ieiunio : nec sumens duo sextaria . Hinc tanta siti laborabat : ut faucibus desiccatis uix psalmum diceret arida : Cylicium etiam habens ad corpus pro linteo . iugiter cursum decantans peragebat uigilias . ante se cinerem stratum siperiecto† Cylicio utebatur pro lectulo . Ipsa requies fatigabat cum in parum uidebatur hoc substinere corpusculum : adhuc monacharum omnibus soporantibus calciamenta tergens : et ungens transmittebat per singulas . Aliis quadragesimis aliquid relaxatius quinta feria sumebat deinde die dominico . Nam et reliquo tempore præter dies paschales ac summæ festiuitatis donec infirmitas permisit in cinere et cylicio semper uitam duxit austeram . Prius se lauans† : ut psalleret quam congregatio || surrexisset . Nam de officiis monasterialibus nihil sibi placuit : nisi prima seruiret : et ipsa se castigabat : si bonum post alteram . Ergo suis uicibus scopaus† monasterii plateas : et angulos : quidquid erat fædum purgans : et ante sarcinas : quod aliis horret uidere non abhorrebat euehere . secretum etiam purgare opus non tardans : sed occupans fætens fætoribus stercoris credebat se minorem sibi : si se non nobilitaret uilitate seruitii . Ligna supportans brachiis : focum flatibus : furcibusque ammonens . cadens : nec læsa retrahens : extra suam ebdomada infirmantibus seruiens : ipsa cibos decoquens . ægrotis abluens . ipsa calidum porrigens uisitabat : quos fouebat . ieiuna e cellula . Illud quoque quis explicet : quanto feruore excitata : ad coquinam concursitabat suam faciens septemanam† . Denique nullam monacharum nisi de postitio quantum ligna horis opus erat sola ferebat in sarcina : Aquam de puteo trahebat : et dispensabat per uascula . olus purgans . legumen lauans . Flatu focum uiuificans : et ut decoqueret escas satagebat exæstuans . Vasa de focis ipsa leuans . discos lauans : et inferens . Hinc consumatis conuiuiis . ipsa uascula diluuens† purgans nitide coquinam . quidquid erat lutulentum ferebat . una purgamina : Inde per ægrotantes inferens ibat non trepida : et priusquam exciperet arelatensem regulam hebdomadæ transacta sufficienter ad omnes calidam faciebat humilitatem sanctissima pedes lauans : et adhuc omnes prostrata præcabatur ueniam negligentia pro commissa . Itaque post tot labores quas sibi pœnas intulerit : et ipse qui uoce refert perhorrescit . Quadam uice dum sibi latos tres circulos ferreos diebus quadragesimæ collo uel brachiis nexuit : et tres cathenas inferens circa corpus dum alligasset : astricte inclusit durum ferrum . Caro tenera supercrescens transacto ieiunio : cum uoluisset cathenas sub cute clausas extrahere nec ualebat caro per dor-

sum : atque pectus super ferrum cathenarum est incisa per circulum : nec sanguis fusus ad extremum exinaniret corpusculum . Item uicem sub altera iussit fieri laminam in signo Christi ex oricalco : Quam accensam in cellula locis duobus corporibus altius si | bi impressit : tota carne decocta . Sic spiritu flammante membra faciebat ardere . Adhuc aliquid grauius in se ipsa tortor excogitans . Vna quadragesimarum semper austerum ieiunium et sitis torridæ cruciatum adhuc lima cylicii membra tenera : setis asperis dissipante iubet portare aquimanile ardentibus plenum carbonibus . Hinc descendentibus reliquis membris trepidantibus animus armatur ad pœnam . Tractans : quia non essent persecutionis tempora a se ut fieret martyr . Inter hæc ut refrigeraret : tanquam feruentem animam incendere corpus deliberat . Apponitur cera candens stridunt creantia . cutis consumitur : et intima quo attigit ardor fit fossa . Tacens tegit foramina sed putrescentia . Riuus sanguinis pandit : quod uox non prodebat in pœna . sic fœmina pro Christi nomine dulcedine tot amara libenter excepit . Hinc actum est : ut quod ipsa addiderit hoc miracula non tacerent . Itaque matrona Gislardi proceris nomine Bella . Sed longa cæcitate miserrima rogauit se de Francia pictauis ad sanctæ deuotæ afferri præsentiam : quam licet tarde exhortata sibi occurrit per tetræ noctis silentia prostrata : cuius ad genua ut dignaretur occulos eius signare : uix impetrat : quæ mox ut in nomine Christi signum crucis expressit : cæcitas fugit . lux redit : et nocturno sub tempore orbe diu dies illuxit : ita ut tracta cum uenisset : nullo ducente recederet . Ita puella Fraifredis inimico instigante dum torqueretur : tam nequiter : suberat inter manus sanctæ : nec data dillatione curari promeruit : Nec illud prætereat tempus beatæ : quod præstitit fœmina quadam dum uexaretur in rure ab aduersario grauiter : sequenti die sancta orante noua Christi curatione in scapula crepante cute : ut uerme foras exeunte sana est reddita . Publice et ipsum uermem calcans pede liberatam se retulit . Illud quod gessit in secreto : proferatur in populo . Monacha quædam toto animo in die gelida frigore per noctem cremata igni . se nec membris nec gressibus mouens : cum iaceret exanimis : sanctæ de eius infirmitate soror altera nunciauit : Et quia permaius esset : tepidam fieri præcepit : ipsam ægrotam ad se fecit ancillam deportari : et in tepidam || deponi . Hinc iubet omnes remoueri remanente tantum sola simul ægrota cum medica fere per horas duas quantum est corporis forma a capite usque ad plantam infirmæ membra combaiulat : Dehinc quod manus attingebat : fugiebat dolor de languida : quam duæ deposuerant . exiit salubris de tepida : Quæ uinum nec odorabat accipit . bibit : et reficitur : Quid plura sequenti die cum iam spectaretur migrare de sæculo : salua processit in publicum . Addatur laudi : quod non deperiit meriti . Mulier quædam dum inimici inuasione grauiter laboraret : et uix ad sanctam potuissent hostem rebellem adducere : imperat aduersario : ut se suo cum timore in pauimento prosterneret . Mox ad beatæ sermonem in terram se deiiciens : qui timebatur extimuit : Cui sancta plena fide cum calcasset in ceruicem fluxu uentris egressus est : Est et in rebus minimis magna gloria peccatoris . Ergo casu dum glomus quem sancta filauerat penderet de camera : mus ueniens : ut tangeret : antequam filum incideret mortuus in morsu pependit : Inseratur operi res tam digna miraculo . Floreius quidam nomine homo eiusdem pro piscatione dum in mare satageret ob ortum uentorum in turbinem fluctuum surgente mole : nec tam nauta sentinantæ quam unda super uergente : cum nauis plena submergeretur : in extremitate clamat sancta Radegundis : dum tibi obedimus : non subdamur naufragio : sed obtine apud deum : ut liberemur de pelago : quo dicto mox fugata nube : reddita serenitate : unda cadente prora surrexit . Goda puella sæcularis post deo monacha seruiens dum longo sub tempore lecto flæbilis decubaret : Et impenso multo medicamine plus langueret : facta candela ad mensuram suæ staturæ : domino miserante in nomine sanctæ fœminæ : qua hora superaret frigus : lumen accendit : et tenuit : cuius beneficio ante fugata sunt frigora : quam esset candella consumpta : si propter breuitatem multa prætermittimus plus peccamus . Carpentarii cuiusdam uxor : dum plurimis diebus inergumino torqueretur : uenerabilis eius abbatissa iocule iter dixit ad sanctam : Crede mater excommunico te : si intra hoc triduum mulier hæc ab hoste purgata non | redditur . Dixit plane . Fecit sancta mulier occulte : reficiendi tempore pœnitentem : quod ne moreretur : quid actum . Altera die sancta præcante aduersarius rugiens per auremque egrediens in uasculum deserit . Mulier cum marito sospes redit hospicio : Nec illud præterea-

tur : quod est actum simillimum . Rogat beatissima de loco suo euelli laurum arborem ualidam et ad suam cellulam pro iucunditate transferri : quo facto transplantata non adhærente radice fit tota foliis arida : cui abbatissa ioculariter imputat : nisi exoraret : ut arbor terræ adhæreret : se cibo suspenderet : Quod non inaniter dictum est . Nam sancta intercedente : foliis . ramis . radice . laurus siccata reuiruit . De monachabus quædam sibi familiaris : cuius ex humorem sanguis contexerat oculum appræhensa herba absintii : quam sancta circa pectus : ut refrigeraret hubera : cum super oculum posuit : dolor et cruciatus mox effugit : Et de uiriditate hærbæ puritas lucis emicuit . Reuocetur memoriæ quod tacitum pene præteriit . Anderedus agens eiusdem beatissimæ cum sibi filii nascerentur : quos ut uideret : mox perderet : exanimem infantulum lachrimosi parentes iactant in sanctæ cylicium : qui saluberrimam uestem mox panni nobilis ut attigit : ad officium uitale redit infans de funere : Erubens leuatur de pallio pallor uicinus ad tumulum . Quis numeret mirabilia : quæ Christi misericordis operatur clæmentia? Animia monacha dum tantum hydropis morbo tumefacta teneretur : ut salus esset in ultimo : et deputatæ sorores spectarent : quo momento exhallaret spiritum : uisa est illi per soporem cum ueneranda abbatissa beata Radegundis in balneo sine liquore nudam iubere descendere . Deinde manu beatæ uisa est oleum ægrotæ super caput effundere : et noua ueste contegere : quo peracto ministerio euigilanti de sopore morbi nihil apparuit : ita ut nec subsudasset : et intus aqua consumpta sit : quo nouo sub miraculo non reliquit in utero nec mors nec morbus uestigium . Nam quæ credebatur defferri præceps :† ad tumulum leuata ad cursum :† de lectulo ut olei testimonio odor inesset capiti : et uentri nulla pernicies . Proferatur in medio quo gratuletur religio : Ali || quando obumbrante iam noctis crepusculo inter corollas et cytharas : dum circa monasterium a sæcularibus multo fremitu cantaretur : et sancta duabus perorasset horis diutius : Dicit quædam monacha sermo ioculari : Domina recognoui unam de meis canticis a saltantibus prædicari : Cui respondit : Grande est si te delectat coniunctam religioni audire odorem sæculi . Adhuc soror pronunciat : Vere domina : duas et tres hic modo meas canticas audiui : quas tenui . sancta respondit : teste deo me nihil audisse modo : de sæculari cantico . Vnde manifestum est : ut carne licet in sæculo mente tamen esset in in† cælo : prædicetur in laude Christi more beati Martini tempore præsenti antiqui norma miraculi : cum beatissima fœmina reclusa esset in cellula : audiuit flætum de monacha : et signo tacto ueniente quid illud esset interrogat : quæ mortuam sororem nuntiauit infantulam : Condolens sancta tunc imperat : ut cadauer suam deferrent in cellulam : quo sibi deportato excepit manu propria . Reclusa post se mox ianua : iubet longe discendere : ne quis sentiret : quid ageret : Sed quod occulte gessit : celare diu non potuit . Inter hæc dum de funere exequiæ præparantur : fere per horas septem mortuum tractat corpusculum . Sed Christo uidente fidem negare non potuit . reddita prorsus salute surgit hæc ab oratione . resurgit illa de funere : et se tunc subleuat uetula : cum reuixisset infantula : Quam tacto iterum signo lætificata reddidit uiuam quam flæns acceperat mortuam . Commemoretur : et illud nobile factum per somnium . Tribunus fixi cognomento Demolemus qua die sanctissima migrauit de sæculo : dum grauiter suffocationis totus langore deficeret : Videbatur ipsi : quod sancta in uico eius dignabiliter accessisset . Currit . salutat . interrogat : quid beata requireret : Tunc ipsa dicit : quod ad eum illuc uidendum peruenerit : et quia uotum plebis erat ut beati Martini oratorium conderent : apprehendit tribuni manum beatissima dicens : hoc loco sunt confessoris uenerandæ reliquiæ : Pro hoc ædificate templum : quod sibi ducat dignissimum : Quale dei mysterium in quantum sancta designauit . postea tantum fundamentum et pauimentum repertum est : quo basilica facta est : Adhuc in ipso sopore ma | num trahit per fauces eius : et gulam diu deliniens insuper et dicens : Veni : ut ibi melior a deo sanitas conferatur : ut uidebatur . sic rogaui per meam uitam : ut propter me relaxes illos : quos habes in carcere : Euigilans tribunus refert quod uiderat coniugi dicens : uere credo : quod hac hora exiit sancta de sæculo . Dirigit ad ciuitatem : ut de hoc uera cognosceret . transmittit ad carcerem : qui sæpe reos ibi retentos ad motem† relaxet : Redeunte transmisso : refert ea hora migrasse iustam de sæculo : et triplici mysterio carcere relaxato et tribuno sano reddito : ædificatoque templo sanctæ probauit oraculum . Sed de beate uirtutibus sufficiat exiguitas : ne fastidiatur libertas . Nec reputetur

breuissimum : ubi de paucis agnoscitur in miraculis amplitudo : Quæ pietate paricitate† : dilectione : dulcedine : humilitate : honestate : fide : feruore : sic uixit : ut ipsam post obitum gloriosi transitus mirabilia prosequantur .

PASSIO SANCTAE REGINAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Sub Olibrio passa est sancta uirgo Regina Clæmentis cuiusdam gentilis unica filia : quæ cum esset annorum quindecim audiens sanctorum certamina : totam spem habebat in domino . Transiens autem Olibrius de Massilla in Alexiam ciuitatem sedensque deinde in curriculo suo et uidens eam speciosam nimis : iussit eam depræhendi concupiscentia eius illectus . At illa oratione præmissa : conspectui eius præsentata genus et nomen ac professionem interrogata dixit se esse ingenuam nomine Reginam sanctæ trinitatis cultricem : cui præfectus dixit : Ergo obtines nomen gallilæi illius uel nazarei ? Regina dixit : etiam obtineo : si digna sum : et inuocetur dominus meus Christus super me : et obumbret : et protegat uelut suam ancillam . Tunc iussit impius Præfectus custodiri eam : usque dum uenerit ad ciuitatem : et præcepit eam reduci in carcerem : usque dum immolaret : et sic publice audiret .† eam . Ingressus autem ciuitatem Alesiam diis suis immolauit . et sedens pro tribunali puellam adduci iussit : Vidensque pulchritudinem eius dissolutus est eius spiritus super eam uæhemen || ter : et dixit ei : Cognosce deos o iuuencula : quia misereor pulchritudini et teneritudini tuæ : et multas pecunias habebis a me : et bene tibi erit præ cunctis puellis . Alioquin plagas et pœnas pessimas sustinebis : et corpus tuum tenerum gladii et ignes fortiores consument : quæ cum interrita constanter in confessione Christi permaneret : iussit eam expoliari : et in æquuleum assumi : subtilibusque uirgis cædi . At illa in æquuleo extensa : dolorem non sentiebat : sed respiciens in cælum dicebat . In te domine speraui non confundar iu† æternum : Cumque cæderetur : membra eius tenera uirge graciles incidebant : et sanguis multqs† decurrebat : ita ut astantes flærent amarissime super eam : et dicebant ei quidam : O qualem decorem perdis propter incredulitatem . consenti : et sacrifica : ut possis euadere tormenta . Regina dixit : O mali consiliarii O consilia malarum cogitationum non consentio : non sacrifico . Christum Iesum qui me confortat habeo . Iratus præfectus iussit eam exungulari : et a carnificibus lacerari : Qui ita latera eius exunguulabant : ut etiam impius et crudelis præfectus de chlamyde sibi faciem cooperiret : et auerteret se . Similiter et astantes lachrimabantur uidentes carnes eius exterminatas . Dixit autem præfectus : quid est o Regina : quod neque tu tibi potes misereri ? Ecce caro tua exterminata est : et membra inutilia facta sunt . Consenti mihi : et sacrifica . Impossibile est te sine tormentis transire : si mihi non obedieris : quæ cum eius uerba despiceret : eumque insipientem et infelicem uocaret : iussit eam deponi : et in carcerem duci : ubi cum orasset subito columba apparuit : et crux in cælum erecta est usque ad locum : ubi puella stabat : et columba stans super crucem dicebat : Aue Regina unguentum suauitatis per orationem referens . parata et enim est tibi corona gloriæ . apertus est tibi paradisus : et eris requiescens cum patribus tuis . Tunc illa glorificauit deum . Mane autem iudici præsentata cum nollet ei consentire : iussa est expoliari : et in æquuleum suspendi : ac lampades eius lateribus applicari . illa autem leuans oculos in cælum dicebat : Transiui per ignem et aquam et eduxisti me in refrigerium . Tunc iussit præfectus afferri uas quoddam magnum : et impleri aqua : et deponi eam de ligno : alligarique ma | nus eius et pedes : et mitti in illud : ut suffocaretur in aqua . At illa orabat dicens : Domine disrumpe uincula mea : ut tibi sacrificem hostiam laudis . Fiat mihi hæc aqua etiam aqua suauitatis . fiat mihi hæc suffocatio illuminatio salutis . Et postquam orauit : miserunt illam in uas aqua plenum : Et ecce terræmotus factus est magnus et cælo columba descendens habebat in ore coronam : et disrupta sunt uincula beatæ Reginæ : ascenditque de aqua laudans : et benedicens deum : et dicens : Dominus regnauit decorem indutus est . Illuminasti me domine Iesu Christe : et saluasti misertus unicæ puellæ : qui es benedictus antæ sæcula : Et facta est uox columbæ dicens : Veni Regina in requiem Christi beata es : quæ hanc coronam meruisti . Tunc crediderunt in dominum animæ octoginta-

quinque uirorum et mulierum . Iratus ergo Olibrius fecit eam decollari . Huius passio recolitur septimo idus septembris : cuius animam cunctis uidentibus angeli tulerunt in cælum cum laudibus .

DEPOSITIO SANCTI REMIGII EPISCOPI .

Remigii antistitis depositio nobis in præsentia diem mystice festum sollemnitatis exhibuit : Enim uero primus ortus natalibus parentum nobilitate fulgebat : quem diuina pietas non solum priusquam nasceretur : sed antequam conciperetur elegit : adeo ut montanus quidam monachus dum leuissimo sopore quiesceret : tertia fuisset ammonitione pulsatus : uti matri suæ benedictæ Chilimæ masculum conceptura esset ueridica relatione prædiceret : nomenque eius uel meritum designaret : cui illico paruit : et facundissimæ† genitrici concepturæ sobolis gaudia nunciauit . illa uero sicut fidei credulitatis non apparuit dubia : ita suscepit in partu : quem præscierat in utero . Non ut morosa extitit uel incerta : felicissimum pignus secura protinus edidit : quod prius corde concepit : in quo assiduæ uenturæ ætatis merita dulcis infantia designabat : et quod ante conceptum mater agnouerat : ante tempora iam uidebat . Studebat teneros annos morum maturitate uincere : et beniuolentiam cordis caritatis melle condi || ne† . Quid plura ? Cum secundis successibus certatim sanctæ conuersationis studiis adolescens polleret : uicesimisecundi anni iustus sumpsit exordium . In hac urbe remorum omnium generaliter uotis ad pontificii culmen raptus fuisse dignoscitur potius quam electus : in quo statim sic apparuit aptus et deuotus officio : ac si quippiam nouiter acciderat : iugiter præfuisset . Fuit itaque in eleimosynis largus : in uigiliis sedulus : in oratione deuotus : in caritate perfectus : in humilitate perfusus : in doctrina præcipuus : in sermone paratus : in conuersatione sanctissimus . Nunquam in eo inuenit humani generis aduersarius nec quod fraude deciperet : nec quod simulatione fuscaret . Sinceritatem mentis uultus serenitate monstrabat : et pietatem clæmentissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis . Quidquid ad salutem pertinere possit æternam : non minus implebat beatissimi operis studio : quam prædicatione docebat . Longum est itaque uerbis exigere : ne irrogemus audientibus de nimia prolixitate fastidium : quantum in eum ornamenta bonorum omnium : quæ sunt uel preciosa uel maxima supernæ remunerationis prerogatiua contulerit . Studeamus ergo pauca diserere : plurima præterire . Nam si tanta uirtutum suarum insignia dicere cœperimus : aut ariditas nostri sermonis non possit excollere : aut memoria retinere : prius habere poterit terminum lux hodierna quam pagina . Intendebat uero beatus Remigius iactantiam uirtutis fugere : in quo non poterat gratia celsa latere . Cum enim contigisset habere inter domesticos suos secretius conuiuium : et delectaretur in libertate carorum : descendebant intrepidi passeres : et in manu eius mense reliquias colligebant . discedebant alii saturi : accedebant alii saturandi . Sic mansuescebat feritas auium in operatione uirtutum . Accidit autem quodam tempore : cum ex more pastorali sollertia parochiam circuiret : ut si negligenter aliquid in diuinis cultibus ageretur : fidelis Christi seruus agnosceret . Ad uicum si quidem cui uocabulum est Calmatiaco : ipse deuotionis studio accessit : Vbi dum quidam cæcus ab eo opem misericordiæ postularet : quia dudum captus fuerat infestatione dæmonii : cœpit corpus uexatione torqueri . Tunc se sanctus Remigius in orati | one : qua semper anima sancta intentione uacabat : corporea sedulitate prostrauit : Raptimque lumen pristinum reddidit occulis : et pestem immundi spiritus effugauit . O ineffabilis gratia pietatis a quo dum sola substantia petitur : triplex remedium obtinetur . Victu pauit egenum . remunerauit uisu cæcatum . reddidit libertatem captiuo : atque ita contigit per hoc insigne mysterium : ut dum apparuit unus in paupere . trinitas se ostenderet in salutem : sicut semper humani generis aduersarius suam non desistit ostendere nocendi uirtute potentiam . Ciuitatem Remorum eodem tempore surgentibus subito flammarum globis oborta nimium uastatione succenderat . Etiam fere partem tertiam fauillis extantibus concrematio peracta consumpserat : et quod residuum erax uictrix flamma lambebat . Tunc cum ea res ad beatissimi Remigii antistitis peruenisset auditum : illico uelut athleta ad ruinam urbis celeri uelocitate percucurrit : atque igni se

obuium impleta oratione monstrauit . Fracta uel concisa populo teste in se uastatio reducitur incendii : et per patentem portam admodum fugiens discessit : ut omnibus monstraretur : quod uir dei plenus fide plus igne ualuit : qui sæuitiam tantæ indignationis euicit et extinxit meritis . Quædam uero puella ad urbe Todosa† præclaris orta natalibus ab adolescente infantia uæsani spiritus tenebatur obsidione captiua : quam cum tenero amore diligerent piissimi genitores : ad sancti Petri sepulchrum ad romanam urbem cum hominum multitudine et multa deuotione duxerunt . Ibi quidam dei seruus cum auxilio corporis sacri plurima impleret signa uirtutum : Hanc tamen puellam cum nulla potuisset intercessione purgare : nec ab ipsa callidi dæmonis uires ualuisset expellere : hoc responsum hostis antiquus reddidit diuini nominis obsecratione constrictus : quod nunquam ab alterius de eodem habitaculo : nisi huius beatissimi Remigii antistitis emundatione possit expelli . Tunc parentes eius et ipsius Benedicte et Alarichi regis Gotthorum affatibus suffragati cum deuincta sobole ad sanctum Remigium antistitem peruenerunt orantes : ut uirtutem domini per eum agnoscerent in purgatione sobolis : quam prescierant confessione latronis . Tunc beatissimus Remigius cum diuturna luctatione se non esse dignum assereret : || et consueta patientia repugnaret : precibus est populi euictus : ut orationem pro ipsa funderet : et parentum lachrymis condoleret . Tunc sanctus Remigius meritis sanctis armatus . uerbi præcepit imperio : ut iniquus prædo per quod ingressus fuerat discederet : et Christi famulam relaxaret . Itaque cum nimio uomitu et obseno fætore per os quod fuerat intromissus abscessit . Sed paululum post discedente pontifice sub ipsius tamen horæ spatio : dum nimio labore fessa nutriretur uitali calore alienata spiritum salutis amisit . Iterum ergo supplicantum turba recurrit ad medium . Beatus autem Remigius illud se accusat potius perpetrasse facinus : quam sanitatis præmium indulxisse : et extitisse homicidii reum : et non contulisse remedium . Ad basilicam igitur sancti Iohannis quo corpus iacebat exanime : populi oratione obtentus regreditur : Ibique sanctus Remigius cum lachrymis ad pauimentum sanctorum in oratione prosternitur : et reliquos ut ita facerent adhortatur . Tunc sanctus Remigius effuso lachrymarum imbre consurgens suscitauit mortuam : quam prius sanauit ægrotam : quæ protinus apprehensa manu pontificis cum integra incolumitate surrexit : et ad propria feliciter remeauit . Iudicare enim possumus quantus in præsenti miraculo fuisset parentum flætus pro gaudio : laus populi pro triumpho . Putasne quanto gemitu quantaue deuotione gloriam in excelsis deo canerent : qui per sacrum antistitem diuina mysteria uidere meruerunt . Potuit ille plebem suam de casu cuiuslibet periculi imminentis eripere : qui uitam mortuæ ualuit instaurare : Inter huiusmodi igitur uirtutum suarum insignia elegit beatissimus Remigius athleta Christi transitum lœtiferi soporis excipiens : procellas mundi senio iam urgente deserere : et ad portum cælestis habitaculi peruenire : Post cuius uero obitum ad sui corporis tanta patrocinii fidelibus remedia tribuuntur : et solis agnoscitur uiuere meritis : qui tantis fulget exemplis : Cui uero pœna dignoscitur defuisse martyrii . nam non deuotio confessoris . In illis ergo diuinis templorum oraculis ubi eius patrocinia ueneramur : quidquid fide petitur inuenitur : et quod speratur studio : præstatur effectu . Profusis ergo unanimiter precibus oremus : ut | nobis uitæ salutaris spatium delictorum indulgentiam obtineat intercessio sancti Remigii pontificis cum auxilio redemptoris . Det etiam eius intercessione generaliter in hoc mundo tranquilla pacis tempora : qui promisit iustis æterna : quod ipse præstare dignetur : qui regnat cum patre et spiritu sancto : et qui est benedictus in sæcula sæculorum Amen :

PASSIO SANCTE REPARATAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Regnante Decio Cæsare in ciuitate Cæsarea prouinciæ Palestinæ cum ingressus esset ciuitatem : sequenti die sedens pro tribunali precones per omnes ciuitates uel uicos destinat : ut si quis non occurreret ad sacrificandum diis : diuersis afficeretur tormentis . Tunc testari iussit in medio populi notarium : cui præcepit scribere et relegere omni populo dicens : si quis Christum confiteretur esse deum : diuersis cruciatibus interiret : et capitalem subiret sententiam : Cumque relectum fuisset coram

omnibus : unus ex curiariis dixit : Domine mi Cæsar est in hac ciuitate uirgo speciosa nimis bona mente et casta :† corpore genere nobilis : annos circiter duodecim nomine Reparata : quæ interdiu noctuque ieiuniis et eleimosynis uacans : et omni hora faciens signaculum crucis in fronte sua deos nostros abnegat : et Christum quem iudei crucifixerunt adorat : Cui decius ait : Vbi eam possumus inuenire ? At ille respondit : In domo sua . directo itaque officio suo sibi eam præsentari iussit : cumque præsentata fuisset : et eam uidisset pulcherrimam delicatoque corpore esse : blandis sermonibus cum ea loqui cœpit dicens : O infantula beata hubera quæ te lactauerunt : et felix mater : quæ te genuit . cognoui equidem nobili genere orta poteris tibi clarissimum copulare maritum . Tantum accede : et sacrifica diis immortalibus : ut uiuere possis . Sancta Reparata respondit : ego enim sum annorum duodecim : sufficit mihi tantos uixisse annos : si ad illam merear peruenire uitam : quæ nescit habere finem . notum tibi sit : quia desydero exire de hac uita : ut ad aliam beatam merear peruenire : ad quam || Decius Cæsar dixit : sacrifica diis nostris : ut uiuere possis . Et illa : ego quidem sacrificaui et sacrifico hostiam laudis domino meo Iesu Christo . dæmoniis autem immundis non sacrificabo . Cui Decius : Oh quanta tormenta nisi sacrificaueris te exspectant . Sancta Reparata respondit : Non expauesco tormenta tua . Sed prius mori parata sum : quam deos tuos adorem . tu uero fac : quod tibi uidetur . Tunc Cæsar dixit ministris : Afferte plumbum : et ollam implete uæhementer eo calefacto : et ante eam ponite : ut expauescat . Primum illi hanc pœnam ostendite : et si sacrificare noluerit : eam feruente plumbo perfundite . Sancta uero Reparata hæc uidens : eleuansque oculos ad cælum dixit : Deus uerax da mihi ancillæ tuæ uirtutem tolerantiæ : et dona mihi angelum sanctum custodem : quia in te credo dominum Saluatorem : Et cum oraret : perfuderunt eam feruenti plumbo : quod statim plumbum obstupuit : et frigidum factum est : et nihil eam læsit . uidens itaque Cæsar : quod nihil ei nocuerit : ait ministris : Quid faciemus puellæ isti : quæ ignem per maleficia exuperat ? Et conuersus ad eam dixit : puella accede : et sacrifica diis . Ad quem illa : hoc scito Cæsar : quia sacrifico domino meo Iesu Christo : qui me liberauit ab igne . nam diis tuis non sacrificabo . Et Decius ministris suis ait afferte acetum feruens : et mittite in os eius : ut coquatur lingua : quæ Christum nominat : cumque immitteretur in os eius : dicebat : Acetum tuum tanquam fauus mellis mihi est . confortata sum in Christo domino meo . tormenta quæ mihi inferre præcipis non dolorem sed refrigerium mihi faciunt . Decius dixit : O duricia huius puellæ quam nec blandicia nec asperitas reuocat ad salutem . illa uero respondit : Me a Christo quem confessa sum nec blanditia nec asperitas poterit deuiare . Tum Decius ad carnifices : Quid inquit tantum auribus nostris iniuriatur ? Parate sententiam : qua uirginem pessimam perdamus . Accendite lampadas : et pectori eius calefactas ponite : ut deos adoret inuictissimos : Cumque posuissent lampadas ardentes super pectus eius dicebat : O Cæsar ignis tuus quem mihi applicuisti frigidus factus est : et non calorem sed suauitatem domini mei Iesu Christi sentio . Decius Cæsar ministris ait suis : Suc | cendite caminum : et oleo eam ungite : et nudadato† corpore in id eam mittite : ut totum corpus eius ardeat et depereat . Cum missa fuisset sancta Reparata in caminum ignis : psallebat dicens : Deus in adiutorium meum intende . Domine ad adiuuandum me festina . Decius uero Cæsar deambulabat in prætorio : Et quia iuxta erat : ubi fornax ardebat : audiuit eam psallentem : et dixit ministris suis : Ad huc uiuit puella ista ? et ecce ignem non sentit . Puto uicti sumus ab ea . Et iussit adduci eam de igne : et dixit ei : Reparata audi consilium meum : et adora deos nostros . et bene tibi erit : et habebis gloriam apud nos . Illa autem respondit : Iam dixi tibi iterumque dico : quia non sacrifico diis tuis . Quare Decius ait ministris : Accendite candelas : et latera eius adurite . Tum Reparata : Gratias inquit ago domino meo Iesu Christo : et psallebat dicens : Exurge et intende in adiutorium meum . domine deus uirtus salutis meæ . Et continuo candele extinctæ sunt : et manus tenentium aruerunt . Virgo autem Christi gaudens et exultans dicebat : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : propter quem has patior pœnas : ex toto enim corde meo tibi soli seruio . tibi commendo spiritum meum . Decius uero ad eam dixit : Si uere deus est : in quem credis : quomodo ut homo in terra suscepit passionem ? Et illa : Suscepit quidem passionem : ut nos de laqueo mortis liberaret . Induit formam serui : ut nos ad libertatem perduceret . Decius Cæsar dixit : Misera accede : et sacrifica diis : et habebo te uelut filiam

meam : et sociabo tibi uirum perfectum aurumque et argentum et diuitias multas dabo tibi : tantum ne pereat pulchritudo tua . Sancta Reparata respondit : O suasio serpentis antiqui sacrifica tu : uel omnes astantes tibi : cum quibus in gehenna ignis damnandus es . Nam ego me totam ab infantia domino optuli mundum sacrificium : Ideoque de meis tormentis secura sum confortata in domino meo Iesu Christo . Ait ad carnifices Decius : Hæc uirgo perdurat ad pœnam . Afferte craticulam : et carbones uiuos subtus aspergite : et illic eam sternite . Sancta uero Reparata surridens dixit : Fac impie : quod facturus es . Ego enim adiuta a Christo tormenta tua non timeo . || Et ille quamdiu sum patiens erga te ? Accede : et immola diis istis : ut uiuere possis . Sancta Reparata respondit : Dii tui cælum et terram non fecerunt : sed sunt idola surda et muta ænea et lapidea : quæ ad usus hominum sternuntur : De quibus beatus Dauid propheta dicit : Simulacra gentium argentum et aurum opera manuum hominum : Et rursum : Similes illis fiant : qui faciunt ea et omnes : qui confidunt in eis . Decius Cæsar ministris citius inquit afferte macheras acutissimas : et omnia membra eius dirumpite . Sancta Reparata respondit : Fac : quod facturus es miser . Et statim laniatores expoliarunt eam . At illa eleuans oculos suos ad cælum cum lachrymis dicebat : Domine Iesu Christe qui non meo merito sed pro tua misericordia in numero ancillarum tuarum me uocare dignatus es : tibi flecto genua cordis mei : ne tradas in manus inimicorum amplius corpus meum lacerari : sed libera me : quem dilexi : quem fateor : quem retineo : quem uidere desydero . Eadem uero hora qua uirgo Christi orauit : terræmotus factus est magnus : et maxima pars populi mortua est : et manus carnificum aruerunt . Multi uero uidentes quod factum est crediderunt in domino Iesu Christo dicentes : Vere magnus est deus : quem colit Reparata . Videns autem Cæsar confusionem suam ministris ait : Compræhendite eam : et afferte nouaculam : et decaluate eam : et per publicum trahite : ut omnis populus uideat deformitatem eius . Illi autem subito appræhendentes eam : decaluauerunt : et trahebant per forum et plateas . Illa uero uoce clarissima omni populo mirante eloquebatur dicens : Vniuersi qui me aspicitis conuertimini ad dominum Iesum Christum : propter quem ego hæc patior : quia ipse est deus uerus : et recedite ab ydolorum cultura : et offerte illi mundum sacrificium : et ne timeatis minas Cæsaris : sed puro corde ad deum cæli uos conuertite : qui uos creauit : Cumque hæc uerba renunciata fuissent Cæsari : sub omni festinatione iussit eam in conspectu suo adduci : cui et dixit : Misera tanta te inuadit audacia : ut non tibi sufficiat : quod affligeris : sed adhuc alios suades : Et adiecit : Aut sacrifica : aut faciam tibi in conspectu omnium diuersa infer | ri tormenta : et nunc uidebis : si Christus tuus tibi subueniet : aut eripiat te de manibus meis : Et ait ministris : Afferte calcem uiuam et fragmentum testulæ : et in tripodas ferreos eam sternite : aquamque superfundite : et eius plagas fricate . Sancta uero Reparata respondit : Salem plus iube mitti : ut possim in Christo plus esse condita : Cumque hæc agerentur : illa a domino adiuta uiriliter sustinebat . Decius Cæsar uocabat nominatim ministros : et dicebat : Audite nouas plagas : quia uideo : quod puella adhuc perdurat ad pœnam . Ministri uero qui hæc agebant cæci facti sunt . At ubi uidit Cæsar quod cæci essent : furore repletus præcepit aliis ministris dicens : Afferte sinapi et acetum : et in naribus eius mittite . Sancta Reparata respondit . Sinapim non timeo : nec acetum metuo : sed quasi fauum mellis accipio . Gratias ago domino meo Iesu Christo : propter quem has mihi pœnas infers : Et dum agerent : orabat dicens : Eripe me de inimicis meis deus meus : et ab insurgentibus in me libera me . Decius Cæsar uidens quod nihil proficeret : conuersus ad eam dixit : Reparata infelix tantum præualet magica tua : ut nihil sentias . consule sanguini tuo : ut non male pereas ab oculis nostris . Et illa : Pereas tu et omnes ministri tui cum patre tuo diabolo in ignem æternum : qui mihi tanta cum circunuentione fabularis . Ego quidem secura sum de domino Iesu Christo . Pœnas tuas non sentio . Fac : quod tibi uidetur . Decius Cæsar ministris ait : Fustes spinosos afferte cum stirpibus suis : et expoliate eam : et præcinctam cædite : Et illa psallebat dicens : Deus meus ne elongeris a me deus meus in auxilium meum respice . Confundantur : et deficiant detrahentes animæ meæ . Ego autem semper in te sperabo : et adiciam super omnes laudes tuas : quæ dum cæderetur : quoniam benedicti Thyrsi gentilis passionem legerat quottidie dicebat : Deus uerax iudex fortis ueni ad liberandum ancillam tuam : qui benedicti Thyrsi gentilis misertus es : et eum late conuertisti : ita et me ad te conuersam

liberare digneris : quia propter nomen tuum hæc tormenta sustineo . Hæc ea orante tenentium manus arefactæ sunt . Quare Decius Cæsar arreptus furore quod nihil pœnam sentiret : sed magis mini | stros perderet : erupit in hanc uocem : Educite uerbosam hanc foras ciuitatem . decollate noxiam . occidite . perditum ite . auferte magam ab oculis meis . Sancta uero Reparata dum duceretur ait : Gratias ago tibi domine Iesu Christe . tu recipe spiritum meum . Tunc astitit spiculator : et amputauit caput eius et continuo cecidit : exiuit autem de ore eius columba : quam portabat chorus angelorum ad cælum psallentium : et uisa est apud christianos : qui prius eam confortabant : dum esset in certamine . Accedentes uero pauci christiani uiri timorati rapuerunt corpus eius : et conditum aromatibus sepelierunt octauo Idus octubres Regnante uero domino nostro Iesu Christo : qui cum deo patre et spiritu sancto in trinitate uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTARVM RVFFINAE ET SECVNDAE MARTYRVM .

Ruffina et Secunda sorores uirgines ciues Romanæ patre clarissimo genitæ Asterio matre clarissima Aurelia : cum feruor persecutionis iussu Valeriani et Gallieni augustorum tunc in urbæ Roma sæuiret : Contigit ut sponsi earum uirginum Armentarius et Verinus a fide christiana recederent . Nec hoc contenti quod ipsi perierant : has dei famulas detestabili persuasione ut eos imitarentur hortabantur . quare uolentes declinare eorum persuasiones insanas ad prædiolum suum quod in Tusciæ partibus uidebantur habere basternæ pergebant uehiculo : quod audientes Armentarius et Verinus : statim comitti Archesialao suggesserunt dicentes : sponsæ nostræ repudiauerunt nos ad infamiam deorum : quæ deum unum uerum in cælis Christum Iesum esse testantes colunt : et omnium templorum mysteria ueluti contagionem perhorrescunt : quam ob rem : urbem hodie egressæ fugerunt . Itaque sceleratissimus Archesilaus cum militibus suis equestribus iter agentes sanctas dei uirgines in uia flaminea milliario quartodecimo compræhendit : easque reuocans ad urbem Romam Iunio Donato præfecto obtulit dicens : Istas sacrilegas uirgines contra legem uiuere : deos negare : templa | deserere : contra salutem principum agere sponsis earum accusantibus didici : Et quia hanc curam mihi domini nostri inuictissimi principes commiserunt : fas fuit : ut fugientes compræhenderem : et uestræ magnificentiæ discutiendas adducerem . Tunc indignatus Donatus præfectus iussit eas in custodia religia se inuicem separatas recludi : dieque tertia in secretarium adduci : In quibus Ruffinam ingredi iubens : dixit ad eam : Cum sis nobilis nata : quid est : quod ad ignobilitatem deuoluta es : et cupis esse captiua in uinculis magis quam libera cum marito gaudere ? Et illa captiuitas inquit ista temporalis : æternam captiuitatem excludit : et uincula temporalia perpetua uinculorum ligamenta disoluunt . Ad quam præfectus : Istas uanas fabulas et aniles retice : et sacrifica diis immortalibus : ut possis sponso tuo cum gaudio perfrui : et usque ad senectutem cum gaudio deliciarum attingere . Respondit Ruffina : Duo sunt inutilia : quæ persuades : et unum dubium : quod promittis . Nam dicis me idolis sacrificare debere : ut im† perpetuum peream : Et post hæc maritum accipere : ut gloriam meæ uirginitatis amittam . Post ista duo tam aspera tamque contraria promittis : quod usque ad senectutem cum gaudio deliciarum attingam : Cum de te ipso incertus sis : quod ad diem crastinum futurum attingas . Et præfectus : cessent ista uerba : quia parata sunt uerbera . Vnde mihi uidetur : ut consilio meliore corrigas cor tuum : et ab istis uanitatibus fugias : et tempus quod tibi superesse poterit non amittas . Ruffina respondit : Aliquantum correxisti sermonem : cum dicis tempus quod mihi superest : ostendit uitam hominis non esse certam : quia in incerto est posita . Sed ego illam uitam amplector : quæ in æternitate consistit . Et nihil incertum suis amatoribus promittit : quam uitam Christus magister ueritatis edocuit : Cui dum dura Iudæorum pectora dubitationis suæ animos denegarent : mortuos illis de monumento excitans : hos iubebat suæ assertionis edicere testimonium : ut uirtutibus crederent : qui uerbis credere noluis-

sent . Ad quam Iunius Donatus Præfectus : Ista inquit uaniloquia abiice : et nube uiro tuo . Archisilaus comes dixit : Ista sacrilegii rea est : et non poterit in matrimonio sorte admitti . Ruffina || respondit : Sic tu dicis in matrimonii sorte me admitti non posse : quasi ego hominis uxor esse desyderem : cum constanter uirginitatem meam Christo dei filio deuouerim . Vnde audi comes Archisilae minæ tuæ quære cui timorem incutiant : me autem nec a uirginitatis palma reuocare poteris : nec ab amore et cultura Christi dei filii separare . Tunc iussit adduci Secundam ut Ruphina soror eius in conspectu ipsius flagellis cæderetur : sperantes sacrilegi quod terrore ducta Secunda eorum persuasioni concederet . Sed cum uidisset sororem suam flagellis cædi : clamare cœpit ad iudicem : Quid est : quod agis sceleratissime : et regni cælorum inuisor ? an nescis quod sororem meam glorificans et me honoras ? Dicit ei præfectus : Vt uideo insanior sorore tua es . Secunda respondit : nec soror mea insana est : nec ego insanior sed ambæ christianæ sumus et instrumenta ut simul cædamur : quia simul Christum dominum confitemur : Gloria enim nominis christiani uerberum ictibus ampliabitur : Vt tot competat coronas perpetuas : quot temporalia susceperit uulnera flagellorum . Dicit ei præfectus : Hortare potius sororem tuam : ut uos ab hac iniuria liberetis : ut sponsis uestris cum gloria nobilitatis uestræ restitui possitis . Secunda respondit : Virginitas in corde puro Christo dei filio exhibetur . Non potest uirgo integritatem suam perdere : si non consenserit a iusticia declinare . Violentia enim passionem indicat : et passio præparat palmam . Tu ad consensum nostrum arma sumpsisti : ut cogas nos : quod noluimus uelle : et quod execrari iam cœpimus delectari . Applica ignes : gladios : flagella : saxa : fustes et uirgas : quot tu pœnas intuleris : tot ego glorias martyrii nostri munerabo† . Quot uiolentias irrogaueris : tot ego martyrii computem palmas : omnis enim nobis gloria est pœna : quam pro Christi amore suscipimus : nec corruptio dici poterit : quæ pro integritate mentis non timet sui corporis subire iacturam : De consensu est enim apud deum : quod perfectam dilexeris uoluntatem . Tunc iussit eas præfectus in tenebroso loco includi : et fumum stercorum fieri . Sed cum hoc factum fuisset : fumus ille quasi Thimiama exhallabat : neque pœnæ fætorem sed delectationem naribus | ministrabat . Illa autem obscuritas quasi die media uincebatur . Nec poterant ibi dominari tenebræ : ubi tenebrarum uis a dei lumine uincebatur . Iterum iussæ sunt inde tolli : et in suis balneis includi : atque in solio ardente ac non temperato iactari . Vbi cum fuissent post duas horas ingressi qui earum corpora tollerent : inueniunt intus solum frigidum et uaporatum : quod audiens præfectus obstupuit : et iussit eas duci in mediumque Thyberim mitti et uno saxo ligato in collo ambarum præcipitari : cum quo saxo per dimidiam fere horam merserunt : Et quæ nudæ missæ fuerant : in superiore parte fluminis siccis uestibus indutæ apparuerunt : Laudantes triumphum domini et ipsi gloriam decantantes : quod cum fuisset iudici nunciatum : dixit præfectus Archesilao comiti : Istas quas mihi tradidisti non magica arte nos superant uere in eis sanctitas regnat . Vnde sicut mihi eas tradidisti : ita eas ego tibi reddam : ut tuo arbitrio uel sententiam accipiant uel euadant . Tunc Archisilaus iussit eas duci in syluam in uia cornelia ab urbe Roma milliario decimo in fundum : quod uocatur Buxo : et illic unam cædi capite : aliam percuti : et sic earum inhumata corpora derelinqui luporum morsibus commedenda . Sed domini gratia non defuit in Christo credentibus nec defunctis . Denique Plantilla matrona in cuius prædio hoc factum est : uidit eas in uisu sedentes gemmatas in thalamo : sibi et dicentes : Plantilla desine a flagitiis idolorum : et ab incredulitate impia tibi cessa : et credens Christo ueni in rem tuam : et corpora nostra inuenies ibi . Eadem corpora ubi inuenire potueris : sepelies . Exurgens autem Plantilla peruenit ad locum : et inueniens sanctarum uirginum corpora sine fætore sine aliqua læsione : adorauit : et credidit : Et fabricauit sepulchrum uirginibus Christi : In quo loco beneficia orationum earum fructum magnum uirtutum ostendunt ad laudem et gloriam domini nostri Iesu Christi : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum amem† . Passæ sunt autem die sexo† idus Iulias .

PASSIO SANCTORVM RVFFINI ET VALERII MARTYRVM . ||

Passi sunt in territorio suessionensi Ruffinus et Valerius sub Rictionaro Galliarum præfecto octauo calendas iulii . Hic cum præfectus Remorum ciuitatem ingressus esset et ibi residens christianos urgeret : ut idolis sacrificarent : aliquando cum per agerem publicum iter carperet : erat ei in quodam loco contigua respublica gubernanda iuxta indole decursum : ubi Ruffinus et Valerius rectam uiam in domino conseruabant : cumque audisset sanctorum religionem in illo loco nimis pollere : statim frendens dentibus ut canis : Præcepit ubique famulos inquiri : quos inuentos ministri tenuerunt : et cathenis constrictos ei obtulerunt : Qui dixit eis : Quos deos colitis : aut cuius sacræ religioni intenditis . Iouis aut dianæ ? Qui responderunt Iouem in adulterio generatum sororis suæ uiolatorem cognoscimus : et dianam meretricem syluarum compita tenentem non colimus . Sed deum uerum et dominum Iesum Christum cum sancto spiritu adoramus . Tunc ille cum clamore eis dixit : Infelicissimi omnium hominem interfectum uos deum affirmatis ? per Iouis uirtutem qui in potestate sua tonitrua deuentilat multis cruciatibus interimam uos : et uidebo : si deus uester de manibus meis uos eripiet . Tunc cathenarum ligamine sancti constringuntur : ita ut astantes increduli mirarentur : qualiter tam uasta pondera portare possent : sed illi in Christi nomine confortati tanquam leuissimas plumas omnia portabant et benedicentes deum orabant : cumque nec promissis nec minis flecterentur : iussit eos præfectus equuleis extendi : et plumbatis cædi : qui cum torquerentur dicebant : Multæ tribulationes iustorum et cetera : Iamque multis flagellis omni compage disrupta uix ossa habebant . solo tamen spiritu palpitabant . Ieiuniorum quoque abstinentia macerati erant . Sed mente robusti in domino permanebant . Tunc ait præfectus ministris : Tollite eos hinc : et in ergastulo recludite : donec excogitare possim qua morte crudeliter eos debeam consumare . Reclusi itaque in carcere psallebant : et in ipsa nocte propinquante iam luce cum se sopori dedissent : angelus domini claustra carceris for | tissimus præliator irrupit : et cum magna claritate loco illi refulsit : ac supra sanctorum capita coronas illapsas micanti colore et quasi smaragdini lapides resplendentes deposuit : et ait : Ruffine et Valeri uiriliter agite . Dominus uos inter ellectos sibi martyres celerius iubebit adesse : ibique percipietis coronas a domino uobis præparatas . Mane autem facto præses iussit eos sibi præsentari : uiditque facies eorum roseo perfusas rubore : et reliquam corporis partem ut liliorum candorem fulgere . Tunc dicens in arte magica confidere : iussit eos decollari super Lycii fluminis unda . Nec multo post dum ad Remorum opidum ducerentur cum sacerdotum choris et populorum turmis feretris impositi in loco ubi nunc ossa quiescunt aggrauati ne moueantur præcipiunt : ibique nutu dei quiescere uoluerunt : ubi pauperibus eleimosynas larga manu porrexerunt .

PASSIO SANCTI ROMANI MARTYRIS ET MONACHI .

Asclepiades præfectus cum in ecclesiam Antiochiæ impetum faceret : uolens euertere christianos : præcurrensque eum beatissimus Romanus collectis omnibus ecclesiasticis sic ait : fratres quasi fortes uiri armati fide domini nostri Iesu Christi stemus aduersum hostem et inimicum nostrum non sinentes eum ecclesiam dei introire . Audientes autem hoc quidam ex officio præfecti nuntiauerunt ei dicentes : Romanus nomine monachus persuasit populo et omnibus ecclesiasticis : ut resistentes prohibebant te ecclesiam introire . Audiens hæc præfectus mox præcepit exhiberi eum . Raptus per officium et ad forum deductus est . Asclepiades præfectus sedens pro tribunali beatum Romanum Publice præcepit statui : Cui præfectus dixit : Dic mihi detestabilis quid aduersum me cogitans ecclesiasticis : ut mihi resisterent : imperasti ? ad quem Romanus : non enim duco te Iustum introire in domum domini nostri Iesu Christi : ne per te polluatur : et ne in tua auctoritate præsumas impie quicquam agere in domo

dei . Tum Pfectus† : Miser homo et infelix : ergo te timens non introeam ? Per solem : quia fortioribus te tormentis || afficiam . Igni te tradam in exemplum illorum : quibus persuasisti : ut mihi resisterent . Romanus respondit : Minas tuas non timeo . Scito autem : quod non meo timore domum domini introire prohibitus sis : sed deus limina domus suæ te introire non patitur : Sic actum est : ut propositum implere non possis . hic Præfectus maximo furore repletus : Beatissimum Romanum in equuleum suspendi præcepit : quo facto suggessit ei officium : non solum illius ciuitatis sed et patriæ uirum esse priorem : præfectus tolli eum de equuleo præcepit : et adiecit dicens : Dic mihi Romanæ : si ita est : ut suggessit officium ? Romanus dixit : Tu putas in hac oppinione esse christianis libertatem : nos Christum cognoscentes deo patri liberi et honorati sumus . Vos autem uanam in hoc mundo potestatem habetis . Nam ex ipsis rebus ostendam tibi : si mihi concedat tempus . Præfectus dixit : Ad interrogata responde nobis : nolo superflue immoreris . In qua præsumptione tam disciplinate respondes ? ad hæc Romanus : Fiducia mea et præsumptio Christus est : Vnde ipsum habens adiutorem audenter tibi necesse est ut loquar : Et si irasceris : non tibi respondeo . Si autem me cogis ad singula respondere : quid irasceris ? Si taceo : plus exaspero . Cui præfectus : Non quod te loqui prohibeam : sed deposita superbia cum humilitate responde nobis : ut rilegio† uestra deposcit . Romanus dixit : Datur tempus christianis : quando cum patientia quando cum fiducia debeant loqui . Dicit enim scriptura : Nolite timere eos : qui corpus occidunt : animam autem nihil facere possunt : Sed timete illum : qui potestatem habet et animam et corpus mittere in gehennam . Tum præfectus : Miser et infelix homo recordor etiam te hoc dixisse : quod nobis et principibus nostris meliores et honoratiores uacuam religionem sequimini : Quomodo hoc potest fieri ? respondit Romanus : Si non irasceris : dico : quanquam irascens in nullo me lædere poteris . Deo enim uero nobis subministrante : uirtute meliores et fortiores uobis sumus : qui principatum in hoc uano sæculo possidetis : maxime certe eorum qui dei noticiam non habent : qui sine deo sunt impii . Præfectus dixit : Quomodo potestis nobis esse meliores ho | mines et in sensu et in omnibus subiecti ? Et ille : Veritatem dico : ex ipsis rebus intellige : in quantum uobis meliores sumus . Vos igitur cupientes placere regibus uestris : qui ad tempus istum principatum uobis tribuunt : dei seruos persequimini : et dominum deum non agnoscitis . Nos autem contempto sæculo deo placere contendimus : ideo etiam regibus tuis hic honorabiliores sumus : in futuro sæculo cælestis regni hæreditatem possidebimus : Id ipsum sentire potes : quia uos malum facere solum potestis : nos autem timorem dei ante oculos habentes operamur bonum . uos autem dæmonia adoratis : nos inuocantes Christi nomen ab hominibus dæmonia expellimus . Vos potestatem in hoc sæculo habentes paruo tempore inique agitis cum hominibus : nos autem præceptum tale habentes etiam odientes nos diligimus : et pro persecutoribus nostris oramus . Vos temporalem laudem et humanam habentes in hoc sæculo : nos autem credentes in deum patrem et Christum filium eius et spiritum sanctum : angelicam merebimus laudem . Vos hominibus prouidetis gehennam : imperando his ut dæmonia adorent : et non deum uiuum et sempiternum Christum eius . Nos autem credentes homines eruimus de gehenna . Vos per inanem philosophiam abstrahitis homines de uita æterna : nos autem per conuersationem bone uitæ et patientiæ et spei fideique de morte eruimus homines . Vos blandimentis fictis et fallaci substantia mortem affertis simul etiam salutem aufertis : nos autem regnum cæleste eis prouidemus . Vos lites temporales et coruptibiles reges habetis et nec ipsos adoratis sed lapides et ligna et animalia muta eadem et reptibilia : nos autem deum regem æternum et immortalem adoramus : et ipsum solum colimus . Vos et quæ non debentur uobis uiolenter exigitis : nos etiam propria pro Christo contemnimus debita . Vos prædamini : et fraudatis in sæculo : quales æternales esse possitis : nos etiam quæ donantur nobis a deo ad indigentiam pauperum damus . Ecce unde ut dixi in his omnibus christiani meliores uobis sumus dei filium confitentes . Præfectus dixit : Multa te passus sum loqui : et oportuit me esse patientem : propter circumstantem populum . Dic tamen mihi detestabilis : quid ante oculos habens : uel quid cogitans aduersus imperatores || talia ausus es dicere : Romanus dixit : Non audaciæ : sed ueritatis est : Quis enim hominum ignorat : quia omnium hominum mors temporalis est regnum et diuitum et pauperum et liberorum et seruorum ? Dicit enim scriptura : Vnus introitus omnibus

ad uitam : et similis exitus : Vnde nihil meliores estis uos diuites nobis pauperibus . præfectus dixit : Multa tibi loquaci idulsi prætermittens : quod in re est : Statuerunt diui imperatores christianos aut immolare diis : aut igni tradi . Cui Romanus : Suscipio inquit te Asclepiades : quoniam erubescens dimisisti nouissimum : quod putas primum : Insaniens autem peior te inueniar si derelinquens dominum qui tetendit cælum et fundauit terram lapides et ligna adorauero . Tunc Asclepiades beatissimo Romano : os percuti iussit dicens : Non tam indisciplinate respondeas . memento : quia publicæ astas . Dic tamen id : quod interrogaris : Primarius es ciuitatis? Ad quem Romanus : Iam tibi dixi meus honor et gloria : et ingenuitas et cognatio Christus est : qui omnes induit libertatem hos : qui eum metuunt . honorifico autem et timeo christianos : propter Christum autem quem nescis nihil uales mihi facere . Præfectus dixit : Per deos licet primarius patriæ sis : per tua tormenta inhonorabo genus tuum . Et Romanus : Per Christum quæ a te interrogantur per iniuriam mihi honor et gloria sunt : sed et omnibus qui in istam interrogationem ueniunt . Præfectus dixit : Suspendatur : Et adiecit : fortius torqueatur : ut meretur . Ad quem Romanus : per Christum filium dei nihil me torquendo proficies : Vnum tibi maximum impones laborem : Si quid autem uales : aliquid de me fortius cogita : Credo enim deo Christo filio dei : qui dat mihi uirtutem : ut sufferam quidquid insaniens interrogaueris : ut per patientiam unicam† te : et spiritum tuum qui dicitur Satanas : qui te emittit aduersus seruos dei . Præfectus dixit : In maxilla eum torquete : ut per tormenta loqui non possit . Romanus dixit : Magis ad apertæ sunt fauces meæ . ueritatis enim præco sum ut uestræ stulticiæ . præfectus dixit : sicut dicis : ergo stulte agunt imperatores deos adorantes? Romanus dixit : Non minimæ stulticiæ agunt : si uere uelis dicere : quia sapientia uestra stulticia est apud deum : Scriptura enim | dicit : Sapientia huius mundi : stulticia est apud deum : Adiuro te tamen per salutem regum tuorum : ut præcipias induci puerum infantem : Et iussit capi puerum infantem de platea : et hoc eum interrogari : Iustum est deum adorare : aut deos qui ab hominibus fiunt? Puer dixit : Deum iustum est adorare : qui fecit omnia in breui per unigenitum filium suum : Dii enim factura sunt hominum lapides et ligna . Præfectus dixit leuetur : et præcepit eum cædi dicens ei : Quis tibi suasit hæc dicere? puer dixit : Vere nemo mihi dixit sed matrem meam audio in matutinis quottidie : unus deus et Christus eius : Ab ipsa hoc audiui . Tum iussit Præfectus matrem eius induci : et statui eam contra infantem suum : ut uideret qualiter uapularet : et adiecit ad puerum : Tu ne ergo christianus es? Et puer dixit : In Christo habeo spem meam sicut et mater mea : Præfectus iussit puerum suspendi . Pendens autem et uapulans puer sitiuit : et statim matri suæ dixit : Mater da mihi aquam bibere : quia sitio : Cui mater : Noli fili aquam istam iam bibere : uade ad aquam uiuam : uade ad æternum fontem : Vade ad Christum : qui pueros coronat : et martyres perficit . Præfectus dixit : Suspendatur Romanus : torqueatur grauius . Romanus dixit : O quam bene reficior asclepiades : quia cum cædor : uinco : Quando autem infirmor : tunc potens sum propter eum : qui me confortat Christum Iesum : propter quem omnia suffero ! Nulla est in uobis ueritas . uictus torqueri iubes similis es regum tuorum qui nullo interueniente crimine homines tormentis interfici iubent . Tum Præfectus : Secundum stulticiam tuam ut dignus es : igni te tradi præcipio . Ad quem Romanus dixit : Credo in deum : quia sum dignus pati tormenta ista . Si enim dignus non essem : non hoc inuenirem : Sed deus meus confortabit me : et tolerantiam dabit mihi : ut tanta et alia tormenta patiens libenter sufferam et confitear eum uenturum uiuos et mortuos iudicaturum esse . Vt cum ego eum coram hominibus confessus fuero : et ipse confitebitur me coram patre suo in regno cælorum : Data autem tibi fiducia dico : quia ignis tuus frigidior aqua inuenitur mihi . Præfectus dixit : per solem quia fortioribus tormentis afficiam : Igui† te præcipitari iubeo . Videam : si te iuuauerit Christus tuus : quem || confiteris : Ego enim hominem crucifixum inuocare confundor . Cui Romanus : hæc inquit confusio mihi et omnibus qui diligunt deum . Vnum autem tibi dico : adiuuat me Christus : et quem dicis ignem mihi hunc nec uidere continget : quia diligentibus deum omnia procedunt in bonum . Præfectus dixit : Ergo maleficus es? Ad hæc Romanus dixit : Etiam ea quæ a maleficis fiunt inuocantes Christum destruimus : Tu autem non effugies manum dei : nec hi : qui te mittunt ministri patris tui diaboli : qui dicitur Sathanas : Præfectus recipi puerum in

carcerem iussit simul cum Romano : et præcepit foris ciuitatem pyram magnam fieri : et illigatum furca iactari in ignem Romanum : Cumque addidissent copiam ligni : et fecissent pyram magnam : et illigatum parassent furca ni† ignem Romanum iactare : sequenti die diluculo incenderunt : et adduxerunt Romanum : ut eum super proiicerent : Descendit autem pluuia ualida in ea hora : et extinxit ignem omnem . Reuersi uenerunt in carcerem : et mirabantur omnes : et stupebant in mente habentes quod ante tribunal præfecti iurasset : quod paratum sibi ignem non esset uisurus : Cumque hoc Asclepiadi nunciatum esset : Romanum sibi intromitti præcepit et puerum : quibus astantibus præfectus dixit : Non ita credatis : quod ad uestram uindictam hæc pluuia euenerit : sed hoc tempus quod exigit : Quartusdecimus calendas decembres hodie est . Romanus dixit : Scio deum meum in omnibus adiutorium mihi : Non enim dormiet : neque dormitabit : qui custodit me : et omnes qui in agone certant propter nomen eius . Vnde non sum incredulus : neque dubito mei causa pluuiam istam uenisse : ut uincam te : qui insipienter morieris : Asclepiades puerum gladio dari iussit : Romano uero linguam abscidi dicens : ne talia aduersus imperatores loquatur : Romanus dixit : Benedictus deus et Christus eius : qui coronauit infantem paruulum pro me : qui accelerauit esse cum deo : ut suscipiatur ab angelis in conspectu matris : Quæ læta et exultans de filii uictoria : collegit eius corpusculum . Tunc uocatus est medicus Ariston nomine : et uenit tristis : Et foris ciuitatem ductus est : et abscidit linguam Romani : Cumque abscidisset linguam eius : maxima uoce Romanus gratias deo agere cœpjt dicens : Deus deus meus | qualiter te laudabo : quantisque laudibus te creatorem patrem cum filio magnificabo : et adiecit dicens : Benedictus es domine doce me iustificationes tuas . Et iterum adiiciens dixit : Si absciderís linguam meam : membrorum tacentum uocem deus audit : Libenter autem pro deo corporis abscidimus membra . Quælibet autem genera inueneris tormentorum non suadebis mihi separari a deo : qui operatur in me uirtutem . Sine lingua enim possum sine intermissione laudare eum : Et scribens de sanguine suo in carta circunstantibus dedit scripta uerba hæc : Beati mundo corde : quoniam ipsi deum uidebunt . Beati caritatem habentes non fictam . Beati qui deum ante oculos habent : et credunt sine dubitatione : Beati misericordes : quoniam misericordiam consequentur : Beati qui pro deo renunciauerunt sæculo : quoniam recipient mercedem suam . Beati qui non negauerunt dominum : quoniam eos confitebitur filius coram patre in regno suo : Cum hæc omnia nunciata Asclepiadi Præfecto fuissent : Præfectus medicum ad se uocat dicens . puniende ac detestabilis : cur præceptis meis minime paruisti : et non omnem linguam abscidisti Romano ? Ad quem Ariston : Per claritatem tuam a radicibus abscidi linguam Romano . Hanc etiam præ manibus habeo : ut per mensuram eius satisfaicam† tibi : ut credas . Si autem iubes aliquem de plebe adduc : et hoc pati : si potuerit uiuere . Si autem iubes per animal aliquod experimentum facio . Nunc iube porcum adduci . Præfectus porcum exhiberi præcepit . In eadem hora porcus mortuus est . Tunc accepto experimento : medicum Præfectus dimitti iussit . Et adiecit : Intromittatur Romanus : et ex officio dictum est astat . Ad quem Pæectus† dixit : Multis te Romane hortatus sum : iam uel cæteris caue : Grauioribus enim afficiendus es tormentis . Cui Romanus : Miror quod in tantum indurauerís frontem : ut non confundaris uictus per omnia signa : quæ facta sunt : uel nunc crede Asclepiades : quia non insanio neque disipio : Non immolo dæmoniis tuis : non derelinquo dominum : qui secundam linguam mihi donare dignatus est : ut sine intermissione laudem eum : et sine cessatione oris mei mundo corde inuocem eum . Tum Præfectus Brotha || nate† : quia medicus gratiam tibi præstitit : ideo exaltaris dicens : quia deus tuus magnus sit : qui aliam linguam tibi dederit ? Alia supplicia grauiora præparantur aduersus insipientiam et stulticiam tuam . Romanus dixit : Inueni tormenta quæ putas : paratus sum in omnibus adinuentionibus tuis resistere per dominum nostrum Iesum Christum . Non enim preciosius est corpus meum quam anima : neque præpono uitam præsentem illi uitæ æternæ : neque parentes aut cognationes aut amicicias cuiusquam magis quam dominum : quem tu qui potestatem habes super terram ignoras . Tunc autem stultus inueniar : si audiens ubi uel metuens uincar . Per christianorum salutem non sacrificabo dæmoniis tuis uel nunc . Nam Iesus Christus filius dei ipse est salus his : qui in eum sperant . Lucerna inextinguibilis rex regum : sol iusticiæ fons indeficiens corona athletarum : misericors et miserator : qui gaudet super

salutem hominum : qui in cælis et in terra est : qui percutit et sanat : qui corripit : et morti non tradit : qui ducit ad portas mortis : et reducit : suscitans a terra inopem : et de stercore erigens pauperem : qui pauperibus præparat uitam : qu† sine malicia et sine inuidia in patris nos hæreditatem uocat : qui dignatus est nos bonis suis adimplere : quorum uos estis extranei : qui hoc uultis . Ipse est spes desperatis exultatio his : qui in tristicia sunt . auxilium his : qui sunt sine adiutorio : audacia iis : qui in eum confugiunt : lumen uerum : uia quæ ducit ad patrem ueritas sine mendacio . deus corona martyrum et confessorum firmamentum . abstinentium sustinentia : ipse est salus christianorum : Præfectus dixit : Per multam uerbositatem nihil Romanæ dicis . Nunc ergo sacrifica : et libertatem habebis ab his : quæ imminent tibi . Non enim credas tibi esse parcendum : ut glorieris Asclepiadem te uicisse . Ergo dicito mihi Romane : non lassatus es pendens ? Romanus dixit : Per Christum filium dei qui præstat mihi sufferentiam : quia non lassatus sum Christo iuuante me : qui te uincat . Caput enim uincentium Christus est : et coronam accipientium : qui tradet te æternis tormentis : et enim potestas regum tuorum celerius cadet . Tunc Asclepiades maximo furore completus omnia | quæ gesta sunt Maximiano imperatori suggessit . Quare Maximianus impius Romanum in carcere suffocari iussit : tuleruntque corpus eius uiri religiosi : et sepellierunt illud . Tunc Maximianus iussit omnes qui in palatio erant christianos discingi : et renunciare militiæ : Qui cum cingulo soluerentur : notauit illic transeuntem Isicium quemdam beatæ memoriæ uirum : et surgens uocauit eum ad se : et tradidit in Gynecio lauari ad iniuriam : prior enim erat palatii Isicius : quod cum factum audissent populi : ingrediebantur ad obsequium eius : Hoc audito Maximianus intromitti eum ad se præcepit : et dixit : Coquistrio quare reliquisti ministerium meum : et adhæsisti Christianis ? Nunquid possunt te in tanto honore facere quanto ego feci ? Respondit Isicius : Tuus honor temporalis est : confessio uero Christi æterna salus est . Tunc iratus Maximianus iussit lapidem molarem collo eius suspendi : et proiici in flumen Orontem : Astante illic Maximiano proiectus est sanctus Isicius tertiodecimo calendas decembres . Regnante domino nostro Iesu Christo : Cui est honor et gloria cum deo patre in unitate spiritus sancti per omnia sæcula sunculorum† Amen .

PASSIO SANCTI REGVLI ARELATENSIS EPISCOPI ET MARTYRIS .

Sanctus Regulus cum beato Dionisio a beato Clemente in gallias est directus . Hic quondam beato Iohanne apostolo post dispersionem per Iudæam nimiasque prouincias prædicante : adhuc iuuenis ex græcorum finibus nobili prosapia exortus inter confluentium turbas ad eius mellifluam cum suma deuotione prædicationem cucurrit . Moxque fidelis auditor paternas possessiones et diuitias plurimas quibus affluebat distrahens : harum præcium manibus indigentium sagaciter cælo condidit : atque cunctis adhuc nouus tiro Christi diabolicis renuncians pompis ab huius naufragio mundi gaudens nudus euasit : et ad magistri documenta mente libera rediit . Sed eo in pathmos insulam relegato tanti patroni solatio destitutus fletibus et || orationibus incubuit . Interim ariopagitam Dionisium athenis cum pluribus eiusdem urbis christiane incolis sacramentis imbutum audiuit eiusque felici cupiens iungi consortio athenas uenit . Inde Romam pergens a beato Clemente papa cum sancto Dionisio multisque fidelibus : qui eum comitati fuerant : omni cum honore susceptus est . Cumque sanctorum conuentus apostolicis informaretur sanctionibus : Hi sancti uiri a beato Clemente directi : apostolica benedictione roborati : et spiritussancti amore succensi : dominici fideles agricolæ ruris barbaricis pectoribus uerbum dei inferentes Arelatensium uenerunt ad urbem tantamque gratiam sanctis suis largitus est dominus : ut eorum prædicationi plebs arelatensis nullo modo resisteret : sed euangelium Christi deuotis suscipiens mentibus conditorem omnium fideliter adoraret . Erat enim ibi maxime uenerationis templum : quo Martis statua ab omnibus colebatur : Quam beatus Dionisius nullo hominum labore : sed diuini nominis inuocatione confregit et

eliminatis soliti cultus spurciciis ad regenerandum populum dei baptisterium ibi fieri præcepit . Ipsum uero templum sub ueneratione beatorum apostolorum Petri et Pauli ecclesiam consecrauit . Videns autem regionis illius populum idolatrie sacrificiis deseruire per diuersas prouincias comministros suos diuidens et per singulos dilectionis causa deflæns abire permisit . Beatum uero Regulum pontificali benedictione decoratum arelatensi ecclesiæ præesse constituit . Ipse et enim cum sancto Rustico et Eleuterio fines gallie penetrans parisius uenit . Vbi illi multis afflicti tormentis laboris sui palmam capitali sententia receperunt : migrando ad dominum cui est honor in sæcula sæculorum .

FINIS

PASSIO SANCTOVRM† SAVINIANI POTENTIANI ET SOCIORVM MARTYRVM .

Ex numero quoque septuagintaduorum Christi discipulorum fuerunt sancti Sauinianus et Potentianus et Altinus : qui cum multos sanitati infirmos restitu | erent : et non tam uerbo quam signis et uirtutibus quoscumque possent ab errore reuocarent : a beato petro missi sunt : Vt Galliam idolatriæ deditam diabolo auferrent : et Christo acceptabile munus offerrent : qui etiam Sauinianum primatem Galliæ constituit . Venientes ergo ad urbem Senonis tunc clarissimam et populosissimam : non cessabant populum a cultura dæmonum ad deum reuocare . Ibi beatus Sauinianus pontificalem quam a beato Petro illuc destinatus acceperat contra incredulos strenue et constanter potestatem exercebat : Tantaque spiritus sancti gratia in eius erat corde diffusa : ut quos sermone tangeret : ad ardorem cælestis desyderii uæhementer accenderet : Dumque cælestibus sanctionibus insisteret : diabolus quosdam sectæ suæ contra eum excitauit : qui dum cerneret simulacrorum suorum cultum cessare : et ritus gentilitatis ac ueneficia sperni deorum suorum contemptum beati uiri ludibriis et lœto sanxerunt ulciscendum . Hunc igitur in medio pestilentis consortii sistunt aliquantisper . de altercationibus fidei conueniunt . Sed ueritatis assertioni cordis aures obturantes : seque cum portentis suis execrari gementes mox cum† capitali ultione plectendum censuerunt . Huic mox in episcopatu potentianus successit : qui dum prædicationi ardenter insisteret : nulloque tempore cessaret : contra hunc quoque diabolus incredulorum animos suscitauit : et famulum dei quanta potuit celeritate extinxit : cuius corpus pridie calendas ianuarias exanime factum ab infidelibus quidem auibus et bestiis proiectum est ad deuorandum : sed dei prouidentia permansit illæsum . A fidelibus uero occulte collectum est : et in suburbio Senonum ubi præcursor eius quiescebat sepultum est . Nec minus carne solutus quam antea uiuens in carne uirtutibus claruit . Nam dæmones de obsessis corporibus effugauit : cæcos illuminauit . surdis auditum restituit . claudis gressum . infirmis sanitatem . Denique bonum pastorem Sauinianum uias martyrii præuntem† prosecuta est grata amicorum clientela sanctus silicet Potentianus et sanctus Eodaldus et Altinus et Serotinus . Hi namque pariter magistri gradientes : et in fide Christi credentium cuneos propagantes marty || rii gloriam assequi meruerunt : et iuxta eiusdem monumentum humati sunt . Horum cineres postmodum ab eiusdem urbis antistite Memlone in beati Petri Basilicam contiguam translati sunt . Anno ab incarnatione domini octingentesimo et quadragesimoseptimo regnantibus Lothario et Ludouico et Carolo augustis septimo calendas septembres . Nocte autem præcedente uenerabilis Mmelo† ad celebranda uigiliarum solemnia illuc cum frequentia celeri processerat : quibus suppletis : archiepiscopo ad urbem regresso cælestes exequiæ id est uoces angelicæ uelut chori psallentes ibidem per noctis spacia subsecutæ sunt : cuius modulationis harmoniam non tantum monachos sed et quosdam uulgi ibidem excubantes audisse perspicuum est .

PASSIO SANCTI SAVINIANI MARTYRIS .

Regnante Aureliano in territorio trecassino passus est sanctus Sauinianus Sauini filius . Audiens nanque Aurelianus : quod per illum multus populus Christo credebat : iussit Crispinum præsidem cum nonaginta militibus ad illum pergere : eumque uinctum ad se adducere . At illi inuenientes eum orantem timuerunt ei appropinquare . Audiens hoc imperator misit alios centumnonaginta ad eum : qui et ipsi eum inueniunt orantem : et cum eo orare cœperunt . completa oratione cum surrexisset dixerunt ei milites : Dominus noster imperator desyderat te uidere . Respondit : Vadam : Cumque imperator interrogans eum in fide firmissimum inuenisset : iussit eum in custodiam mitti : et a quadragintaocto militibus custodiri : qui per eum ad Christum conuersi arma deposuerunt : et iubente imperatore decollati sunt . Sauiniano quoque sibi præsentato pro confessione Christi iussit manus et pedes ligari : et ad uectes ferreos cædi et in capite eius cassidem igneam mitti . In ignem quoque positus euasit illæsus . Post hæc iussit imperator lignum exhiberi secundum staturam eius : et poni ante palatium : et terni milites ternas sagittas super eum iniecerunt : Cumque crederet im | perator eas corpori eius infigi : ille a dextris et a sinistris eius a uento suspendebatur . Et ne una quidem corpus eius tetigit . Post hoc ueniens ad eum ait : Vbi est deus tuus ? Veniat : et liberet te de manibus meis uel de sagittis his . exiliens autem una de sagittis ingressa est oculum imperatoris : et excecauit eum : qui iratus iussit sanctum in carcerem a nonaginta militibus mitti : et in crastinum decollari . At illo orante milites excecati sunt : et cathenæ ferreæ sunt confractæ . Sanctus autem iter carpens peruenit ad ripam Sequanæ . Ipsoque orante facta est aqua quasi petra solida : et pedibus ad locum sibi demonstratum peruenit : iterumque orauit dominum : ut celerius eum iuberet coronari . Tunc leuatis oculis uidit milites extracto gladio uenire uelocius : ut eum decollarent . Sed cum appropinquare timerent ait ad eos . Venite : et portate de sanguine meo imperatori : ut uideat gloriam dei : Cumque percussus fuisset : gutta sanguinis cecidit super caput carnificis : et ipsi conuersi clamauerunt dicentes . Domine parce peccatis nostris : quia de sanguine sancto tuo baptizati sumus . Sanctus autem caput suum appræhendens portauit illud pedes quadringinta nouem . Milites autem collegerunt de sanguine sancto et ligatum in lintheo detulerunt imperatori : Apertisque oculis uidit : et deum christianorum glorificauit . Passus est autem iste sanctus quarto calendas februarias . Istius sancti pater Sauinus natus est in oppido sauionensi : qui post primam coniugem accepit secundam ex Pelopia ciuitate de genere caldeorum ualde locupletem . Ex prima uxore habuit hunc ipsum Sauinianum filium : ex secunda Sauinam filiam . Sauinianus autem cum legisset hunc uersum . Asperges me domine isopo et cetera : orabat : ut sciret interpretationem eius : cui angelus dixit : cum aspersum fuerit chrisina† super caput tuum : mundaberis a delicto maximo . Cum lotus fueris ex aqua uiua in nomine domini nostri Iesu Christi : candidior niue eris . Surgeus† ergo Sauinianus et uolens conuertere patrem suum obiurgatus ab eo propter metum Darii principis recessit inde : et quæsitus non est inuentus . uenit ergo in Galliam et passus est sub Aureliano ut diximus in territorio trecassino . Cum enim || illuc fugiens uenisset super fluuium Sequanæ prostratus orauit : ut ibi baptizaretur : Et cum baptizatus esset : uenit uox dicens : Sauiniane dilige quod inuenire uoluisti : Statimque fixit baculum in terram : Et facta oratione coram multis astantibus uirga illa ramos et frondes ac flores produxit . Et ex illis qui hoc uiderunt mille et decemocto conuersi sunt . Aurelianus autem hoc audiens omnes ubicumque christianos occidi præcepit : misitque milites : ut eum adducerent : At ubi uenerunt ad eum : inuenientes orantem timuerunt accedere ad eum et cætera : quæ supra retulimus de illius passione et morte . At Cum soror eius Sauina quottidie grauiter eum flæret : et pro eo quottidie ieiunans semper idolis supplicaret : Tandem dormienti ei apparuit angelus domini dicens : Sauina noli flære : sed quæcumque habes derelinque : et inuenies fratrem tuum in honore maximo constitutum : quæ statim euigilans dixit ad collactaneam suam : Amica mea sensisti aliquid ? quæ respondit . Sensi domina : quia uidi hominem incognitum ante te stantem nescio quid

loquentem . Ait illi : Num me accusabis ? Respondit : Domina absit : ut te incusem : sed quicquid uis : fac . tantum ne occidas : Et sic in crastino ambæ omnia relinquentes fugerunt : Et cum pater eius fecisset eas quæri et inueniri non possent : expandens manus ad cælum dixit : Si tu es deus potens in cælo : qui saluare me possis descende nunc : et percute omnia idola mea : quæ usque nunc adoruai† : qui mihi non potuerunt saluare natos meos . Tunc dominus de cælo intonans confregit omnia idola : quæ ibi erant : Quod multi audientes crediderunt in Christum . Post hoc beata Sauina uenit Romam ad tumulum sancti Petri : Cumque fama eius peruenisset ad Eusebium papam : baptizauit eam . Et cum esset in albis orans : sanauit ibi duos cæcos et duos contractos : Et fuit ibi quinque annis . Dormienti igitur apparuit angelus domini dicens : Sauina quid fecisti ? cur dimisisti parentes et omnia : quæ habebas : et nunc in deliciis epularis : et non peregrinaris ? Surge et uade in Trecas ciuitatem campaniæ : et ibi inuenies fratrem tuum . Euigilans ergo dixit famulæ suæ : Non oportet nos hic am | plius habitare . Cui illa : Domina quid uis facere . ecce ciues ualde te diligunt : et tu uis peregre mori ? Respondit Sauina : Deus prouidebit nobis : Et accepto pane ordeaceo discessit inde : et uenit in urbem Rauennem† : Cumque uenisset ante domum cuiusdam diuitis cuius filia moriebatur : dixit ancillæ domus : quæ foras exierat : ut ibi hospitaretur : quæ respondit : Domina quomodo potes hic hospitari : quia filia dominorum meorum moritur : et astantes grauiter lamentantur ? Cui beata Sauina : Non propter me morietur . Intrauit ergo ancilla ad dominam : quæ statim accurrens introduxit Sauinam : et protinus Sauina appræhensa manu dextra ægrotantis orans erexit eam sanam : Et cum uellent parentes retinere eam : non potuerunt . Et inde uenit in Trecas ciuitatem . Vbi cum esset ad milliarium ciuitatis dixit famulæ suæ : ut modicum quiesceret . Tunc exiens de urbe uir quidam uenerabilis Licerius dixit eis : Vnde estis ? Sauina respondit : Domine hic sum de illa ciuitate . At ille : Cur mentiris ? quia loquela tua te indicat peregrinam . Sauina respondit : domine uere peregrina sum : et diu perditum requiro fratrem meum Sauinianum . Respondit Licerius : Vir ille quem quæris ante paululum pro Christo decollatus est : et ibi in illa domo sepultus . Vade ergo illuc : et reuertere ad nos : et bene tibi erit nobiscum : quandiu uixeris : Et illo prætereunte Sauina prostrauit se : et orans dixit : Domine deus qui me semper in castitate seruasti non me permittas amplius duris itineribus fatigari : sed iube corpus meum a loco isto ulterius non moueri . Commendo tibi famulam meam : quæ propter me tanta sustinuit : et fratrem meum quem hic uidere non potui : da ut uel in regno tuo uideam . Et sic finita oratione anno uitæ suæ quadragesimonono migrauit ad dominum : Quod uidens famula sua grauiter cœpit flære : quia nihil habebat : quod sepulturæ suæ necessarium erat . Illa autem flænte ecce Licerius rediens ad urbem : et Sauinam inueniens iam defunctam : ait ad famulam eius : Noli flære . Ego uadam : et celerius reuertar ad sepeliendum eam . Misit ergo præconem per urbem : Venite omnes inquit ad peregrinam sepeliendam : quæ extra urbem defuncta est . perrexerunt ergo quicumque potuerunt : et honorifice sepelierunt eam : ubi mulier quædam cæca et clauda et manus aridas habens : recepit integram sanitatem . ||

PASSIO SANCTAE SABINAE MARTYRIS .

Illustrissima femina Sabina colligens relliquias sanctæ uirginis Christi Serapiæ et ex more celebratis exequiis in monumento suo reposuit : quod ipsa sibi summo studio et ornatu construxerat . Et non cessabat ex eo die eleimosynas .† facere : permanens in fide qnam† sancta Serapia tradiderat . Studebat quottidie uisitare infirmos : et in carceribus reclusos præstans eis necessaria . Veniente igitur præfecto Helpidio rapidissimo† : indicatum est ei de illa : quam sibi exhibitam in prætorio interrogauit dicens : Tu es Sabina uxor quondam Valentini illustrissimæ memoriæ : et Herodis filia ? Sabina respondit : Ego sum . Præfectus dixit : quare oblita es tui : et sociasti te christianis : quorum uita mors est : et non magis deos adoras : et honoras quos adorant domini et augusti nostri ? Cui illa : Ego gratias ago domino Iesu christo : qui me peccatricem per sanctam famulam suam Serapiam de multis sordibus et potestate dæmonum liberare dignatus est : ut amplius non errem : sicut et uos uideo errare :

adorando dæmones . Ad quam Præfectus : ut tu dicis ergo non solum nos sed et domini augusti nostri dæmones adorant et non deos . Sabina respondit : Vtinam deum adorarecitis† : qui fecit omnia cuius nutu cuncta reguntur uisibilia et inuisibilia : et non stulta aut insensata uestra dæmonum simulacra adoraretis : quia cum ipsis pariter in gehenna ignis arsuri estis uos et imperatores uestri . Præfectus dixit : per deos omnes si non sacrificaueris : non elongabo a te capitalem sententiam subire : sed mox te faciam gladio uita priuari . Et Sabina respondit : Non sacrificabo diabole insane dæmoniis tuis : quia christiana sum : et Christum habeo deum : et ipsius sum ancilla et cultrix : et illi soli me oportet sacrificare . Tunc diaboli minister præfectus protulit in eam sententiam dicens : Sabinam diis inobedientem dominos quoque et Augustos nostros blasphemantem gladio percuti decre | uimus : atque omnes facultates eius publicis titulis præsignari . Amputato igitur capite : christiani corpus eius sepelierunt cum sancta serapia . Passa est autem quarto chalendas septembres .

PASSIO SANCTI SATVRNINI MARTYRIS .

Anno uigessimo imperii Dioclitiani et Maximiani et consulatus eorum secundo per uniuersum orbem aduersus christianos Impietatis eorum edicta trasmissa sunt : quæ per diuersarum prouinciarum iudices destinata : sub grandi metu capitisque sui periculo susceperunt : Vt si qui cultui christianæ religionis seruientes reperirentur : diuersis pœnis et cruciatibus interirent . Quibus nefandissimis iussionibus emanantibus : dum in occidentalibus maxime partibus persecutionis atrocitas immineret . per omnem africanam prouinciam sed et in insulas quicumque christiani reperti sunt uariis tormentis gladioque necati sunt . Ego igitur tempore nutu diuino ac prouidentia factum est : ut in Nicomedia Maximianus et Mediolani Dioclitianus priuatam uitam appetentes de Imperio discessissent . Quam ob rem dominus sanctis ecclesiis uel christiane religionis cultoribus requiem modicam præstitit. Igitur quidam Barbarus nomine de insula Corsica genitus ab imperio romanio† tam Sardiniæ quam memoratæ Corsicæ præsidatus actionem promeruit : Quam in utrisque insulis uno tempore ministrauit . Donec ab insulis memoratis romanum transisset imperium . Cumque præses idem Barbarus nomine iter dirigens in Sardiniam per Corsicam transitum faceret in locum quod Crinis appellatur aduenit in finibus memoratæ Sardiniæ : Vbi dum christianos districte requireret : et repertos a suis ministris sibi præsentari præciperet : non defuerunt duo uiri christiano nomini inimici ac profanis idolis seruientes : qui dicerent esse Protum Ianuarium et Gaminium in eodem municipio christianos : quos sibi || idem præses Barbarus ab officio iussit adduci . Cumque Protus Ianuarius et Gauinius sancti martyres in conspectu eius consisterent : ab eo requisiti Iesu christi filii dei confessione deposita martyrium consumarunt . Postea sceleratissimus Barbarus idolorum sacrificiis deditus nefandissimorum principium† Dioclitiani et Maximiani per totam Sardiniam iussiones cunctis innotuit . Suis etiam ipse præceptis constituens : ut si in quocumque loco christiani reperti fuissent : usque ad necem diuersis excogitatisque suppliciis torquerentur . Quod dum in Caralis metropolitana ciuitate Sardiniæ cognitum fieret : et paganorum principum iussiones uel edicta sacrilega seuissimi præsidis publice legerentur : et ea cuncti obseruare fortiter urguerentur : Tunc quidam parui numero christiani reperti sunt : Qui tamen iussionibus eisdem nec territi sunt nec assentire propositis suppliciis uoluerunt . Crescebat autem per dies singulos turba fidelium et multiplicabantur apud deum corone iustorum . Contigit autem in diebus illis nefandissimo Ioui : quem profanorum idolorum gentiles putabant esse principem : annua sacrificia fieri in capitolio : quod portui maris Caralitanæ ciuitatis uicinum est : ad quod sceleratorum turbe cum immundis hostiis concurrebant . Alii autem per uiam sacram quæ ducitur a templo solis uel a loco : qui uocatur Puteusnouus præfatæ ciuitatis Caralitanæ confinio proximus secundum eorum morem sacrilegum cum albis et laureatis tauris : et magna exultatione ut dæmoniis ipsis sacrificarent ad ipsum capitolium festinabant quandam execrandam festiuitatem simulacri uanissimi celebrantes . Et hæc illis gerentibus adolescens quidam nomine Saturninus christianæ fidei a suis parentibus eruditus et

Christi domini fidelis seruus iam effectus : quanquam annis imparibus ad suscipiendum martyrium non uideretur idonens[†] : mente tamen ad superandum diabolum uel ministros eius uidebatur esse fortissimus . Hic ea ora qua sacerdos ille sacrilegus idolorum suos complices uerbis quibusdam magicis exorabat in memoratum capitolium : | quo cunctis est transitus ueniebat ad locum : quod ei fuerat necessarium . Mirabilium itaque suorum deus uolens etiam infidelibus populis ostendere magnitudinem : ut cognoscerent seruorum dei præsentia potestatem idolorum deesse . transitu tantum Saturnini beatissimi martiris scelerati sacerdotis actionem fecit tamquam nihilum euanescere : quatenus idolorum minister infaustus nullum ab eis responsum accipiens : suis potius consultationibus teneretur : propter quod iratus eorum sacrificia deserens : et de templo foris egressus non inaniter suspicatus est aut interesse quendam de consistentibus populis christianum aut certe ex inde potius se transire . Quod inquiri districtius curabat asserens quod agebat domini Iesu christi fuisse uirtute destructum atque confusum : ut contra morem solitum de sacrificio quod immolabat inconsultus abscenderet . Cumque secundum intentionem scelerati sacerdotis si quisquam christianorum interfuisset : quæstio fieret : dictum est quemdam ex inde christianum dudum potuisse transire . Et sequentes omnes qui ad sacrificandum po[†] populi fuerant congregati Saturninum ipsum quamprimum conpræhenderunt iuxta lacum qui appellatur Apolinis : quem dum interrogarent cur secundum iussionem imperatorum ad capitolium non adueniret aut sacrificio nullatenus interfuerit : Beatus autem Saturninus eis confidenter respondit : Iam ego domini Iesu christi uexillo signatus eius cælesti uirtute munitus sum : non opus habens uanis et lapideis idolis inseruire : uel immundi iouis sacrificiis pollui : quorum uos a uobis facta simulacra aduersum uos inconsultissime ueneramini . Quo audito ab uno de turba uel ab ipso nequissimo sacerdote memoratus beatissimus Saturuinus[†] martyr gladio grauiter uulneratus Christum dominum confitendo sanguinem effundens spiritum tradidit . Beatorum commmartyrum[†] suorum choris adiunctus tertio calendarum nouembrium : quo facto Christiani corpus eius tollentes in loco ubi ingulatus[†] est proximo cum honorificentia sepulture debita posuerunt . || Sanguinis autem eius lapidi inhærens usque in diem hunc permanet : ubi et oratorium christianis constructum est . Superueniente igitur nocte factoque in ciuitate silentio : corpus beatissimi martyris Saturnini de loco ubi iugulatum est : clam extra ciuitatem a christianis sublatum est : et in quadam cripta parua cum ueneratione depositum . Manent autem apud illam prouinciam uel omnes qui ibidem dominum Iesum christum fideliter præcantur per orationes suprascripti martyris cælestia beneficia et gloriosa miracula : ut quicunque ibi corde contritus adueniens suis necessitatibus remedium salutis inueniat deum omnipotentem collaudans : cui est honor laus et dignitas in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI SATYRI CONFESSORIS ET GERMANI BEATISSIMI AMBROSII .

Probabile satis et laude dignum uidetur : si clarorum gesta uirorum non silentio tegamus : sed modis quibuscunque ad incitamentum multorum pandamus . Laus si quidem dei est non minima cum ea referuntur : euidens exemplum posteris relinquitur christianæ fidei profectus adquiritur non parua sanctis angelis læticia tribuitur . dæmonicis spiritibus ingens confusio et mæror quotidie generatur . Descripto denique summæ sanctitatis titulo : merito inuident : qui se contemni ac destrui per Christi gratiam uident . Beatissimum igitur Satyrum antistitis eximii doctorisque præcipui institutoris ac nutritoris nostri reuerendæ memoriæ sanctissimi Ambrosii fuisse germanum plurimorum scientia constat notissimum : quorum deo digna prosapia quam excelsa atque præclara romanorum principum apicibus extiterit : usque adeo toto pene occidenti est cognita : ut præsenti putetur relatu superflua . Ambrosius denique ipsorum illustris genitor sublimi in romano senatu potitus honore rei publicæ defensor et idoneus propugnator effectus et præfecturæ administra | tioni condignus inuentus : Galliarum prouinciæ senatusconsulto pro sui industria prælatus est : Cuius probitas

morum et studiorum perspicacia : in procreato ex eo germine coniici facile poterit . Vtrique et enim incredibili admiratione in adiutorio præfecturæ sublimes emicuerunt . Verum sanctissimi pontificis Ambrosii quæ fuerit a cunabulis uita : qualiter primo cum adoleuisset ad consilium tribuendum præelectus fuerit : qualiterque in proximo Lyguriæ Hæmyliæque prouincias ad regendum susceperit : qualiter etiam de consulatu ad episcopatus fastigium nutu diuino accitus sit in libro uitæ ipsius : qui nosse cupit . sufficienter inuenire ualet . Nunc de beatissimo fratre ipsius Satyro de quo sermonem adorsi sumus : quantum in fratris ipsius scriptis cognouimus breuiter deflorare Christo opitulante conabimur . Vir igitur domini Satyrus uidens suum cælesti oraculo germanum subito ex præsidatu ad pontificale officium sublimatum adeo eius lateri adhæsit : ut domo propria ac genitali patria rerumque omnium multiplici copia derelicta unici fratris amorem ipsa uita duceret cariorem : Eratque illi : ut ipse sanctus refert in consiliis arbiter : curæ particeps : deprecator sollicitudinis : depulsor mæroris : bonorum affertor† actuum : cogitationumque defensor : Postremo unus erat : in quo domestica sollicitudo resideret : publica cura requiesceret . Itaque sine offensione ulla gubernabat fratris domum : et commendabat sacerdotium . Ita denique uirilis se utrisque ipsorum germanitatis succus infuderat : ut non blanditiis probarent amorem sed conscientia mentis et pietatis interno amore contenti fucum blanditiarum non requirerent : quos una in amore mutuum imago formaret : quæ in tantum fuit assimilis : ut alter in altero uideretur . Adeo ut cum unum aspiceres : alterum te uidisse putares : unde persæpe contingebat : ut ab isto consalutati ab illo se dicerent resalutatos . Ita gratus erat in utriusque aspectibus error : iocunda prolapsio : religiosa falacia : suauis calumnia . Quanta autem sancto pontifici huic gaudia : quanta frequenter obor || ta læticia : quod errare alios in se et fratre suo cerneret Nam cum in se uæhementius intenderent : et sibi aliquid intimasse quod fratri solummodo condixerant memorarent : respondebat ridens et gaudens : uidete fratri dixeritis Cum enim omnia esset† communia . indiuiduus spiritus indiuiduus affectus : solum tamen commune non erat secretum amicorum . Non quo conferendi periculum uererentur : sed ut tenendi seruarent fidem . Reuerendus quidem præsul : in diuinis præstabat officiis . At strenuissimus Christi confessor Satyrus adiutor et auctor erat negotiorum : censor seruulorum et arbiter fratrum . Media inter eos religiosa soror Marcellina carissimis germanis inconuulse adhærens : integritate uenerabilis : æqualis moribus non impar officiis existebat . Cum quasi quando aliquid conferendum fuit : Cuius melior uideretur sententia : beatum Satyrum iudicem summebant : qui nullum læderet : utrisque satisfaceret : ut et utrinque sibi gratiam uindicaret . At si ipse aliquod disceptandum deferret : quam grata contentio eius etiam : quam sine felle ipsa indignatio : quam etiam in seruulos ipsos non amara repræhensio : cum se quasi fratribus magis honorem defferre : quam ex affectu in eius probaretur uindicare . Quid igitur obseruantiam eiusdem uiri erga dei cultum prædicem ? Qui priusquam perfectioribus esset initiatus mysteriis : in naufragio constitutus : cum ea quæ ueheretur nauis scopuloso illisa uado et turgentibus hinc atque inde fluctibus solueretur : non mortem metuens : sed ne uacuis mysteriis exiret e uita : quos initiatos esse cognouerat : ab his ipsis diuinum illud fidelium sacramentum poposcit : non ut curiosos oculos insereret archanis : sed ut fidei suæ consequeretur auxilium . Et enim ligari illud fecit in orario : orariumque inuoluit in collo : atque ita se deiecit in mare : non requirens de nauis compage resoluta tabulam : cui supernatans iuuaretur : quoniam fidei solius arma quæsierat . Itaque his se tectum atque munitum satis credens : alia auxilia non desyderauit . Simul quoque fortitudinem eius spectare licet : qui fatisscente† remigio : non | quasi naufragus tabulam sumpserat : sed quasi fortis ex se ipso adminiculum suæ uirtutis sumpserit . Nec deseruit eum spes : nec fefellit opinio . Denique primus seruatus ex undis : et in portum terrenæ stationis euectus præsulem suum cui se crediderat recognouit : Statimque ubi etiam cæteros seruulos suos uel ipse liberauit : uel liberatos comperit : negligens facultatum nec amissa desyderans dei ecclesiam requisiuit : ut ageret gratiam liberatus : et mysteria æterna cognosceret : pronuncians nullum referenda gratia maius esse officium . Quod si homini non referre : simile homicidio iudicatum est : quantum crimen est non referre deo ? Referebat igitur gratiam . deferebat fidem . Nam qui tantum misterii cælestis inuoluti in orario præsidium fuisset expertus : quantum arbitrabatur si ore sumeret : et toto pectoris hau-

riret arcano ? quam maius putabat fusum in uiscera : quod ratum sibi tectum orario profuisset ? Sed non ita auidus : ut esset incautus . Scimus enim plærosque auiditate studii prætermittere cautionem . Aduocauit ad se episcopum : nec ullam ueram putauit nisi ueræ fidei gratiam : percuntatusque ex eo est : utrum cum episcopis catholicis : hoc est cum ecclesia conueniret . Et forte ad id locorum in scismate regionis illius ecclesia erat . Lucifer enim se catolica† tunc temporis communione diuiserat . Et quanquam pro fide exulasset et fidei suæ reliquisset hæredes : non putauit tamen fidem esse in csismate† : nam et si fidem erga deum tenerent : tamen erga dei ecclesiam non tenerent : cuius patiebantur uelut quosdam artus diuidi : et membra lacerari . Et enim cum propter ecclesiam Christus passus sit : et Christi corpus ecclesia sit : non uidetur ab his exhiberi Christo fides : a quibus euacuatur eius passio : corpusque distrahitur . Itaque quamuis gratiæ fœdus teneret : et metueret tanti nominis debitor nauigare : tamen eo transire maluit : ubi tuto posset exoluere . Iudicauit enim diuinæ solutionem gratiæ in affectu ac fide esse . Quam quidem statim ubi primum copia liberior ecclesiæ fuit : implere non distulit . Dei gratiam et accepit || desyderatam : et seruauit acceptam Qua uero prosecutione simplicitatem eius edisseram : Quæ tanta fuit : ut conuersus in puerum simplicitate illius ætatis innoxiæ perfectæ uirtutis effigie : ut quodam innocentium uirorum speculo reluceret . Itaque uelut quadam uirginali uerecundia suffusus ora cum uultu affectum proderet : si forte aliquam subito ueniens offendisset parentem uelut depræhensus et quasi diuersus in terram aspiciebat . Licet in ipso nequanquam† dissimilis cœtu uirorum os suum attollere : eleuare oculos : referre sermonem . quod pudico quodam mentis pudore fiebat : cum quo castimonia quoque corpus congruebat . Et enim intemerata sacri baptismatis dona seruauit : mundo corpore : purior corde non minus adulterini sermonis obprobrium quam corporis perhorrescens . Non minorem ratus pudiciciæ reuerentiam deferenda integritate uerborum quam corporis castitate . Denique adeo castimoniam dilexit : ut nec uxorem expeteret . licet in eo non solum castitatis appetenda fuerit sed etiam pietatis gratia : Miro autem modo et coniugium dissimulabat et iactantiam declinabat . Hoc unum itaque fuit . quod ipsum nec fratribus crederet : nec aliqua cunctationis hæsitantia sed uirtutis uerecundia . Quis igitur non miretur uirum inter fratres duos alteram uirginem : alterum sacerdotem ætate medium : magnanimitate non imparem : ita inter duo maxima munera præstitisset : ut alterius sanctitatem referret non professionis uinculo sed uirtutis officio ? Nam de parsimonia eius quid loquar et quadam habenda castitate ? Is enim non quærit aliena : qui sua seruat : non inflatur in modico : qui contentus est proprio : Nihil ergo aliud nisi proprium recuperare uoluit : magis ne fraudaretur quam ut ditaretur . Nam eos qui aliena quærerent : recte accipere res pecuniæ nominabat . Superest : ut ad conclusionem cardinalium uirtutum : eius iusticiæ partes in eo debeamus aduertete† : quæ qualis ei in uniuersos fuerit proiuncialium† quibus profuit studia docent : qui parentem illum magis fuisse | patrem priusquam iudicem liquebat : gratum piæ necessitudinis arbitrum constantem equi iuris disceptatorem . Inter fratres autem qualis fuerit : Licet omne hominum genus beniuolentiam complecteretur : indiuisum patrimonium docet : nec distributa nec delibata sed reseruata hæreditas . Et enim pietatem sibi causam negauit esse testandi . Nam hoc quoque ultimo sermone signauit : Cum quo dilexerat commendaret . Sibi nec uxoris arbitrium fuisse ducendæ : ne a fratribus diuelleretur : nec testamenti faciendi uoluntatem : nec ipsorum mali quo arbitrium læderetur . Denique et oratus et obsecratus ab illis nihil tamen contentum putauit non oblitus pauperum : sed tantum obsecrans esse tribuendum : quantum ipsis iustum uidetur : quo uno satis et diuini timoris expressis iudicium : et humanæ edidit religionis exemplum . Nam quam pauperibus contulit : deo detulit : quoniam qui largitur pauperi fœneratur deo : Et postulando quod iustum est non exiguum sed totum reliquit . Hæc enim summa iusticiæ est uændere : quæ habeas : et conferre pauperibus . alibi igitur perfunctus uirtutibus ereptusque periculis fortissimus athleta Christi Satyrus : iterum ad africanas partes repedare opus habuit recepturus uidelicet quosdam paternæ hæreditatis honores : quos tamen ideo repetere uoluit : non quia fuerit Corum† appetenda perceptio : sed ne uilis dissimulatio uideretur . Plaudebat enim sibi prosper : et sacerdotii occasione redditurum se quæ abstulerat non putabat . Quod quidem iter ægre tulte† sanctus episcopus : non ferens animo diuturno amantissimi fratris absen-

tiam : cum nec ad modicum tanti uiri contubernio seperari uellet . Missis ergo post ipsum litteris reuocare fratrem conatus est : ne ipse Aphricam pergeret : sed potius aliquem destinaret . At ille fretus animi fortitudine : cœptum iter prosequi non omisit : peruenitque deo uolente Siciliam . Peregit omnia . peregrinationem explicuit . communem rem ordinauit : et ille qui eam male inuaserat : soluens omnia uæhementiorem unius efficaciam expertus est : quam || duorum . Post hæc uir domini perfunctus omnibus reuersionem accellerauit : qui dum a Symacho nobili uiro suo parente reuocaretur : quod ardere bello Italia diceretur : quod in periculum tenderet : quod hostem incurreret . Respondit : hæc ipsa mihi causa est ueniendi : ne communi periculo desim : ut consortem me fraterni discriminis exhibeam . Eo denique tempore hostiles per Galliarum alpes barbarorum impetus Italiam irrumpere gestiebant tam impuri atque crudeles : qui nec pudiciciæ parcerent nec saluti . Videres rapi uirgines : et auulssos† a complexu parentum paruulos supra tela iactari : incœstari sacrata deo corpora : et senilem uiduæ maturioris uterum in usus desuetos onerum redire non pignorum . his et huiuscemodi grauibus nequaquam uir sanctus terretur nunciis : sed ueteri et sentinoso nauigio iterum se fluctibus credens reuersus est deo comite Mediolanum : In quo facto : fortitudinem eius si quis plenius spectare uolet : consyderet : quotiens post naufragium inuicto quodam contemptu uitæ huius maria transfretauerit : diffusasque regiones obeundo peragrarit . Postremo quod hoc ipso tempore periculum non refugerit : sed ad periculum uenerit . Nec multum post incommoditate tactus corporea lectulo grauiter fessus decubuit : tum uero mæror et luctus omnium : præcipue tamen sororis irremediabilis dolor : quod illum ex Aphrica redditum ex mari restitutum : ex naufragio reseruatum : tam insperato sibi eripi lachrymabiliter flebant : cum eis uniuersi sexus ætates et ordines : et auferri sibi proprium patrem noua quadam pietate dolebant . Quid immorer ? Ille quidem præsenti uitæ decedens : ad Christum quem semper uidere desyderauerat : in æternum uicturus transiit : sed immensum italicis luctum reliquit : De cuius laudabilis uitæ excursu et fœlici excessu sacratissimi præsulis Ambrosii sæpe nominandi fratris ipsius : quamuis immensi doloris et lachrymarum plena scripta habentur insignia : de quibus aliqua subnectere non in congruum duximus . Translato denique in cæleste regnum sanctissi | mo Satyro magnificus pontifex sacrosanctum corpus ipsius ad basilicam Ambrosianam honorifice deportari fecit : prosequentibus illud innumeris exequiarum turmis . Quod tamen ipse lachrymarum riuulis irroratum in altera longe basilica leuam gloriosi martyris propriis manibus tumulauit : et ultimum uale dicens : lachrymabili noce† quasi uiuentem affatus est fratrem : Nunc frater quo progrediar : quoue conuertar ? Bos bouem requirit : seque non totum uiuere putat : et sequenti mugitu pium testatur affectum : si forte defecerit cum quo ducere araria consueuit . Ego te frater non requiram : aut possum unquam obliuisci tui : cum quo uitæ huius semper aratra sustinui : labore inferior : sed amore coniunctior ? Non tam mea uirtute habilis : quam tua patientia tolerabilis : qui pio semper sollicitus affectu : latus meum tuo latere sepiebas : caritate ut frater : cura ut pater : sollicitudine ut senior . His et aliis quamplurimis uerbis fraterno dolori satiffaciens† lachrimis suffusus in cælum attollens oculos ait : Tibi omnipotens æterne deus gratias ago : quod uel hæc nobis suprema solatia non negasti : quod amantissimi fratris ex siculis regionibus exoptatum nobis redditum contulisti . Ita enim naturæ postquam uenit ereptus est quasi propter hoc non solum uideretur esse dilatatus : ut ad fratres rediret . Haheo† plane pignus meum quod nulla mihi peregrinatio possit auellere . Habeo quas complectar relliquias : habeo tumulum : quem corpore tegam : habeo sepulchrum : quo iaceam : Et commendabiliorem deo futurum me credam : et supra sancti corporis ossa requiescam : Tibi nunc omnipotens Christe innoxiam commendo animam tibi . hostiam offero . Cape propitius ac serenus fraternum munus sacrificium sacerdotis : qui te immaculatum deo patri pro nobis omnibus sacrificium obtulisti . Tibi laus æterna et infinita gratiarum actio : quia tu es immortalis et benedictus deus : qui cum patre et spiritusancto uinis† et regnas in sæcula sæculorum Amen . ||

PASSIO SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS .

Sebastianus uir christianissimus Mediolani eruditus : ciuis uero narbonensis oriundus Dioclitiano et Maximiano imperatoribus ita carus erat : ut principatum ei primæ cohortis traderent : et suo eum conspectu iuberent semper adstare . Erat enim uir totius prudentiæ et sermone uerax : in iudicio iustus : in consilio prouidus : in commisso fidelis : in interuentu strenuus : in bonitate conspicuus : in uniuersa morum honestate præclarus . Hunc milites ac patrem uenerabantur . hunc uniuersi qui præerant palatio carissimo uenerabantur affectu . Erat enim uerus dei cultor : et necesse erat : ut quem perfuderat deus gratia : ab omnibus amaretur . Chriisto† igitur quottidie sedulum exhibebat officium : sed ita agebat : quatinus sacrilegis regibus esset occultum : non passionis timore perterritus : non patrimonii sui amore constrictus : sed ad hoc tantum sub chlamyde tereni imperii Christi militem tegebat absconditum : ut christianorum animos quos in tormenta uidebat deficere confortaret : ut deo redderet animas : quas diabolus conabatur auferre . Denique postquam multas martyrum mentes a timore passionis eripuit : et ad coronam perpetuæ gloriæ incitauit : ipse quoque quis esset apparuit : quia lumen in tenebris latere diutius non potuit . Clarissimis igitur uiris Marcelliano et marco duobus germanis fratribus pro Christi nomine in uinculis constitutis quottidie solatium beatus Sebastianus exhibebat : et tam ipsis quam etiam seruis eorum : cum quibus tenti fuerant : salutaria fidei consilia ministrabat : quibus fugitiua sæculi blandimenta respuerent : et momentanea tormentorum genera non timerent : quique cum beatissimis consolationibus acquiescerent : et uerbera carnificum animo perseueranti transirent : capitalem iussi sunt subire sententiam . Ea scilicet ratione ut si eodem momento quo decollandi erant sacrificiis consensissent : et parentibus suis coniugis | et filiis et facultatibus redderentur . Erant enim non solum : ut diximus : genere clarissimi uiri : sed et facultatibus ornati : quorum pater Tranquillinus .† nomine et mater Martia uocabatur : qui illos sequebantur cum uxoribus eorum et filiis : nimio enim in suis nepotibus ducebantur affectu . Vnde factum est : ut ab Agrestino Cromacio . urbis Romæ præfecto triginta dierum inducias impetrarent . In quorum spatio ageretur cum eis : quatinus ad turificandum idolis consentirent . Accedentes itaque amici eorum ad eos : cœperunt dicere . Vnde uobis tam durum tamque ferreum pectus : quod caniciem patimini patris abiicere et matri iam decrepitæ nouos partus auferre ? Nam ille partus dolores suos consolationibus superabat : cum in uno dolore duos filios pareret : et geminum funderet filiorum affectum . Nunc uero insanabilis dolor inconsolabilis pœna : irremediabilis cruciatus incomparabilis partus est : quo spei gaudium tollitur : uita contemnitur : respuitur gloria : et contemptis omnibus pietatis affectibus . mortis atrocitas appetitur . Obsecramus uos o amici carissimi tandem his date cladibus finem : et uos patres esse dulcium filiorum uel ammoniti mementote . Hæc et his similia amicis dicentibus clamans mater aduenit : et soluto capite canos suæ senectutis ostentans in conspectu eorum uestem qua pectus tegebatur scidit : et cunctis flæntibus ostendebat eis laxis pellibus quas suxerant mammas : et blandimenta quæ in faciæ eorum exhibuerat ululando lacrymandoque memorabat . Aiebat ergo ad ambos dicens : Tu mihi semper blanditus es fili : et tu amplius uerecundatus es . In illo imaginem meam peperi in te paternos uultus effudi . Tu patri utilior : iste similior . Heu me miseram circunuallant me ex omni parte incomparabiles luctus . inaudita miseria : et gemina orbitas : nullis penitus tribulationibus comparanda . Omitto filios ad mortem ultro tendentes : quos si mihi hostes auferrent : per media sequerer bella raptores . Si iudicia uiolenta concluderent : carcerem simul irrumperem moritura . Nouum hoc || pereundi genus est : in quo carnifex rogatur : ut feriat : uita optatur : ut pereat : mors inuitatur : ut ueniat . Nouus hic luctus est : noua miseria : in qua natorum iuuentus sponte amittitur : et parentum miseranda cogitur senectus : ut uiuat . Tanta et talia et his similia matre prosequente : infirmus pater et grauis iam senio manibus adducitur seruulorum . Et cigneo capiti puluerem terræ aspergens huiusmodi dabat uoces ad cælum . Ad mortem ultro proficiscentibus filiis ipse uale

dicturus adueni : ut uniuersa quæ a filiis sepulturæ meæ exhibenda paraueram : ego infelix filios sepulturus expendam . O filii meæ baculum senectutis et geminum meorum uiscerum lumen . nati fœliciter et prospere educati excellentissimæ memoriæ et ingenii singularis omniumque liberalium peritia litterarum imbuti : quæ ista repente insania uestra uoluntate progenita mortis uos fecit esse amatores ? Nunquam ista uiuentibus placuit : nunquam morituris suum amorem induxit . Ad quoscumque autem peruenire potuit : uiolenter admissa est : et non est uoluntate ab ullo uiuente suscepta . Si hanc nudus debitor sub auaro fœneratore positus nulla potest ratione diligere : non solum diligere cognoscitur sed timere : qua ratione eam appetit : qui et bonis exhuberat omnibus : et pœnitus ulli nihil debet ? Venite huc iuuenes : et flæte super iuuenes sponte pereuntes . Venite huc senes : et mecum uos uiscera paterna habere sentite . huc accedite patres : et prohibete talia : ne talia patiamini . Deficite plorantes oculi mei : et caliginem obducite fundentes flumina lachrymarum : ne uideam cædi gladio : quos dum uirga leuis tangeret : tremui dum tristantes leuiter uiderem expaui . Igitur dum hæc et alia senior diceret : ecce amborum coniuges cum natis propriis ueniunt : et aspectibus eorum proprios infantulos offerentes has eiulantes uoces emittunt : Quibus nos seruituras relinquitis ? Quibus cuniugii uestri traditis caritatem ? Qui putatis erunt horum infantum domini et domorum uestrarum auidissimi peruasores ? | Qui erunt uestræ occupatores familiæ : uel qui sibi diuisuri sunt uernaculos quos nutristis ? Heu quam ferreo heu quam impio crudelitatis genere parentes despicitis : amicos respuitis : uxores abiicitis filios abdicatis : et uos ipsos carnifici ultroneos exhibetis . Interea dum ista dicuntur : et illa referuntur : inter uxorum lachrymas et suspiria filiorum cœperunt milites Christi mollescere : et animos suos flectere ad dolorem . Huic spectaculo ut superius diximus intererat sanctus Sebastianus . uir per omnia christianissimus : quem occultabat militaris habitus et chlamydis obumbrabat aspectus . At ubi uidit athletas dei immenso certaminis pondere fatigari : in medio eorum se obiiciens dixit : O fortissimi milites O instructissimi diuini prælii bellatores per nimiam uirtutem fortiter pertransistis ad palmam : et per misera blandimenta coronam deponitis sempiternam . Discat nunc per uos Christi militum fortitudo fide potius armari quam ferro . Nolite uictoriarum uestrarum insignia mulierum blandimento abiicere : sed subiectas pedibus uestris hostis deuicti ceruices ad rediuiua iterum bella laxari : Cuius quamuis sæua contra uos extiterit et iniqua instantia : sæuior tamen efficitur ira repetita . Erigite igitur a terrenis aspectibus trophæum uestri certaminis gloriosi : et nolite illud committere flætibus paruulorum . Isti quos plorantes attemditis : gauderent hodie : si possent scire : quod nostis . Putant enim : quod ista uita sit sola : quæ si finem acceperit nulla uitalis animæ corpore deficiente ualeat portio remanere . Si enim scirent esse alteram uitam ignaram mortis : tristiciæ nesciam : in qua immortalitas regnat : et perpetua gaudia commorantur : profecto ad illam uobiscum festinarent pertingere : et istam uitam pro nihilo computantes : illam appeterent : quæ in exultatione permanet : et penitus finiri non nouit . Ista enim uita fugitiua est : et tam infidelis : ut nec amatoribus suis fidem potuerit custodiræ ab origine mundi . In se credentes fefellit : omnes se expectantes decepit : cunctos de || se præsumentes irrisit : et ita nullum omnino certum reddidit : ut omnibus probetur fuisse mentita . atque etiam solius mendacii culpa esset obnoxia : et per omnia crimina currere suos non cogeret amatores . Ipsa edacitatem glutonibus . ipsa etiam ebrietatem ingerit temulentis . Ipsa naufragium pudoris adulteris . ipsa execrabilem tradidit peruersitatem incœstis . Ipsa ammonet furem : ut rapiat . iracundum : ut sæuiat . mendacem : ut fallat . Ipsa inter coniuges diuortia sæminat : inter amicos discordias : inter pacificos lites : inter iustos iniusticiam : inter fratres scandala . Ipsa tollit iudicibus iusticiam : castis pudiciciam : artibus peritiam . in ipsa aufert et moribus disciplinam . Et ut altiora quæ amatoribus suis ingerit crimina memorem : si fratrem aliquando germanus frater occidit : si filius negauit patrem : si interemptus est ab amico amicus : cuius hæc instinctu facta sunt scelera : cuius intuitu cuius spe : cuius fiducia ista sunt nefanda commissa ? Nunquid non præsentis uitæ amore ducti comittunt ? Et dum illam plus quam iustum est diligunt : iniquo omnes odio persequumtur† . Vt quid enim pirata nauigantem iugulat : ut quid latro perimit uiatorem : diues oprimit pauperem : superbus humilem et omnis nocens quemcumque potuerit aggrauat innocentem ? Hæc

autem faciunt mala : qui isti uitæ seruire desyderant : et se exstimant in amore eius per tempora prolixa durare . Non ergo alterius causa fiunt scelera : nisi ut infelicissimæ isti carnali uitæ a carnalibus seruiatur . Ipsa est denique : quæ eis crimina imperat : iubet facinora : suadet iniusta . Et posteaquam omni crudelitate omnique fuerit spurcicia saginata : seruientes sibi tradidit filiæ suæ id est morti perpetuæ : ex ipsa enim et eius utero pestis æterna est nata : tempore quo gulæ suæ et libidini delectationibus oculorum primi homines seruierunt : Atque ideo qui ad æternam uitam facti fuerant : huc sunt in ista regione iactati . Hinc iterum sunt ad inferos deuoluti : nihil secum præter peccata portantes . Hæc ergo uita est : quæ uos fallit o amici : ut amicos uestros ad | uitam euntes perpetuam iniusto consilio reuocetis . Hæc uos instigat o parentes sanctissimii†: ut filios uestros proficientes ad comitatum cæli ad honorem incorruptibilem ad amicitias imperatoris æterni stultissimis lamentationibus reuocetis . Ista est : quæ uos o castissimæ coniuges beatorum per pietatis colorem impietatem martyrum mentibus fecit tradere : et necem pro tribulatione afferre . Si enim consensissent reuocationi uestræ : pauco quidem tempore uobiscum esse potuerant : postea uero seperari et ita habuerant seperari a uobis : ut nunquam uos nisi inter tormenta perpetua uideretis . Vbi edax flamma incredulorum animas deuorat : Vbi dracones blasphemantium labia comedunt : ubi serpentes morsibus suis incredulorum pectora depascunt . Illic hululatus et gemitus et mugitus sonat et clamor confusus : quem uis tormentorum exagitat et incendii arsura extorquet . Hæc ipsa tribulatio quæ hic excipiet infideles nullo termino definitnr† : nullo fine concluditur : sed flammarum atrocium adustione consumit : ad rediuiua incendia iterum qui adustus fuerit reparatur . Hanc ergo pœnam et istos permittite euadere : et uos ipsos eripere cogitate . permittite interim istos ad coronam pergere destinatam . Nolite timere . non seperantur a uobis : sed uadunt uobis præparare in cælo sydereas mansiones : in quibus una uobiscum et cum filiis uestris in perpetuo gaudio maneatis : quod si domus uestra uos ex lapidibus facta delectat : quanto magis illarum uos debet pulchritudo inuitare domorum : ubi sunt triclynia auro puro radiantia : quæ ex gemmis ac margaritis habent zetas instructas ? Illic flos purpureus rosarum : qui non marcescit . Illic florida nemora perpetua uiriditate uernant . Illic croceis germina floribus redolent : et albescentes campi iocundis admodum odoribus pollent . Auras sibi uitam æternam habentes : nares spirant : Lumen ibi sine solis radio fulgens : serenitas absque nubilo : et absque tenebris nocturnis die oculi perfruuntur : Nula ibi impediuntur occassione deliciæ . Nulla penitus sollicitudine ibi securitas conturbatur . || Mugitum : hululatum . gemitum : lamentum et luctum nunquam illic auditur nec nominatur esse : fœdum deforme tetrum nigrum horrendum aliquid aut sordidum nunquam ibi penitus uiderunt oculi . pulchritudine uero in amenitate nemorum splendore in aere iocundo : et formositate atque omni elegantia sine intermissione oculi patentes perfruuntur : et nihil omnino quod conturbet mentem auribus datur . Sonant enim ibi iugiter organa hymnorum : quæ ad laudem regis ab angelis et archangelis decantantur . amaritudo et asperitas ibi locum non habent : tonitrua ibi nunquam audita sunt : fulgura et corruscationes ibi nunquam paruerunt . Cynamomum illic uirgulta gignunt : et balsamum arbusta prorumpunt . Odor aeris delectationem per omnia membra diffundit : et esca ibi nulla stercora conficit . Sic enim bono nuncio aures et bono odore nares et bono aspectu oculi saginantur : et ista refectio non potest in digestionem prorumpere : ita illic refectio quam os susceperit mellitlua in gustu . hoc unicuique sapit : quo fuerit delectatus . Statim denique quod concupierit anima : desyderio eius uniuersa famulantur : et omnibus delectationibus eius paratissimus seruit affectus . Nam si in ista mortali uita contra concupiscentias suas et contra delectationes pugnauerit : quisquis hic eas non expenderit : illic eas integras a suo creatore consequi certior fiet . Ipse enim creauit hominem ut eum liberet : et mortem iuxta introitum delectationis posuit : ut si quos libet in hac uita uiuere : a mortis timore refrænati uitam alteram quærant Et dum præter istam alteram esse didicerint : inquirant : utrum ipsa possit senectute intercipi : aut morte concludi : quam dum immortalem agnouerint inquirant : utrum possit ista æternitas uel honorem tradere iustis : uel iniustis pœnam inferre . Cumque specialiter esse probauerint : restat : ut interrogent . Cur a creatore diuitiæ factæ sint : si eius lege temnende sunt : uel quare quadrupedum et uolucrum atque repentium uarietas a creatore facta sit : si gulæ renuntiandum est : Cur autem

ab ipso creatore medullitus | gemina delectatio ad inquinamentum libidinis est fundata corporibus : si usus eius auctorem suum non solum reum faciet : sed etiam perpetuis tradet incendiis ? Interrogat iterum quis : cur a creatore diuitiæ concessæ sunt : et contemnendæ sunt . Respondemus : istæ diuitiæ a crearore† factæ alloquuntur quodammodo amatores suos dicentes : Sic nos amate : ut nunquam a uobis separemur . Sequi uos morientes non possumus : antecedere autem uos uiuentes possumus : sed si ipsi iubeatis . Cupidus fœnerator et auarus agricola unus aurum tradidit homini quod duplicatum accipiat alius diuersa sæmina terræ committit : ut si possit fieri quod simplum tradit : centuplum quærat recipere . Et debitor aurum creditori reddet duplicatum : et terra sænem† reddet centuplicatum . Proh nephas fœnus debitor fœneratori reddere præualet : et terra agricolæ suo restituere centuplicata sæmina potest : deus diuitias si a te acceperit eas tibi amplificatas reddere non potest ? Inquiris nunc a me cur diuitias mihi dedit : si a me ipsi reddendæ sunt . Tradit eas tibi : ut scias : quanta in eis requies : quanta uoluptas est : quanta lux est : quantæque possunt esse deliciæ : ut per hæc habens caritatem cum diuitiis tuis ipse eas tradas domino Iesu Christo : Quas si ipsi nolueris credere : aut edacitas gulæ eas inuadet : aut luxuria libidinum mater tibi eas eripiet : aut sine dubio : quod nosti optime : mors ex improuiso agrediens ita tibi illas extorquet : ut et tu illas ipsas ulterius omnino nec habere præualeas nec etiam illas uidere . Nunquid si transires per medias acies barbarorum : et inuenires fortem uirum : qui te semper dilexit : qui tibi etiam saculum pecuniis donauerat plenum : et diceret tibi : da mihi custodiendas pecunias tuas : quas tibi dedi : quia isti barbari insidiantur : ut eas tibi auferant : quas dum tibi abstulerint : te gladiis laniabunt : nunquid non pedibus eius aduolutus rogares : ut eas ipse susciperet : de quo certus eras : quod et ampliora quam acciperet : redderet : et te liberaret ipsum ab hostibus ? Restat nunc : ut diuitiis uestris || tutorem habere possitis Christum . Ad delicias ueniamus : quas qui habet aures audiendi : audiet eas dicentes sibi : uere amatores nostri estis illi nos commendate : qui nos uobis integras illibatasque in illa regione restituat : in qua uobiscum iugiter manere possimus . In ista enim uita si uobis nostrum uoluerimus occupare seruitium : quasi hic expensæ ibi uobis omnino negamus . Dimitte nos interim seruire morituris : quia idcirco breuiati sunt dies mortalibus : ut immortalibus iugiter famulemur . Sic enim propter electos breuiabuntur dies : ut seruitus nostra non sit longa iniustis . Seruimus quidem festino cursu impiis sceleratis et turpibus : seruimus non sponte sed propter eum : qui nos subdit . liberamur tamen a seruitute corruptionis : et reuocamur ad libertatem gloriæ filiorum dei . Omnis itaque delectatio futuræ uitæ seruata non perditur . Neque enim possent seruari thesauri : uel extimari ab eo : qui eos absconderit intente : sed tanto magis securius se eos habere confidit : quanto eos occultius et tutius collocauerit . Sint ergo positæ omnium deliciarum affluentiæ : non contingant in ista : quæ præterit : quia si hic in usu fuerint : in illa uita quæ nunquam præterit amittentur . Esto : quod ista uita tendatur centum annorum spatiis : nunquid non exclusa die ultimo statim uidebitur non fuisse : ac ut memoria hospitis uno die apud nos manentis uestigia reliquisse ? Illa autem uita manet iugiter : perseuerat instanter : annis quoque labentibus iuuenescit : et pollet : Et inde renouationis sumit initium : unde finis accipitur . O uere illum degenerem et omnium bonorum expertem : qui huius tam formosæ uitæ amore non capitur : qui timet istam uitam tradere perituram : et illam accipere : quæ penitus perire non nouit . In qua deliciæ : et delectationes et diuitiæ et gaudia si† inchoant : ut terminum nesciant : sic principium capiunt : ut penitus finiri non possint . Nam qui huius tam præclaræ uitæ amator esse noluerit : non solum istam perdet et illam non inueniet : uerum etiam ut iam dixi a perpetua morte capi | tur et tenetur : In qua est iugis flamma : perseuerant tribulatio et pœna perpetua : In qua atroces angeli commorantur : quorum brachia capita draconum sunt : quorum oculi ex se igneas sagittas iaculantur . quorum dentes sicut elephantis prominent : et instimulant ad tormentum ueluti caudæ scorpionum : quorum uoces ueluti leonum fremitus sonat : quorum aspectus tremorem incutit pariter et dolorem et mortem : Atque utinam mors possit in his angustiis succurrere : Sed quod est accerbius ad hoc uiuitur : ut cruciatibus gubernetur redintegratur : ut ex sese serpentium morsibus† membra : et iteratis subinde et iterum repetitis morsibus attrectentur . Et omnis causa certaminis quæ pœnas matrem docet tolerabiliter debere sufferre . Nolite ergo

amici nolite o parentes . nolite o coniuges uenerandæ sanctorum nolite a uita ad mortem quos diligitis reuocare : a gaudio ad luctum deducere : a lumine ad tenebras trahere : ab æterna requie ad pœnas sempiternas accendere . Hoc est cum diabolo quasi piscibus hamum tendere : et inuitare ad modicam suauitatem : in qua intus lateat cruciatus uiscerum et mors interior extorta . Nunquid non hoc est ad conpensationem deliciarum æternarum fugitiua gaudia anteponere : et ut per parum rideat æternis flætibus mancipare ? Hoc in gladiatoribus qui se ultro offerunt uniuersi damnamus : qui consyderant unius anni delicias : et non cogitant : qui fructus ex ipsis deliciis oriantur . Et ili† cruciantur ictibus gladiorum : et alterna cæde interna ipsorum uiscerum scisso uentris tegmine in conspectu proferunt populorum : ut pinguedo quam inconsulta sagina contulerat offeratur diabolo deuoranda . Isto consilio inimici quo isti hæc faciunt : ipso consilio ad uitam æternam euntes dei martyres reuócantur . Qui ut uitam paucorum dierum uiuant : docentur perpetuos cruciatus incurrere : et mortem perpetuam quæ specialiter metuenda est non timere . Huic loco forte illud opponitis : quare christianus tormenta non metuat : præsentis non terretur pœna tortoris . Ideo || non frangitur metu : ideo dolores non pertimescit : quia se scit unius doloris pretio perpetuæ sanitatis gaudium emere : et per momentaneam tribulationem ad perpetuam felicitatem et sempiternam læticiam peruenire . Sed si ex toto a quibusdam timendus sit dolor : timendus sit carnifex : timenda quoque sit noua et exquisita pœna tortoris : quæ magis timenda quæ magis fugienda est : et cauenda ? Ista ne quæ hodie exardescit : et cras euanescit : ista quæ sub hora inducitur : sed sub hora excluditur : An illa quæ nullo fine concluditur : nullo tempore finitur : nulla prorsus consummitur uetustate ? quam iste dolor aut leuis est : et potest tollerabiliter sustineri : aut garuis† est . et cito glorioso certamini afferet finem . Ille autem pœnarum et cruciatus incendii qui huius uitæ amatoribus datur : cum sit uæhementior uniuersis tormentorum generibus nunquam finiendus aggreditur : et acrius subinde quam inchoauerit sæuit . Et nullus sæuiendi terminus nullus omnino finis occurrit : sed habent secum diuersa suppliciorum genera . Subinde renouantur : ut sæuiant : augumentantur : ut exurant : inflamantur : ut excrucient . Hinc ergo ab hoc interitu quos amamus hortemur euadere : et nos ipsos ad euadendum fortiter præparemus . Nec timeamus una hora dolere in corpore : qui optamus gaudere cum Christo . Permittamus animam nostram cum palma ex hoc egredi corpore : pœnas æternas euadere : et ad posessiones sydereas et ad plenas delectationes peruenire . Lachrymas nostras conuertamus in gaudium . Et non debemus mortuos plangere : quos cum Christo credimus regnaturos . Congratulemur uictoribus hostium conculcata eorum ceruice . Congratulemur martyrii prætextam indutis : et cæli factos consules gloriemur . En dies in quo uincere tyramnus existimat : qui dum caperet : captus est . dum tenet : uictus est . dum torquet : torquetur . dum insultat : irrisus est . Nunc ergo in amorem nostri etiam nostros suscitemns† affectus : ut illum qui de nostra captiuitate uoluit uictoriam capere fortiter capiamus . Et qua | si a graui somno expergefacti aperiamus oculos animorum : ut uidentes foueas quas in nostri pernicie inimicus aptauerat : nos quidem auxiliante deo euadamus : et ipso diabolo cum satellibus† suis in ipsa quam parauerat fonea† incidente : nos cum propheta dicamus : Foderunt ante faciem meam foneam† : et ipsi inciderunt in eam . Igitur cum hæc beatus Sebastianus indutus clamidæ succinctus balteo ex suo ore proferret : subito per unam horam splendore nimio de cælo ueniente illuminatus est . Et sub ipso splendore : pallio candidissimo amictus . ab angelis septem clarissimus iuuenis apparuit iuxta eum dans ei pacem et dicens : Tu semper mecum eris . Hæc autem gerebantur iuxta domum primiscrinii nomine Nicostrati : apud quem custodiebantur Marcellianus et Marcus : Qui Nicostratus habebat uxorem nomine Zocii† . hæc ante sex annos ægritudinis nimietate facta est muta . Prudentiam tamen audiendi et intelligendi non solum non amiserat : uerum et melius quam prius elicuerat . Aurium seruitium obtinebat auditus . hæc itaque cum intellecxisset† omnia : quæ beatus Sebastianus dixerat : et tantum lumen circa eum uidisset : Cumque omnes tremefacti miraculi stupore tenerentur : annuebat manu omnibus : ut tam exprobrandi essent qui tam euidenti assertioni non crederent . Et genibus eius aduoluta rogare eum manuum indiciis cœpit . Tunc beatus Sebastianus cum uideret cordis secreta linguæ expressione declarari non posse : causas huius silentii percunctatus : didicit sermonis illi copiam nimia ui infirmitatis

ablatam : et dixit : Si ego uerus Christi seruus sum : et si uera sunt omnia . quæ ex ore meo hæc mulier audiuit : et credidit : iubeat dominus meus Iesus christus : ut redeant ad eam linguæ officia et aperiat os eius : qui aperuit os Zachariæ prophetæ domini . Et dum faceret crucem in os eius atque ad uocem sancti Sebastiani exclamauit mulier uoce magna dicens : Beatus es tu et benedictus sermo oris tui : et beati qui credunt per te Christo filio dei uini† . Ego enim uidi oculis meis angelum ante te stantem de cælo uenientem† : || et librum ante oculos tuos tenentem : ex cuius lectione uniuersa sermonis tui oratio decurrebat . Benedictique qui omnibus quæ locutus es credunt : et maledicti qui dubitauerint uel in uno uerbo ex his omnibus : quæ audierunt : quoniam sicut aurora superueniens uniuersas tenebras noctis excludit et omnium oculis lumen quod nox cæca negauerat reddit : ita lux sermonum tuorum omnem caliginem omnem ignorantiæ cæcitatem extersit : et oculis recte credentium serenum post noctis tenebras diem dedit . a me autem non solum incredulitatis tenebræ exclusæ sunt : uerum etiam sermonis hostium quod infirmitate sex annis clausum fuerat patefecit . Videns autem Nicostratus uir eius tantam uirtutem Christi in sua uxore celebratam : cœpit pedibus eius aduolui : et indulgentiam petere pro eo : quod imperiali et præfectorio iussu sanctos dei habuisset in uinculis : Et auferens ex manibus eorum ferreos nexus : rogare cœpit : ut dignarentur abscedere dicens : quam beatus essem : si pro uestra mereri possem salute constringi . Forsitan sanguinis mei effusione abluerentur peccata mea : ut mortem illam pœnarum æternarum euaderem : et ad illam uitam pergerem : quam nobis dominus per os domini mei Sebastiani manifestare dignatus est : Cumque rogaret Marcellianum et Marcum : ut abscederent : dixerunt ei : Si tu fidei gloriam quam non habueras accepisti : quomodo quam nos semper ab infantia habuimus relinquentes tibi passionis nostræ calicem damus : quem tibi nos propinare possumus non donare ? Diues enim est in omnibus Christus : et larga ubertatis suæ affluentia ad se uenientibus meliora exhibet : quam rogatur . Si enim cum cæteris incredulis donatum uobis est lumen ueritatis agnoscere : quanto magis iam credentibus quæcumque poposcerint donabuntur ? Diuina enim clæmentia semper parata est omnibus grata præstare : et omnibus quoque gratiæ dona multiplicat : quorum mens auctoris fidei suscepit normam . Igitur fides nostra a magisterio sumpsit exordium : et omnia quæ eruditio annosa uix | confert : in spatio unius horæ cœpistis . Nulla uos memoria parentum impediuit credere : nullus teneræ ætatis in ipsos filios uestros reuocat nutritus affectus . Contemnitis subito : quod semper amastis : et quæritis : quod nunquam scistis . Per ignaras ingressi uias subito peruenistis ad Christum : et animo iam intrastis in cælum : quia in terra nullum sollatium requisistis . O incomparabile facti præconium : o quam imitabile uirtutis exemplum . Nondum uos ad Christum sacri baptismatis unda perduxit : nundum per tirocinii initia militaria signa sumpsistis : et iam pro uestro rege arma corripitis : et eius milites a uinculo ferri soluentes : uos ipsos intrepidos optatis pro occidendis occidi : Cumque hæc audirent omnes et flætibus pœnitentiam præterite persuasionis ostenderent : Marcus ait : Discite parentes Carissimi et uester o coniuges discat coniugalis affectus : aduersus pugnam diaboli et contra omnes sagittas affectuum clipeum uirtutum opponere : atque inter acies tyramnici exercitus hostibus non cedere : dimicare acrius : gladium tendere : ad regem fortiter peruenire . Insurgant quantum uolunt : et sæuiant satellites dæmonum : et quibus uolunt pœnis corpora nostra dilanient : corpus occidere possunt : sed animam uincere non possunt pro fide ueritatis pugnantem . Gloriosiores efficiunt milites uulnera pro imperatore suscepta . In hoc enim diabolus tyramnidis suæ furore nunc sæuit : in quo præuidet perseuerantiæ nostræ tropheo se posse torqueri . Et ideo tormenta infert ne spes eius pereat . mortem minatur : ut terreat : uitam promittit : ut eripiat . securitatem pollicetur : ut tollat . Hæc tota belli calliditas : hoc fraudis consilium : a suppliciis corpus eripere : et uiciis animam subiugare . Nos e contra contendimus : hosti non cedere . corpus contemnere : animæ subuenire . Cur enim fortissimi miserrimis terga conuertunt : et in eo bello deficiunt . in quo possunt esse uictores ? Vel qua ratione mori timeant : qui sciunt hanc hominis naturam esse non pœnam ? Cur inquam mori timeant : qui credunt istam uitam falsam || esse : et ueram uitam inuenire non posse : nisi qui ab amore suo falsam istam abiecerint et caducam : quæ non aliud amatoribus suis nisi peccata imperat . suadet facinora . ingerit criminosa : nihilque aliud a suis amatoribus exigit : nisi ut penitus

de peremni uita non cogitent : regnum dei futurum esse desperent . Nunc uideamus : quibus casibus subiacet : seruitia nostra eius donationi tollentes alteram cui merito seruiendum est requiramus . Quantos enim amatores eius ruina subito grauis oppressit : fragor cæli percussit : fulmen incendit : naufragia perdiderunt : texit chaos : charybdis bibit : gladius iugulauit? Et istam miseri cum doloribus amittentes : uitam illam penitus inuenire non possunt . Ad illam enim uitam non ducit tortura : sed causa . Vno denique eodemque pœnarum genere et innocentibus salus æterna confertur : et pœna delinquentibus irrogatur . Igitur cum hæc et his similia Marcus prosequeretur : cœperunt omnes qui aderant gratias agere : atque uniuersi flæntes pœnitudinem gerebant : quod caritati dei prætulerant amorem carnis : et quia ab agone martyrii ausi fuerant animos reuocare sanctorum : Cumque omne† qui ad decipiendos sanctos uenerant unanimiter crederent Christo : Nicostratus cum coniuge sua se urgebat dicens : Non capiam cibum neque potum : nisi mysterium mihi christianæ religionis fuerit traditum : Cui beatus Sebastianus dixit : muta dignitatem tuam : et esse incipe Christi magis primiscrinius quam præfecti : Audi itaque consilium meum et omnes quos carcer inclusit : quos uincula tenent : quos ergastula conficiunt in unum redige . Quod cum feceris : Antistitem sacrosantæ legis adhibeam : ut cum omnibus credere uoluerint : mysteria sancta suscipias . Si enim diabolus suo argumento eos a Christo seperare contendit : quanto magis nos pietatis argumento hos quos diabolus iniuste lucratur curare debemus : et suo restituere creatori ? Et Nicostratus ad hæc Respondit : Quomodo iniquis et criminosis possunt sancta committi ? Sebastianus ait : Saluator noster pro peccatoribus suam nobis dignatus est ex | hibere præsentiam : et ostendit mysterium : quo omnium peccata et crimina hominibus auferantur : et omnes uirtutes domini conferantur . Inter initia igitur conuersationis tuæ hoc munus primum si te conferas Christo : præsto erit remunerationis eius super te corona martyrii habens secum immarcessibiles flores æternæ uitæ gaudiis profuturos . Audiens hæc Nicostratus primiscrinius abiit ad Claudium commentariensem : et iussit uniuersas personas domum eius adducere dicens : proxime omnes discutiendi sunt . Volo ut illis Christianis qui apud me sunt præsto sint : ne aliqua discussioni præfecturæ possit deesse persona . Igitur cum omnes domum primiscrinii perducti adstarent cathenarum nexibus uincti : hoc modo uir dei Sebastianus alloquitur : Crimina diabolica si diuinis uirtutibus cedant : reatus uester a morte excluditur : et ad gaudia natiua reuocatur . Egerat enim per suos satellites iniustus : ut animos militum Christi ad uirtutum culmen erectos euerteret : et in ipso perfectionis fastigio positos ad cenum conaretur mergere inferorum . Hac autem de causa incaluit animus militum ad dimicationem prouocatus : ut uos quos iam lucratus fuerat de eius captiuitate tollentes : uestro uos creatori reddamus . Diabolus enim nec dominus noster nec creator nec pater esse dignoscitur . Deus autem et pater et dominus et conditor uester comprobatur . Et si hunc derelinquentes ad illum abiistis qui uester extitit inimicus : qui uos ad pœnas perpetue mortis adduceret : et ad istud lætale faceret exitium deuenire : quanto magis ad eum redeundum est : qui unicum filium suum passioni et morti tradidit : ut nos a passionibus æternis et a morte perpetua liberaret . Cum hæc et his similia sanctus Sebastianus prosequeretur : se cum lachrymis et flexis genibus cœperunt cordis mugitum reddere : et se peccasse : et impie egisse pœnitentiæ uocibus exclamare . Fundebant ergo amaras lachrymas : et se Christo uelle credere nimiis uocibus resonabant . Tunc beatus Sebastianus iubet eos omnes a uin || culis cathenarum exolui . Post hæc abiit ad beatum Polycarpum presbyterum : ubi erat causa persecutionis occultus : et narrauit ei omnia : quæ gesta sunt : quibus auditis sanctus Polycarpus presbyter gratias egit domino : et una cum eo uenit domum Nicostrati primiscrinii : Et uidens turbam credentium : salutans eos cum omni gaudio ait : Beati omnes : qui audistis uocem domini nostri Iesu christi dicentis : Venite ad me omnes : qui laboratis : et onerati estis : et ego uos requiescere faciam . Tollite iugum meum super uos : et discite a me : quia mitis sum et humilis corde : et inuenientis† requiem animabus uestris . Iugum enim meum suaue est : et onus meum leue est . Vos itaque fratres nostri quos baptismatis unda diluet : et consecrandos deo omnipotenti carissimos filios faciet . pro hoc quod a proposito suo sancto reuocare conati estis beatissimos Christi milites : opus uobis erat pœnitentia : ut per ipsam ad indulgentiam ueniretis . Nunc autem quia ad tantam gloriam acces-

sistis : ut etiam ad passionem a qua mæsti alios reuocare uoluistis : ad ipsam læti iubiletis currere . uetus hoc artificium Christi est : Nam ipsum quem uas electionis suæ dignatus est et uoluit magistrum gentium dare non solum fidelium animos a pietatis proposito reuocabat : sed etiam nolentes a Christo discedere lapidibus obruebat . Hunc nobis ipse dominus apostolum eligens condonauit : Tribuitque nobis ex Saulo Paulum : et ex apostata fecit apostolum : et dedit ecclesiæ suæ ex persecutore doctorem . Amator passionum factus est : qui persecutionum auctor extiterat : et qui in alienis afflictionibus prius gratulabatur : in suis postmodum persecutionibus lætabatur . Ipse qui tunc in apostolo suo uirtutem istam exercuit : ipse nunc quoque nos de ipsa inferorum conclaue et ex ipsis draconum faucibus animarum uestrarum captiuitatem eripuit : et uobis nunc a tenebris ad lucem remeantibus æternæ uitæ ianuas patefecit . Quia ergo omnes dæmones qui sunt tenebrarum filii contristantur : et omnes santi† angeli qui sunt filii lumi | nis gloriantur : accedat unusquisque : et det nomen suum : ut præstantem diem usque ad uesperum precurrente ieiunio festum baptismi sacramentum et oportunum tempus inueniat . Iustum est enim : ut lux a mortali mundo abscedens ad nostras mentes immortales accedat : et in istius cœno uolutati et cæcæ noctis caligine iacentes atque tenebrarum nos aqua sanctificationis ablutos sanctificet : quo mundati iam et sinceritatem induti : alacres pergamus ad Christum . Hæc et his similia prosequente sancto Polycarpo uniuersi gauisi sunt : atque unusquisque nomen suum festinabat priusquam interrogaretur offerre : Cumque agerent : uenit Claudius commentariensis Promiscrinii† Nicostrati domum : ubi ista gerebantur : et dicit Nicostrato : Væhementer præfectura commota est : eo quod personas reorum tuæ domus custodiæ tradi iussisti : hac de causa suis te iussit aspectibus præsentari . Vide qualiter debeas interrogatus dare responsum . Ingressus itaque ad præfectum Nicostratus cumque fuisset interrogatus : cur eas personas quas claustra retinebant suæ uoluerit domus mancipare custodiæ : Respondit : amplitudinis uestræ iussu christianas intra domum meam custodiendas suscepi personas : quibus ut terrorem passionis inculerem : reorum illos feci sociari personis : ut iussioni uestræ et persuassioni uestræ si non consensu suo saltem alieno experimento consentiant : et metuant : ne similis eos pœna concludat . libentissime igitur audiens præfectus aduocauit eum ad se dicens : Magno te censu a parentibus eorum remunerari faciam : cum per te fuerint incolumes filii restituti . Reuertens itaque domum suam Nicostratus primiscrinius cum diacono commentariense cœpit uniuersa referre : et qualiter sanctus Sebastianus cum sit amicus imperatorum sit etiam christianissimus : et eruditione diuina perfectus : Et qualiter animos christianorum sua exhortatione corroboraret : et quod satis idonea ratione docuisset istam uitam fugitiuam et imaginariam esse : et sic dum teneri putatur aufertur . Narrabat etiam ueniens quomodo repente lux de || cælo perlustrasset eum : et quomodo uxor eius quæ per sex annos muta fuerat : fecit eam loqui . Cum hæc narrraret† Nicostratus Claudio corruit ad pedes Nicostrati Claudius dicens : Ex amissa coniuge duos filios babeo† : ex quibus unus hydropis morbo fatigatur : alius uulueribus† diuersis opprimitur : Rogo : ut iubeas eos uisitari . Non enim dubito : quod ille qui facere potuit : ut post sex annos loquatur uxor tua : faciat : si uoluerit : ut ad filios meos redeat sanitas . Et hæc dicens proripuit se domum suam : et fecit inter manus adduci duos filios suos . Et introducens eos intra domum : ubi erant sancti dei : proiecit eos ante pedes eorum dicens : Nulla penitus dubietatis signa in corde meo remanserunt : sed ex toto corde meo credens : quod Christus quem colitis ipse sit uerus deus : detuli huc duo incrementa mea : credens : quod possint per uos a mortis periculo liberari . Dicunt omnes simul uiri dei : Omnes hic hodie aliqua infirmitas tenet : mox ut christiani facti fuerint : saluabuntur : Cumque clamaret Claudius credere se : et desyderare fieri christianum : iussit sanctus Polycarpus presbyter : ut darent uniuersi nomina sua . Primus itaque omnium dedit nomen suum tranquilinus pater Marcelliani et Marci . Post hunc sex amici eorum id est Ariston : crescentianus : Eutícianus : Vrbanus : Vitalis et Iustus . Post hos Nicostratus Primicrinius et Castorius frater eius et Claudius commentariensis . Post hos filii Claudii Felicissimus et Felix : Post hos Martia mater Marcelliani et Marti† . Post hanc Symphrosia uxor Claudii : et Zoe uxor Nicostrati : animæ trigintatres promiscui sexus et ætatis . Deniqe† omnes qui uincti fuerant ac de carceris squalore educti animæ sexdecim . Igitur omnes simul animæ sexaginta quattuor a sancto Polycarpo

presbytero baptizati atque a sancto Sebastiano suscepti sunt . Fœminarum autem matres fuerunt Beatrix et Lucina . Primos itaque claudii filios hydropicum unum et alium uulneribus plenum mox ut in nomine trinitatis intinxit : ita de fonte sani leuati sunt : ut nec signum in eis alicuius mor | bi præteriti remansisset . Post hos autem infantulos : Tranquillinus pater sanctorum Marcelliani et Marti† : qui ita podagrito† fuerat dolore constrictus : ut sicut supradictum est uix manibus portaretur . Hunc dum exuerent indumentis : Et ille intollerabili se diceret dolore torqueri : interrogabat enim dicens : Tranquilline si ex toto corde tuo credis unigenitum filium dei dominum nostrum Iesum christum tibi salutem posse conferre : et omnibus peccatis tuis indulgentiam condonare : ore proprio edicito . Tranquillinus respondit : ego indulgentiam solam peccatis meis dari et desydero et credo : Cæterum si post baptismatis huius sancti purificationem in doloribus non fuero : non potero in fide Christi ulterius dubitare . Probaui enim et ex toto corde credens in mea mente consenti : quod filius dei sit dominus Iesus christus : qui potens est in animabus et corporibus salutem tribuere : et a morte æterna uitam perpetuam reuocare . Hanc cum audissent uoce† omnes sancti : præ gaudio lachrymas fundebant : et rogabant dominum : ut fidei eius fructus ostenderetur . Sanctus itaque Polycarpus confessor et presbiter mox ut eum oleo liniuit et unguento : interrogauit eum iterum : si crederet in patrem et filium et spiritum sanctum . Statim ut Respondit : credo : solute sunt manus eius : quæ erant nodosæ et genua simul ac plantæ ita sunt incolumes redditæ : ac ut puer reuocatus pedibus suis in fontem descenderat clamans : Tu es deus unus et uerus : quem miser iste mundus ignorat . Hoc itaque ordine suo baptizato uniuersi prout conpetebat secundum morem baptizati sunt : Et per dies sexdecim qui supererant in dei laudibus perdurantes ducebant dies ac noctes in hymnis et canticis . Et quasi fideles milites parabant animos suos ad dimicandum pro Christi nomine in martyrio bellaturi : ita ut et in mulieribus et in infantibus amor ferueret martyrii : et inuicem se ad confessionem sancti nomins† contra diabolicas acies prepararent . Diebus itaque acceptæ dilationis expletis Chromatius urbis præfectus ad se Tranpuilli || num† patrem Marcelliani et Marci et matrem uenire iubet : quem cum de suorum inquirerret arbitrio filiorum : Tranquillinus Respondit : Ad referendas beneficiis uestris gratias : nullus oris mei sufficit sermo . Nisi enim currentem sententiam fræna uestri moderaminis tenuissent : nec ego filios haberem : et me patrem filii non haberent . Congratulantur mihi omnes : quos tenet paternus effectus† : et pungit caritatis stimulus : Etiam uestra credo quod mihi congaudeat celsitudo : quando morituris uita collata est : anxiis læticia reddita : sollicitis securitas restituta . Tunc præfectus estimans filios suos uelle idolis inclinare ceruices : ait : Aduenienti die debita muneribus a filiis tuis tura reddantur : Per quæ tu perseueres incolumis : et tibi filii condonentur . Audiens hæc Tranquillinus dixit : Illustrissime uirorum examinis uestri libram si uelitis erga me et filios meos æqua lance pensare : agnoscere poteritis hoc uocabulum magnum esse uirtutis . Præfectus dixit : insanis Tranquilline ? Tranquillinus dixit : Insaniam passus sum : et animi et corporis . Sed statim ut credidi Christo : et animi recepi et corporis sanitatem . Præfectus dixit : Ergo ut uideo ad hoc inducias scelleratis filiis tuis dedisse cognoscor : ut non solum tu illos ab errore non tuleris : sed illi te suis erroribus irrætirent . Tranquillinus dixit : Per gloriam uestram nomen ipsum erroris discutite : et uidete quæ opera erroris nomine nuncupentur . ad quem Præfectus : Tu dic quæ opera erroris nomen accipiant : et Tranquillinus : Primus error est : uiam uitæ relinquere et per uiam mortis gratanter incedere Præfectus dixit : Et quæ est uia mortis ? Tranquillinus dixit : Non tibi uidetur uia mortis esse : mortuis hominibus deitatis nomen imponere : et figuras eorum sculptas ligna et lapides adorare ? Respondit Præfectus : Ergo non sunt dii : quos colimus ? Respondit autem Tranquillinus : Ita non sunt dii : ut legantur in codicibus uestris : et quam male nati sint quam iniquos et crudeles et sceleratos parentes habuerint : et quam inique et dolose et frau | dolenter uixerint : et quam miserabiliter mortui sint . Nunquid ante quam Saturnus cretensibus imperaret : et filiorum suorum carnes comederet : deus non erat : Aut creta insula habebat regem : et cæli non habebant deum ? Valde errat : qui putat Iouem filium eius imperare fulminibus homuntionem : in quo et malicia et libido regnabant . Quem non persecutus est : qui patri non pepercit ? Aut quam sordem non excreuit† : qui suam germanam accepit uxorem ? In foro in plateis in

domibus atque in omni loco quottidie legitur sordidissima Iuno : quod et soror et coniunx fuerit gloriata . Et rapti ganymedis honor turpissimus atque incœstissimus ab ipsis a quibus ipse Iupiter colitur : non negatur . Non ergo erras uir sublimissime : qui talles colis : quales romanæ iubent leges pro suorum factorum qualitate damnari ? Et relicto deo omnipotente qui in cælis regnat : lapidi dicis : deus meus es tu : et ligno dicis adiuua me ? Tum ait præfectus : Ex quo cœpisti deos blasphemare : et a cultura eorum recedere : ex eo diuersis cladibus Romanus orbis opprimitur . Tranquillinus Respondit : Non est uerum : quod dicis : Nam si recenseas decadas Titi Liuii digestas : illic inuenies Ioui thura ponentes una die ad uigintitria millia romani exercitus iuuenes cecidise : Sed illius non es immemor : quod uenientes Galli etiam capitolium occupauerunt : et omnem romanam manum suis ludibriis subiugarunt . Diuersas fames et inennarrabiles diuersas etiam captiuitates diuersas effusiones sanguinis romanus orbis est passus : antequam unum colerent homines deum . Nunc uero ex quo inuisibilis et uerus deus cœperit a credentibns† coli : alta pace exultat romanum imperium . Sed quod peius est : deus qui hoc præstat non cognoscitur : et creaturæ eius ascribitur : quidquid a creatore præstatur . Cromatius præfectus dixit : Si ille collendus est : qui humanis commodis præstat effectum : nullus nisi sol habebitur deus : qui aspectu suo terræ uiscera uegetat : ut sæmina suscepta parturiat : et geminæ sobolis grana in culmo restituat : atque uniuersis salu || tis nostræ utilitatibus et lumen et restaurationem pariter tribuit et uigorem . Tranquillinus respondit : Et in hoc error est infinitus . Nam si hodie per seruum suum quispiam clientibus tribuat : quod rogatur : infinita est stulticia : si ille neglectus sit : qui præstitit : et seruus cui prestiterit honoretur . Et ut aliquam huius dicti comparationem exhibeam : nunquid cum naues romanis alimenta deferunt : nauibus potius quam regibus gratiæ referuntur ? Si ergo non nauigantibus sed imperantibus homines quod annonantur gratiam adscribunt : quanto magis soli deo agendæ sunt gratiæ : cuius nutu omnibus usibus nostris elementa deseruiunt ? Et sol ipse quottidie terræ marique apparens clauditur in fine diei : et iterum in diei initio aperitur . Præfectus dixit : si ergo unus et inuisibilis est : quem colitis : Christum quem Iudæi crucifixerunt non colitis . Tranquillinus dixit : Recte hoc inquireres : si credere destinares . Incredulis enim uanum uidetur omne : quod nolunt . Semel et enim in præceps uoluntas mortalium lapsa : omne quod uituperat desyderat . Et uult : ut laudetur ab hominibus : Sed sapientes pro merito suo cuicumque rei et uituperationem suam expendere nituntur et laudem . Præfectus dixit : Ego te de Christo uestro interrogo . Si enim a uobis hoc colitur : quod istis oculis non uidetur : Christum non colitis : quia et uisus est : et auditus : et interrogatus est : et omne quod humanæ fragilitatis competit : in eius legitur passione completum . ad quem Tranquillinus : Si hodie annulum habentem gemmam preciosam uideas in cloaca atque in sterquilinio uolutatam : et ad hunc eruendum imittas seruos tuos : illi autem nec illum potuerint liberare : sed se ipsos in aliquo dum illum conantur eripere polluerint : postea uero tu ipse deponens has sericas quas indutus es uestes : induas te seruilem tunicam : et descendens in cloacam mittas manus tuas in stercora : et anulum aureum simul tuis manibus repræsentas et gemmam . amicos tuos omnes inuitas ad epulas : et lætaris super annulo et gemma : quod sint de nimiis squalori | bus liberati . Præfectus dixit : Hanc propositionem ad cuius similitudinem proposuisti ? Et ait Tranquillinus : Vt ostenderem tibi unum deum inuisibilem nos colere . Præfectus dixit : Et quod est aurum : aut quæ est gemma : quæ in sterquilinio uolutabatur ? Tranquillinus Respondit : Aurum corpus hominis est : gemma uero anima : quæ in ipso inclusa est . Corpus enim et anima unum hominem faciunt : quomodo aurum et gemma unum annulum facere comprobantur ? Sed quantumuis tibi pretiosus sit annulus : longe satis homo pretiosior est. in centuplum Christo . Misit enim deus seruos ut annulum de sordibus eriperent : et nulla ratione eum eripere uoluerunt . Misit et prophetas suos dominus de cælo loquens ad eos : ut humanum genus a sordibus huius mundi eriperent : et nulla omnino hoc facere instantia potuerunt . Quare ipse deposuit auratas uestes : et seruili indumento indutus descendit in cloacam : et manus suas misit in sordes : ut annulum de sordibus liberaret : ita et maiestatis domini Christi exiit de diuinitatis suæ splendore : et induit se seruili indumento : et hūc† in cloaca huius mundi de cælo descendens misit manum suam in sordibus passionum nostrarum : et passionem : quæ meritis nostris debeba-

tur : in semetipso suscipiens : gloriæ nos suorum reddidit digitorum . Nunc qui per incredulitatem uolutabamus in squaloribus mundi : per fidem abluti a sordibus : diuinis sumus manibus ut ille tuus annulus restituti . Nunquid serui qui te negauerunt dominum suum : dum te in habitu seruili respicerent : non potuerunt : ut rebelles occidi ? Ita et qui negant Christum domiuum† suum pro hoc quod semetipsum a maiestate exinaniuit et formam serui suscepit : ullatenus poterunt æterni ignis pœnas euadere ? Ideo denique nobis qui in eum credimus æterni fontis unda subuenit : ut æternis† ignis ab æterno fonte uincatur : et extinguatur : ut infidelitas a fidelitate superetur . Præfectus dixit : ut uideo : non ut filios tuos ab hac intentione tolleres poposcisse probaris inducias : sed ut has aniles fabulas ad no || stra tribunalia meditatas afferres . Cui Tranquillinus ait : hoc meditantur discipuli Christi : quid in conspectu iudicum prosequantur . Sic enim monuit nos dominus dicens : Quando potestatibus huius mundi uos causa nominis mei tradunt : nolite cogitare : quo modo : aut quid loquamini dabit enim diuinitas : quid dicatis . Non enim uos estis : qui loquimini sed spiritus dei qui loquitur in uobis . Non enim meditando ego : sed credendo inueni creatorem meum . Et qui eram podagrico . et chiragrico dolore contractus et quassatus : statim ut Christo credidi : ac si puerulus omnium membrorum meorum recepi sanitatem . Constat animo meo ipsum me creasse : qui me renouare dignatus est . Et sicut restaurationem dedit corpori : ita quoque animæ post hanc uitam repromisit æternam requiem æternumque gaudium possidere : Si tamen non dubiis nec timidis hominum terroribus frangar : sed in eius nominis confessione perdurans : fidem integram quam me deus inuenire fecit conseruem . respondit præfectus : Ignoras Tranquilline quanta inuictissimorum principum erga christianos ira desæuiat : et ideo quasi securns† quod tibi uidetur quasi sine timore prosequeris ? Tranquillinus dixit : Stultus timor est : quo plus timetur humana indignatio quam diuina . Nunquid si in medio canum latrantium uenerimus : et uano furore cœperint nos suis morsibus attractare : nunquid possunt nobis de animo tollere hoc : quod nos homines sumus rationabiles : fidem Christi tenentes : cum sint illi et irrationabiles et insani ? Sæuire possunt : et inferre iniqua supplicia . nunquam tamen de corde nostro hoc auferre poterunt : quod dominum Iesum christum nostrum et creatorem esse credimus : et redemptorem ac restauratorem gaudemus . Hæc eo dicente : Præfectus iussit eum recipi a comentariis dicens : proxima te audiam sessione . Post hæc mittit : et adducit eum ad se per noctem occulte : et offerens ei infinitum pondus auri dicebat : Ostende mihi medicamentum : ex quo recepisti salutem : Cui Tranquillinus ait : Scias grandem iram et furorem dei esse passuros : | qui gratiam eius uel uænundandam existimant uel emendam . Vnde si uis a podagrico dolore liberari : crede Christum filium dei uiui : et liberaberis . Et sicut hodie me uides : ita saluus eris . Nempe tu melius nosti : quia uix manibus deferebar et per undecim annos per omnes iuncturas neruorum in corpore meo dolorem nodis strictus : uix ori meo panis alienis manibus tradebatur . Illico ut Christum uerum esse deum credidi . salutis me gaudia receperunt : et sum incolumis quia uerum saluatorem agnoui . Tunc præfectus dimisit eum dicens : Adduc ad me : qui te Christianum fecit : ut si mihi promiserit sanitatem : possim et ego fieri christianus . Statim Tranquillinus ueniens ad sanctum Polycarpum presbyterum : narrauit ei omnia : quæ gesta uel dicta fuerant . Et duxit eum intra domum præfecti : Cui præfectus ait : Licet enim grauis animaduersio principum christianis infesta sit : tamen spe recuperandæ salutis offeram uobis quidquid illud est usque ad dimidium bonorum patrimonii mei : si ab hac nodositate condolomatum mei fuerint membra corporis resoluta . Tunc sanctus Polycarpus surridens ait : potens est dominus Iesus christus qui ignorantiæ tuæ ualuas aperiat : et ostendat tibi : quod ipse sit tui corporis restaurator . Nam pecuniam siue qui offerunt siue qui oblatam accipiunt : non solum nullam dolentibus confert medicinam : sed etiam ipsi sibi insanabilem morbum assummunt : Dicit ei præfectus : Dic ergo mihi : quid faciam : ut consequi ualeam : quod spero . Dicit ei sanctus Policarpus presbyter : Si credideris ex toto corde tuo sicut credidit Tranquillinus : saluus eris . Dicit ei Præfectus : Quo ordine credere debeam intima mihi : Ad quem Polycarpus ait : Promitte pro salute tua omnia ordine suo compleri . Respondit præfactus† . Fac quod scis : Tunc sanctus Policarpus cathetizauit eum : et dixit ei : ut per triduum ieiunaret . Et conuocans ad se sanctum Sebastianum tribus diebus et tribus noctibus ieiunauit . et cum lachrymis pariter

orabat : ut fidem nominis sui sa || uatoris† in salutem uolentis credere declararet Igitur cum die tertia quæ constituta fuerat aduenisset domum sustinentis præfecti : adueniunt pariter properantes : Cumque ingressi fuissent : dixerunt : Pax fidei tuæ . At ille salutauit eos officiosissime dicens : Si per uos pacem consequar ? Et hortatur sedere ei iuxta se : desyderans ex ore Tranquilini libenter audire rationem . Et respondens dixit : Ex ore Tranquillini ratio egressa oculorum meorum assertioni declaratur intentio . Video enim hunc sanissimum : quem podagrico et chiragrico uideram dolore constrictum quo genere medicamenti : uel unde fuisset saluatus : inquirens : tale ab eo accepi responsum : Dum fidem meam in idolis ponerem : debilis et nimia uidebar esse infirmitate constrictus : ubi uunm† deum in cælis didici ostensione christianorum : abnegaui uniuersa : quæ sine causa colueram : et tradidi ex fide animam meam Christo . Mox autem ut unum et uerum deum in cælis regnare confessus sum : statim omnis quam per undecim annos amiseram ad me reuersa est sanitas : et omnis est protinus a me infirmitas seperata . Hæc audiui auribus : probaui oculis : corde credidi . Superest : ut quod fecistis Tranquillino : et mihi faciatis : ut Possim mei corporis recipere sanitatem . Respondit polycarpus : Si transeuntes dolores anima hominis non suffert : quid de illis doloribus actura est : quibus nullus unquam subuenit medicus : nullus finis aduenit : nullus datur unquam successor ? Nam isti dolores illorum dolorum imaginem portant : Et quantum distat inter ignem uiuum et picturam illius : tantum distat inter dolores quos patitur corpus : et illos quos passura est anima : si ignara creatoris sui non impleuerit munus . Age ergo nobiscum prius de illis doloribus : et esto de illa pœna sollicitus : quæ habent ignem semper ardentem et uermem semper edentem : ubi corpus de die in diem renouatur ad pœnam . Tunc Chromatius urbis præfectus cum unico filio suo Tiburtio dedit nomen suum dicens : In hoc de fide mea certos uos esse conuenit : in quo etiam filium | meum christianum fieri mecum exopto : Cui beatus Sebastianus dixit : Vide ne sola recuperatione corporis ductus te uelis fieri Christianum : sed magis spe uitæ æterne fac mentem tuam puram ad uidendam rationem ueritatis . Nisi enim agnoueris : quis sit creator tuus : non poteris salutem inuenire : quam quæris . Chromatius dixit : Ergo rusticos et simplicissimos homines non uidimus esse christianos : ita ut inter mille uiros unum inuenias : qui possit uel sermonum disciplinam accipere ? Nunquid hii homines ad istam inquisitionem attingere potuerunt : cum fierent christiani ? Sanctus Sebastianus ait : Hoc responsum tuum nostræ partis affirmat assertio . Nam ab origine mundi cum ruris cultoribus et pastoribus ouium deus habuit rationem : et iuxta fidem mundi non elegit grammaticos et oratores : sed piscatores et simplices : et ipsis tradidit noticiam suam ad quem Chromatius : Cur ergo me dicis prius agnoscere debere : quis sit creator meus : quem nisi cognouerim salutem inuenire non possim ? Et Sebastianus : Quia multos deos et multas deas coluisti . Nisi ergo hos a corde tuo excluseris : et imagines eorum confregeris : et cognoueris unum et uerum deum : uitam et sanitatem inuenire non poteris . Tum Chromacius ait : Indica ergo mihi : quis est unus et uerus deus . ad quem Sanctus Sebastianus : Si seruum tuum ad hauriendam aquam miseris : Dum autem uenerit : aspicit ne sordes intus lateant . Et non est ausus aquam haurire nisi mundam a sordibus uiderit . Sic et nos tibi quomodo tradimus fontem ueritatis : nisi prius te ab omnibus idolorum sordibus et squaloribus feceris alienum ? Chromacius præfectus dixit : Et quo ordine alienus effici potero ab his ? Tum Sebastianus : Da mihi potestatem : ut omnia idola quæ intra domum tuam inuenerimus lapidea confringamus : lignea incendamus : ænea uero aut argentea uel aurea conflemus : et pretium eorum egentibus demus . Ait Chromatius : Et dum hæc feceritis : mihi quid fructus accedet ? Beatus Sebastianus dixit : Cum hoc factum fuerit : || omnium neruorum tuorum quorum nodositate constrt geris† statim consequeris sanitatem . Et quasi nunquam dolueris : ita pedibus tuis currere incipies : et agnoscere : quod inimicos tuæ salutis deos dixeris . Tuum uero parentem hunc esse scias : qui te statim ut eius noticiam atque culturam inueneris restaurat : et sanat . Ad qnem† ait Chromacius p̄† . Nolite uos metipsos ad hanc iniuriam deponere : sed seruis meis præcipiam : et uniuersa ipsi confringant . Tum Beatus inquit Sebastianus : Dubii et timidi et infideles : si ea confregerint : inueniet : diabolus per quamcumque negligentiam eorum occaxionem† lædendi eos . Et statim ut læsi fuerint : dicent infideles : propterea eos læsos esse : quia idola confregerunt . Nisi enim loricam

habens non eripitur ictibus sagittarum . Galea enim et scuto et hasta utitur docta manus in prælium et impetum feriendi audaciam : quæ terga uersare non nouit . Hi ergo qui custodia fidei muniuntur : et lorica tegminis Christi proteguntur : habent galeam spei : et satis ipsis est totum† inire certamen . Pugnant enim acerrime : et fortiter uincunt : quia contra inuisibilem hostem die noctuque infatigabiliter præliantur : et sunt tecti in omnibus membris : fide potius armati quam ferro . Chromacius dixit : Fiat uoluntas dei et uestra . Tunc sanctus Polycarpus presbyter et beatus Sebastianus præcingentes se orauerunt : Et post orationem amplius quasi ducenta idolorum figimenta† confringentes : cœperunt gratias agere deo suo . Post hæc accedentes ad Chromatium dixerunt ei : Confringentibus nobis idola : tu debuisti sanitatem recipere . Vide ne forte aliqua tibi signa infidelitas dereliquerit . Hoc enim apud nos certum gerimus : quod sit aliquid quod nondum est fractum . Aut si omnia fracta sunt : quid animi geras nobis euidentius manifesta . Tunc ille : habeo inquit cubiculum holouitreum : in quo omnis disciplina stellarum ac mathesis mechanica est arte constructa : In cuius fabrica pater meus Tranquillinus plusquam ducenta pondera auri dignoscitur expendisse : Cui beatus Seba | stianus dixit : Si te integrum habere uolueris : ipsum franges : Ad quem ait Chromatius : Quid enim mathesis nunquid aliquo sacraficiorum† ritu colitur ? Mensuum et annorum cursus certo tempore pensatur et tenditur : et lunaris globi plenitudo iuel† diminutio digitorum maturatione præuidetur . Et Polycarpus : Illic signa leonis et capricorni et sagitarii et scorpionis : et tauri . In omnibus his monstruosis dæmoniis : hæc ars inimica deo cognoscitur . Ista christiani ita recusant : ut non solum ipsi non audiant : non credant : non colant : non teneant : uerum nec illos amicos habeant : qui huiuscemodi nugis suum occupant pectus . Omnia enim ista falsa deceptionisque ministra sunt . similitudo in eis ueritatis est : non ipsa ueritas . Dicit ei Chromatius præfectus : Quid quod non unquam futura prænuntiant ? Tum Sebastianus : Ista inquit omnia uanissima esse et falsa Christo reuelante cognoscimus : quæ tibi nunc manifestius aperimus . Præcipue† hodie ad te matheseos uenire doctorem : cui dicas illo tempore te asperis casibus laborasse : et inquire : per quas stellas hoc tibi euenerit mali . Responsa eius erunt procul dubio talia : quod tempus tuum a malicioso aere susceptum est . Aut Saturnus apocatasticus fuit : aut annus tuus ex diametro susceptus est : aut clemacteriaca tibi in centro sunt nata : aut sindetus fuit cum malo aut inuisibilis : aut in scemate erga te extitit cursus stellis . Hæc et his similia cum dixerit : rationes tibi uerisimiles designare nituntur et probare . Age ergo nunc interroga alterum Mathematicum : cui ipsas horas ipsumque tempus in bonis tibi exhuberasse casibus dicas . Illico uidebis eum tibi rationabilia scemata offerre : quibus approbet : quia in ipsis temporibus tibi euenisse debuerint bona . Circulum et enim tenet ex omni parte collectum in quo quidem diuersas et uarias causas accipit : ex quibus occasionem accipiat dicendi : quod uelit : Nam et futura dum penitus præuidere non possint : clemacteras† dixerunt id est neutræ rei et incertæ perfugia . Nam diuersis temporibus nati uno naufragio peri || erunt : Et una hora diei uel noctis exorti alter ad mendicitatem deponitur : alter ascendit ad regnum : Et in uno prælio innumerabilis multitudo prosternitur : Et uno die et imo uno puncto uel unus homo uel duæ natæ fœminæ : una efficitur impudica : alia casta . Ergo nec meretrix uituperanda est : nec casta laudanda . Certe legumlatores et principes sacra sua præuaricantes puniunt : ideo forum . ideo iudex . ideo iura . iusti recte laudentur : et iniusti merito puniantur . Et hoc nolo esse existimes : quod te ipsum nundum saluatum attendis . Nam si ex integro a te inimici generis humani uoluisses cerimonias profugare : in te ipso quod uerum est didicisses . Audiens hæc Chromatius præfectus dixit : Verus deus ille est : qui uos tales probatur habere cultores . Nam omnis sermo uester ita rationibus affluit : ut etiam pecudum ad rationem ueram mentes inclinet . Vnde etiam hoc ipsum quod ad ornatum domus uisus sum excepisse ne impediat saluti meæ eius incolumitas dissipetur . Credo enim et hæc fides mea est : quod hæc omnia christianitatis lex abominâtur et prohibet : quæ ex integro si a me seperauero : et præsentem merear salutem consequi et futuram : Audiens hæc Tiburtius filius eius dixit : Nulla patior ratione hoc opus prætiosum et incomparabile deiici . Sed ne paternæ salutis uidear uenire contrarius : deferantur duo clibana : et accensa ante ianuam cubiculi præparentur : ut cum destructum ab eis fuerit : et pater meus non receperit sanitatem : ambo in singulis clibanis ardentibus demer-

gantur . Audiens hæc pater : prohibebat fierit . Sancti uero non solum non metuebant promissum exitum : uerum etiam constanter præparari clibana hortabantur . Tunc accesserunt ad uniuersa idola christallina et holouitrea et omne illud opus mechanicum . uero dum sanctorum subito manibus frangerentur : apparuit ante oculos Chromatii præfecti iuuenis : cuius facies flammæ radiabat aspectu : et dixit ei : Misit me dominus Iesus Christus : in quo credidisti : ut omnium membrorum tuorum recipias sanitatem . Ad hanc uocem | adeo sanus redditus est : ut cœperit statim currere post iuuenem : ut pedes eius oscularetur . Ille uero uide ait : ne contingas me : quia nondum baptismi sanctificatio te ab squaloribus abluit idolorum . Videns hoc Tiburtius filius eius aduoluitur pedibus sancti Polycarpi presbyteri : Ipse autem Chromatius præfectus astringebat plantas beati Sebastiani : et ambo una uoce clamabant : Verus deus Christus : uerus omnipotens unigenitus filius dei : quem prædicatis boni ministri eius . Tunc beatus Sebastianus Chromatio inquit : Sicut ipse nosti : principatum primæ cohortis egi . Sed utrum sit militia hominis : nec scire olim decreui nec uelle . Ad hoc tantum sub clamidæ latere uolui : ut nutantium animos instruerem : et dubitantes constanter† efficerem : ne passionum doloribus cederent : quos fides fecerat bellatores . Tu autem amplissimæ potestatis apicem gerens debes a potestate te ipsum : et expectandis tollere : et iudicandis negociis abesse . Simulans igitur ægritudinem tibi ipse postula successorem : ut possis liber ab occupationibus muudi† futuræ uitæ rudimenta suscipere : et secunda natiuitate ita natus : æternis efficiaris parentibus proles . Eadem itaque die mittit ad amicos in pallatio positos : per quos testimoniala† scripta suscipiens : tirocinium diuinæ militiæ antequam baptizaretur accepit . Quid memorem : quam plenæ fidei fuerit quamque acris ingenii contra infidelium asserta constiterit . Iam in initio qualiter sacrosancti fontis sit unda perfusus : mentis eius fides euidenter enituit . Interrogatus si crederet : dixit . Credo . Item interrogatus : utrum abrenunciaret omnibus idolis : Respondit ab renuncio . prosecuta est interrogatio sacerdotis : utrum renuntiaret omnibus pompis et peccatis . At ille ait : Ista prius debuistis inquirere antequam has aulas regis cælorum intrarem . Nunc autem non baptizatus induam me uestimenta mea : ut omnibus quibus prius sum iratus indulgeam omnibus meis debitoribus cirographa restituam . Si cui aliquid uiolenter abstuli in integrum reddi præcipiam . Duæ mihi post uxoris obitum concubinæ sunt : || et istas donem : et maritis tradam . Ab omni nexu seruili ingenuo priuato et publico actuum meorum nodos exoluam . Et ita demum promittam me renuntiaturum omnibus pompis et peccatis diabolicis et uoluptatibus mundi . Dicit ei Polycarpus presbyter : Beatiorem te cælestis unda perfundet : cum ea quæ arbitratu et uoce dicis esse facturum : tota festinatione compleueris . Nam et quadragesimæ tempus ideo baptizandis iniungitur : ut totis diebus ipsis discant renuntiaturos esse : qui uerissimi uolunt effici christiani . Tunc Tiburtius iuuenis sapientissimus dixit : Pater si tibi renuncianti negociis tempus flagitas : ego qui ad huc suscepturus eram negotia : soli susceptionis uoluntati renuncio : Et qui futurus eram aduocatus ad agendas causas mortalium : suscipiam christianitatem ad agendas actiones euangelicas : cum unus esse cœpero ex eorum numero : qui eternam uitam accipiunt : et efficiuntur causidici sanctitatis . Tunc amplexatus est eum beatus Sebastianus : quem dum baptizasset sanctus Polycarpus : ipse sanctus Sebastianus pater acceptionis eius factus est . Igitur dum pauci admodum transacti fuissent :† dies omnibus rite ab renuntiatis a Chromatio mundi negotiis : suscepit Chromatius benedictam sacri baptismatis nouitatem . Et cum eodem familia eius promiscui sexus mille quadringentæ animæ : quos omnes prius manumissionis gratiam ac seruitutis nodis soluit : et donis optimis instruxit dicens : quod isti qui deum incipiunt habere patrem : serui hominis esse non debent . Erat autem Papa urbis Romæ nomine Gaius uir prudentiæ magnæ magnæque uirtutis . Imperantibus autem Carino Dioclitiano et Maximiano : Dioclitianus in urbe erat cum Maximiano . Carinus autem cum omni exercitu iis partibus Galliarum erat : et eius intuitu lenta persecutio Dioclitiani christianos circa esse cœperat : quia Carinus habebat amicos aliquos : quos huius tituli professio decorabat . Igitur occiso Carino in Ciuitate Montiacho . Maximiano et Aquillino consulibus facta est persecutio talis : | ut nullus emeret uel uenundaret aliquid : nisi qui statiunculis positis in eo loco ubi emendi gratia uentum fuisset : turis exhibuisset incensum . Circa insulas circa uicos circa :† nymphas quoque erant positi compulsores : qui neque emendi

copiam darent : aut haurientibus aquam ipsam facultatem tribuerent : nisi qui idolis delibassent . Tunc sancti Gaii episcopi consilio habito Chromatius illustris uir omnes christianos in domo sua suscepit : et uniuersos ita fouebat : ut nullus omnino sacrificandi necessitati succumberet . Verum quia tanta uis persecutionis extiterat : ut opinio christianitatis eius celari non posset : meruit ex sacro rescripto Chromatius ut metendi gratia in campano littore moraretur : in quo erant lati cespites : dominus quoque tribuit copiam omni christiano uolenti cum eo ire a persecutionis rabie declinanda . Tunc orta est contentio inter sanctum Polycarpum presbyterum et beatum Sebastianum : quis in urbe remaneret : et quis iret cum Chromatio : qui tantum populum susceperat christianum : quibus altercantibns† papa Gaius dixit : Cum ambo coronam passionis quæritis : acquisitum Christo populum desolatis . Vnde mihi uidetur : ut tu frater Polycarpe quia sacerdotii rectum tramittem tenes et scientiæ dei repletus es donis : pergas simul ad confortandas credentium mentes : et animos dubios ædificandos . Ille his auditis quieuit : blandumque papæ imperium æquanimiter tulit . Venit itaque dies dominica : in qua Gaius episcopus agens quæ dei sunt intra domum Chromatii omnibus congregatis : sic inquit : Dominus noster Iesus christns† præscius fragilitatis humanæ duos credentibus in se constituit gradus confessionis silicet et martyrii : ut hii qui martyrii pondus se posse ferre desperant : confessionis gratiam teneant . Et dantes latus bellantibus Christi militibus : qui pro eius sunt nomine pugnaturi : sollicitudinem gerant . Pergant itaque qui uolunt una cum filiis nostris Chromatio et Tiburtio : et mecum in hac urbe qui uolunt remaneant . Non enim nos terrarum spatia diuidunt : quos Christi || caritas nectit : nec absentiam uestram sentiunt oculi nostri : quia de interioris hominis nos intuemur aspectibus . Hæc et his similia dicente papa Gaio exclamauit Tiburtius uir clarissimus dicens : Obsecro te pater et episcoporum episcope : ne me patiaris terga persequentibus dare . mihi enim ualde iucundum est et optabile : pro nostro uero deo millies si possem occidi : tantum ut illius uitæ dignitatem inueniam : quam nullus mihi successor eripiat . Tunc sanctus papa Gaius congaudens fidei eius lachrymas effundebat : orans ut omnes : qui remanserant certaminis uictores existerent triumphum martyrii capientes . Remanserunt autem cum uenerabili papa hii Marcellianus et Marcus : simul quoque et pater eorum uir clarissimus Tranquillinus : Item beatus Sebastianus et pulcherrimus iuuenis sed mente pulchrior . sanctus Tiburtius et Nicostratus ex primiscrinio cum fratre Castorio : et cum uxore Zoe nomine : Item Claudius cum Victorino fratre suo et filio Simphroniano : qui fuerat a morbo hidropis liberatus : hii tantum : uniuersis cum Chromatio proficiscentibus : cum Gaio episcopo remanserunt in urbe : qui Marcellianum et Marcum diaconii honore sanctificauit . Tranquillinum uero patrem eorum fecit presbyterum . Sebastianum uero qui ad multorum profectum sub specie militiæ latebat : defensorem ecclesiæ instituit . cæteros uero subdiaconos fecit . Sed quia nullus inueniri poterat locus ad latebram confouendam : morabantur omnes apud Castulum quendam christianum Zetarium pallatii : qui Castulus ibidem in pallatio superiori in loco et ualde altissimo commanebat . Ideo autem hæc apta mansio putabatur : quia et ipse Castulus cum suis omnibus christianissimus erat . Et lex lata de sacrificiis cum ubique sui feruore desæuiret : in illis qui pallatio adhærebant : quia nec sumptio de eis esse poterat : celebrabatur . Erant ergo ut diximus omnes immorantes cum sancto papa Gaio apud Castulum Zetarium in ipsis superioribus pallatii : et die noctuque gemitibus ac flætibus ieiuniis atque ora | tionibus occupati exorabant dominum : ut digni haberentur tollerantia confessionis eius : et in numero sanctorum martyrum sociari mererentur . Ascendebant autem ad eos occulte religiosi uiri religiosæque fœminæ : ut pote a sanctis diuersas sibi gratias impetrantes . Nam et cæcorum oculi illuminabantur eorum precibus : et saluabantur infirmi : et ex obsessis corporibus dæmonia expellebantur . Interea dum hæc aguntur : transiens beatus Tiburtius occurrit ei homo : qui de alto lapsus fuerat : caput et omnia membra quassauerat : ita ut de sola eius sepultura agerent hii : quorum filius dicebatur . Tunc dicit eis flæntibus propter corpus exanime : Permittite precantare ei : et forsitan recuperet sanitatem : Cumque omnes dedissent spatium : accessit iuxta eum : et cœpit dicere super uulnera eius lente orationem dominicam et symbolum . Et ita solidata sunt ossa eius et caput et omnia uiscera : ut quasi nihil ei mali euenisset . Ita factus est incolumis . Hæc ita cum fecisset cœpit ire . Tenebant autem illum parentes

eius : dicentes : Veni : et habe eum seruum : et omnia bona nostra tibi tradimus cum eo : quia ipsum unicum quem habemus iam mortuum tradidisti uiuum . Dicit eis beatus Tiburtius : Si ea quæ dixero uobis feceritis : magnam sanitatis huius mercedem habebitis . Dicunt ei parentes : nos metipsos si seruos habere digneris : contra ire non possumus : Quinimo et optamus : si iudicaueris dignum . Tunc appræhensa manu eorum segregauit eos a turbis : et indicauit eis uirtutem nominis Christi : Et uidens animum eorum fixum fortiter in timore domini perduxit eos ad Papam : et dixit : Audi diuinæ legis antistes : Ecce quos per me hodie lucratus est Christus : in quibus fides mea uelut arbuscula nouella primum prorupit in fructum . Tunc papa Gaius baptizauit iuuenem cum parentibus suis : deo gratias referentem . Verum quia multum est si uelimus ista prosequi : quæ et quanta per eos fecerit Christus : qualiter unusquisque ad palmam martyrii uenerit explicemus . Beatissima Zoe apostolorum natale age || bat : et dum ad confessionem Petri apostoli oraret ab insidiantibus paganis arctatur : Duciturque ad patronum regionis namnachiæ† : et compellitur Martis statiunculæ : quæ illic stabat : turis guttam incendere : Cui illa respondit : Mulierem Marti sacrificare compellis . Vt ostendam Martem uestrum muliebribus delectari . Si ille impudicissime ueneri potuit pudorem eripere : mihi uero tropheum fidei in fronte portanti non poterit præualere . Non enim ego meis contra eum uiribus luctor : sed domini nostri Iesu christi uirtute confidens et illum et uos pariter ridendo contemno . Tunc patronus regionis misit eam in custodiam obscurissimam : et per quinque dies fecit ut nec lumen uideret : neque cibum neque potum acciperet . Solumque uocem eius psallentem ille qui eam illic clauserat audiebat : Dicebatque ei : Ibi morieris fame et siti et cæcitate : nisi te liberaturam repromiseris diis . Sed cum transissent sex dies : suggesserunt de ea præfecto sæuienti : Ille uero iussit eam a collo et capillis in arbore excelsa suspendi : et subter fimum De sterquilinio adhiberi . Statim ut suspensa est : in confessione Christi emisit spiritum . Illi autem deponentes corpus eius saxo ligauerunt : et in Thyberis alueo miserunt : dicentes : ne christiani corpus eius tollant : et faciant sibi illam deam . Igitur celebrato martyrio uenit per somnii uisum beato Sebastiano : narrauitque ei qualiter martyrium domini Iesu christi suscepisset . Cum hoc narraret sanctus Sebastianus : proripuit se Tranquillinus dicens : Fœminæ nos ad coronam præcedunt nos ut qnid† uiuimus ? Et descendens octaua die apostolorum ad beati Pauli confessionem accessit . Nihilominus et ipse perpessus insidias : tentus est : et a populo lapidatus mortuus est : et corpus eius Thyberino gurgiti mancipatum est . Item Nicostratus et Claudius una cum Castorio Victorino et Simphroniano dum corpora sanctorum per ora thyberina requirunt : tenti sunt : et ad urbis præfectum adducti . Erat iudex flauianus : qui eos hortabatur ad sacrificandum per decem dies minis eos | et blanditiis agens : et nullum penitus potuit commouere . Quare fecit de eis suggestionem imperatoribus : qui iusserunt eos tertio torqueri : Cumque nulla ratione compulsi cederent : iusserunt eos in mare præcipites dari : Immensis itaque arctati ponderibus pelagi fluctibus dati sunt : ut in loco mundo inter aquas coronam martyrii celebrarent . Insidiabantur itaque infideles fidelibus : et iniquo furore christianum non poterant nec nomen audire . Interea dum sancto Gaio episcopo quidam simulata fide de† sociaretur dicens : se esse christianum : porro hic apostata extiterat : et erat fraudolentus in omni sermone : et callidus in omni commisso : qui dum a beato Thyburtio scolasticissimo ex nobili et sancto frequenter argueretur : quod capillos super apicem frontis tonsoris arte componeret : assidueque pasceret et ludendo pranderet libentius fœminarum aspectibus adesset ieiuniis et orationibus se tolleret : quod somno deditus non interesset peruigiles in hymmis† dei ducentibus noctes : dum pro his ut diximus a beato Tyburtio acrius urgeretur : simulat se æquanimiter monentem accipere : et egit artem : quatinus orantem sanctum Thyburtium compræhenderent infideles . In qua compræhensione semetipsum teneri facit : et simul ad secretarium duci iudicis sæuientis . At ubi introducti sunt : Flauianus præfectus dixit ad eum : qui se arte tradiderat . quid diceris ? Torquatus respondit . Christianus sum . Flauianus dixit : Ignoras : quod Iusserunt inuictissimi principes : ut qui sacrificare diis noluerint : diuersis suppliciis macerentur ? Torquatus ait : Hic magister meus est : et ipse me semper docuit : quod hunc uidero facere necesse est : ut hoc faciam . Flauinianus† conuersus dixit ad Thyburtium : Audisti quid torquatus aserat : quid ad ista respondes ? Thyburtius Respondit : Torquatus

diu est : quod se christianum esse mentitur . Virtus enim ipsa nominis sancti grauiter fert et moleste suum nomen non a suis moribus usurpatum . Re uera enim uir illustrissime hoc christianum uocabulum diuinæ uirtutis est sectatorum silicet Christi qui uere || phylosophati sunt : qui uere christiani dicti sunt qui ad obterendas libidines fortiter militarunt . Ne credas uir illustrissime hunc esse christianum : qui in lenocinio sui molliendi capitis fibras emittit : qui tonsorem diligit : qui in scapulis molliter gestit : qui fluxum grossuum improbo nixu distendit : qui uiros negligenter agit : fœminas diligentius intuetur . Nunquam Christus tales pestes habere dignatur seruos . Verum quoniam me se imitaturum asseruit : in tuo probabis eum conspectu . hic enim qualis semper fuerit : nunc euidenter ostendet . Flauianus dixit : Consultius facies : si saluti tuæ consulas : et principum decreta non contemnas . Respondit Thyburtius : Ego saluti meæ melius non consulo quam ut deos deasque contemnens unum dominum Iesum christum deum meum esse confitear . Torquatus dixit : Non solum ipse christianus crudelis est : uerum etiam multos persuadet et decipit : ac docet omnes dæmones esse . Ipse autem cum sociis suis cum quibus magicas artes exercet : die noctuque incantationibus ocupatur . ad quem Thyburtius : falsus testis non erit impunitus . Istum quem uides Illustrissime uir militiæ suæ curis æstuans ad nihil aliud christianis est iunctus : nisi ut cogitaret quomodo se nobis quasi christianum ostenderet : et quomodo aliis fidelissimis inniteretur . Repræhendebam tamen in eo cyclopeam edacitatem : emersum uino pudorem : et sepultam diuini nominis sanctitatem . Ebrius patiebatur sitim : et esuriem uomens : Nec ut christianus sed Antonianus quondam ille conuiua manducabat : bibebat uomebat : Et in se christianos arguit . christianos accusat . in nos mitem inducere incitat Gladium nolenti iudici porrigit : et ut dæmoniis ceruices nostras inclinemus hortatur . Videmus uotum tuum . uidemus cruenta consilia et sceleratam artem uerborum : uenena tui pectoris intuemur . Accingere nunc o christianissime . utere carnficis† officio . uindica tibi et ipsius iudicis uocem . Applica equuleos . appræhende christianos . damna . percute . incende . bene nos accipis : si exilium minaris . Hoc phyloso | phantibus totus est mundus . Si supplicium euadimus mundi carcerem : Si ignes maiora horum in cupiditatibus uincimus . decerne quidquid libet . omnis nobis uilis est pœna : ubi pura comes est conscientia . Flauianus dixit : Restitue te generi tuo : et hoc est quod te natura dictauit . Nobilis enim natus ad tantam deuolutus es fecem : ut possis supplicium simul et infamiam subire et mortem . Thyburtius Respondit : O prudentissimum uirorum et romanis iudicem constitutum : quia meretricem uenerem et incœstum Iouem . et Mercurium fallacem et Saturnum filiorum occisorem colere nolo : infamiam generositatis incurro ? Et quia unum et uerum deum qui in cælis regnat adoro et ueneror : suppliciis macerandum esse minaris ? Non abnuimus . non renitimur . non negamus Christum dei filium ad hoc de cælo descendisse ad terras : ut a terris† homo ad cælos possit ascendere . Ideo omnes istas uanas putans pompas : quas colitis sine causa : proculcans pedibus meis : deo meo omnipotenti subiecti . Tunc Flauianus iussit ante pedes eius carbones ardentes effundi : et ait ad eum : Elige tibi unum de duobus : aut tura in istis carbonibus adiice : aut pedibus super eos nudis incede . Tunc beatus Thyburtius faciens signum crucis constanter nuda super eos ingressus est planta : et cœpit præfecto dicere : Depone infidelitatem : et disce : quia hic est solus deus : quem confitemur creaturis omnibus dominari . Mitte tu si potes in nomine Iouis tui manum in calidam aqnam† : et si potest Iupiter tuus faciat te non sentire furorem ardoris . Nam mihi in nomine domini mei Iesu christi uidetur : quod super flores roseos gradiar : quia creatura ipsa creatoris famulatur imperio . Ad quem Flauianus ait : Quis ignorat magicam uos docuisse artem Christum uestrum ? Thyburtius Respondit : Obmutesce infelix : et noli auribus meis hanc iniuriam facere : ut audiam te rabido ore latrantem mellifluum nomen et sanctum . Tunc iratus Flauianus dictauit sententiam dicens : Blasphemator deorum et reus atrocium iniuriarum gladio animaduertatur . Ductus || autem est in uia Lauicana tertio miliario ab urbe : et effundens orationem ad dominum : uno ictu gladii uerberatus ad deum abscessit : In eodem loco apparente quodam christiano sepultus est : in quo loco multa beneficia semper præstitit Christus ad laudem nominis sui usque ad præsentem diem . Post hæc autem Torquatus egit : ut Castulus zetarius pallatii hospes sanctorum fuisset arctatus . Et hic tertio appensus : tertio auditus in confessione domini perseuerans missus est in

foueam : et dimissa est super eum massa harenaria : et ipse cum palma martyrii migrauit ad Christum . Tenentur post hæc Marcellianus et Marcus : et ambo ligati ad stipitem in pedibus acutos acceperunt : quibus dicebat insanissimus iudex : Tandiu stabitis fixi plantis : quandiu diis debitum reddere debeatis officium . Tunc ambo fratres in uno ligno confixi psallebant inter se dicentes : Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum . Dicit eis Flauianius† : Infelices et miseri deponite amentiam : et liberate uos metipsos a cruciatibus imminentibus : Cui responderunt ambo : et dixerunt : Nunquam tam bene epulati sumus : Modo cœpimus esse fixi in amore Christi . Vtinam unanimes nos sic esse : sicut sumus : tandiu permittas : quandiu huius tegimur corporis indumento : Cumque transisset una dies et una nox atque illi in psalmis et hymnis perseuerarent : iussit eos ambos ibi ubi stabant lanceis per latera uerberari . Et ipsi per martyrii gloriam : ad syderea regna migrauerunt . sepulti sunt et ipsi in uia Appia miliario secundo ab urbe in loco : qui uocatur ad harenas : quia criptæ harenarum illic erant : ex quibus urbis mœnia instruebantur . his ergo expletis beatus Sebastianus conuentus est : qui ut diximus uidebatur sub clamydæ latere : cum miles esset dignissimus Christi . Suggessit de eo præfectus Dioclitiano imperatori . quem Dioclitianus ad se conuocans ait : Ergo te inter primos palatii mei semper habui : et contra salutem meam in deorum iniuriam hactenus latuisti ? Sebastianus Respondit : pro salute tua semper Christum colui : et pro statu orbis romani illum | qui in cælis est semper adoraui . consyderans a lapidibus auxilium petere insani capitis esse et uani . Tunc Dioclitianus iussit eum duci in medium campum ligarique : et quasi signum ad sagittam eum sinerent : Itaque posuerunt eum milites in medium campum : et hinc inde ita repleuerunt eum sagitis : ut quasi Ericius esset insitus ictibus sagittarum . Existimantes autem illum mortuum : abierunt . Tunc relicta mater castuli Zetarii nomine Erene abiit noctu : ut corpus tolleret : et sepeliret : Et inueniens eum uiuentem adduxit domum suam in insula excelsa : ubi manebat ad pallatium : et ibi intra paucos dies integerrimam recuperauit in omnibus membris sanitatem : Cumque omnes Christiani ad eum uenirent : hortabantur eum abscedere . Ille autem oratione facta discessit : Et statim super gradus heliocabulli uenientibus imperatoribus dixit : Iniquis subreptionibus animos imperii uestri templorum pontifices obsident : suggerentes de Christianis falsa comenta : Dicentesque eos rei publicæ esse aduersarios : quorum orationibus ipsa res publica melioratur et crescit : qui pro imperio uestro et pro salute romani exercitus orare non cessant . Cum hæc et alia diceret : Dioclitianus ait : Tu ne es Sebastianus : quem nos dudum sagittis iusseramus interfici ? Sebastianus Respondit : Ad hoc me dominus meus Iesus christus resuscitare dignatus est : ut conueniam : et contester uos coram omni populo iniusto iudicio persecutionem uestram in christi famulos ebullire . Quam ob rem iussit eum in phitronio pallatii duci : et tandiu fustibus cædi : quandiu spiritum exhalaret . tulerunt itaque corpus eius noctu et in cloacam maximam miserunt dicentes : ne forte christiani eum sibi martyrem faciant . beatus itaque Sebastianus apparuit in somno sanctæ Lucinæ cuidam religiossissimæ :† matronæ dicens . In cloaca illa quæ est iuxta circum inuenies corpus meum pendens in gunfo . Hoc itaque dum tu leuaueris perduces ad catacumbas : et sepelies me in initio criptæ iuxta uestigia apostolorum . Statim beata Lucina cum seruis suis medio || noctis abiit : et eleuans eum imposuit in pagone suo : perduxitque ad locum : et ibi ubi ipse imperauerat sepelliuit . Ipsa autem sancta Lucina per triginta dies a loco ipso sancto non discessit . Post aliquot autem annos pax ecclesiæ est reddita : quæ statim ut ecclesia gloriam patris accepit : domum suam fecit ecclesiam . Cui omnes opes suas ad christianorum subsidium derelinquens fecit ipsam ecclesiam hæredem in Christo .

SANCTI SECVNDI MARTYRIS VITA .

Sub Dioclitiano et Maximiano impiissimis imperatoribus : fuit uir quidam nomine Secundus et prouincia thebaide spectabili ac nobilissimo genere ortus sed multo nobilior atque præclarior in Christi fide atque religione . Iuuenis quidem erat tempore : sed mente et actibus senex : Cui etiam in ipsa facie uenusti habitus gratia quæ intrin-

secus redundabat perspicue refulgebat . Nam ipsum etiam nomen præsagium fuit futurorum bonorum . Secundus namque quod dicebatur mystice prætendebat eum martyrii gloria sublimandum : quia martyres licet inter reliquos fideles primatum obtineant : tamen post apostolos secundi ordinis obtineant dignitatem . Alias uero Secundum† prosperitatem sieu† felicitatem manifestum est designare . Reuera prosperitas atque felicitas sum uera est commitata : dum et in præsenti uita inter reliquos meruit principatum : et gloriosum certaminis finem martyrum gloriæ sociari : Primatum namque tenens in gente romana sancti spiritus gratia repletus noctu quidem eloquia Christi quæ corde meditabatur illucescente die populorum mentibus sagaciter intimare curabat : paruipendens negotiorum sæcularium curas : animarum salutem inhianter cupiens ad baptismatis gratiam cunctos conuertere satagebat : Dum et hæc et his similia multa per eum gratia diuina operaretur : perueniunt felicia gesta ad aures profanorum princi | pum Dioclitiani et Maximani† : qui nimis irati uelut immanissimi leones christianorum sanguinem sitientes fremebant dentibus suis : Missis itaque l tteris† celeriter eum cum suis ad partes Italiæ : quasi sibi atque romanæ genti in auxilium futuri essent : aduenire præcepit . Tunc assumens secum ad sexmillia et sexcentos uiros : quod una legio nuncupatur peruenit ad imperatores : aitque ad eum Maximianus : Nos te tanquam fidelissimum principem super multos milites constituimus : et ut cernimus non solum tu chrstianus† effectus es : sed etiam multitudinem populorum insipientium ad Iesum nazarenum conuertisti : sicuti nobis est in ueritate compertum : Sed ne te impune hoc egisse putes : aut diis nostris omnipotentibus sacrificia debita exhibebis : aut cum his quos decepisti diuersis pœnis affectus interibis : Cui cum ille nullatenus consensisset : ut simulachris uanis oculos habentibus siue† uisu : aures absque auditu : nares sine odoratu : os sine gustu : manus pedesque sine tactu :† uel gressu sacrificaret : Maximianus in ira magis magisque succensus : iussit eum cum aliis in uinculis religari . Mauritius uero commilito et socius eius qui postea inter illam sanctam legionem cui Primicerius et incitator ad palmam martyrii fuit in agauno cum reliquis meruit coronari : quia prudentissimus et Christi gratia repletus erat : beatissimo martyri Secundo salutaria consilia ministrabat : ut fugitiui sæculi blandimenta ut semper egerat respueret : ac momentanea tormentorum genera non timeret : Cuius cum uir sanctus saluberrimis consiliis accquiesceret† : uenit ad diem decollationis : qua felici morte uita perpetua potiretur : Cœpit sociis contubernalibus et amicis suis suadere : Vt et ipsi : si eueniret : ut postea factum est : propter Chrsti† nomen pati deberent : momentaneam mortem : seu transitoria tormenta : nequaquam metuerent : et huius amorem sæculi quod uelut fumus aut umbra uelociter transit : non solum non amplecti deberent : sed etiam quasi diaboli laqueum deuitarent . Et non tantum sociis sed etiam cunctæ illi sanctæ || legioni : quem dum ad has partes Italiæ ad bella proficiscerentur : sibi eum ducem elegerant : dum adhuc ille liberalium litterarum studiis uacaret : eadem salutares monitus dabat : Fuere tamen : qui ad eius contubernales quasi compatiendo talia dicta proferrent : at eos a uia ueritatis reuocare conarentur dicentes : Vnde uobis tam ferreum pectus : ut ad mortem ultro properantes dolores aut tormenta minime metuere uelitis : sed etiam pro magna consolatione dicatis : O insanabilis pœna : inconsolabilis dolor : irremediabilis cruciatus : cum spes gaudii tollitur : uita contemnitur : respuitur gloria : pietas abdicatur : omnium affectus parentum pro nihilo computatur : et mortis atrocitas appetitur . Obsecramus uos dilectissimi fratres et amici carissimi : tandem his cladibus finem et piorum parentum filios aut dulcium filiorum uos parentes esse uel admoniti mementote . Quid tam insani capitis : quam pro uno homine crucifixo diuersa tormenta pati : et omne blandimentum quod et animo iucunditatem ac suæ ingenuitatis atque parentum pietatis dulciumque filiorum esse immemorem : cum sitis etiam liberalium peritia imbuti ? Iterum aiunt ad illos : quæ ista insania est repente in uestra mente progenita : ut uos mortis facerent amatores ? Quæ annulo hominum amanda : et non solum minime diligenda : sed et nimis pauenda ac metuenda constat existere ? Nam si reus sub auro creditore constitutus eam minime potest diligere : qua ratione illam appetunt : qui et opibus cunctis et abundant : et alicui penitus nihil debent ? Nunquam hæc bene uiuentibus placuit : sed ad quoscumque peruenire potuit : ultronea non appetita peruenit . Audiens hæc inuictissimus athleta Christi Secundus aduersus diabolica iacula : scutum fidei et bonæ

exhorationis† celeriter opposuit dicens : Attendite fortissimi Christi milites : et uidete : utrum Christi salutaria præcepta an hæc persuasoria blandimentorum fallacia dicta attendere : et uitam diuersis morborum cladibus plenam amare debeatis : Quæ per sollicitudinum curas pacem aufert : caritatem | dissipat : fidem frangit : spem subtrahit : omnesque anime uirtutes obruit : scandala nutrit : superbiam inducit : inuidiam ad uanam gloriam prouocat : Adulteria atque homicidia admittit . Seu per ebrietatem et crapulam : ac nimis sumptuosa conuiuia ita corpus omne debilitat : ut ipse etiam uisus uel cæteri sensus uigere queant . Nam dum temporalis cura nimis geritur : dum acquirendis rebus transitoriis semper animus æstuat : dum raptores furesque uitantur seu latrones : dumque parentum uel filiorum amor attenditur : incaute et deus qui tribuit hæc omnia bona si eis recte uterentur : et ipse minime contemneretur : negligitur : repente mors : quæ magnopere timebatur adueniens animam corpore abstractam ad inferni intollerabiles pœnas ac perpetuos cruciatus infinitosque gemitus mergit : Vbi miserrima et infelix semper mortua est a beata uita : et semper uiuit irremediabilibus tormentis : Christus autem dominus et saluator noster qui dum deus esset ut semper est : et crucem pro nobis ac diuersas sustinuit passiones : ita nos ammonet dicens : animam autem non possunt occidere . Et iterum : qui amat patrem aut matrem plusquam me : non est me dignus : Et qui diligit filium aut filiam super me : non est me dignus . Ipse etiam et in hac uita tranquillitatem præstat : et pro se certantibus inter ipsa tormenta et corpus roborat : et animæ consolationem præbet : dum spem uitæ æternæ et suæ gloriosissimæ uisionis seu incomparabilis ac sempiterni gaudii repromittit : At post quam felici consumationis fine peracto : quis : tanta gaudia ualeat ennarrare ? Vbi inter innumerabiles angelorum patriarcharum prophetarum apostolorum martyrum uirginum confessorum omniumque sanctorum choros uultui summi conditoris assistere datur : Vbi fames sitisque et omnis dolor : gemitus : fastidium : lassitudo nescitur : Odor inestimabilis immarcescibilium florum redolet : et lux claritatis æternæ quam nec oculus uidit : nec auris audiuit : nec in cor hominis ascendit : quanta præparauit deus his : qui diligunt eum . Nanque et dum in hac caduca et fragili ‖ uita subsistimus : uelimus nolimusque pœnis ac doloribus atque diuersis passionibus nos subiacere necesse est : ipsa mors quam magnopere pertimescimus improuisa ueniens et habitaculum carnis irrumpens animam quam imparatam inuenerit ad perpetua tormenta perducit : etiam post resurrectionis diem cum ipsa carne sine fine cremandam : Quare ergo non faciamus de necessitate uirtutem de captiuitate uictoriam ? De morte quare uitam non lucremur æternam ? fortiter ergo decertantes optemus : ut per momentaneas tribulationes ad æterna gaudia perueniamus : Vbi et dei ciues et angelis æquales simus . Hæc dicens : annuebat oculis : ut exprobrandi essent : qui tam euidenti assertione minime credidissent . Dum hæc et his similia Christi martyr Secundus prosequeretur : audiens imperator Maximianus iussit eum duci ad moderatorem prouinciæ Egrestium nomine : ut caput ipsius amputaret consilio diaboli actus : ne forte dum per uaria tormenta eius exitus dilataretur : et ipsi maxima detrimenta et Christo Iesu creatori ac redemptori nostro animarum lucra fortiter augerentur : Quod frustra nititur inueteratus dierum malorum : dum saluator humani generis et martyres suos quo placuerit exitu coronat : et in eorum semper subrogare locum non cessat : qui aduersus crudelem tyramnum inuincibiliter decertantes de eodem uictoriæ triumphos reportaret . Postquam autem amputatum est caput eius : lingua ipsius quæ dum incolumnis esset semper Christum meditans collaudauerat : licet balbutiens ipsum clamabat . Angelus autem domini stans in aere expectans et intuens agonem sancti martyris : et quæcumque gesserat : cuius nec uerba deserens : sed intra semetipsum quasi in libro scribens atque depingens suscepit spiritum eius : et perlaturus ad maiestatem æthera conscendit : aspiciente beato Mauritio : et gratias agente : cui præstitum fuit uidere : quod semper optauerat : collegit prædictus dei cultor corpus beatissimi martyris : et inuoluit in syndone nitida . Vespere autem facto cœpit una cum aliis fidelibus amicis suis uir dei et | postea gloriosus martyr effectus beatus Mauritius circa corpus beatissimi Christi martyris Secundi uigilias agere . Dei autem nutu ab aliis fidelibus pro furto ablatum est sanctissimum corpus : ut domino disponente in eodem loco ubi nunc est collocaretur . Exurgentes autem a somno et prædictum sacratissimum corpus non inuenientes : solumodo reliquias sanguinis ubi decollatum fuerat reperiunt : In

quo loco id est in agro cuiusdam patrisfamilias nomine Probi : atque iugalis eius similiter nomine Probæ loco satis aptissimo : uno milliario prope castellum Cæsarium : quod ab Annibale nomen Victimolis accepit : eo quod quindecim millia uirorum ibidem fuerunt : qui contra Annibalem aciem proposuerant : primum uicerunt : et postea uicta sunt : Ideo pro causa huius pugnæ loco huic Victimolis nomen impositum est . Corpus uero beatissimi martyris Secundi ut dictum est a christianis sublatum : perductum est usque ad urbem Tauricinensem : et conditum aromatibus in loco amœnissimo collocatum est iuxta fluuium : qui Duria nuncupatur : ubi per meritum beatissimi martyris immensa usque in hodiernum diem præstantur beneficia : Nam quotiens ibidem siue febricitans seu qualibet infirmitate detentus : uel spiritu immundo arreptus aduenerit : si plena fide et integra deuotione sua supplicatione perstiterit : citius adipiscitur : quod petierit . Ac uelut a sanctissimi prophetæ† Helisei corpore post eius obitum mortuus suscitatus est : Ita qui ad huius sanctissimi martyris corpus aduenientes curati fuerint : et uicium pro quo castigatio illata fuerat emendant : proculdubio a morte animæ suscitantur . Simili modo etiam intra ipsius claustra in oratorio sanctæ dei genitricis semper uirginis Mariæ diuina præstantur beneficia . Nam ad sepulchrum christianissimæ et sanctæ dei cultricis Iulianæ : quod ibi situm est uenerantes concurrunt : quæ sanctorum Solutoris sociorum et eius corpora sepellierat : fideles populi siue de puluere colligentes seu de ploda : quæ superposita est radentes secum deportant : et salutem sibi cele || rem adesse confidenter summunt . Vnde felix Taurinensium ciuitas : quæ tantorum fulcitur patrociniis sanctorum . Passus est autem beatissimus Christi martyr Secundus quinto chalendas septembres sub Dioclitiano et Maximiano imperatoribus Regnante uero domino Iesu christo : cui est cum deo patre in unitate spiritus sancti honor et gloria in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTORVM SECVNDIANI ET VERIANI ET MARCELIANI MARTYRVM .

Sub Decio Secundianus rogatus una cum Veriano præfecturam agens in christianos sæuiebat : Qui Secundianus tandem secum tacitus cogitare cœpit : cur christiani tanto amore flagrantes mallent pro Christi nomine duriter mori : quam delicate uiuere : et blandis persuasionibus principum assentire : Cunque esset eloquentissimus : et omnium scientiarum sæculi peritissimus : Marcellianum qui et ipse sapientissimus erat et christianorum persecutor domum suam inuitauit : et cum eo de uariis artium sermonibus disputauit . Tandem ad artem grammaticam sermonem retorquentes ad locum Virgilii ueniunt : ubi de interpretatione sæculi noui loquentes : uelut apparente domino in carne renouatus est mundus . ita tempore Octauiani ad cuius laudem suos describit libros dicit aurea secula hoc modo nasci . Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo . Iam redit et uirgo redeunt saturnia regna . Iam noua progenies cælo demittitur alto . Tu modo nascenti puero quo ferrea primum desinet : ac toto surget gens aurea mundo : cumque sollicite perquirerent de quo Virgilius hoc dixisset : cœpit Secundianus loqui de christianis qui tanto flagrabant amore : ut pro nomine Christi malent mori quam idola adorare . Aiunt enim inquit resurectionem et iudicium fore post mortem : illamque uitam quam post istam caducam expectant futuram perpetuam et immortalem : ubi nullus dolor et gemitus | sed pax et perenne gaudium . idola uero quæ nos adoramus deus eorum omnino abominatur Christus . Super hiis Marcelianus admirans ait : Quid est Chrstus† ? At ille respondit Christus dicitur unctus . Numquid non legisti quid eius historiographi dicant : cum silicet mortuos suscitasse : leprosos mundasse : cæcum natum illuminasse ? His eius signis christiani fidem dantes pro eius ardenti amore coronari desyderant : Vnde et ego credo : quod ipse est deus et dei filius : qui crucifixus et mortuus et post triduum resuscitatus in cælum ascendit . Quando enim aut a quo auditum est deos nostros talia fecisse : quos scimus semper sordidissime ac turpiter uixisse ? His et aliis eius uerbis consensit Marcelianus : tertius quoque qui nomine Verianus . Hos tres itaque Thimotheus

nomine presbyter accersitus baptizauit . Sanctus uero papa Xistus eosdem consignauit . Post hæc Secundianus a Valeriano præfecto requisitus introiuit ad eum : et subito immutatus est uultus eius tanquam uultus angeli . Valerianus ob tanti luminis fulgorem stupefactus : ipsum interrogatum . et in christianitatis proposito permanentem : iussit in custodiam retrudi : qui cum compræhensus duceretur a militibus : Marcelianus et Verianus clamabant : ut quid innocentem in custodiam retruditis ? Si pro confessione Christi nominis hoc a uobis patitur : Et nos christiani sumus : qui eum pro amore Christi ad palmam martyrii sequimur . Tunc iratus Valerianus : eos cum illo simul in custodia mancipari iussit : Et Cæsari Secundianum christianum effectum nunciauit : Quod ille uix credens : eum ad se deduci præcepit : et ait : O Secundiane cur immutatus est uultus tuus ? Qui respondit : Clarior et hilarior est nunc uultus meus solito : quia iam in conspectu regis æterni contemplatione mentis assisto : qui me de tenebris ad lucem perduxit suæ uisionis . Denique iussu Decii uiri sancti ducti sunt Centuncellas : et traditi Quarto promotto consulari Tusciæ : qui cum eos iuberet sacrificare : et nollent accquiescere† : iussi sunt expoliari : et fustibus cædi . || Deinde illis in simulacrum expuentibus subito cecidit : et confractum est . Tunc Promotus iussit eos in equleo† suspendi : et latera eorum ungulis caprarum radi . Illis autem inter hæc deo gratias agentibus et orantibus Promotus iussit ad eorum latera flammas adiberi : Cumque diu assarentur : repente unus ex ministris qui cæteris acrius ad pœnam iuferendam† insistebat mortuus est . Cæteri uero a dæmonibus arrepti clamare cœperunt : O sancti dei ut quid nos uestris torquetis orationibus . Nam hæc eadem tormenta quæ uobis iniuste inferimus nos irremediabiliter cruciant . uobis autem nihil mali præstant . Videns hoc promotus iussit sanctos dei capite truncari : et eorum corpora in mare præcipitari : Quæ tamen prouidentia de profundo ad littus applicuit : et ea seruus dei Deodatus nocte colligens sepeliuit secus locum : ubi decollati fuerant quinque idus Augusti .

CORPORIS SANCTI STEPHANI PROTHOMARIYRIS† AB IHEROSOLYMIS† CONSTANTINOPOLIM TRANSLATI RELATIO .

Factum est cum esset reconditum corpus sancti Stephani primi martyris Hierosolymis in sancta Sion in diebus Iohannis Episcopi Hierosolymitani : ut Alexander quidam senator posuisset in animum suum construere oratorium sancti Stephani : Quo peracto precatus est multum Iohannem episcopum : ut conderet corpus santi prothomartyris Stephani in eodem oratorio : quam ob re† episcopus posuit loculum : et titulum clauis fornisecus† confixit mense decembrio die quartodecimo Indictione quinta consulatu domini nostri et Imperatoris Constantini augusti decies . Itaque post annos quinque infirmitatem incidens Alexander senator testamentum fecit sanctæ ecclesiæ et pauperibus atque coniungi suæ Iulianæ adiurans Iohannem episcopum per dominum nostrum Iesum christum : ut post obitum meum in | quit fiat loculus : et locate me iuxta corpus sancti prothomartyris Stephani : ego enim domum eius ædificaui ex mea substantia : Quo dicto dormiuit in pace . Postera uero die ueniens episcopus cum multitudine populi sustulit eum : et posuit iuxta sanctum Stephanum prothomartyrem . Post octo annos uxor eius cogitans et extimans bonum esse : uoluit corpus uiri sui tollere : ac deferre Byzantium in propriam posessionem . Et hoc consilio profecta est ad Cyrillum episcopum : et dixit ei : Ego uiri mei corpus uolo portare Byzantium in posessionem meam : Qui dicit ei : Non possum hoc facere : et populum conturbare . Tunc Iuliana plorans abiit in domum suam : et faciens litteras misit ad patrem suum Byzantii commorantem scribens ita : propria filia tua Iuliana patri meo salutem . Decentes honores affero rogans : ut præstes mihi : quo ad te suscipias . Nam non dicta uerba blandimentis repleta sed cælestia mysteria nuncianti neque composita uerbis rethoricis circunferentia : sed preces dirigo ad patrem meum et dominum : quoniam uim patior a principibus ut uidua causa nuptiarum : Accelera ergo : ut fiat sacra et mittatur a magno Imperatore Constantino Cyrillo episcopo

Hierosolytano† : ut ueniam : et ipsum mariti mei corpus afferam ad posessionem meam . At ille accipiens sacram a magno Imperatore Constantino : misit eam Cyrillo Hierosolymis . Itaque secum episcopus legens : et contradicere non ualens : adduxit mulierem : et dixit ei : Quomodo possumus hoc facere : cum nesciamus quis sit loculus sancti protomartyris Stephani et quis mariti tui ? Sed præpara : quæ in itinere sunt necessaria : et indica mihi . Quæ præparatis his quæ in itinere congruerunt perrexit ad episcopum in ecclesia . Aduesperascente autem profundum descenderunt in oratorium : ubi iacebat limpsanum sancti : et aperientes positionem inuenerunt loculos duos . Et dixit episcopus mulieri : Non noui quis sit sancti prothomartyris Stephani : Cui mulier Ego inquit noui quis sit loculus uiri mei : quoniam ego feci eum . || Tunc episcopus audiens hæc : iussit eam tollere : quem nosset . Et impetu abiens amplexata est limpsanum sancti Stephani existimans esse mariti sui corpus . Et accipiens posuit in lecticula : et uale dicens episcopo ibat in itinere gaudens : et per totam noctem hymnus factus est in uia et odor unguenti suauitate refecti spirabat . Porro immundi spiritus clamabant dicentes : Ve nobis quia prothomartyr Stephanus transit diro nos uerberans igne . Mulier autem sedebat in uehiculo : et pueri ambulabant ante lecticulam : et formidabant dicentes : Quid est quod accidit nobis : quia spiritus clamat ante nos de sancto Stephano . Putas ne ipsius est hoc corpus : et nos nescimus ? Multitudo angelorum ante lecticulam hymnum canunt : et quid faciemus domina nostra ? Forsan non est uiri tui corpus : sed sancti prothomartyris Stephani . Tunc mulier his auditis flæns tacebat : præcepitque pueris suis nemini dicere : quæ sibi apparuerant in itinere : sed si interrogauerit quis inquiens in ciuitate aut in regione : cuius esset hæc lecticula : dicite quia mariti dominæ nostræ est : et uadit Byzantium . In eadem uero nocte transiuimus mansiones tres . Porro interdiu quiescentibus : spiritus profunda nocte clamabant dicentes : Transit is : qui flagellat nos : non possumus ferre uirtutem sancti corporis : quia ignis est : et acriter nos consumit : et nos non sustinemus uim sancti prothomartyris Stephani . Sanitates autem et uirtutes faciebat multas in uia . Porro peruenimus per Ascalonam maritimam : et inuenientes nauim euntem Byzantium conuocato nauclero : mulier dedit ei quinquagenos aureos dicens : quia secretum habeo tibi enarrare : et ne contradicas mihi . Loculum habeo deportandum Byzantium quem saluum ferre procura : Et habebis mercedem ab omnipotente deo : Qui dixit ei : Nolo contradicere dominæ meæ : quia magnus tecum est protomartyr Stephanus : et in ipso est uita mea et spes mea : quia uiderunt oculi mei gloriosissima hodie : Veni ergo domina mea : et ascende nauim . Nauigaturi enim sumus cum uirtute dei | et sancti corporis . Tunc introeuntibus omnibus nauim : soluta est a terra uento proprio : et uenientes in medium pelagi subito tempestas facta est ita : ut fluctus exaltarentur super antemnam nauis : et mari fortiter fluctuante metu detenti : surgentesque omnes adoraueruut† sanctum corpus . Cum autem plorarent : et flærent .: repente serenitas facta est magna in naui : et apparuit sanctus prothomartyr Stephanus dicens : ego sum nolite timere : Quæ eo dicente cessauit uentus : et facta est tranquillitas magna . Mane uero facto uenimus ad Augustam callantes propter principem Augustæ . Subito autem terræmotus factus est in loco illo : ita ut commouerentur fundamenta terræ : donec pertransiit nauis sancti prothomartyris Stephani : et tunc quieuit terra : quæ non mouebatur . Dæmones autem clamabant aduersus principem dicentes : Impiissime princeps quare non incendisti nauim : quæ transiuit illuc : sed dimisisti eam transire contra nos ? Ipsa enim nauis fecit terremotum . Princeps uero hoc audito misit Dromones quinque ad compræhendendam et incendendam nauim . Dromones autem peruenerunt ad nauim : sed angelus domini exiens de naui percussit Dromones : et sic mersit eos : et factum est gaudium magnum in naui : quia deus erat cum illis . Nauigantibus itaque tribus noctibus totidemque diebus uenimus Calcedonem : et dimissa est nauis in portu . Facientibus autem nobis illic dies quinque : quotquot habebant dæmonia ueniebant circa mare uexati clamantes : Seruus dei uenit : qui lapidatus est ab iniquis Iudæis : Et gratia sancti martyris Stephani spiritus clamabant : Væ nobis quia comburit nos fortiter : Quo fugiemus in uias eius terribiles ? Porro exibant atrociter ab omnibus : repulsi tamquam ab igne : Et quotquot habebant infirmos : ferebant eos extra mare : et omnes sani fiebant uirtute sancti prothomartyris Stephani . Propterea indemnati uehimus Sosas .· Audiens autem pene tota ciuitas currebat transiens : christianis qui-

dem gaudentibus : paganis uero tristantibus : Et inde profecti rursus propter || turbam quæ in circuitu erat uenimus in ciuitatem Saturnum . Cognito autem hoc Eusebius episcopus Constantinopoleos de corpore sancti prothomartyris Stephani : et quia tota multitudo christianorum mota erat ad uidendum uirtutem sancti corporis : cursum perrexit ad imperatorem Constantinum et nunciauit ei de corpore sancti Stephani . Imperator autem scisitabatur qualiter uenerit ab hierosolymis corpus : et quis esset qui hoc detulerat : Qui adduxerunt ei mulierem dicentes : Domine Imperator hæc est : quæ† attulit corpus sancti prothomartyris Stephani . Imperator uero dixit ad eam : Quomodo attulisti corpus sancti Stephani ? dic mihi in ueritate : Quæ dixit ei : Domine Imperator uir meus ipse ædificauit hierosolymis oratorium sancti Stephani : et ipse una cum episcopo Iohanne recondidit sanctum Stephanum . Post annos uero aliquot mortuus est etiam uir meus deposito testamento apud episcopum Iohannem dicens : post finem meum ponite me prope primum martyrem Stephanum : Et ita factum est domine . Imperator autem dixit : Quomodo ergo illud huc detulisti ? Quæ ait : Domine Imperator uim patiens a principibus sicut uidua : et nolens alii uiro copulari nunciaui patri meo : quia uolo illuc uenire : et afferre uiri mei corpus ad possessionem meam . Tunc audiens hoc pater et dominus meus accepit sacram ab imperatore uestro et misit hanc mihi et episcopo ut tollerem corpus uiri mei . Descendens itaque noctu cum Cyrillo episcopo existimaui tollere uiri mei corpus et tuli sancti Stephani . Dedit etiam imperatori sacram . Imperator autem cum legeret recognouit suam ipsius manum . Tunc mulier dixit imperatori : Domine Imperator potestatem habes corporis :† mei animæ uero deus : qui facit mirabilia in cælo et in terra . Quid si non credis domine imperator mitte hebreum ad nauim : ubi reiacet loculus sancti ; in quo etiam titulus est affixus scriptus hebraicis litteris et legens eas recognoscet certitudinem . Imperator uero uocato hebreo adiurauit eum per legem ipsius dicens : | Vade : et uide : quid scribat . Abiens itaque hebreus cum duobus protectoribus : et legens dixit : Magnum spectaculum hoc . Protectores uero dixerunt : Quod spectaculum est ; dic nobis . Hebreus autem dixit : quia prothomartyr Stephanus est : et ipse uita mea et spes mea est : quia uiderunt oculi mei gloriosissima hodie . Tunc uenientes protectores nunciauerunt imperatori : quia prothomartyr Stephanus est . Et gauisus est ualde : et uocans Eusebium episcopum dicit ei : Vade ad nauem cum multitudine populi et ego mittam plaustrum : et ferte mihi loculum in palatium : iuit ergo episcopus : et omnis populus cum cereis cucurrit . At uero episcopus descendens in nauim tulit loculum et posito in carruca festinauit introire palatium . Mulæ autem incedebant tractæ uiolenter ab angelis . Et uenientes in locum qui dicitur Constantinianos steterunt : et ulterius non ualebant transire . Percutiebant ergo animalia . Vna autem earum per .† angelicam uirtutem hic magna uoce locuta est coram omni populo dicens : Quid percutis facies nostras . hic oportet eum recundi in hoc loco : et nolite laborare omnino : alioquin signa et prodigia habebitis uidere . Episcopus uero tremefactus et tromentum† sustinens nunciauit imperatori : quia non possum afferre corpus sancti : Audiens hoc imperator tristatus est : Et misit alia duodecim animalia : ut traherent carrucam . et ipsa quoque similiter steterunt per uim angelorum et non ualuerunt mouere carrucam . Tunc populus exclamauit dicens : Vnus deus omnipotens : qui facis mirabilia solus super sanctum prothomartyrem tuum Stephanum : quia martyrium passus est pro nomine tuo . Da ergo nobis domine gratiam et misericordiam per orationes et intercessiones prothomartyris . Tunc episcopus tulit loculum a caruca : et locauit eum faciens oratorium eius per menses quinque : in quo posuit loculum cum omni cautela . Sanitates autem et uirtutes factæ sunt super infirmos in illis diebus in gloria patris et filii et spiritussancti : cui est glorificatio et imperium in sæcula sæculorum . ||

PASSIO SANCTORVM SERGII ET BACHI MARTYRVM .

Imperante Maximiano multus error hominum genus possederat . Lapides enim et ligna hominum adinuentiones adorabant : et de obscenis sacrificiis degustabant . Qui autem sacrificare nolebat' : penis atque suppliciis uæhementius afflicti : deseruire

dæmonibus compellebantur . Erat igitur edictum per singulas ciuitates in foro propositum : cum seuerissima comminatione . Polluebatur itaque et aeris puritas de diabolico ararum nitore . et tenebris diabolici erroris oportuna conuersatio hominibus parabatur . Tunc itaque ueluti quædam stellæ terrestres erga confessionem fidei saluatoris domini nostri Iesu christi Marcellus : Apuleius : Sergius et Bachus pollebant in palatio : Honorabilesque erant apud Maximianum imperatorem . Beatus quidem Sergius erat primicerius et princeps scholæ gentilium amicus imperatoris : et multam apud eum habens fiduciam : ut etiam uelociter postulationibus eius annueret . Qua de re Antiocus quidam familiarem habens Sergium poposcit ab imperatore : ut dux fieret Augustæ euphatarum† prouinciæ . Beatus uero Bachus eiusdem et ipse scholæ gentilium erat secundus primicerius . Qui enim unanimes erant in Christi caritate : oportune et in sæculari militia non seperabantur ab alterutro : non quidem affectu naturæ . sed uinculo fidei connexi : cantantes semper et dicentes ; Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum . Erant igitur ingeniosi et felices dei milites : et scripturis a deo inspiratis ad profectum instituti ad erroris diabolici destructionem : et in præliis ad plenum exercitati ad barbarorum peremptionem . Inuidia ergo maligni et iniqui dæmonis quidam de eadem quæ appellatur gentillium schola stimulati uidentes eos eleganter in atriis regalibus conuersari : atque in militiam proficere : multamque apud imperatorem fiduciam ha | bere : aliter non ualentes laboris sui insidias eius innectere accusauerunt apud imperatorem : quod fuissent christiani . Obseruantes namque tempus quo imperatori idem beatus Sergius et Bachus non assistebant : solum eum inuenientes dixerunt : Immortali quidem tuo fastigio multum est studium erga uenerabilium magnorumque deorum nostrorum relligionem : quapropter ubique et in omnibus locis scripta uestra peruenerunt : in quibus præcepistis : ut qui noluerunt uenerari eos atque adorare : obnoxii immaculati edicti uestri innumeris suppliciis consumarentur . Quare ergo tantam fiduciam habentes erga æternitatis uestræ potentiam Sergius et Bachus primicerii schole nostræ qui Christum quem utpote malefactorem Iudæi crucifigentes occiderunt : ipsum uenerantur et adorant : multosque alios persuadentes subtrahunt a deorum cultura : atque ad suam religionem inducunt ? Audiens hæc imperator : et non eis credens dixit : Non arbitror ueritatem uos dicere : quod Sergius et Bachus erga deorum honorem et religionem non sint deuoti : dum erga eos immaculatam caritatem habeam : quam adipisci non promerentur : nisi deuoti atque sinceri existerent . Sin autem ut uos perihibetis† illius culturæ sunt : compræhendantur . Conuocans namque eos quasi ignorans : quid dictum sit : uadam una cum eis ad sacrificandum magno Ioui . Et siquidem sacrificauerint : et de sacrificiis gustauerint : uobis ipsis ad sustinendum pro tali calumnia periculi causam ascribitis . Sin autem noluerint sacrificare : dignum impietate eorum supplicium sustinebunt . Dii enim satellites imperii mei impios et ingratos nolunt . Respondentes accusatores dixerunt imperatori : Nos amore et affectu deorum promoti : quod de iis audiuimus suggessimus tuo immortali fastigio . Tuæ autem erit intemeratæ sapientiæ istorum compræhendere impietatem . Continuo ergo conuocauit eos imperator . Ingressi namque fuerant cum consuetis satellitum obsequiis : et accipiens eos ingressus est : et sacrificauit cum officiis : ac de sacrifitiis degustans : || circonspexit : et non uidit beatos Sergium et Bachum . Neque enim ingressi fuerant in templum : impium et illicitum estimantes uidere sacrificantes . ac de immundis sacrificiis degustantes . Sed foris stantes orabant dicentes : Rex regum et dominus dominantium qui lucem inacessibilem habitas illumina oculos cordis eorum : quoniam in tenebris ignorantiæ incedunt : qui immutauerunt gloriam tuam incorruptibilis dei in similitudinem corruptibilium hominum uolatilium et quadrupedum et serpentium : et deseruiunt creaturæ magis quam tibi creatori . Conuerte eos : ut cognoscant te solum uerum deum et filium tuum unigenitum dominum nostrum Iesum christum : qui propter nos nostramque salutem passus est : et resurrexit : quatinus nos eriperet de maledicto legis : et liberaret de uanorum idolorum errore . Nos uero intemeratos atque immaculatos deus custodi in uia testimoniorum tuorum : ut secundum mandata tua conuersemur : Dumque adhuc oratio in ore eorum esset : mittens imperator quosdam de astantibus sibi satellitibus iussit eos in templum introduci . Ingredientibus dixit : Sicut uideo in multa mansuetudine mea atque humanitate mea confidentes quam protegentes uos dii prouiderunt : in super et contemnere uultis edictum imperiale trans-

gressores facti : deorumque inimici . Sed non uos sustineam : si probantur quæ de uobis dicta sunt . Accedentes ergo ad aram Iouis magni sacrificate : et de mysticis sacrificiis degustate : quemadmodum et cæteri . Respondentes autem fortissimi milites Christi et martyres dixerunt : Nos imperator terrenam quidem corporalis militiæ seruitutem tibi debemus exoluere. Habemus autem regem uerum et æternum in cælis Iesum christum filium dei : cui animas nostras deuouimus : qui est spes nostra et salutis refugium . Huic per singulos dies offerimus sanctum uiuumque sacrificium atque rationabilem culturam . Lapidibus autem et lignis non sacrificamus : neque adoramus . Dii namque uestri aures quidem habent : orationes autem hominum non audiunt . Similiter nares | habent . sacrificium autem quod eis offertur non odorant : et os habent : et non loquntur† . Manus habent et .† non contractant : pedes habentes non ambulant . Similes illis fiant : qui faciunt ea et omnes : qui confidunt in eis . Indignatus itaque imperator mutauit uultum suum : et iussit confestim zonas eorum incidi : et exutos chlamydibus et militiæ uestibus simul et torques aureas de ceruicibus eorum iussit auferri : et induit eos collobia muliebria : et ita per mediam ciuitatem usque ad palatium pertrahi : grauissimas in ceruicibus cathenas portantes : Cumque sancti dei traherentur per medium forum : cantantes simul dicebant : Si ambulauerimus in medio umbræ mortis : non timebimus mala : quoniam nobiscum es . Et uerbum illud apostolicum : quatinus abnegantes omnem impietatem et sæculares cupiditates : et exuti ueteris hominis habitu nudi in fide exultamus in te domine : quia induisti nos uestimentum salutis : et tunica læticiæ circundedisti nos . Sicut sponsam adornasti nos muliebribus stolis . Coniunge nos tibi per confessionem . Tu domine mandasti nobis dicens : Ante reges et præsides ducemini propter me : et cum tradiderint uos : nolite solliciti esse : quomodo aut quid loquamini . Dabitur enim uobis in illa hora : quid loquamini . Non enim uos estis : qui loquimini : sed spiritus patris uæstri qui in uobis loquitur . Exurge Christe adiuua nos : et expugna inpugnantes conforta nostras animas : ut non moueamur : et impii dicant : ubi est deus eorum ? Quando autem uenerunt ad palatium : uocauit sanctos imperator : et dixit : Sceleratissimi omnium hominum putatis quia in meam confidentes amicitiam : quam circa uos habui : famulos putans esse deorum : respondetis ea : quæ non licet imperatori ? Quare et deos blasphemastis : per quos magna pace fruitur hominum genus ? Nam scitus† quia quem uos colitis Christum fabri filius fuit : et ante quam nuptiæ legitimæ fierent adulterio facto mater eum procreauit ? Quem crucifixerunt Iudæi : quia discordias inter eos et seditiones immisit magicis artibus || decipiens eos : et se dicens esse deum Maximum autem deorum nostrorum genus ex legitimis procreatum est nuptiis . Dii magni Iupiter atque saturnus uenerabiliter nominantur ex coniuntione beatæ Iunonis . Puto autem quia et theoricos atque maximos duodecim athlos audistis . Respondentes autem fortissimi Christi milites dixerunt : erras imperator . Hæ enim fabulæ sunt decipientes simplicium hominum aures : et ad perditionem hortantes eos . Quem autem tu dicis adulterio facto fabri fuisse filium : ipse est filius dei uiui : qui cum eo et per eum omnia fecit . Cælos extendit : terram fundauit : abyssum et mare magnum harena solutum frænauit . Astrorum multitudine cælum ornauit . Solem ad lucendum diei creauit : et lunam ad solatium noctis condidit : et seperauit inter tenebras et lucem . Mensuram diei posuit et finem noctis . Omnia ex eo quod non est ut sint deduxit . Nam omnia in sapientia sicut deus fecit . In ultimis autem diebus propter hominum salutem in terra natus est : non ex uoluntate hominis nec ex uoluntate carnis sed ex spiritu sancto et puella semper uirgine : et conuersatus est cum hominibus : docens reuerti nos a uanis idolis istis : et ipsum cognoscere atque patrem eius deum uerum . Et si secundum carnem Iudæi occiderunt Christum : sed et inferos expoliauit : et tertia surrexit die : uirtutem suæ deitatis et legem incorruptibilitatis posuit : atque mortuorum resurrectionem . Hæc audiens imperator plenus magis quam antea furore factus est : et eorum iussit accusatores in eorum loco taxari militiæ : et ad eos dixit : Antiocho duci transmitto uos maledicti : quia propter amicitiam atque fiduciam quam habetis a me uobis datam prouidistis : et ad hanc eum dignitatem duxistis : ut sciatis : ex quo cecidistis honore : et quo minimo iudicio ultimum habetis sufferre supplicium propter blasphemiam : quam ad deos ausi fuistis facere . Hæc dixit : et transmittit eos ad Antiochum ducem : et iussit eos grauibus cathenis ligatos ad partes orientis per singularum ciuitatum officia

duci . | Scripsit autem et epistolam huiusmodi : Imperator Maximianus pius ac triumphator : Antiocho duci salutem . Deorum maxima prouidentia homines præsertim autem custodes imperii mei non uult impios atque alienos familiaritatis eorum esse . Ideoque sua conscientia conuictos Sergium et Bachum impiæ christianorum esse religionis ultimis iudicaui obnoxios esse suppliciis : quos imperialium iudiciorum quæstione non esse dignos existimantes ad tuam strenuitatem direximus : ut siquidem pœnituerint : at ante diis sacrificauerint : donata eis uenia sine tormentis ad nos iterum transmittas . Mox enim militiæ recipient dignitatem : et meliorem quam antea nunc habebunt . Sin autem hæc facere minime uoluerint : sed in sua impietate permanserint : eos non differras subiicere legum seueritati : et longas uitæ spes eis incide . Bene ualeas . Qui uero susceperunt eos ipsa die uespere facto ad duodecimum milliarium de ciuitate manserunt in stabulo cum magna custodia . Circa mediam autem noctem uenit angelus domini : et dixit eis : Confidite : et pugnate contra diaboli spiritum sicut fortissimi milites atque athletæ : Vt dum perluctantes eum posueritis sub pedibus uestris : et ueneritis uisuri gloriam regis Christi : uobis occurramus cum exercitu angelorum et mnltitudine† : laudem cantantes uictoriæ : portantes uobis palmam perfectæ fidei atque confessionis coronas . Aurora autem facta cum omni læticia gaudentes ambulabant in uia . Erant autem cum eis ex seruis eorum quidam qui amore pietatis Christi : et corporalium dominorum : nec in talibus necessitatibus eos relinquere uoluerunt : qui narrantes se inuicem audierunt . Ambulantes autem psallebant simul : et orabant tanquam ab uno ore sic ambo dicentes : In uia testimoniorum tuorum delactati† sumus : sicut in ombus† diuitiis : et mandatis tuis exercebimur : et considerabimus uias tuas . In tuis iustificationibus meditabimur Christe : redde seruis tuis : ut uiuamus : et custodiamus uerba tua . sicut autem secundum imperatoris præceptum per singula officia || ciuitatum cum omni transmitebantur custodia ad propositam eis martyrii uiam Christi milites : usque quo adducti sunt ab Augusto Eufratesiam prouinciam ad milites qui sunt iuxta saracenorum gentem in castello nomine Barbalischo : in quo sedem habebat Antiochus : qui tradiderunt eos circa horam nonam cum imperatoris epistola . Surrexit autem a sede sua Antiochus : et in purpura suæ chlamydis succepit litteras imperatoris : quas infra se tacite legit . Et uocans commentariensem officii sui dixit ei : Succipe legatos homines : et eos in militari depone custodia sine aliqua consueta molestia . Nam in pluribus cippi pertusis pedes eorum mitte . Postera autem die adduc eos ad iudicium : ut audiam secundum legem eos . Commentariensis autem sicut ei præceptum est succepit : et misit eos in cippum . Vespere autem facto psallebant simul atque orabant : tanquam ab uno ore dicentes ambo : Tu domine confregisti caput draconis magni : tu siccasti fluuios tu erupisti fontes atque torrentes : tu fecisti terminos orbi terræ . Respice in nos domine deus noster : quia inimicus exprobrauit nobis propter nomen tuum Non tradas animas homnium† confidentium in te his : qui plusquam feræ sunt immansueti . Animas pauperum ne obliuiscaris in finem . Respice in testamentum tuum : quia impleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum : Ne auertamur turpiter miseri facti : ut nos pauperes Laudemus nomen tuum . Ne obliuiscaris uoces supplicantium te : quoniam superbia eorum qui te oderunt semper ascendit ad te : Et gratis oderunt nos homines : sed tu domine adiuua nos : et libera nos propter nomen tuum . Quando autem hæc sancti dicentes tacuerunt : superuenit angelus domini : et dixit . Confidite : et state fortiter in fide atque confessione : quia dominus noster Iesus christus uobiscum est . Surrexerunt autem de somno : et narrauerunt suis famulis angeli reuelationem : et acceperunt confidentiam . Psallebant autem hæc dicentes . Ad dominum dum tribularemur . Clamauimus : et exaudiuit nos de monte sancto suo . Nos dormiuimus : et somnum | cepimus : et resurreximus : quoniam dominus suscepit nos . Non timebimus millia populi circondantis uos : exurge domine saluos fac nos deus noster : quoniam tu es salus : et super sperantes in te benedictio tua . Mane autem facto sedit in petrorio† dux : et uocauit commentariensem : et dixit ei : Ingrediantur legati . Commentariensis dixit . Adsunt in iudicio potestatis tuæ domine . Astantibus autem sanctis imperatoris epistolam legit : quo facto dux Antiochus summotus a consiliario suo dixit : oportebat quidem uos imperatoris semper implere præcepta : et diis sacrificare : ut gratiam ab his habeatis : quam autem nescio quomodo hoc facere minime uoluistis : et de tali gloria cecidistis : et a militia priuati

estis : et substantias quas habebatis perdidistis : uel nunc sacrificate diis : scientes quia si hoc facitis : plus quam ante honorem atque gloriam apud homines habeatis : recipientes militias uestras : et res quæ sunt a uobis ablatæ multiplicentur . Hoc enim ex præceptis imperialium litterarum cognouimus : sicut et uos audistis . Humanus enim constitutus imperator uester promisit uobis : ut si propter priora penitueritis : et sacrificaueritis diis : hæc omnia reddantur uobis . Quod ego suadeo facere uos memor amiciciæ uestræ atque beneficiorum : quæ de te maxime domine Sergi suscepi : sin autem hoc facere minime uolueritis : necesse mihi est imperatoris præcepta seueriter adimplere . His respondentes sancti dixerunt : Nos ideo dimisimus omnia : et secuti sumus Christum : ut terrenam militiam contemnentes angelis in cælo commilitemus : et illas quæ in terra pecunias sunt iactantes : cælestis† diuitias habemus . quid enim proficit nobis si totum mundum lucremur : animas autem nostras perdamus ? Ergo noli suadere nos Antiochi talia . lingua enim dolosa tua loquitur : et uenenum de aspidibus sub labiis tuis est : sed non tangit animas nostras oratio tua quæ ad perditionem nos prouocat . fac quod uis . hæc enim ligna atque lapides non adoramus : sed Christum filium dei regem æternum : cui flæctitur omne genu cælestium : terrestrium et infernorum : et omnis lin || gua confitetur ei . Dii enim uestri non sunt dii sed idola manufacta . Nam si erant dii ipsi sibi faciebant homines sacrificare : et non ex prouidentia hominum uindicabantur ab his : qui nolunt his sacrificare atque adorare . Respondens autem dux Antiochus dixit : Nos non deos uindicamus . Nam eorum prouidentia omnis inimicorum subiecta nobis est uirtus : sed culpamus uos : quia incœstam atque nefandam colitis religionem . Responderunt autem sancti martyres dei : et dixerunt : Incœsti atque nefarii uos estis : ut et qui uos sequuntur† : et sacrificant dæmoniis : et adorant ligna : quæ post modicum in ignem mittentur . Tunc iratus ualde dux Antiochus beatum quidem Sergium iussit iterum in custodiam recipi : beatum uero Bachum extensum brutulis crudis adeo cædi : usque dum illi : qui cædebant eum : in terram lassi ceciderunt . Illis autem de labore lassis iussit alios regirare sanctum martyrem Bachum : et his iterum uentrem eius cædi : et ipsi dicebant sine uideamus si potest te adiuuare Christus : quem tu dicis esse deum : Diu autem sancti corpore cæso et sanguine circunfluente : dixit ad Antiochum martyr Bachus : Ministri sathanæ cædentes lassi sunt : audacia tua cecidit . Tyrannus Maximianus uictus est et pater uester diabolus . Quantum enim quod extra me corpus est corrumpitur : tantum qui est nitus† renouatur homo ad futuram uitam . Hæc dicente eo uox de cælo facta est dicens : Veni iam ad paratum tibi regnum athleta Christi Bache . Circunstantes autem et audientes uocem obstupuerunt : et facti sunt tanquam uani : Et dum cæderetur sanctus : tradidit animam in manus angelorum . Iratus autem Antiochus iuss t† ne corpus eius sepeliretur : sed canibus et uolucribus proiiceretur a castris : et exurgens recessit : Cumque corpus eius proiiceretur longe : collecta est multitudo bestiarum : et circundederunt eum . Aues uero desuper uolantes non permittebant crudeles bestias ut tangerent eum . Et sustinuerunt custodientes eum usque in tempore noctis . Vespere autem facto descendentes quidam de ibi | dem habitantibus fratribus in speluncas : tulerunt sanctum corpus eius permissi a bestiis ueluti a quibusdam rationalibus hominibus : sepelieruntque eum in una e speluncis eorum . Beatus uero Sergius nimis contristatus derelictus est solus : et flæns dicebat : Heu me Bache frater meus et contubernalis : numquam cantabimus dicentes : ecce quam bonum et quam iucundum : habitare fratres in unum . Ascendens autem in cælum segregatus es a me : relicto me super terram solitario . Hæc eo dicente in eadem nocte astitit ei beatus Bachus candidam habens faciem tanquam angeli indutus habitu militari : dixitque ei : Quid contristaris : aut quid anxiaris frater ? Et si de corpore abscessi a te tamen confessionis uinculo tecum sum psallens : et dicens : Viam mandatorum tuorum cucurri : cum dilatasti cor meum . Et tu ergo frater festina : ut per bonam et integram confessionem peruenias ad me : cursum cunsummans : et fidem custodiens . Tecum enim mihi reposita est iusticiæ corona . Diluculo igitur surgens narrauit his : qui cum eo erant : in quo habitu uidisset beatum Bachum nocte . Sequenti itaque die egressurus dux de castello Barbarisso in castellum Syrum : iussit beatum Sergium sequi : precabaturque eum : ut sacrificaret . Ille autem respuens blanditias eius : iter suum cum pace faciebat . uenientibus ergo eis in castellum Sirum : præsidens Antiochus pro tribunali in prætorio conuocauit ad se beatum Sergium

dicens† ei : Bachus quidem impiissimus nolens obtemperare ad sacrificandum diis elegit uita priuari : dignamque sibi mortem adeptus est . Tu uero domine meus Sergie : ut quid seductoriam et impiam illam religionem sequens ad tantam te tradidisti miseriam ? Reuereor enim te memor beneficiorum tuorum : et confundor in te : quia principatum hunc tu mihi prouidisti : et tu quidem ut reus in ordine examinate existis . ego autem in sede præsenti resideo . Respondens autem Christi martyr Sergius dixit : Afflictio ista temporalisque confusio magnam fidutiam atque æternam gloriam pariet apud regem cæli et terræ : omnisque spiritus Christum Ie || sum filium dei . Vtinam et nunc et regem meum Christum et prouidentiam tui facerem : quemadmodum apud terrenum et mortalem imperatorem : ita etiam et apud Christum cælestem atque æternum regem ut concederetur tibi insuccessibilis principatus et gloria immortalis . Terreni quippe principes cadunt uelociter : erga quod psalmus dicit : uos autem ut homines moriemini : et sicut unus de principibus cadetis . Et iterum : uidi impium exaltari et eleuari usque ad cedros libani : quæsiui eum : et non est inuentus locus eius . Dux Antiochus dixit : Fatuas has et indisciplinatas superfluitates relinque : et sacrifica diis : et obediens esto uenerabilium præceptorum imperatoris nostri Maximiani . Si autem sacrificare nolueris : cognosce : quod compellere me habes obliuisci omnium : quæ mihi præstitisti : et legalibus te acerrimis suppliciis subiiciam . Beatus itaque Sergius dixit : fac quod uolueris : Christum enim habeo adiuuantem meum : Qui dixit : Nolite timere eos : qui corpus occidunt : animam autem non possunt occidere . Magis autem eum timete : qui potest animam et corpus perdere in gehennam . Corpus igitur meum subiacet tibi : puni : et afflige quantum uolueris : hoc sciens : quod et si corpus meum peremeris : in animam meam potestatem habere non poteris neque tu neque pater uester Sathanas . Indignatus ergo dux dixit : ut uidetur : humanitas mea audaciorem et procacem te fecit . Conuocauit ergo adiutorem officii sui : et dixit : cothurnos longis clauis confixos et clauos eorum rectos relinquentes eum uelociter induite : Cumque indueretur sedens in carruca : Antiochus iussit eum ante se currere : præcipiens ut usque ad castellum Terrapyrgum uelociter agerentur iumenta . Distat uero hoc castellum a Syro millia nouem . Currens uero beatus Sergius psallensque dicebat : Expectans expectaui dominum : et respexit me : et eduxit me de lacu miseriæ paganorum et de luto fecis ydolatriæ : et constituit pedes meos super petram confessionis : Cumque uenissent in castellum Terrapyrgum : Antiochus dux dixit : | Admiror de te Sergi : quomodo in tanto officio examinatus potuisti nunc tam grauia sustinere supplitia . Sanctus uero Christi martyr respondens dixit : Non sunt mihi amaræ pœne tuæ : sed dulces super mel et fauum . Descendens dux de carruca iuit in prætorium : præcipiens in militari custodia Christi martirem custodiri . Vespere autem facto cantabat beatus Sergius dicens : Qui edebant aliquando panes meos magnificauerunt super me calcaneum suum : et funibus pœnarum grauissimarum extenderunt laqueum pedibus meis uolentes me supplantare . Sed exurge domine . præueni eos : et subuerte eos : et libera ab impiis animam meam . Circa autem mediam noctem angelus domini astans restituit pedes eius saluos . Diluculo itaque sedens dux pro tribunali iussit eum adduci : existimans quod ex dolore nec incedere potuisset nisi forsitan portaretur . Et cum adduceretur : uidens eum a longe dux ambulantem : et nullatenus claudicantem exterritus dixit : Hic homo magus est : idcirco tantam fiduciam habere potuit apud imperatorem magicis artibus hanc adipiscens : et illorum quæ dicuntur : indicia sunt quæ uidentur . Arbitrabar quippe eum nullatenus potuisse pedibus ambulare : ut pote qui inutiles fuerant exhibiti ex hesterno supplitio . Quomodo autem nunc tanquam nihil sustinuerit incedit : per deos ammiror . Adsistente ergo ante tribunal beato Sergio dixit Antiochus : Miser respice tandem aliquando : et sacrifica diis : et erue te de futuris suppliciis : Parco enim tibi memor beneficiorum tuorum . Si uero non sacrificaueris : cognosce quod nihil te iuuabunt magiæ tuæ : quibus te saluum fieri putas . Respondens autem beatus Sergius dixit : Vtinam tu resipisceres de ebrietate diabolici erroris : Ego enim sobrius sum in domino : qui contriuit arma patris tui diaboli sub pedibus humilis serui eius : qui mihi tribuit aduersum te uictoriam : qui mihi misit angelum suum : et saluauit me . Nam magus profecto tu es : et qui dæmones adorant . Dæmonum quippe nec nominanda cultura omnis impietatis : et magiæ adinuentrix est . Id || namque est et principium in causa et finis totius

malitiæ . Amplius uero exacerbatus Antiochus iterum sedit in carruca : et iussit eum indui eosdem cothurnos : et ante se currere usque in castellum nomine Rhuzafatam quod nono milliario distat a Terrapyrgia dum autem uenissent Rhuzafatam : dixit beato Sergio dux Antiochus : Miserrime fugauerunt instantiam fatuitatis tuæ pœnæ clauorum : ut acquiescas tandem sacrificare diis : aut persistas in ea quæ te præocupauit instantia ? Respondens autem fortissimus Christi martyr dixit : cognitum tibi sit Antioche : quoniam per hanc fatuitatem persistam ad dissoluendam uirtutem tuam patrisque tui diaboli . Fac ergo : quod uelis . Ego enim dæmones non adoro : neque idolis sacrifico sed domino deo meo immaculatum sacrificium me ipsum offerre festino . Videns hæc Antiochus dux quia fixus et immobilis erga Christi fidem atque confessionem persistebat : talem aduersus eum dedit sententiam : qui indignum se ipsum deorum pietate monstrauit : impiissime uero hæresi eorum qui appellantur christiani se ipsum inseruit : offendit autem magnam Maximiani imperatoris fortunam : eo quod noluit obediens esse uenerabilibus eius edictis : ut diis sacrificaret : hunc leges gladio animaduerti præcipiunt . Quidam igitur de assistentibus iustam esse acclamabant : quæ in eum prolata erat : sententiam . Venientes ergo apparitores interposuerunt funem labiis eius : et accipientes eum de medio secretario duxerunt : ut gladio perimeretur . Plurima itaque multitudo uirorum ac mulierum eum subsecuta est : ut exitum beati martyris aspiceret . Videntes igitur flores uultus eius et iuuenilem ætatis magnitudinem amarissime flæbant suspirantes super eum . Bestiæ uero eiusdem loci cubilia sua relinquentes commixtum omnes conuenerunt nulli hominum insidias facientes : et tacitis clamoribus sancti martyris interitum consyderabant . Dum appropinquaret ad locum : in quo consumaturus erat Christi martyr Sergius : postulabat spiculatores modicas ei prebere inducias : ut oraret . | Extendens itaque manus suas in cælum dixit : Bæstiæ agri et uolatilia cæli tuam dominationem atque imperium domine cognoscentes collectæ sunt in gloriam sancti nominis tui : quatenus rationabilium hominum scientiam per suam confessionem ad te conuertant : qui tuæ bonitatis nutu ac uoluntatis uis omnes homines saluos fieri : et ad cognitionem ueritatis uenire . Intermittens quidem mortem expectans pœnitentiam ne memineris domine peccatum ignorantiæ eorum : quod in nos pro tuo nomine pertraxerunt . Illumina ocullos cordis eorum : et perduc eos ad tuam cognitionem . Suscipe denique et animam meam : et requiescere eam fac in cælestibus tabernaculis tuis cum eis : qui tibi a sæculo placuerunt : Tibi enim animam meam commendo : quoniam eruisti me de laqueo diaboli . Hæc igitur dicens signansque se ipsum : et flectens genua capite truncatus est : Vox autem de cælo facta est dicens : Sergi miles meus et athleta ingredere in regnum : quod tibi præparatum est . Expectant enim te angelorum militiæ : numeri patriarcharum : apostolorum et prophetarum cœtus : spiritus iustorum : ut cum eis bona percipias : quæ tibi præparata sunt . Locus autem in quo susceptus est sanguis sancti martyris diuisus magnam uoraginem fecit deo ita dispensante . quatenus eos qui ueluti sues in cœno uolutabantur terrore uisæ uoraginis non auderent appropinquare : et conculcare in ipso loco sanguinem sancti martyris . Ideoque pro hac re magnum illud chaos factum est : et sic remansit locus ille usque in præsentem diem continens ex diuino nutu uetustatis indicia : ut qui non credunt specialiter existente miraculo firmum in eis ædificet fidei fundamentum . Quidam proinde ex his qui conuenerant ad uidendum sancti martyris exitum animaduertentes intuitum communis naturæ collegerunt corpus eius : et optime sepelientes posuerunt eum in eundem locum : in quo et passus fuerat . Post multum igitur tempus religiosi uiri zelo domini incitati cœperunt expoliare corpus de loco suo uenientes de castello Syro ueluti quendam thesaurum pretiosissimum . || Sanctus uero Sergius non permisit corpus suum occulte foras ferri : quod publice propter Christi confessionem triumphalibus suppliciis cæsum est . Sed præcatus est deum : ignemque succendit in eodem loco : non ut eos qui furari conabantur ulcisceretur : aut etiam exureret : sed caliginem quoque noctis illustraret . Tale furtum in Rhuzaphata castello factum est . Incenso ergo igne loco ubi corpus iacebat quidam de habitatoribus castelli uidentes penitus usque ad cælos flammam eleuari : putauerunt a quibusdam hostibus illum maximum ignem factum fuisse . Et armati egressi sunt : ut persequerentur eos : qui furari temptauerunt corpus sancti martyris . Illi autem postulantes eos : permiserunt ibidem diebus paucis persistere . Et ædificium facientes ex lapi-

dibus et luto in loco in quo iacebat et cohoperientes desuper in honorem martyris sic recesserunt . Paulatim itaque proficientes religione saluatoris domini nostri Iesu christi conuenientesque in unum sanctissimi episcopi numero quindecim ædificauerunt iuxta castellum Rhuzafatam cymiterium dignum confessionis eius : transtuleruntque ibidem sancti martyris corpus : et deposuerunt in eodem cymiterio per eandem diem : qua passus est die septima mensis octobris . Multa denique saluationis miracula peraguntur ubicunque eius sanctæ reliquiæ fuerint : præcipue in sepulchro ubi prius iacuerat . Affectu namque loci in quo passus est precatur idem Sanctus martyr domini : ut omnes qui illuc concurrunt a diuersis ægritudinibus curentur . Obsessos uero spiritibus immundis curat nec non et bestiæ agrestes in mansuetudinem conuertuntur . Diem namque qua passus est annualiter custodiunt uelutí legitimam Bestiæ concurrentes a deserto : quod est in circuitu : et commixtæ cum hominibus nulli omnino insidiantur neque ferali impetu in læsionem concurrentium uertuntur . Magis autem mansuetudine martyrem Christi honorantes persistunt in eodem loco erga præceptum domini : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen . |

SEPTEM DORMIENTIVM REVELATIO ID EST MAXIMI . MALCHI . MARTINIANI CONSTANTII . DIONYSII . IOHANNIS . SERAPIONIS APVD EPHESVM QVARTO IDVS AVGVSTAS .

Temporibus Decii imperatoris cum per uniuersum orbem persecutio christianorum agitaretur atque idolis uanis sacrificia funesta offerrentur : fuerunt septem uiri in pallatio regis primi et nobiles : quorum nomina sunt hæc . Achiledus . Diomedus . Eugenius . Stephanus . Probatius . Sambatus . et Cyriacus : Hi cum sæua imperatoris scelera sæpe conspicerent : ut pro deo sempiterno idola surda et muta coli iuberet : compuncti diuinitus ad baptismi gratiam conuolarunt . Mutatisque nominibus sacro fonte renati : appellati sunt Maximus : Malchus : Martinianis† : Constantius Dionysius : Iohannes : Serapion . Igitur adueniente Decio ad urbem ephesiorum iussit omni intentione ita christianum genus inquiri : ut extinguerentur : Denique præparantur sacrificia : ipse immolat : suosque immolare blanditiis rebusque instigat : Litabant cuncti hostias tota ciuitas horrendarum cerimoniarum nidore fumabat : quod uidentes hii septem serui Christi prostrati sunt in oratione cum lachrymis : et asperso super capita eorum puluere domini misericordiam flagitabant : ut respiciens de cælo sancto suo non sineret diu populum in hac peruersitate subuerti : Quo comperto persecutores nominis christiani uenerunt ad impiissimum principem dicentes : Imperii tui præceptio o rex totius orbis terræ terminos percurrit : nullus iussioni tuæ contraire præsumit : Omnes diis immortalibus sacrificia quottidiana delibant præter septem uiros : quos unico affectu foues ac diligis : quibus imperator ait : Qui sunt illi ? Responderunt : Maximus filius præfecti cum satellitibus suis . Et statim furente imperatore onerati ferro adducti sunt in conspectum eius : suffossos habentes uultus lachrymis : et puluerem super || capita sua sicut fuerant in conspectu domini eum precantes : Quos intuens imperator ait : Tanta ne uos tenuit perfidia mentis prauæ : ut audeatis nostris muneribus contraire : et immortalibus diis debita holocausta non reddere ? Dico enim uobis per gloriam meam : quia experiemini diuersa genera tormentorum pro contemptu deorum nostrorum : Cui responderunt sancti uiri dicentes : Deus noster unus et uerus est . ipse est creator cæli et terræ et maris : Cui nos debitum quottidie laudis sacrificium immolamus : pro cuius nomine etiam mori parati sumus . Numina uero deorum uestrorum : quæ nos urges adorare : nihil prorsus esse nouimus : quia cum membris sint artificum arte distincta : nullum uiuendi usum capere possunt : Ideoque et qui adorant ea prophetica sanctione damnantur : ut similes illis fiant tam factores quam adoratores eorum . Tunc imperator furens remotis omnibus ait ministris suis : In nostri præsentia abscidite comam capitum eorum : donec agentes pro contumaciæ huius scelere pœnientiam† recipiantur in palatio nostro : reconciliatique deorum miseratione flore adolescentiæ suæ perfruantur : Quia non decet tantam uenustatem ac pulchritudinem corporis subdi tormentis :

Et discusso ferro a ceruicibus eorum iussit eos liberos abire : donec ipse Ephesum reuerteretur . Accepta itaque septem uiri iudulgentia† abeundi : et discedente ad aliam urbem imperatore abierunt et ipsi domos suas : Inspectoque unusquisque prædio domus suæ : abstulerunt aurum argentumque et uestimenta : cunctaque suppellectili distributa pauperibus abierunt in speluncam montis Chillei portantes secum paruum pondus peccuniæ : quod comedendi uictus necessitate haberent : Elegeruntque Malchum : ut abiens clam in ciuitatem cibos emeret : et diligentissime percunctaretur quid imperator de christianis quottidie sanctione decerneret . Inclusis igitur sanctis sub carceris priuata custodia et in assidua oratione uacantibus : iniquissimus imperator Ephesum rediit : Exquisitisque ex more christianis de Maximo atque eius sotiis inter | pellat parentes : qui dixerunt eos inclusos esse in quodam antro montis Chillei : de quo facille possint erui si imperialis iussio innueret . Quod cum uiri sancti nuntiante Malcho cognouissent : exterriti ualde prostrauerunt se super terram : lachrymisque orabant : ut eos dominus in fide recta custodiens a conspectibus iniquissimi imperatoris arceret : quibus orantibus prouidens deus : quod essent in posterum necessarii exaudiuit orationem eorum suscepitque in pace animas illorum . Et erant iacentes super humum quasi suaui somno dormientes . Hoc audito commotus imperator dixit suis : Ite : et statim obturate os speluncæ : ne rebelles illi deorum egrediendi habeant potestatem . Abeuntibus autem eis qui iussa complerent : præcesserunt eos duo uiri christiani Theodorus et Ruben : qui propter minas imperatoris Christum latenter colebant : scribebant in tabulis plumbeis omnem historiam sanctorum : posueruntque in introitu cauernæ intrinsecus nemine præter illos sciente : apud se dicentes : quando quidem uoluerit deus beatos athletarum suorum artus populis reuelare : edoceantur hæc : quæ pro nomine Christi pertulerunt . Uenientes itaque qui missi fuerant : magnos lapides aduolentes† concluserunt aditum antri : et abierunt dicentes : Hic fame deficiant : propriisque morsibus sese consumant : qui contemserunt diis nostris debita exhibere libamina . Post hæc mortuo Decio et succedente tempore in Theodosium Archadii filium imperii summa collata est : Cuius in tempore immunda illa saduceorum secta surrexit : uolens euertere spem resurrectionis : dicensque quoniam mortui non resurgent . Capita autem hereseos fuerunt Theodorus et Gaius episcopi : qui etiam imperatoris animam huic incredulitati conati sunt inclinare : Unde factum est : ut hac causa ualde afflictus imperator Theodosius prostratusque cylicio precabatur dominum : ut sibi quam sequi debeat insinuaret . Erat tunc apud Ephesum Dailus quidam ualde diues in pecoribus : qui circuiens montem Chilleum iussit pueris dicens : præparate hic caulas ouibus nostris : quia || opportunus hic locus est ad pascenda pecora . Ignarus enim erat : quid haberetur in spelunca . Operantibus autem et reuoluentibus ingentia saxa : uenerunt ad os speluncæ : inuenerunt que lapides magnos : quos reuoluentes faciebant† murum : non tamen introierunt antrum . Dominus autem iussit reuerti spiritus in corpora sanctorum : et surrexerunt : ac salutantes se et putantes una se tantum nocte dormisse : sederunt alacres atque robusti . Erant enim nouo modo non tantum corpora eorum uenusta atque pulcherrima uerum etiam ipsa uestimenta integra atque illæsa : sicut ante annos plurimos induta perdurarunt : Conuersique ad Malchum dixerent† : Ennarra nobis frater quid hac nocte locutus est imperator : an si quæ inquisiti sumus et sciamus : quibus ille respondens : Requisiti inquit sumus ad sacrificandum diis : Cui Maximus ait : Nos omnes quidem mori parati sumus pro nomine domini nostri Iesu christi† : Sed tu frater accipe nunc argenteos : et uade ad comparandas escas : et ausculta diligenter : et quæ audieris renuncia nobis . Accepta itaque pecunia abiit . Erant autem argentei nomine Decii superscripti . Appropinquans autem ad portam ciuitatis : uidit signum crucis supra portam : et stupefactus : miratus est nimis infra se dicens : Nunquid non die hesterna post solis occasum egressus sum ab hac urbe ? et cor decii immutatum est : ut crucis signaculo portæ introitus muniret ? Ingressusque urbem : audiuit omnes per Christi nomen iurare : atque ad ecclesiam aspicere : mœniaque nouare : stupensque magis dicebat apud semetipsum . Putansne† quia in aliam urbem ingressus es ? Accedensque ad nundinas† protulit argenteos postulans sibi dari escas . At illi numisiua† argentei intuentes dixerunt . Hic homo thesauros reperit antiquos . Nam ecce argenteos de temporibus Decii imperatoris profert . Malchus uero hæc audiens cogitabat in corde suo dicens : Quid sibi uolunt

ista ? Nunquid somnia uideo ? Viri autem appræhensum Malchum ducunt ad episcopum Marinum et ad præfectum urbis : Cui præfe | ctus ait : Vnde es aut ex qua regione huc aduenisti ? Malchus respondens ex : † Epheso inquit ciuitate sum : si tamen hæc est ephesiorum : quam hesterna die me uidisse memoro . Præfectus ait : Vnde hos argenteos habes ? Malchus respondit : de domo patris mei sumpsi eos . Ait ad eum præfactus† : Et ubi est pater tuus ? Et beatus Malchus nominabat parentes suos : sed nemo cognoscebat . Tunc præfectus dixit : Ennarra nobis : unde habes hos argenteos . Sunt enim ex tempore Deciis† imperatoris : qui mortuus est ante plures annos : Vnde manifestum est : quia illudere uenisti sapientes Ephesiorum : Ideoque subiciendus eris tormentis : quoadusque aperias ueritatem . Tunc commotus Malchus cum stupore et lachrymis dixit : Vnum uos si dignum ducitis uellem interrogrnre† : Decius imperator qui presecutor† extitit christianorum in hac urbe ubi est ? Marinus episcopus respondit : Non est in hac urbe homo : qui tempora Decii recolat . Ante multos enim annos idest centumquinquagintaduos defunctus est . Hæc audiens Malchus conuersus ad semetipsum dixit episcopo : Putabam me cum fratribus meis una tantum nocte dormisse : sed ut uideo multorum annorum curricula super somnum nostrum transierunt : Et nunc suscitauit me dominus cum fratribus meis : ut cognoscat omne sæculum : quod s t† resurrectio mortuorum . Sequimini ergo me : ut ostendam uobis fratres meos : qui mecum surrexerunt . Tunc stupefactus episcopus cum præfecto et omni populo sequentes Malchum uenerunt ad speluncam . Narrante autem Malcho fratribus suis : quæ ei contigissent in urbe : egressus episcopus reperit scrinium duobus sigillis argenteis præsignatum : Et egressus foras conuocansque omnem multitudinem ciuitatis cum præfecto apperuit sigilla : et inuenit duas tabulas plumbeas : in quibus erat omnis passio sanctorum sicut supra retulimus . Et cognouerunt : quia uera erant : quæ a Malcho dicebantur . Tunc ingressi† inuenerunt beatos martyres in angulo speluncæ sedentes : et erant facies eorum || tanquam rosa florens : et sicut sol fulgens . Nihil enim diminutum erat neque de uestimentis neque de corporibus eorum . Marinus autem episcopus cum præfecto procidit ante pedes eorum : et adorauit eos : Et omnis populus glorificabat deum : qui dignatus est tale miraculum ostendere seruis suis . Sancti uero narrauerunt episcopo : quæ eis tempore Decii accidissent . Episcopus autem cum præfecto nuncios miserunt ad Theodosium imperatorem dicentes : Festina quantocyus : si uis uidere miraculum magnum : quod manifestatum est tribuente domino temporibus tuis . Si enim ueneris : cognosces spem resurrectionis ualde esse utilem iuxta sponsionem promissionis euangelicæ . Hæc audiens Theodosius surrexit de cylicio : et extendens manus suas ad dominum ait : Gratias tibi ago domine Iesu christe sol iusticiæ : qui dignatus es tenebras mortalium tuæ ueritatis luce respergere . Gratias tibi ago : qui non permisisti lucernam confessionis meæ tetræ assertionis caliginæ uiolari . Et hæc dicens ascensis equis cum summa festinatione Ephesum uenit . Episcopus autem cum præfecto et omni multitudine ciuitatis exiit in occursum imperatoris : Ascendentibus autem illis in montem egressi sunt sancti martyres obuiam Augusto : et uisæ sunt facies eorum tanquam sol fulgens in uirtute sua : Ceciditque Augustus in terram : et adorauit eos glorificans deum : surgensque osculatus est eos : ac flæuit super collum uniuscuiusque dicens : Sic uideo facies uestras : tanquam si uideam dominum meum Iesum christum : quando uocauit Lazarum de monumento : Cui immensas refero gratias : quod non frustrauit in me spem resurrectionis . Maximus autem locutus est : Scito inquit imperator : quia ad confirmandam fidem tuam nos dominus resurgere iussit . Esto ergo fidens in eo : et cognoscens : quia fit resurrectio mortuorum : cum nos hodie uideas post resurrectionem loqui tecum : atque ennarrare magnalia dei : et domini nostri Iesu christi . Multa quidem et alia loquentes cum eo iterum prostrati in terram obdormierunt tradentes animas suas regi | immortali deo omnipotenti . Hæc audiens imperator ruit super corpora eorum : et flæns osculabatur eos : audiuitque dicentes eos : ne feceris . Sed relinque nos super terram : de qua iterum suscitabit nos dominus deus in die magno resurrectionis omnis carnis . Tunc imperator ædificauit super eos basilicam magnam : et fecit ibi receptaculum pauperibus imperans alimenta de publico . Conuocatisque episcopis celebrauit festiuitatem sanctorum : et omnis populus glorificauit imperatorem : et gratias egerunt domino Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

SANCTORVM SPEOSIPPI ET SOCIORVM EIVS MARTYRVM .

Sanctus policarpus episcopus Iohannis apostoli discipulus uolens Christi iusticiam ampliare per diuersas mundi partes suos dirigebat discipulos . Audiens uero : quod malo peior princeps principi successisset in regno scilicet Aurelianus Seuero : qui cum in gallarum† prouincias omnes christianos diuersis puniri suppliciis generali promulgasset edicto : decreuit idem sanctus sanctos dei Andochium et Benignum presbyteros et Thyrsum diaconem illuc prædicationis causa destinare : uiros uirtutibus præstantissimos et in dei amore diffusos ad certaminis agonem pro Christi nomine festinos . Qui nauigantes feliciter cum ad massiliensium littora peruenissent Eduam ciuitatem ingressi a Fausto nobilissimo uiro senatoria dignitate gratissime hospitio recepti sunt : quos cum percunctasset esse presbyteros : suppliciter postulauit ut familiam suam per ablutionem baptismi facerent christianam . Ipse autem propter imminentem persecutionem Christum colebat occculte† : obtulit etiam filium suum Simphorianum adolescentem sanctorum prædicationibus diuina prædestinatione succiduis temporibus præclarum martyrem futurum : quem ipso patre deprecante Begninus† bapti || zauit : Et sanctus Andochius de sacro fonte leuauit Tunc idem Faustus ait illis : Est etiam mihi soror Leonilla ciuis urbis lingonicæ cui sunt nepotes ex filio tres fratres ex uno partu simul editi Speosippus . Eleosippus et Meleosippus liberalibus litteris eruditi : sed paterna tradicione ad huc uiuentes errore :† gentili quos desyderat ad Christi militiam sociare . His ergo sanctissimi sacerdotes uestra deuotione subuenite . Placuit ergo eis consilium ut sanctus Benignus ad territorium lingonicum illustrandum properaret . Sancti uero Andochius et Thyrsus in augustudinensi diocesi prædicantos† non multo post sub Aureliano felici martyrio coronati sunt . Leonilla autem sanctum Begninum† ad se transmissum quasi manna de cælo descendens cum omni ueneracione suscepit . Eadem die nepotes eius in agro plasmoso ad simulacrum deæ Nemesis sacrificia offerebant : et de supersticiosis libaminibus auiæ suæ reseruauerunt . Illa uero omnia proiiciens canibus respuit tanquam stercus : accedensque ad eos cum sancto Benigno dixit : Carissimi nopotes† cognoscite dominum Iesum Christum deum esse uerum et uiuum : qui mundum constituit : qui cæli altitudine† extendit stellisque depinxit : qui pelagus congregatum littoribus coarctauit : piscibusque id perambulandum concessit : qui terrarum spatia dilatauit diuersisque arboribus et graminibus tellurem omnem uestiuit : cui angeli et omnis creatura seruitutem reddidit : cuius pietas hunc uirum sanctum Benignum ad nos de longinqua regione transmisit . Attendite ad uerba eius : quia dei præcepta sunt : quæ de ore eius procedunt : Cumque hæc et multa illa cum saucto† Benigno nepotibus suis dixisset : illi uisiones quasdam : quas nocte præterita uiderant : huic eorum uocationi consonas in memoriam singuli reuocantes narrauerunt : et ita uerbis eorum in fide Christi confirmati sunt : ut a sancto Benigno baptismi lauarum† susciperent : et idolorum statuas dissiparent . Deinde sanctus Benignus ad castellum diuionense perexit . Vbi non multo post coronam martyrii promeruit . |

Percurrente autem fama lucdonicam urbem tres geminos nepotes Leonillæ ad Christi cultum declinasse : requisiti a iudicibus : constanter et publice christianos se esse asserebant : Ipsos quoque tanquam cæcos et insensibiles qui metalla et lapides adorarent acriter arguebant . Exurgens autem Quadratus præses . Speosippum et Eleosippum in facies pugno percussit iratus . Ipsi enim duo tantum locuti fuerant . Dolens autem Meleosippus exclamauit dicens : Cur me huius percussionis doni cum fratribus meis participem non fecisti : sed in illis optabile principium passionis ostendens . me a sancto consortio sequestrasti ? Vnanimes in Christi confessione sumus . equaliter de Christi remuneratione per uestram perfidiam gratulemur . Quadratus respondit : Hodie illos pro contemptu deorum nostrorum diuersis cruciatibus : deinde te punire disposuimus . At illi in confessione Christi constanter perdurabant . Auia ergo cum lachrymis et osculis eos uiriliter exhortatur in amore dei pesistentes† : cum nullatenus conseutirent† ut simulachris sacrificarent : ligatis sursum manibus dehorsum uero pedibus in arbore una suspensi sunt . Tantaque tormentorum adiuuentione† sunt extensi : ut putarentur a membrorum compagine

seperari . Meleosippus autem exultabat coram iudicibus dicens : Saluator nostær et dominus Iesus christus pro nobis pependit in ligno affixus clauis . Nos ergo eius famuli pendentes in stipite crucis signaculum adepti gloriosi martyres efficimur . At illi : Non in ista arbore moriemini sicut uos uelle dieitis† : sed igne ultore peribitis . Tunc præparatis lignis et cæteris fomentis copiosus ignis accenditur : ligatisque manibus et pedibus in eo præcipitantur . Affuit Christus saluator in incendio : de diruptis uinculis sancti gloriabantur in igne : Eorumque neminem incendia contingebant . Videbant impii sanctos inter flammas exultare geminos . illæsosque perseuerare : quos putauerant tanto incendio subito consumptos : E† tristabantur confusi . Sancti in igne ambulabant : et tandem consumptis ignium incremen || tis ac deficientibus flammis in medio stantes persecutorum malicias irridebant . Sed ut maior non fieret desyderantibus mora martyrii : et ut coronas præparatas acciperent : uidentes choros angelorum ad se excipiendos stantes paratos : flexis genibus in oratione prostrati : spiritum simul emittentes pariter ad cælos migrauerunt : Videns autem mulier quædam Iouilla tam preciosam eorum consumationem spreto maritali consortio paruuli et unici filii dulcem relinquens amplexum inter incredulitatis turbas adhuc in persecutionis ardore commotas : ueloci cursu properans exclamauit dicens : et ego Christi ancilla sum : et Christum uerum deum pronuncio : et idola uestra animo despicio . His dictis mox compræhensa et capillis suspensa : multisque afflicta suppliciis : cum Christum negare coacta nullatenus uoluisset : una cum beata Leonilla ad locum martyrii deducta : pariter gladio necate sunt . Acta sunt hæc sub Aureliano quintodecimo calendas februarias . Inuentio autem sanctorum corpora† geminorum uel dedicatio basilicæ eorum qnarto† calendas octobres .

SANCTORVM STEPHANI PROTHOMARTYRIS AC GAMALIELIS : NICHODEMI ET ABIBONIS CORPORVM INVENTIO .

Lucianus dei misericordia indigens : et omnium hominum minimus presbyter ecclesiæ dei : quæ est in uilla Caphargamalis : in teritorio hierosolymitarum sanctæ ecclesiæ omnibusque sanctis qui sunt in Christo Iesu in uniuerso mundo in domino salutem . Quod apparuit meæ pusillanimitati de reuelatione reliquiarum beati et gloriosi prothomartyris .† Stephani et primi diaconi Christi . et Nichodemi : qui in euangelio scriptus est et Gamalielis : qui in actibus apostolorum nominatur necessarium duxi uestræ dilectioni in Christo intimare imperatus ac magis iussus a sancto et dei cultore patre Vito presbytero : ut secundum | fidem consumatam interroganti quasi filius patri obediens sicut cognoui cum omni humilitate integre intimarem ueritatem . Die parasceue hoc est sexta feria quæ tertio nonas decembres consulatu Honorii et Theodosii augustorum ueniente nocte ac dormiente me in cubiculo meo in loco baptisterii : in quo consuetudo mihi fuit dormire : et custodire ecclesiastica : quæ erant in ministerio hora tertia noctis : quæ est prima custodia uigiliarum : quasi in estasi effectus semiuigilans uidi uirum senem longum hieroprepen hoc est dignum sacerdotem : canum barbamque prolyxam habentem ac palliatum alba stola : cui inerant gemmule aureæ habentes intrinsecus sanctæ crucis signum et uirgam auream manu habentem : calciatus erat caligis in superficie deauratis quasi deambulans coram me : ut autem uenit : astitit ad dexteram meam : et aurea uirga pulsauit me ter me uocans nomine : dicensque : Luciane . Luciane . Luciane : Et dixit mihi Græco sermone : Vade in ciuitatem : quæ dicitur Helia : quæ est Hierusalem : et dic sancto Iohanni : qui est in ea episcopus : quandiu clausi sumus : et non aperis nobis ? Et maxime quia temporibus sacerdotii tui oportet nos reuelari . Aperi nobis festinanter monumentum : ubi in negligentia positæ sunt nostræ reliquiæ : ut per nos aperiat deus et Christus eius et spiritus sanctus ostium clæmentiæ suæ in hoc mundo . periclitatur enim sæculum in multis causis : quæ in eo singulis diebus fiunt : et non tantum sollicitus sum pro me : quantum de iis qui positi sunt mecum sancti et multi honoris digni . Postquam mihi locutus est senior uerba hæc : respondi ei dicens : Quis es tu domine : et qui tecum sunt ? Et respondit mihi ego sum Gamaliel : qui

Paulum apostolum Christi nutriui : et legem docui in Hierusalem : Qui uero mecum in orientali parte monumenti iacet : ipse est domnus Stephanus : qui lapidatus est a Iudæis et a principibus sacerdotium† in Hierusalem pro Christi fide foras portam : quæ est ad Aquilonem : et quæ ducit Cedar : ubi die ac nocte iacuit || proiectus : ut sepulturæ non daretur secundum mandatum impiorum : ut a feris consumaretur corpus eius . Ex dei autem uoluntate non tetigit eum una ex eis non fera non auis non ullus canis . Ego Gamaliel compatiens Christi ministro : et festinans habere mercedem et partem cum sancto uiro misi per noctem quot noueram religiosos et in christo Iesu credentes habitantes Hierusalem in medio Iudæorum : et hortatus sum eos : et necessaria substantiæ ministraui : ac persuasi illis : ire occulte : ut portarent eius corpus meo uehiculo in uillam meam hoc est in Caphargamalam : quod interpretatur uilla Gamalielis : et uiginti millibus a ciuitate ab est : et ibi planctum illi feci diebus quadraginta : et posui eum in monumento meo nouo in orientali teca . Iussi et precepi eis : ut quæcunque necessaria erant pro eius planctu : ex meo darent . Ipse uero domnus Nichodemus in alia theca positus est : qui uenit ad saluatorem Iesum nocte : et euangelizatus est ab eo audiens : nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritusancto : non potest introire in regnum cælorum : et abiens baptizatus est a Christi discipulis . Et cognoscentes Iudæi ammouerunt eum a principatu suo et anathematizauerunt eum : et de ciuitate exilio damnauerunt . Et tunc ego Gamaliel quasi persecutionem passum pro Christo sustentaui domnum Nichodemum usque ad finem eius : et hunc honorifice sepeliui iuxta domnum Stephanum . Similiter uero et Abibon filius meus dilectus qui mecum baptismum Christi accepit ab eius discipulis uiginti annorum existens ante me mortuus est in tertia theca excelsiore : in qua et ego ipse postea defunctus applicatus sum . Mea uero uxor Ethna habens nomen et Sedemias primogenitus filius meus : quia noluerunt esse Christi fidei : in alia uilla matris suæ sepulti sunt hoc est in Capersimilia . Interrogaui autem ego eum humulis† Lucianus† præsbyter dicens : Et ubi uos queremus ? Qui mihi dixit : In æneo proastio quod potest intelligi proximus de uilla ager : qui dicitur degalabri : quod interpretatur ui | rorum dei . Et euigilaui : et precatus sum dominum dicens domine Iesu christe : si est ista uisitatio ex te : et non est illusio : fac : ut iterum ac tertio mihi appareat : quando uis : et quomodo uis : ut possim cognoscere ueritatem : Tu enim dixisti in euangelio : Ego sum uia . ueritas et uita Ego autem humulis† Lucianus quando hanc reuelationem uidi siccitas et tribulatio erat in uniuerso mundo . Et tunc cœpi ieiunare usque dum ueni ad aliam parasceuen . Et iterum ipse domnus Gamaliel ipsa similitudine et eodem scemate apparuit mihi sicut in primo uisu dicens mihi : Quare neglexisti ire : et dicere Iohanni episcopo ? Et ego respondi ei : Timui domine mox a prima uisione hæc nunciare : ne uiderer seductor esse . præcatus sum enim : ut si a deo fuisses missus ad me : denuo ac tertio appareres mihi . dixit autem ad me : acquiesce acquiesce acquiesce mihi : quoniam requisisti de reliquiis singulorum : quomodo et ubi sint positæ : appone sensum tuum : et uide : diligenter enim ostenduntur tibi . Et dixi etiam domine : Et statim attulit quattuor calathos tres aureos et unum argenteum . Tres eorum pleni erant rosis duo albas rosas habentes et tertius rubicundas habens quasi sanguineas . Quartus uero argenteus calathus plenus erat croco bene olenti : Et posuit eos ante me : et ego dixi ei : Quæ sunt hæc domine ? Et dixit mihi : lympsana nostra sunt . qui rubicundas habet rosas : ipse est domnus Stephanus : qui a dextris positus est ab oriente ab introitu monumenti . Et secundus calathus domnus Nichodemus est : et positus contra hostium . Vnde uero argenteus Abibon est filius meus de ueteri testamento litteratus in lege : immaculatus ex utero matris suæ coniunctus meo calatho id est in loco excelso : ubi iam positi sumus quasi gemini Et iterum euigilaui : et similiter ieiunaui usque ad aliam parasceuen : Et ecce iterum ipse eadem similitudine et simili uoce apparuit mihi minitans turbulentus et dicens : Quare tantum contempsisti : aut quam excusationem potes habere ? Crede mihi . || si non uadis : et dicas sancto Iohanni episcopo : quia habes pati : quod non arbitraris . Ego uero tremens dixi : Etiam domine uado . In ea uero hora uidi quasi referens episcopo quæ suprascriptæ sunt uisiones : et audio ipsum papam dicentem mihi : sic in ipsa tertia uisione . Si hæc ita uidisti dilectissime : me oportet accipere inde bouem masculum aratorem amaxicon : quos nos possumus dicere carri tractorem operarium : et dimittere tibi agrum : ubi sunt fructus . Et dixi illi : Domine ut quid mihi agrum si non habeo bouem laboran-

tem in eo? Et ait mihi episcopus : Sic placuit ut ego tollam inde bouem masculum aratorem amaxicon operarium . Et statim euigilaui : et uidi : et dixi cuncta sancto episcopo Iohanni et omni clero eius . Dixit autem mihi : uade : et fode in aceruo : qui est in ipso agro : et si inueneris : nuncia mihi . Et ego dixi ei : Deambulaui agrum et uidi acceruum minutorum lapidum in medio ; ubi arbitrabar eos esse ; Et dixit mihi papa : Vade . fode : et si inueneris : sedens custodi locum ; et manda mihi per diaconum : ut ueniam ad locum : et ita me dimisit . Cum uenissem autem in uillam : quæ suprascripta est : misi preconem : ut omnes habitatores uillæ diluculo consurgerent : et foderent in aceruo . Eadem uero nocte apparuit ipse domnus Gamaliel cuidam monacho nomine Migetio innocenti et simplici uiro eadem similitudine qua mihi apparuit : et dixit ad eum . Vade . dic Luciano presbytero . Vane laboras in aceruo illo . Modo non sumus ibi : sed positi tunc ibi fuimus : cum lamentarentur nos secundum consuetudinem antiquorum : propter quod ibi aceruus in testimonium planctus factus est : Sed quære nos in alia parte : quæ est Borram in loco : qui dicitur lingua syra debathalia : quod interpretatur in græco andriagathon : quod nos possumus dicere uirorum fortium . Diluculo uero consurgens ad hymnos inueni monachum illum predicantem omnibus fratribus . hymnis deinde dictis cœpi dicere : Eamus ad aceruum illum : et fodiamus in eo . Tunc quidem† de circunstantibus di | xit mihi : Audi primum : quod dicit monachus Migetius : Et aduocato monacho Migetio exquisiui ab eo : quid esset : quod uidisset . Ille autem uniuersa signa quæ uiderat domini Gamalielis dixit mihi : et quemadmodum uidisset contra austrum agrum situm et monumentum in eo quasi neglectum et ruinosum : ubi tres lectos aureos stratos uidit . Vnus ex eis altior aliis : in quo erant duo iacentes unus senex et alter iuuenis : et in aliis duobus lectis erant singuli : Et respondit : qui erat in excelsiore lecto dicens : Vade dic presbytero Luciano : quoniam nos domini loci huius fuimus . Si uis magnum inuenire : ipse est ab orientali plaga nobis positus . Et hæc audiens a monacho glorificaui deum : quoniam inuentus est alius testis in reuelatione mea . Nos igitur iuimus ad aceruum : et fodientes nihil inuenimus . conuertimus autem nos ad monumentum illud : ubi mihi et monacho ipsa nocte apparuerat : et fodientes inuenimus tres thecas : secundum quod apparuerat mihi iuxta typum calathorum . Inuenimus igitur altissimis litteris scriptum lapidem obrutum habentem ita : celiel : quod interpretatur ipsum Stephanum dei : Et Naason : interpretatur nichodemus : et Gamaliel . hoc interpretatur papa Iohannes : sicut ipse sanctus presbyter Auitus audiuit ab ipso sancto episcopo . Statim ergo denunciaui episcopo : cum esset in lidda : quæ est diopolis synodo agens : qui assumpsit secum alios duos episcopos Euthomium de Sabasta et Leutherium ab Hierico : ueneruntque ad locum : ubi corpora sanctorum posita erant : qui aperientes domni Stephani thecam : statim odor magnus exiit ita : ut repleret omnem locum . Oratione autem facta ab omnibus episcopis omnibusque fratribus qui cum his aderant signa salutis multorum et diuersa prodigia facta sunt . Et osculantes relliquias iterum clauserunt locum : Et post paucos dies transtulerunt sanctum corpus Stephani prothomartyris in ciuitatem Capharlagam non longe a sancta Syon . Et tunc in tempore iugis et infinitæ siccitatis pluuia magna descendit : et abundanter inebriata est terra . Vt omnes glorificarent || deum patrem et dominum nostrum Iesum christum filium dei et spiritum sanctum propter sanctum eius Stephanum et propter cælestem eius tehesaurum† misericordiæ et pietatis : quem periclitanti seculo aperire dignatus est : Cui est honor et gloria uirtus et potestas in sæcula sæculorum .

PASSIO SANCTI STEPHANI PAPAE ET MARTYRIS .

Temporibus Valeriani et Gallieni multi christianorum declinantes sæuitiam tyrannorum occultabantur . alii uero se ingerentes martyrii palmam consequebantur . Data autem fuerat lex : ut quicumque proderet Christianum occultum : facultates eius acciperet : et honore militiæ potiretur . Tunc beatus Stephanus episcopus urbis Romæ congregato uniuerso clero suo sic eum alloquitur : fratres et commilitones mei auditis præcepta diabolica sæua uulgari : ut si quis christianus detentus fuerit a

pagano : omnes facultates eius accipiat . Vos itaque fratres respuite facultates terrenas : ut regnum cæleste percipiatis . Nolite principes sæculi timere : sed adorate dominum deum cæli : et Iesum christum filium eius : qui potens est nos omnes eripere de manibus inimicorum et de diaboli sæuicia : et suæ gratiæ sociare . Presbyter bonus respondit . Nos desyderamus et facultates terrenas derelinquere : si tamen eius mereamur gratiam adipisci : Cumque hæc utrinque locuti fuissent : omnes clerici prostrauerunt se ad pedes beati Stephani dicentes : ut quoscumque paganos infantes quisquis eorum in domo sua haberet uel proximorum suorum : adducerentur ad beatum Stephanum : et baptizarentur . Iussit itaque beatus Stephanus : ut altera die in cripta nepotiana omnes congregarentur . Et facto conuenticulo in eadem cripta inuenti sunt promiscui sexus uiri ac mulieres centum et octo : quos eodem die in nomine domini nostri Iesu christi sacri baptismatis mysteriis consecrauit : Et obtulit pro | eorum expiatione sacrificium : et participauerunt omnes . Altera autem die ordinauit idem beatus Stephanus episcopus tres presbyteros septem diacones clericos sexdecim . Sedensque docebat omnes de regno dei et uita æterna . Tunc cœperunt multi ad eum ex paganis concurrere : ut audirent uerbum eius : et baptizabantur ab eo . Interea dum hæc agerentur : ueniens quidam tribunus militum nomine Nemesius qui habebat unicam filiam : quæ a cunnabulis ipsis apertos quidem habebat oculos : et lumen penitus non uidebat . Prostrauit se ad pedes beati Stephani episcopi dicens : Obsecro domini mi papa : baptiza me ac filiam meam : ut illa illuminetur : et nostras animas eruas de tenebris sempiternis : quia nunc usque semper in afflictionibus pro cæcitate filiæ meæ fui : Cui beatus Stephanus dixit : Si credideris ex toto corde tuo : omnia tibi credenti ministrabuntur . Nemesius dixit : ego usque nunc ex toto corde credidi : et credo : quia dominus Iesus christus est : qui etiam aperuit oculos cæci nati : Et non inuitatus hominum persuasione sed eius uocatione ad tuam adueni sanctitatem : Et statim eadem die beatus Stephanus episcopus præfatæ urbis Romæ duxit eum in titulo pastoris : Cumque cathetizasset eum : ac filiam eius secundum consuetudinem christianorum indixit eis ieiunium usque ad uesperum . Hora autem appropinquante iam uespertina benedixit fontem in titulo suprascripto : Deposuitque Nemesium in aquam dicens : In nomine patris et filii et spiritussancti baptizo te . Credis ait in deum patrem omnipotentem ? Et respondit credo . Et in Christum inquit Iesum dominum nostrum ? Respondit credo . Et in spiritum sanctum ? Responditque credo . Remissionem peccatorum ? Respondit credo . Carnis resurrectionem ? qui respondit credo domine : Cumque leuaretur de aqua cœpit clamare filia eius : Ecce inquit uideo hominem : qui tetigit oculos meos : et lumen splendidum circa eum . Tunc batizauit† et filiam eius nomine Lucillam : quam etiam ipse de fonte leuauit . Cœperunt etiam || multi ad uestigia beati Stephani episcopi prosternentes se flagitare cum lachrymis : ut baptizarentur ab eo . Baptizati sunt in eadem die qua Lucilla illuminata est : promiscui sexus numero sexagintaduo : Et exinde multi cœperunt diuina procurante gratia occurrere beato Stephano ex gentilibus honesti uiri : ut baptizarentur ab eo . Beatus igitur Stephanus repletus gratia spiritussancti : cœpit missas atque concilia per criptas martyrum celebrare . Nemesium quoque patrem Lucillæ fecit diaconem . Tunc ualerianus comperto quod Nemesius tribunus cum omni domo sua crederet Christo deo : ac baptizatus fuisset : atque illuminata eius filia cæcitate depulsa : retulit ad Gallienum et Maximum consules . Inito quoque consilio hoc decreuerunt : ut ubicumque inuentus fuisset Nemesius sine audientia puniretur . Nemesius autem Christi gratia roboratus circumibat criptas et concilia martyrum : ut ubicumque reperisset egentem christianum prout poterat : et habebat de facultatibus suis ministraret . Veniens autem sanctus Nemesius quadam die in uiam Appam† noctis silentio iuxta templum Martis comperit Valerianum et Maximum in templo Martis iuxta suum ritum sacrificare dæmoniis . Tunc uidens hoc Nemesius diaconus flexis genibus orauit ad dominum dicens : Domine deus creator cæli et terræ dissipa consilia hæc artis diabolicæ fabricata in nomiue† domini nostri Iesu christi filii tui : quem misisti in hunc mundum . Contere Sathanam : ut resipiscant hii infelices de laqueis eius : et derelinquant manufacta idola : et te deum creatorem omnipotentem et Iesum christum filium tuum agnoscant . Statim igitur Maximus a dæmonio arripitur : et magna uoce cœpit clamare : Nemesius christianus me incendit . ecce illius oratione affligor . Eademque hora egressi de templo tenuerunt Neme-

sium : dumque tenerent eum et contumeliis afficerent : subito Maximus consul expirauit . At illi tenentes Nemesium duxerunt ad Valerianum in pallatium Claudii : qui cum præsentatus esset aspectibus eius : dixit Valeria | nus : Nemesi ubi est prudentia tua : quam semper cognouimus et in consensu et actibus roboratam ? Nunquid nos nescimus : quid sit melius : quid ue deterius ? Tamen quod tibi utilius est : nos ad hoc te hortamur : ut cognita ueritate non deseras deos : quos ab ipsis semper cunnabulis adorasti : et coluisti . Nemesius respondit cum lachrymis : et dixit : Ego quidem infelix atque peccator semper deserui ueritatem : et effudi sanguinem innocentem etiam nimis oneratus atque cumulatus peccatis . misericordiam autem Christi filii dei adeptus cognoui iam creatorem meum : licet sera pœnitudine : deum cæli ac terræ et Iesum christum filium eius : cuius baptismo sum redemptus : qui aperuit oculos filiæ meæ : quod nullus medicorum facere potuit umquam : qui etiam oculos nostrorum cordium illuminauit : ut respuentes supersticionem cæcitatis idolatriæ ad uerum lumen christianitatis conuerteremur . Hunc timeo : ipsum adoro : ipsi cultum meæ seruitutis offero : atque ipsum eiusque auxilium semper requiro . Nam omnia idola lapidea atque ænea manufacta abiicio : quæ dæmonia esse cognoui : quæ nos cupiunt perdere : et in æterna secum morte damnare . Valerianus dixit : Cognoui carmina tua : per quæ et homicidia perpetrasti : Et ut consulem libertatis interficeres Maximum tuis magicis artibus effecisti atque aduersum nostram salutem et rem publicam nostram niteris te exercere per ritum christianorum : iussitque eum in priuata custodia mancipari . Mittens quoque fecit sibi præsentari Symphronium creditarium eius inquirens ab eodem Nemesii facultates . Filiam eius Lucillam cuidam sacrilegæ fœminæ nomine Maximæ fecit deputari custodiæ . Altera autem die iussit Valerianus Symphronium tradi cuidam Olympio tribuno : et discuti sub pœnarum examinatione : Quem agressus Olympius dixit : Cognouisti de qua re nobis es præsentatus ? Symphronius uero paulisper conticuit . Dicit ei Olympius . Audi Symphroni : et fac : quod iubent principes : nam uariis pœnis deferes nobis facultates :† Nemesi ex integro sacrifica diis : et uiue feliciter . Sym || phronius respondit . Si facultates quæris uniuersas ex integro Nemesii domini mei : iam enim eas pro Christo tradidi : quoniam ipsius fuerunt : et erunt . Si autem me sacrificare compellis : sacrifico sed Christo Iesu domino meo sacrificium laudis et confessionis : cui se obtulit et dominus meus Nemesius . Tunc ira repletus Olympius dixit : Extendite inquit eum in hasta atque mactate fustibus . Afferte ante eum tripodam et deum Martem . Aut sacrificet diis : aut fustibus mactetue† diutius . Allatum est autem simulacrum aureum Martis : positumque ante Symphronium una cum Tripoda : Cumque uidisset simulacrum Symphronianus dixit : Conterat te dominus Iesus christus filius dei uiui : Et statim ita liquefactum est simulachrum sicut lutum . Videns autem Olympius cœpit ammirari : Iussitque eum in domo sua in custodia recipi dicens : hac in te nocte uniuersa tormenta expendam : Deditque eum in domo sua Tertullino uicedomino . Veniens autem ad uxorem suam Exuperiam dixit ei quomodo in nomine Christi dei sui resolutum fuisset simulacrum Martis . Tunc dicit ei Exuperia uxor eius : Si tanta uirtus est Christi : quantam tu enarras : melius est nobis relinquere deos : qui nec sibi nec nobis possunt prodesse : et quæramus eum : qui illuminaiuit† filiam Nemesii tribuni . Tunc dicit Olympius ad Terttullinum† : Obsecro te : ut cum grandi honore apud te sit occulte Symphronius : quoniam multos thesauros ab eodem requirere debeo . Eadem namque nocte ueniens Olympius cum uxore sua Exuperia et filio unico nomine Theodoro prostrauerunt se ad pedes Symphronii dicentes : Nos modo cognouimus uirtutem Christi : quia ipse est uerus deus filius dei : qui aperuit oculos filiæ Nemesii tribuni . Rogamus te : ut donare nobis digneris baptismum salutis in nomine domini nostri Iesu christi : quem tu prædicas . Symphronius dixit : Si pœnitentiam egeris ex toto corde pro sanguine sanctorum : quem effudisti : et si credideris ex toto corde tuo cum uxore tua et filio tuo : omnia uobis dabuntur credentibus . Olympius dixit : Modo cognosces : quia ex to | to corde credo in deum : quem tu prædicas : Et statim apparuit cubiculum suum : ubi habebat diuersorum simulacrorum effigies aureas argenteasque et lapideas : Dixitque ad Symphronium : Ecce in tua sunt potestate . fac tu quiquid† iusseris ex eis . Symphronius dixit ad çum† : Hæc omnia idola manu tua propria confringe : Aurea quæquæ et argentea in igne confla : et in necessitatibus pauperum erroga : et tunc sciam : quia ex toto corde credis . Fecit Olympius :

sicut ei fuerat imperatum : confregitque idola marmorea malleis : aurea autem uel argentea fecit conflari incendio : Dumque hæc agerentur in domo : et coufringerentur† idola : audita est uox : Requiescit spiritus meus in te Symphroni . Hoc audiens Olympius cum uxore sua : cœperunt nimio roborati timore magis ac magis in fidei calore feruere : et ad baptismi mysteria quantocyus properarunt : Symphroniumque suppliciter rogabant : ut id fieri haud segniter perurgeret : Symphronius igitur hæc nunciauit Nemesio domino suo . Nemesius quoque alacrius festinans perrexit ad sanctum Stephanum : et omnia pandit per ordinem . ex quo Beatus Stephanus gratias retulit deo patri omnipotenti et Iesu christo filio eius : perrexitque noctu domum Olympii : misitque se Olympius ad uestigia beati Stephani una cum uxore sua et filio flagitantes baptismatis sacramentum : ostenditque confracta uniuersa idola . Hoc uidens Stephanus episcopus dixit : Gratias tibi agimus domine Iesu christe : qui dignatus es seruis tuis misericordiam condonare : ut eos erueres a dæmoniorum erroribus : quos adinuenerunt in idolorum cultura : et hos congregare uelut triticum in horreo tuo . Quare eos cathetizauit ecclesiastica traditione : et baptizauit : quotquot crediderunt in domo Olympii . Sed et ipsum Olympium cum uxore sua Exuperia et eius filio Teodoro obtulitque pro eis sacrificium deo patri et Iesu christo filio eius pro eorum redemptione . Factum est igitur post tertiam diem : audiens hæc omnia gesta Valerianus et Gallienus nimio furore sunt accensi dicentes : Allata est deorum || cultura per superstitionem christianorum . Miserunt et tenuerunt diaconem cum filia sua Lucilla : quos statim sine audientia puniri fecerunt : Nam Lucillam filiam Nemesii : ante patris decollationem gladio iugulari iussit in uia Appia ante Martis templum : Vnde reor hoc diabolico egisse consilio : ut dum pater forsitan filiæ crudelem mortem uideret inferri : crederent ipsum eis suum præhere† consensum . Sed pater eius cuius iam arcana possidebat spiritussanctus : prætiosam conspicit filiæ mortem : quam pro christi Iesu nomine libenter suscepit : et ad patriam cælestem perrexit . Ipsum uero Nemesium diaconem capite truncari iusserunt in locum intra uiam Appiam et Latinam octauo calendas septembres : Cuius corpus collegit beatus Stephanus episcopus sepeliuitque iuxta locum : ubi decollatus est in uia Latina non longe ab urbe . Alia uero die iussit Valerianus Symphronium sibi publica audientia præsentari : Missique milites adduxerunt eum uinculis ferreis oneratum nudum ac capistratum . Et Olympius cum uxore sua Exuperia et eorum filio Theodolo introducti suut† in locum Telluris : sederuntque Valerianus et Callienus† in tribunalibus suis in loco suprascripto . Introducti sunt autem sancti dei sub uoce præconia in conspectu eorum : Quibus dixit Valerianus : Cur non consulitis uobis met ipsis : et adoratis deos : quos cognouimus gubernare rempublicam nostramque salutem ? Symphronius respondit : Nos nunc usque Christus gubernauit : qui nos ad hanc gloriam perducere dignatus est . Gallienus uero dixit Olympio : quid est ? ad huc differo pœnarum inferre supplicia . Sed et de tua conscientia dubius non sum quod tu deseras deos : quos semper adorasti etiam et alios compellebas adorare . Nam et tormentis multis affectos usque ad effusionem sanguinis persequebaris quicumque non præberent consensum sacrificare diis nostris . Respondit Olympius : Et ego quidem non feci quasi Olympius sed quasi impius et crudelis : pro quibus malis commissis pœnitet me : et effundo lachrymas amaritudinis | in conspectu eius : cui credo deo uiuo et uero patri et filio et spiritui sancto : ut dignetur mihi remittere iniquitatem quam exercui in sanguine sanctorum eius . Gallienus autem ira repletus Valerianum alloquitur : Si inquit isti extincti non fuerint : omnis ciuitas Romana ad eorum sectam concurret . Itaque Valerianus statim sanctos igne consumi iussit : Et data sententia duct.† sunt ante statuam solis iuxta amphiteatrum : Fixisque stipitibus ligatisque manibus eos deuinxerunt atque igne supposito congeriem sarmentorum spinarumque et nauium stuppam incendio concremari fecerunt . Beatus quoque Symphronius cum sancto Olympio eiusque uxore Exuperia ac Theodolo filio eius in ipso initio ignis clamabant dicentes : Gloria tibi domine Iesu christe : qui nos dignatus es cum seruis tuis sanctis ac martyribus congregare . Et hæc dicentes emiserunt spiritum . Relicta autem sunt corpora post triumphum ante simulacrum solis iuxta amphiteatrum militesque abierunt . Eadem namque nocte adueniens Stephanus espicopus† cum clericis ac religiosis post dictos ex more hymnos eorum corpora abstulerunt : et sepelierunt iuxta uiam Latinam milliario primo septimo calendas augustas . Valeriano et Gallieno secundo consulibus . Post

multos etiam dies factum est : ut ualerianus et Gallienus nefandissimi persecutores nominis christiani summo requirerent studio beatum Stephanum Romæ urbis episcopum : ut eum uel eius clericos detentos diuersis pœnis ad mortem afficerent : posueruntque edictum iu† locis celeberrims† ciuitatis : quicumque Stephanum uel eius clericos agnouisset latebris delitescere : illico auribus ipsorum diuulgaret : atque omnes eius acciperet facultates : Vnde factum est : ut ex eius clericis duodecim : reperirent quorum nomina iudicamus† . Bonum : Faustum : Maurum : Primitiuum : Calumpniosum : Iohannem : Exuperantium Quirillum : et honoratum . Quos statim siue† audientia præceperunt decollari decollati autem sunt in uia Latina iuxta formam aquæductus : Quorum corpo || ra collegit Tertulinus licet adhuc gentilis : et posuit iuxta corpora sanctorum Iobini et Basilici uia latina eadem die calendis augustis . Hoc audiens Stephanus episcopus misit : uocauitque Tertulinum : quem multis exhortationibus christianæ religionis edocens : ac de regno dei et uita æterna imbuens : sacri baptismi gratiam ex more perfecit : et in albis positum præsbiterum consecrauit : Cui etiam inter cætera sanctos monitus hoc præcipue commendabat : cura inquit sit tibi requirere diuersorum sanctorum martyrum corpora . Qui post biduum ordinationis suæ tentus est a quodam Marco præfecto : et ductus est ad Valerianum : Dixitque ei Valerianus : facultates Olimpii domini tui prodere ne moreris : Cui Tertulinus ita respondit : Si facultates domini mei requiris : poteris inuenire : quas ille pro Christo moriens in æternum suscepit : si tamen tu credis Christo domino denegans idola dæmonum . Ad quem Valerianus : Ergo facultates domini tui uitam æternam præstant ? Tertulinus Respondit : uitam æternam præstat et regnum perhenne Christus dominus deus : qui potestatem habet mortis et uitæ . Ait Valerianus : Iste amens effectus mihi uidetur . Extendatur inquit : et diutius mactetur fustibus : Cumque impie cæderent : clamabat Tertulinus : Gratias tibi ago domine Iesu christe : qui me non seperasti a domino meo Olympio seruo tuo : qui me præcessit martyrio consumato : Cumque inter cædem hæc diceret : iussit lateribus eius ignem supponi : Cui dicebatur ab impiis : Tertuline sacrilege redde facultates domini tui Olympii . Tertulinus uero constanter facie lætus dicebat : Fac miser quod facis celerius : ut me de hoc incendio licet peccatorem tamen pro eius nomine Christo offeras sacrificium . Iussit itaque Valerianus eleuari eum : et tradi præfecto Sapritio dicens : Diligenter inquire ab eo facultates Olympii domini eius : atque compelle eum diis offerre libamina Quod si minime fecerit diuersis eum interfice pœnis . Statim igitur Sapricius præfectus tribunal sibi præparari fecit in loco qui dicitur Priuata Mamor | tini : Iussitque eum adduci sub uoce præconia dicente : Tertulinus reus atque sacrilegus introducatur : Dumque introductus fuisset ante tribunal præfecti : dicit ei præfectus : Nomen tuum edicito . Tertulinus Respondit : Peccator et seruus seruorum Christi . Præfectus dixit : Seruus es an ingenuus ? Tertulinus respondit : Ita repleuit diabolus cor uestrum : ut non intelligatis hom.nem† loquentem . Dixi tibi seruus seruuorum† Christi sum . Sapricius dixit : Cognosce nunc : quæ tibi præcipiuntur : et fac sine dilatione : et uiues . Hoc est sacrifica diis : et redde facultates Olympii . Nam in tormentis pœnarum et malis tuis deficies . Beatus Tertulinus Respondit : Si scires uitam æternam non cogitares de uita præsenti : quæ cum dæmonum cultoribus in æterno incendio reputabitur . Quare iussit os eius lapidibus conquassari . Tertulinus igitur deo gratias referens dixit præfecto : Tu os meum contundi fecisti . conteret te dominus meus Iesus christus : quem confiteor : et diabolum adinuentorem idolatriæ seruitutis . Sapricius dixit : Cur morarum spatia trahis ? Facultates domini tui non moreris ostendere : et sacrifica diis : ne uitam tuam capitis obtruncatione consumas . Ad quem Tertulinus : Ego confortatus in domino meo Iesu christo cui credidi hoc desydero : ut uitam istam præsentem possim amittere : et illam æternam inueniam : cuius nullus est finis . Tunc iratus Sapricius iussit eum extendi in equuleo : et neruis diutius torqueri . Inter hæc supplicia Tertulinus dicebat : domine Iesu christe ne derelinquas me confitentem : te seruum tuum : sed tribue mihi fortitudinem te credere filium dei patris perseueranti . Hanc animam quam redemisti de ignorantiæ tenebris et de idolorum cultura tibi eam reconsignem : cuius gratia et baptismo mundata est . Tunc Sapricius iussit eum ignibus concremari . Ille autem spiritussancti gratia roboratus incessanter domini Iesu christi ore et corde auxilium postulabat . Pendente autem eo in equuleo mandauit Sapricius suggerente officio Valeriano tyramno || Ter-

tulinum plenum esse insania : nec tormentis esse mollitum nec monitis : ut diis sacrificaret : aut proderet facultates Olympii domini sui . Mandauit Valerianus iratus ut data sententia eius caput abscideretur : Qui depositus de equuleo ductus est in uiam latinam milliario secundo : ibidemque decollatus est : Cuius corpus sanctus Stephanus colligens cum clericis et hymnis redditis domino sepeliuit iu† eodem loco in cripta harenaria pridie calendas augustas . Altera namque die misit Valerianus multitudinem militum : tenueruntque beatum Stephanum episcopum cum multitudine clericorum presbyterorum et diaconorum : Qui cum adductus esset : plurimi christianorum sequebantur a louge† cum lachrymis . Venit igitur sanctus Stephanus episcopus : præceptumque est : ut solus ante tribunal tyramni introiret : Cui ita Valerianus ait : Tu es Stephanus : qui rem publicam conaris euertere : et persuasionibus atque adhortationibus malis populum a deorum recedere suades cultura ? Beatus Stephanus dixit : Ego quidem non euerto rem publicam : sed moneo : atque hortor : ut derelictis dæmoniis quæ in idolis adorantur ad deum uiuum et uerum redeant creatorem cæli et terræ : et cognoscant Christum Iesum filium dei deum esse : qui cum deo patre et spiritusancto solus est atque sempiternus : ut non pereant simul cum diabolo in interitu sempiterno . Valerianus dixit : Nunc enim tu traderis perditioni : ut alii metuentes illæsi uiuere possint : Iussitque eum duci ad templum Martis : ibidemque dictata sententia capite truncari : si non acquiesceret adorare nefandi Martis simulacrum . Tunc beatus Stephanus ductus a militibus foras muros portæ Apiæ ad templum Martis leuatis :† ad cælum oculis coram omnibus dixit : Domine deus pater domini nostri Iesu christi qui turrem confusionis in Babylone destruxisti : nunc et hunc locum perde ubi diabolica superstitione per idolorum culturam animæ pereunt populorum . Et statim factus est ingens fulgur tonitrui cum terroribus coruscationum : et corruit maxima pars | templi sacrilegi . Quod cernentes milites pauefacti fugerunt . dimiseruntque beatum Stephanum cum omnibus christianis : qui simul perrexerant . Eadem uero hora beatus Stephanus pergit cum omnibus christianis ad cymiterium sanctæ Lucinæ : Et multis consolationibus omnes secum profectos alloquitur : ut nullis terroribus pertimescerent pœnas aduersarii : Vel ne forsitan aliquibus promissionibus tyrannorum desererent coronam martyrii præparatam dicens : Memores esse debemus dominum Iesum christum dixisse : Nolite timere eos : qui occidunt corpus : animam autem non possunt occidere : Sed potius timete eum : qui potestatem habet corpus et animam mittere in gehennam . His atque aliis huiuscemodi exhortationibus ut bonus pastor ouibus Christi sanguine acquisitis pascua ministrabat . Post hæc obtulit sacrificium deo omnipotenti . Audiuit igitur Valerianus : quæ gesta fuerant : ac de templi euersione : et quia esset maxima cum Stephano multitudo christianorum : missique sunt plurimi cum prioribus milites : qui uenientes inuenerunt beatum Stephanum episcopum sacrificium deo offerentem : qui intrepidus et constans ante altaris sollemnia et cœpta perficiens in eodem loco in sua decollatus est sede quarto nonas augustas . Factus est autem ibidem maximus christianorum planctus tali pastore cum gloria martyrii præmisso ad cælestia regna : Cuius corpus sepelierunt in eadem cripta cum ipsa sede ubi astans sanguis eius effusus est in locum : qui appellatur hodie cymiterium Calisti : quo in loco in pace quiescit . Alia autem die inuenerunt milites paganorum acolitum nomine Tarsitum† Christi corporis sacramenta portantem : quem tenentes pagani atque discutientes : ut quid gereret indicaret . Ille indignum iudicans porcis prodere margaritas noluit prodere sacrosancta mysteria : quem fustibus ac lapidibus tandiu mactauerunt : quoadusque exhallaret spiritum Reuolutoque eius exanimi corpore nihil potuerunt in eius manibus uestimentisque reperire sacrilegi discussores : || relictoque eius corpore cum terrore fugerunt . Venientes autem ad portam Apiæ inuenerunt christianorum multitueinem† copiosam uenientesque ad Valerianum omnia intimant : Et quidquid actum fuerat per ordinem pandunt . Eadem nanque die collegerunt christiani sanctum corpus Tarsitii : sepelieruntque in cymiterio Calisti uia Appia : Coadunataque ecclesia christianorum ordinauerunt in locum beati Stephani episcopi et martyris Sistum episcopum nono calendas septembres : Valeriano tertio et Gallieno secundo consulibus : apud nos regnante domino nostro Iesu christo Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE SERAPIAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Cum dies itaque metuendus persecutionis innotuisset christianis : multi etiam per orbem terrarum subirent in nomine Christi martyria : erat sancta uirgo Serapia apnd† oppidum uendinensium ciuis Antiochena in domo Sauinæ : quæ fuit uxor Valentini et filia Herodis quondam metallarii : quæ sub Vespasiano augusto ter in urbe Roma candidam dedit Romanis . Cum ipsa igitur eius filia sancta Serapia morabatur : suadens etiam illi : ut Iesu christi domini noticiam gereret : Credens itaque sancta Sauina in domino Iesu crescebat in fide et bona conuersatione : ad quam tunc misit Berillus præses : ut sanctam dei uirginem raperent ad tribunal . Primum quidem illustrissima fœmina sancta Sauina adhibitis pueris seu puellis restitit illis : Et post paululum dixit ad eam sancta Serapia : Domina mea mater permitte mihi ut eam tantummodo ora et fidens esto in dominum Iesum christum . Credo enim ego et si digna† et peccatrix sum quod dignam me faciet dominus mæus Iesus christus sanctis suis ancillam suam . Dicit ad eam Sauina : filia mea et domina mea uirgo Serapia aut uiuere | tecum aut mori uolo . non te dimittam : Et cum ei satis imminerent : iussit sibi parari basternam : et perrexit ad pretorium : cumque nuntiatum fuisset præsidi Sauinam illustrissimam fœminam ante fores pretorii stare qua cum erat christiana illa Serapia : surexit præses et egressus est in porticum pretorii honorans eam : et dicens : Quid tibi ipsa derogas : aut quare temetipsam uilem reddis ? aut quare non consyderas : quænam es : aut cuius filia ? conuinxisti† enim te christianis : et oblita es natalium tuorum : et memoriam tanti uiri cuius fuisti et deorum quorum iram uereor : ne incurras . Reuertere itaque in domum tuam : et dimitte illam nefandam quæ maleficiis te et plures alienauit a deorum cultura . Sauina respondit : illius sanctæ puellæ maleficiis utinam et tu persuadereris sicuti et ego ab ea iuste persuasa sum : ut ab immundis recederem idolis : et uerum et certissimum agnoscerem deum : qui bonos ad æternam uocat uitam : et malos in pœnam relinquit perpetuam : Præses tunc qnidem† reueritus illam recepit se in pretorium . Illa autem cum sancta dei uirgine reuersa est iu† domum suam . Præses uero post tertium diem parauit lusorium trans pontem super arcum bini : ubi solebant fieri themela : et iussit officio : ut adduceretur Serapia : quam cum rapuisset officium : sancta Sauina secuta est eam pedibus : et uenit ad lusorium : et cum uidisset se non posse illam adiuuare exclamauit dicens præsidi : canis rapide asiatice noli contra salutem tuam sanctam dei uirginem et dominam tuam contristare iniuriis : prope est enim immo et est Christus dominus noster : qui te et imperatores tuos torquebit sempiternis tormentis : qui tanta mala excogitauerunt seruientibus deo uiuo : et recepit se in domum suam cum magno flætu : Præses uero iussit sisti sanctam Serapiam dicens illi : Sacrifica diis immortalibus : quibus sacrificant domini imperatores . Serapia dixit : Timeo : et colo deum omnipotentem : qui fecit cælum et terram et quæ sunt in eis . Nam deos quos iubes me colere non sunt dii . sed dæmonia : ideo || non licet mihi adorare eos : quia christiana sum : Præses dixit : Accede ergo : et sacrifica Christo tuo . Serapia respondit : Ego quottidie illi offero sacrificium adorans illum et precans die ac nocte Præses dixit : Et ubi est templum christi tui ? uel quod sacrificium illi offers . Ad quem Serapia . Vt me ipsam mundam exhibeam per castam conuersationem : et ut alios adducam ad illam professionem per ipsius misericordiam . Præses dixit : Hoc est templum dei et sacrificium Christi tui ? Serapia dixit : Maius nihil : quam uerum deum cognoscere : et pie uiuere : et illi seruire . Tum Præses : Sic ergo tu es ipsa templum dei tui ut dicis ? Et ait Serapia : Si ipso iuuante munda permansero : illius sum templum . Sic enim dicit diuina scriptura : Vos estis templum dei uiui : et spiritus dei habitat in uobis . Præses dixit : Si ergo uiolata fueris : desinis esse templum dei tui . Serapia ad hæc respondit : Dicit scriptura diuina : Si quis templum dei uiolauerit : disperdet illum deus . Præses autem peccatum esse ignorans : iussit duobus iuuenibus lasciuis ægyptiis eam tradi : ut ea per integram noctem uterentur : quam suscipientes horridi iuuenes perduxerunt eam in locum secretum : ubi cubiculum erat obscurissimum : quo in loco sancta Serapia orabat dicens : Sancte sancte sancte te inuoco domine

Iesu christe : qui es uerus custos et conseruator te inuoco domine Iesu chistre† : qui es lumen et gaudium sempiternum . Te inuoco domine Iesu christe : qui sanctos apostolos tuos in carceris custodia detentos clausis ianuis uisitasti et confortasti . Adesto nunc precor et mihi miserere peregrinæ ancillæ tuæ Serapiæ : et libera me a sordida contagione iuuenum istorum . Obscurentur oculi eorum : ut non ualeant contingere me ancillam tuam in te confidentem : et non contaminent sigillum tuum tua consecratione signatum . Confuude† impudentiam eorum : et munda me a coinquinatione carnis : et ad te iube me transire : et adesto domine Iesu christe ancillæ tuæ Sauinæ : et corrobora eam in tua magnitudine domine Iesu christe . Vt non inimicus diabolus exultet su | per eam : quæ multa sustinuit propter nomen sanctum tuum : circa me ancillam tuam . Domine Iesu christe exaudi me : qui es benedictus et gloriosus et semper laudabilis filius cum patre et spiritusancto in sæcula seculorum . Et cum memorati iuuenes circa horam primam noctis cœpissent contra propositum uirginis Christi accedere : subito sonus magnus factus est et terremotus horribilis : ita ut per totum oppidum sentiretur . Iuuenes autem illi tremefacti sunt : et ceciderunt exanimes in terram membris omnibus resolutis . Sancta uero dei ancilla immacullata uidens ad esse cæleste auxilium extensis ad cælum puris manibus per noctauit præcans dominum . Diluculo autem properauerunt missi a profanissimo præside : ut uocarent iuuenes et si præcepta implessent maligni interrogarentur . Ingressi autem inuenerunt sanctam dei uirginem orantem . Iuuenes uero deieetos† in terram uelut mortuos penitus non habentes potestatem erigendi se sed neque loqui poterant : tantummodo oculi eorum erant aperti corporaliter : Concursus autem factus est non modicus : Præses autem cum id audisset : iussit præparari tribunal : perduci sanctam dei ancillam : Et cum ducta fuisset : Præses dixit : Quid est puella . Fecerunt iuuenes illi satis desyderio tuo : an delectaris adhuc? Sancta Serapia respondit : Tu quidem secundum peruersam mentem tuam quam peruertit et possedit inimicus diabolus : irridens loqueris . Ego autem iuuenes quos dicis nec sensi : nec fuerunt mecum . Præses dixit : Quid ergo : hac nocte tecum non fuerunt? Serapia respondit : Mecum fuit cuius sum : et ad quem pertineo . Præses dixit : Quis est ille? Tum Serapia : custos et conseruator meus dominus Iesus christus . Ad quam Præses : Quid tantam multitudinem tricas . Dic mihi quomodo uel quibus maleficiis iuuenes eneruasti? Serapia respondit : Nobis christianis non licet esse maleficos? nam quos per maleficia uestra interfecistis noster et omnium dominus Iesus christus inuocatus uiuificat . Ad hæc Præses : si ergo superat christus tuus om || nes maleficiæ artes : inuoca eum propter iuuenes illos : ut reddatur illis sanitas pristina : et dicent si luserunt tecum per noctem aut non . Ego certissime scio : quia ideo in quibusdam illos maleficiis dementes fecisti : ne te de turpitudine tua detegerent . Serapia dixit : Deus cuius ego ancilla sum omnipotens est : et apud illum nihil est impossibile . Præses dixit : Igitur si apud illum deum tuum nihil est impossibile : fac : ut iuuenes illi ad se .† redeant : et loquantur . Serapia respondit : ut tu suspicaris : maleficia ego non noui : sed oratio mihi est ad deum meum per quam præstat non mihi tantum sed omnibus inuocantibus eum ex toto corde . Tum Præses . Quomodo uis fac : tantum ut loquantur iuuenes ex tunc uidebimus integritatem tuam : Serapia respondit : Iam tibi dixi : quia maleficias facere nescio : sed orare et exorare deum : ut annuat . Ad quam Præses : Perge igitur inquit ad locum ubi sunt iuuenes : et precare super eos deum tuum . Tum Serapia ut non alii fraudentur miraculo : aut male sentiant sicut et tu : quid opus est ut ego illuc uadam? Iube eos huc perduci in conspectum horum omnium . Et iussit Præses perduci iuuenes : quos portantes manibus perduxerunt ad tribunal . Et erant quasi nunquam habuissent linguam aut pedes ad ambulandum : neque manus ad palpandum . Omnibus enim membris erant omnino resoluti . Igitur omnibus mirantibus Præses dixit : Serapia precare nunc Christum tuum super istorum sanitatem . Sancta uero Serapia extendens ad cælum manus dixit : Domine omnipotens deus qui fecisti cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt : qui per sanctos apostolos tuos mortuos resuscitasti : leprosos mundasti : dæmones fugasti : mutis linguam donasti : surdis auditum præstitisti : nunc precor : exaudi me ancillam tuam confidentem in te : ne dissimules propter hunc infelicem et incredulum : sed releua iuuenes istos in conspectu omnium expectantium te per meam orationem ad confusionem istius stulti : qui insanit aduersum credentes in te . Accelera domine : ut

cognoscant : quia tu es deus solus : qui facis | mirabilia et non est alius præter te . Et accedens tetigit iuuenes illos dicens : In nomine domini nostri Iesu christi erigite uos in statu uestro : qui mox ut audierunt exilierunt : et steterunt in pedibus suis : et cœperunt loqui . Et cum hæc uidisset populus et mirarentur : Præses dixit : Videtis : quia non adimplebat artem maleficii sui : nisi eos manibus perpalpasset . Et ait Præses iuuenibus : Quid faciendo hæc mulier dementes uos fecit et resolutos ? Iuuenes dixerunt : Domine Præses nos secundum præceptum sublimitatis tuæ mox ut ad illam accessimus : ingressus est quidam iuuenis decore miræ magnitudinis ualde : et totus splendebat sicut sol : et stetit inter nos et puellam hanc . Et præ claritate illius tremor et caligo et defectio nos compræhendit : et exinde iam non habuimus sensum usque modo . Cognosce autem domine Præses : quia hæc puella aut malefica est : aut uere deus eius magnus est . Præses ad puellam dixit : Dic mihi Serapia genus maleficiorum : et quibus artibus hæc facis : et mox te dimittam . Serapia respondit Ego maleficia odi : sed et omnes qui christiani sunt Christum nominantes maleficia ad nihilum redigent : et non ualebunt nocere eis . Præses dixit : Ecce iam nunc uideam si ualebit ars tua : et si non sacrificaueris : caput tuum faciam incidi : Serapia respondit : Fac quod uis non sacrifico dæmoniis : nec faciam uoluntatem patris tui Sathanæ : quia christiana sum . Et iussit Præses apponi duas lampadas ardentcs† : et cum applicatæ fuissent lampades : mox extinctæ sunt : et qui lampadas tenebant ceciderunt retrorsum . Sancta autem Serapia eleuans oculos suos ad cælum dicebat . Domine Iesu christe erubescant : et conturbentur nimis omnes inimici mei . auertantur retrorsum : et confundantur ualde uelociter . Præses dixit : Sacrifica diis : ne moriaris : et Serapia . Ideo autem non sacrifico dæmoniis uestris ut moriar morte uestra . Præses dixit : Brothanata et malefica : audi imperiale præceptum : et sacrifica diis immortalibus : et libera te de cruciatibus et || morte at illa respondit Brothanati et malefici uos estis : qui negatis deum uiuum et uerum : et dæmonia adorando cum ipsis pariter estis morituri . Deo autem immortali ego me ipsam offero sacrificium : si me dignatur suscipere licet peccatricem tamen christianam : Præses autem iussit eam fustibus cædi . Et cum cæderetur : subito terræmotus factus est magnus et quasi fistula de fustibus unde cædebatur sancta dei uirgo attigit dextrum oculum præsidis : quem postridie amisit . Tunc repletus furore Præses dedit sanctæ dei puellæ capitalem sententiam dicens : Quoniam Serapiam non solum imperialis præcepti contemptricem uerum etiam tantis depræhensam maleficiis : gladio iussi percuti . Et incisum est caput sanctæ uirginis Christi Serapia trans arcum faustini iuxta Arcam† uindiciam† ducis ducum . passa est autem sancta Serapia quarto calendas augustas regnante domino nostro Iesu christo : qui uiuit et regnat cum deo patre in unitate spiritus sancti per immortalia sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI SIMEONIS EPISCOPI ET MARTYRIS .

Sub Traiano romanorum imperatore per singulas ciuitates ex insolentia populi persecutionem in nostros accipimus motam : Quo in tempore etiam Simeon Cleophæ filius quem secundum Hierosolymis ordinatum episcopum supra docuimus per martyrium carnis uinculis resolutus est . Horum astipulator ipse est Egesippus . Is ergo refert : quod a quibusdam hæreticis accusatus sit supradictus uir tanquam christianus : et multis suppliciis affectus per multos dies : ita ut etiam iudex ipse cum amicis suis de eius patientia miraretur : et ad ultimum iuberet simili eum quam dominus pretulit† passione uitam finire . Sed et ipsa uerba quibus protestatur audire gratius puto . Ait ergo cum de hæreticis diceret : Ex his igitur ipsis acusauerunt qnidam† Simeonem cleophæ filium tanquam qui esset ex genere dauid et christianus : et ita mar | tyr effectus est : cum esset annorum centumuiginti sub Traiano cæsare apud Actum consularem : Addidit etiam hoc : quod cum illis temporibus perquireretur : si qui ex genere Dauid et ex regia tribu descenderat : mnlti† compræhensi sunt : Inter ipsos quod Simeon unus ex ipsis fuerit auditor domini . uel longeuitas eius indicio est uel euangeliorum fides . Vbi etiam mater eius Maria cleophæ uxor refertur . Sed et quosdam alios idem scriptor refert . præte rnepotes† iudæ unus ex fratribus domini

per idem tempus superstates† muentus† . Et Domitiani temporibus martyres factus . hoc modo scribens . Veniunt igitur hi et presunt omni ecclesiæ tanquam martyres et propinqui domini : et reddita pace ecclesiæ permanserunt usque ad tempora Traiani cæsaris : usque quo consobrinus domini Simeon de quo supra diximus filius Cleophæ callumniam pateretur ab hæreticis tanquam christianus consulari delatus : A quo cum multo tempore suppliciis fuisset affectus : martyrio consummatus est omnibus qui aderant et ipso iudice admirantibus : ut centumuiginti annorum senex crucis supplicium pertulisset .

VITA SANCTI SEVERI ARCHIEPISCOPI ET CONFESSORIS .

Quotiens uirorum gesta fortium eorumque laudabiles in ecclesiis actus recitantur : qui desyderio cælestium sunt flagrantes præmiorum infirmioribus proximis planiorem uiam fidei reliquerunt ob id procul dubio actitari creduntur : quatinus ille diuini amoris ardor qui quottidie abundante iniquitate etiam in sanctis uiris flatu quodam sinistro algente tepescere solet : iterum quasi gratissimo austri flamine reaccendatur : Vnde in canticis Surge inquit Aquilo et ueni Auster . Hinc est : quod nos idiotæ pene atque inertes pretiossissimi Lilii Christi beati Seueri archipræsulis uitam ordinationem necnon obitum sacratissimum qualicunque stilo declarare gestientes simpliciter ea || quæ de tanto uiro ad nostræ paruitatis noticiam peruolare potuerunt auribus fidelium intimare proposuimus . Plus illorum ædificationi et saluti quam curiosorum uanæ urbanitati prospicientes . Qui eum iuxta Salomonem sophistice loquitur : deo per omnia odibilis inuenitur : quia semetipsum iactantiæ spiculo interimit : et insuper auditorum infirmitati minime conuenit . Sed quia rei gestæ fidei anchoram annectere opus est : more hystoriographi tria in fronte narrationis instrumenti gratia ponimus : quibus ad contexendum propositum opus congruenter utendum est . id est personam patriam conditionem . Nam ut de persona eius paucis uera perstringamus : non sine diuino quodam auspicio . Seuerus est a parentibus uocitatus . Patria uero eius satis omnibus in promptu habetur : quia ciuis ipse rauennas fuit : et sicut de beato papa Gregorio dictum est : unde genus ducens summum conscendit honorem : Cuius autem conditionis fuerit : sanctissimæ eius uitæ summa comprobat . Quia uere christianus erat : et columbinam uitam in simplicitate cordis agebat : Pauperem quidem uitam cum Tobia gessit : sed quia diuinam potentiam timuit . et circonspectionem omnipotentis semper cogitauit : omnia bona possedit : quia caritatem quæ deus est omnino habuit . Quantum enim ad sæculi luxum pertinet : pauperem uitam duxit : quia ut a ueracissimis fertur relatoribus una cum coniuge quam sibi iamdudum castissimo copulauerat matrimonio non nisi lanificii opere sumptus quotidianos carpebat . Nam utpote religiosus et orthodoxus catholicus de labore manuum cum apostolo uiuebat . Nullique hominum uim uel fraudem inferebat : neque et enim surda aure præteriit psalmistam intonantem : Labores manuum tuarum quia manducabis beatus es : et bene tibi erit . In hoc loco si quis superciliosus ænygmatica mente et insulsa obiectione beato uiro detrahat : quod uxoratus ad archisterium Rauennæ accesserit : audiat apostolum pro illo respondentem : quia omnia munda . Sicut ergo ciborum | edulio non poluitur homo nisi insidiatrix concupiscentia præcedat : sic quippe legali connubio non inquinatur : qui se nullatenus uel uirginitatis uel continentiæ uoto alligauit : nisi illum prius corrumpat obseni amoris fermento ipsa deceptrix libido . cæterum si quis uoto constringitur reddere cogatur : quia scriptum est : uouete : et reddite : Sed quia tantisper pro assertione ueritatis quasi per excessum diximus ad cœpta redeamus . Igitur postquam præheminentissimus athleta ueritatis Appollinaris sicuti ante sæcula diuina prædestinauit prouidentia ab apostolorum principe ordinatus est pontifex : ad prædicandum ubique uerbum dei et claues regni cælorum idoneus et per omnia probatissimus uicarius accepit : Rauennam mox nobilissimam Italiæ ciuitatem et multarum metropolim urbium ac si secundam Romam sibi in apostolatum asciuit . Hanc siquidem urbem meritis præcipuis eiusdem sui triumphatoris : adeo clæmens et pius rex Christus præ cæteris decorando insigniuit : ut postquam ille miles felix laureatus corona martyrii intrauit in gaudium domini sui : instar duo-

deni apostolorum apicis duodecim illi successores per uaria annorum curricula suppleret non humana industria electos sed potius superna accitos clæmentia et super quorum cælitus capita emissa requieuit columba . Aetate quippe iam dicti semperque dicendi Seueri contigit Rauennatem ecclesiam proprio pastore uiduari Marcellino . Adhuc Constantino maxime imperante orbique romano singulariter præsidente : quater Constantio et ter Constante consulibus natis eodem priucipe† : Cumque multi episcoporum conuenirent finitini† atque remotiores quatinus tantæ ciuitati pontificem more solito ordinarent : finitaque oratione omnes in commune lætabile operirentur spectaculum : aliquem scilicet per columbam cælitus designari . Idem uir domini beatus Seuerus ut erat simplex et columbæ amicus his uerbis suam affatur coniugem : Vadam si placet ocyus : et uidebo uisionem mirabilem : quomodo diuinitus e cælo ueniat columba : et super caput electi consedeat : Ad quem illa : Sede inquit || hic : et labora . Noli ocio uacare : quia non expedit nobis . Siue enim pergas : siue in loco subsistas : te pontificem populus ordinabit . Ad hæc ille : Sine me inquit : ut uadam : Et illa : uade si placet : qui quacumque hora intraueris : statim episcopus ordinaberis . Talia uxore ironicos prosequente illico surrexit : ad ecclesiam concitus adiit : ubi erat populus cum sacerdotibus congregatus : et ob uestimentorum uilitatem quia squalido amictus erat indumento : occultabat se post ualuas templi : Et expleta oratione confestim descendit de cælo columba niue candidior : et sedit super caput beati Seueri latitare cupientis . Ille autem dum a se columbam repelleret : et illa hac illacque per aerem uolitaret : iterum iterumque reuisit dilectum sibi caput eiusdem beati uiri : ac si spiritussauctus† peculiariter : quod in re erat : proderet dicens : Super quem requiescam nisi super humilem et quietum et trementem uerba mea ? Et iterum : Ego diligentes me diligo . Vnde et hoc uenerabile prouerbium iam dudum uulgatum est per uniuersum orbis circulum : Beata inquit ciuitas illa : ubi in ellectione pontificis spiritussanctus descendit in columbe spetie et similitudine : et ordinatur ille : super cuius caput requiescit . Stupefactus super hoc omnis potentatus et clerus et omnes qui huic diuino spectaculo intererant : omnium bouorum† et diguitatum† largitori deo immensas gratias egerunt . Et de latibulo educentes unica uoluntate electionem in eo pariter decreuerunt . Missusque Romam ad Iulium eiusdem urbis episcopum : qui tertius extitit a beato Syluestro maximo : Rauennatium ordinatus est præsul : Reuersusque ad urbem proprii honoris cum omni ueneratione est habitus . Nisi enim homo iste humilis esset et mansuetus ac deum timens : tam euidentibus indiciis non eum spiritussanctus suo testimonio declarasset : Quod tamen post apostolos in paucis actum fuisse legimus . Legimus tamen Flauiniani uel Zephyrini romani antistitis ellectionem similiter declaratam . Tali namque modo ordinatus beatus Seuerus Rauennatis ec | clesiæ episcopus unctusque est oleo exultationis et unguento sacri chrismatis iuxta morem pontificis . Tunc adimpletum est in illo : quod dominus dixit in euangelio : Apud homines hoc impossibile est : apud deum autem omnia possibilia sunt . Et iuxta Pauli uocem : Infirma mundi elegit deus : ut confunderet fortia . Ecce est : quod Petrus apostolus dixit : quia non est personarum acceptor deus : sed in omni gente qui timet deum : et operatur iusticiam acceptus est illi . Sed o mutatio temporis . et o nefas negotiationis . Redemptor itaque noster ut ostenderet fidelibus suis : quam sit damnabile officium negotiationis ingressus in templum omnes uændentes et ementes in illo uæhementer eiecit : Et facto de resticulis flagello eos potissimum qui columbas uendebant de templo eliminauit . Antiquus autem humani generis inimicus qui iam iuxta apostolum in membris suis mysterium operatur iniquitatis quique sedet cum diuitibus in occultis ut interficiat innocentem : iterum cum felle amaritudinis per Symonem suum uænalem facit columbam : nec desinit per suos trapezitas cumulare nummos iniquitatis : quo eos ualeat profundius mergere in puteum perditionis . Ecce nemo iam nunc usque episcopus eligitur : quia nec ecclesiis permittitur : sed quod horribilius est omnibus monstris : et deterrima adulterii species : quæ primum locum obtinet in pœnis : ad huc uiuente alicuius ciuitatis episcopo ab aliquo indocto et deprauato honor eius concupiscitur petitur promittitur : sacramento spes solidatur : persona extollitur . scientia laudatur : pecunia impudenter datur : ut postmodum dentius† uændatur quod tam nefando ausu comparatur . Sed quia se huins† rei ratio consequenter per columbam ingessit ecclesiastici uigoris gratia : uænditores eius male meritos ut cœpimus persequamur . Vides ne : ut

Simoni primo hæresiarchæ cuius inter ipsa lactentis ecclesiæ cunnabula apostolico mucrone triste caput amputatum est : aç deinde tot iusticie prioribus fauentibus apud ecclesiastica concilia perpetuo anathemate sepultum : alia rursum || quasi hydræ capita succerescant† : Inde necesse est : ut nostri nunc temporis episcopi apud omnipotentem dominum aut ualde rari sint aut nulli . Hinc et enim per prophetam dicitur : principes extiterunt et non per me . Ipsi rogauernnt† : et non cognoui : Quid ad hæc musitant nouelli et indocti : quid dominum quidem quoquomodo sciunt : sed minime sapiunt ? Monachi inquiunt non habent ius prædicandi : tam et si auctoritate sint diuina plenissimi . Sed non est mirum : quia caro nescit spiritum : Veritas quippe amara est : et qui illam docere nituntur : amaritudine replentur . Ecce beatus Seuerus prope modum idiota et absque litteris spiritum ueritatis tactus : efficitur docto huberior : et monachus qui a cunnabulis diuinis litteris studuit tacere habet . Paulus apostolus hoc specialiter priuilegii præ cæteris nactus : ut qui ad pedes Gamalielis sacras litteras didicit : uas electionis et appellari et esse promeruit . Vnde et doctor totius orbis specialis dicitur : licet et cæteri apostoli doctores habeantur . Hæc contra illos paucis dicta sunt : qui secundum faciem homines iudicare solent : quique secundum placitum fauent iniquitati . detrahunt autem ueritati : asserentes non oportere fieri episcopum : nisi aut natalibus insignitum aut statura procerum .

PASSIO SANCTI SIGISMVNDI MARTYRIS .

Tempore Thyberii senioris augusti qui sicut reliquas regiones : ita Gallias Ausoniamque regebat : egressa est gens de insula : quæ mare oceanum cingit : cuius uocabulum est Scanadabia : quæ uocabulo regionis Scatoarii nuncupati sunt : Cumque omnia regna uel regiones cum mulieribus et prole sua penetrassent : et ad Rbenum† fluuium peruenissent : ibi ad iussionem Thyberii imperatoris detenti burgos ultra Rhenum fluuium per multorum annorum spatia custodire coacti sunt . Vnde et burgundo | furones nuncupati sunt : Hodie burgundiones uocitantur . hi tempore Valentiani† imperatoris egressi de ipsis burgis Gallias petierunt : et more barbarico terras et populos imperialibus dictionibus subiugatas inuaserunt : regeque ex suo genere leuato nomine Gandiocho romanis Galliarum quos ab ipsorum conspectibus fuga non callauit† gladiatorum manus interfecit : Paucisque relictis suisque dicionibus subiugatis : ipsique eorum dominationi se humiliare contenti sunt . Defunctoque Gundiocho filii ipsius Gondobatus et Gundegisellus regno suscepto Galliarum populos terrasque inter se diuisserunt : Ita ut Gundabatus duas portiones suis dicionibus uindicaret : tertia Godoghisellus esset contentus : Vnde inter ipsos maximo iurgio exorto : sicut gens ipsa est perfida : inter se a fide diuisi sunt . In ipsis temporibus ubi amborum gens illico conualescens multas regiones postpositis omnibus dapibus contempsisset : arctioribus rebus dorsis impositis pene omnibns† gentibus finitinus† duodecim regibus cum populis sibi subiugatis prostratisque atque depopulatis conualescente manu suis subdiderunt dicionibus : Galliarum fines muadendos† audacter ex petierunt : quorum adiuncto Godichisellus frater Gundobadi præliandi cum germano solatio contra Gundubadon arma corripuit : quo fugato regnum Galliarum paucis diebus sibi uisus est subiugasse . Non post multum temporis resumptis uiribus Gundobadus deiectisque portis uiensium† ciuitatis cum multo exercitu captumque Germanum suum Gondighisellum cum uxoribus et filiis suis igne concremauit : omneque regnum quod per uim perdiderat uindicauit . Natique sunt ei filii Sigisimundus† et Gudemarus : Et quia ipse Gundobadus omnisque gens burgondorum legis gothicæ uidebantur esse cultores : tamen filiis christianæ religionis cultui deseruire uisus est : qua lege percepta illustris atque uenerabilis puer Sigismundus cum iam ad perfectam peruenisset ætatem tanta deuotio circa ecclesias monasteria uel limina sanctorum ipsum accendit : ut die || noctuque uigiliis ieiuniis orationibus incessanter persisteret : Defuuctoque† genitore suo Gundobado licet incredula circa fidem Christi omnis gens Burgundiorum† : una cum paucis romanis qui cum ipsis Gallis eorum morsibus laniati durabant contempti : illustrem uirum Sigismundum sibi regem elegerunt . Accepto principatu super Galliarum incolas : qualem se circa cultum diuinum uel suos optimates præbuit : quæ illi

ieiuniis abstinentia : in eleimosynis libertas : circa religionem humilitas : in iudicii ueritate seueritas fuisset : Paulo post ostendetur : nam dum in talia semper ipsius animus incessanter uideretur esse intentus : sic patriæ exercitusque sui uidebatur esse sollicitus : ut tamen uelut apis prudentissìma aditum illum : per quem ad eælestem† posset introire : inquireret . Et dum hæc taliter uir deo plenus in corde suo die noctuque pertractans : non aliter nisi ad dominum nostrum Iesum christum festinaret : qui dixit : qui recipit prophetam in nomine prophetæ : mercedem prophetæ accipiet : Ita se circa martyrum limina inpendere conatus est : ut mercedem martyrum percipere mereretur : dum uniuersa loca sanctorum perlustraret : peruenit in hunc locum : ubi sanctus Mauricius cum sociis suis pro honore domini nostri Iesu christi martyrii palmam percepit . Et tam itinere quam ieiuniis fessus : petiit qualiter se ipsis dominis sanctis inpendere deberet : per quos eorum agminibus sociaretur . Tunc non aliter nisi nutu dei credimus angelo dei nunciante ipsi reuelatum fuisse : ut instar cælestis militiæ psallendi choros instituere deberet : quo consilio diuinitus accepto sanctos ac apostolicos uiros episcopos consuluit : utrum salubriter an non cogitaret : quam interrogationem sancti antistitis† licet inusitatum opus tamen domino annuente unanimiter consenserunt . quod sanctum opus perfecte institutum et firmatum esset : quid adhuc ipsi dicerent qualiter cælestis patriæ regnum perciperet die noctuque dominum præcabatur . Sed dominus noster Iesus christus laborem ipsius remunerationemque diutius fatigando | non distulit . ad palmam martyrii eatenus eum prouocare dignatus est sanctorum martyrum thebeorum : quorum se in dei laudibus sociauerat paradisi acie dapibus sociaret : Et ut prolixa oratio legenti fastidium non generet : ad beatæ passionis ennarandam historiam ueniamus Cum franci pene post omnia regna prostrata Galliarum urbes uæhementer depopularent : ita ut plurima multitudo ex Burgundionibus se Francis sociarent : sanctus Sigismundus uidens se hinc inde coangustari iuresalis montem expetiit : ut instar Heliæ Tesbites fortissimam gentem euaderet singulariter habitare contentus est : iuxta illud quod egregius prædicator de suis tribulationibus scripsit : ubi ait : periculis in falsis fratribus . Tunc omnes Burgundiones : ut infidelitas eorum plenissime appareret : Francis se ex integro tradiderunt promittentes : ut sanctissimum uirum Sigismundum suum eis uinctum traderent . Hac promissione uir iustus Sigismundus comperta : cæsariem capitis sui totundit : et se a laicorum habitu religionis mutauit . qui dum in supradicto loco pene ieiuniis et uigiliis ualde maceratus quiesceret : ibi pauci ex Burgundionibus ipsum conuenientes : quasi causa amoris illum ad sepulchra martyrum sub quadam custodia latenter perducere promiserunt : qui dum ad clausuras ipsius monasterii peruenisset : ibique cum agminibus Burgundionum una cum Francis instar Iudæ traditoris : raptim Burgundio in eum manus iniecit : et uinctum cathenis Francis obtulerunt . Tunc Franci dum innoxium effundendo sanguinem cruentarentur : ipsorum Burgundionum manibus usque ad locum destinatum perducendum miserunt : qui eum sub ardua una cum coniuge : et filiis Gisdado et Gundobado uinctos ad locum : cuius uocabulum est Bersa perduxerunt : Ibique puteum ab antiquis constructum inuenientes ut uæsaniæ suæ perfidiam satiarent : lætali sententia adiudicato capite dehorsum una cum coniuge et filiis suis Gisdado et Gundobado in puteum iactauerunt : ibique sancta corpora per triennium limosi gurgitis aqua || læsa celauerunt : In quo loco nocturnis temporibus a sanctis uiris diuinitus lampadam accensam per totum illud spatium quo ibi sancta corpora quieuerunt uisum est . Transacto triennio sanctus ac uenerabilis uenerandi huius loci abbas per angelum nocturno tempore ammonitus est : ut sacra corpora sicut animas eorum in cælestis sanctæ legionis erant coniuncta sotiarent : quo se uir dei uertere deberet : qualiter dominicam uisionem impleret nesciebat . Tunc ad Ansemundum Burgundionem : qui usque in diem passionis sanctissimis uiris fidem certissimam uisus est conseruase : nuncios direxit : ut ad glorississimum† principem Theopetum regem Francorum suam petitionem pariter et suggestionem deportaret : ut sanctissima corpora ad limina sanctorum aggreganda permittere deberet : quam petitionem piissimus princeps clæmenter indulsit . Tunc magna admiratione sancta corpora de puteo extracta : in ecclesiam quæ in honore beatissimi Iohannis apostoli et euangelistæ constructa est dignissime tradiderunt : quo in loco tantas uirtutes domini misericordia præstare dignatur : ut quicumque ille quartano typo inuasus fideliter sanctorum cineribus fuerit aduolutus :

statim integra sanitate recepta reuertatur incolumis : uel reliquæ infirmitates quæ genus hominum inuadere solent : assidue per dei gratiam intercedentibus martyribus auxiliante domino ad pristinam redeunt sanitatem . passus est sanctus Sigismundus calendis maiis : regnante domino nostro Iesu christo : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

PROLOGVS IN VITAM SANCTI SYLVESTRI PAPAE ET CONFESSORIS .

Historiograpbus† noster Eusebius Cæsariæ Palestinæ urbis episcopus cum historiam ecclesiasticam scriberet . pretermisit ea : quæ in aliis opusculis sunt : uel quæ se meminit retulisse : Nam uiginti libros idest duas decadas omnium pene prouinciarum passio | nes martyrum et episcoporum et confessorum et sacrarum uirginum ac mulierum continere fecit . Deinde secutus et ab apostolo Petro omnium episcoporum nomina et gesta conscripsit : et earum urbium : quæ arcem pontificatus per apostolicas sedes tenere noscuntur : ut urbs Roma . Antiochia . hyerosolima . Ephesus et Alexandria . Harum urbium episcoporum omnium præteritorum nomina usque ad tempus suum et gesta græco sermone conscripsit : Ex quo numero unum episcoporum urbis Romæ sanctum Syluestrum me de græco in latinum transferre præcepisti domine sancte ac beatissime pater . Quia itaque exiguum me ad translationem hanc esse consydero : elegi hoc detegere : quod sim parui sermonis et inertis ingenii : Vnde obsecro : ut pro me tuis orationibus impetres : ne qui culpam contemptoris fugio : præsumptoris noxam incurram : sed tuis orationibus ueniam me consequi non dubito . Credo enim quod orando impleri facias : quod me arripere iubendo fecisti .

Syluester urbis Romæ episcopus cum infantulus esset a uidua matre Iusta nomine et opere traditus est ut erudiretur a Cyrino presbytero : cui quottidie sedulum exhibebat officium : Eius autem uitam imitatus et mores : ad summum apicem christianæ religionis attigit . Hospitalitatis namque illi diligentia in usu fuit : quam non propter laudem huius uitæ sed bonæ uoluntatis gratiam adimplebat . Vnde factum est : ut Thimotheum quendam illustrem uirum christianum ab Antiochia uenientem Christumque publice prædicantem tempore persecutionis hospitio reciperet : quod omnes pene christiani hoc facto expauescere cœperunt . Syluester uero non solum eum hospitio suscepisse gaudebat : sed et timore abiecto tam uitam quam predicationem eius suis laudibus commendabat . Igitur cum spatium unius anni et trium mensium a Thymothei prædicatione fluxisset : et multus per eum gentium populus ab errore conuersus fuisset : dignus martyrio tentus est a populo paganorum : traditusque urbis præfecto Tarquinio : a quo tormentis plagarum affectus et longa carceris custodia maceratus qua || si bonus athleta dei cum sacrificare idolis noluisset : inter homicidas decollatus est : quem Syluester sanctus caute et diligenter colligens in suum hospitium attulit : Ibique sanctum Melciadem episcopum uocans et per totam noctem in Dei laudibus permanentes eius martyrium dedicauerunt . Quædam autem Theon christianissima fœmina in suo hortulo non longe a sepultura Pauli apostoli eius corpusculum suscepit : quod factum omnibus christianis ualde placuit : ut huius nominis martyrem uicinum exciperet : et Paulo apostolo ut quondam adhæreret . Post hæc Tarquinius urbis Romæ præfectus sperans Thymotheum aliquas pecunias habuisse : teneri Syluestrum iussit : Cui et dixit : nisi mihi scelerati illius omnes dederis facultates : et diis sacrificaueris : diuersis pœnis te interficiam . Sed cum multorum testimonio didicisset : illum de huius mundi diuitiis nihil habere : titulum illi christianitatis opposuit : dicens eum tormentis uariis finiendum : nisi sponte idolis inmolaret : Cui sanctus Syluester dixit : scias te æterna damnatione multandum : si non celerius deum dei filium credideris Iesum christum . Tunc iratus Propinna Tarquinius iussit eum in carcerem recipi dicens : grauissimis tormentis faciam te proxima sessione deficere . Ad hæc sanctus Syluester ait : euangelica te sententia alloquor : Stulte hac nocte anima tua auferetur a te : ut tormenta quæ christianis temporalia irrogasti : tu æterna suscipias : et inter tormenta ipsa hunc esse deum quem christiani

colunt recognoscas . Interea Syluester cathenis uinctus ad carcerem ducitur : et rogatus Propinna Tarquinius : ad prandium quasi epulaturus accedit : Sed Syluestro in carcere orante et Tarquinio in summa prandente ultio diuina subsequitur . Denique os piscis in ore eius uersatum est : quod nulla medicorum arte nulla potuit incantatorum uanitate transire . Tota igitur nocte tormentis affectus prima hora diei qua sessurum se comminatus fuerat expirauit . Tunc christiani cum sancto Melciade episcopo ad carcerem pergunt : et Syluestrum | inde cum gaudio educentes presbyterum sibi omnes fieri exposcunt . Sancto itaque Syluestro ordinato presbytero tantam ei dominus gratiam concessit : ut nullus esset : qui non eum ex affectu diligeret : et hunc esse dei famulum acclamaret . Melciade autem episcopo migrante ad Christum : ab omni populo Syluester eligitur . Vox omnium clericorum ac laicorum una efficitur . Cumque se clamaret indignum : obiiciebantur huic uoci sancta preconia quoniam ante quam presbyter esset : Christi confessor esse meruit . His et huiusmodi assertionibus populorum arctatus leuatur urbis Romæ episcopus auctore deo : et quia hoc esse meruit : operibus declaratur : Erat enim piissimus et omni suauitate conspicuus : atque ita inter pauperes et diuites medius : ut pauperes illum quasi pauperem : diuites uero quasi superiorem sibi diuitem existimarent . Non enim ad personæ potentiam sed morum elegantiam attendebat : Et tanto unumquenque eminentius honorabat : quanto sanctius eum uiuere didicisset . A detractoribus aures suas quasi a serpentibus seperabat : dicens hoc quasi uenenum per has ingressum occidere animam audientis . Sed quos opinio lacerabat : suis copulabat amiciciis : nt† monitis dulcibus eos obdulcaret : et elatos superbia Christo humiles faceret . Afferens phariseorum accusationem in medium : qua culpabant dominum cum publicanis et peccatoribus manducantem : et simul respondentem memorabat dominum dicens : non indigent qui sani sunt medico : et non ueni uocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam . Circa egenos uero et aduenas ita sollicitum se exibebat : ut secundum uerbum domini Christum esse in his crederet : non tam illis quibus conferebat necessaria : quam ipsi Christo se conferre gauderet . Nulla uidua pauper . nullus orphanus indigens in tota urbe romana inueniri poterat : quem in sua matricula non haberet conscriptum : uniuscuiusque autem tituli ita curam gerebat : ut quante in regione essent uiduæ quot orphani : quot clerici et nomina et numerum eorum diligenter sciret : et quasi de filiis suis pleno caritatis affectu || sollicitudinis suæ fructum eorum quottidie necessitatibus exhibebat . Clericorum omnium ita curam gerebat : ut clericos quos pauperes uidisset diuitibus clericis sociaret : ut secundum apostolum horum inopia illorum abundantia subleuaretur . Laicorum cura ita illi erat : ut si aliquos inter eos studiosos in lege domini repperisset : nimia ueneratione diligeret . Si aliqua dona a diuitibus suscepisset : statim ea in quattuor partes diuidens archidiachono committebat : et una pars restaurationibus ecclesiarum uel cymiteriorum : alia clericis : tertia cunctis pauperibus quarta uero aduenis sub ratiocinio traderetur . In illo igitur tempore Euphrosinus nomine quidam episcopus ex orientis partibus uenit dicens sibi imperatum per reuelationem : ut ad apostolorum limina properaret . Hic pro nomine domini nostri Iesu christi multis fuerat plagis et exiliis comprobatus : tantaque eum uirtutum efficacia comitabatur : ut etiam si sudario eius tactus fuisset infirmus : mox recuperata sanitate gauderet . Dæmonia uero imperio eius in Iesu christi nomine protinus abscedebant . Erat autem sermone facundissimus tam latino quam græco . Gratia uero cordis eius et uultus tam pura omnibus apparebat : ut quicumque eius elloquium meruisset audire : putarent se habere patrem beniuolentiæ matremque affectus . Hic cum quottidie in dei laudibus et orationibus ageret omnibus diebus dominicis specialiter domino adhærebat . Hic quando accedebat ad sacrificanda Christi mysteria : candidissimo collobio induebatur : quod collobium sancti Iacobi apostoli fuisse perhibebat . Dicebat autem iustum esse hanc reuerentiam a sacerdote obseruandam : ut dum in diuinis mysteriis sacerdos asistit : hic utatur uestibus : quæ habitu apostolico sacerdotem exhibeant . Sic factum est ut a sancto Syluestro presbyteri eius uel diacones collobiorum sumpsissent initium : quod Marcus Iulius et liberius eo ordine usi sunt . Postea autem collobia in dalmatiis commutata sunt . uisumque est melius huic proposito conuenire . quod accuratius magis placere ualeant aspectibus | populorum . Quartam et sextam diem et sabbatum ieiuniis obseruandum esse spetialiter definiuit . quintam uero diem quasi dominicam colendam esse consti-

tuit . Quod sanctus Euphrosinus memorabat ab apostolis traditum . Exigebant autem illi græci sabbatum magis celebrandum quam quintum diem : quibus ille ait : sufficere deberet hoc ad auctoritatem nostri propositi : quod ita tenuisse apostolos nostri priores nobis asseruerunt : Tamen quia altercatio flagitatur uestræ caritati redenda est ratio . Si omnis dominicus dies pro reuerentia resurrectionis domini tenetur et colitur : iustum est : ut omnis sabbatorum dies causa sepulturæ eius ieiunii suscipiatur instantia : ut flæntes cum apostolo de morte domini nostri Iesu christi : gaudere cum eisdem de resurrectione mereamur . Sed dicebant græci unum esse sabbatum sepulturæ : in quo semel est in anno ieiunium excolendum : quibus sanctus Syluester : Si unum multis† sabbatum ieiunio colere : unum ergo diem dominicum celebrate . Quod si omnis dominicus dies resurrectionis esse creditur gloria decoratus : omnis qui eum antecedit dies sabbati sepulturæ est ieiunio mancipandus : ut merito gaudeat de resurectione : qui de morte plorauerat : plorare autem compati dixerim : saluo eo quod passio domini gaudii nostri sit summa : Accepta ergo hac ratione : græci acquieuerunt quidem de sabbato : sed de quinta feria uæhementissime obsistebant : dicentes non debere hanc quintam diem christianæ festiuitati sociari : Quibus papa Syluester respondit : Si igitur dies dominicus colitur : quia resurrectionis gloria illustratus est : cur et quinta feria a christianorum festis putetur excludi : in qua ascensionem domini constat esse apostolis reuelatam . In hac etiam die sacrificium sacri corporis et domini sanguinis ab ipso domino celebrationis sumpsit initium . hac die in toto orbe sanctum chrisma conficitur : hac etiam die pœnitentibus per indulgentiam subuenitur : discordes ad concordiam redeunt . pacificantur irati . dant indulgentiam principes criminosis : seruis malis indulgent domini : iudices || etiam latronibus parcunt : patescunt carceres in toto orbe . Hac die ad læticiam festiuitatis exeunt : qui se clauserant pro auctoritate culparum dolentes flændo : quod ridendo forte aut irascendo aut lædendo commissum est . Hæc et his similia disserente sancto Syluestro quieuit omnis illa contradictio : quam græci christianissimi et docti uiri opposuisse memorati sunt dicentes : uere apostolica sedes hæc a Petro didicit : quæ nulla possit ratione conuinci . Verum quoniam longum est eius sancta dicta et mirabilia stilo currente describere : ad ea quæ temporibus eius Christus ad sui nominis laudem declarauerit ueniamus .

In illo tempore exiit edictum : ut christiani ad sacrificandum idolis cogerentur : unde factum est ut secedens ab urbe sanctus Syluester Sirapti latibulo cum suis se clericis collocaret . Constantinus autem Augustus monarchiam tenens cum plurimas strages de christianis dedisset : et innumerabilem populum per omnes prouincias fecisset uariis pœnarum generibus interfici : elefantiæ a deo lepra in toto corpore percussus est . Huic cum diuersa magorum et medicorum agmina subuenire non potuissent : pontifices capitolii hoc dederunt consilium : debere piscinam fieri in ipso capitolio : quæ puerorum sanguine repleretur : in quam calido ac fumante sanguine nudus descendens Augustus mox posset a uulnere illius lepræ mundari . Missum est igitur et de rebus fisci uel patrimonii regis ad tria millia : et eo amplius adducti ad urbem Romam pontificibus traditi sunt Capitolii . Die autem constituto egrediente imperatore Constantino palatium ad hoc eunti ad capitollium : ut sanguis innoxius funderetur : occurrit multitudo mulierum : quæ omnes resolutis crinibus nudatisque pectoribus dantes hululatus et mugitus coram eo se in plateis fundentes lachrymas strauerunt . Percunctatus itaque Constantinus Augustus qua de causa multitudo hæc mulierum ista faceret : didicit has matres esse filiorum eorum : quorum effundendus erat sanguis : tandiu quousque piscina repleretur : in qua medendi causa la | uandus descenderet et sanandus . Tunc imperator exhorruit facinus : et se tantorum criminum reum fore apud deum existimans : quantorum esset numerus puerorum . uicit crudelitatem pontificum pietas romani imperii : et prorumpens in lachrymis iussit stare carrucam : et erigens se ac conuocans uniuersos clara uoce dixit : audite me comites et commilitones et omnes populi : qui astatis : romani imperii dignitas de fonte nascitur pietatis . Cur ergo præponam salutem meam saluti populi innocentis ? Nunc autem ab effusione innoxii sanguinis sententiam crudelitatis excludam . Melius est enim pro salute innocentum mori : quam per interitum eorum uitam recuperare crudelem : quam tamen recuperare incertum est : cum certum sit recuperata crudelitas . Sic semper contra hostes nostra certamina in præliis extitisse

noscuntur : ut reus esset legibus et capitali sententiæ subderetur : quicumque aliquem occidisset infantem : Eratque hoc statutum in bello : ut facies illa quam pubertas adhuc non nouerat gladium euaderet bellatoris : et uita incollumis permaneret . Nunc itaque quod in hostium filiis custoditum est : in filiis nostrorum ciuium exercebimus ? ut simus nostris legibus rei atque captiuitate animæ et conscientiæ captiuabimur : qui pugnando fideliter omnium gentium meruimus esse uictores ? Quid iuuat barbaros superasse : si a crudelitate uincamur ? Nam uicisse extraneas nationes bello uirtus est populorum : uincere autem uicia peccata et crimina uirtus est morum . In illis ergo preliis extitimus fortiores illis : In his autem nobis ipsis fortiores sumus : cum uincimus nosmetipsos : dum mala uota nostra excludimus : et quod inconsulte desyderamus : consulte et utiliter exercemus . hoc autem facimus : quando uoluntatibus deorum uoluntates nostras postponimus : et diuinis desyderiis obedientes nostra desyderia impugnamus : et in hoc certamine uictos nos esse hac ratione gaudemus : ut agnoscamus nos contra salutem nostram uoluisse pugnare . Nam qui conatur perpetrare : quod malum est : captiuare utique || studet bonitatem . Cum ergo isto fuerit certamine superatus : uictoriam obtinet uictus : quoniam uictor perditionem inuenerat : et malam captiuitatem incurrerat post triumphum : si tamen triumphus dici potest : quando pietas ab impietate uincitur : et iusticia ab iniusticia superatur . Vincat ergo nos pietas in isto congressu . Vere enim omnium aduersantium poterimus esse uictores : si a sola pietate uincamur . Omnium et enim uerum se esse dominum comprobat : qui uerum se seruum ostenderit esse pietatis . Cum ad istam conctionem omnis exercitus omnisque populus diutissime acclamasset : Itemque conctionatus dixit : Iussit pietas romana filios suis matribus reddi : ut dulcedo reddita filiornm† amaritudinem lachrimarum maternarum obdulcet . Et hæc dicens iter quod arripuerat eundi ad capitolium deserens : ad palatium rediit . Non solum autem filios reddidit : uerum etiam dona simul amplissima et uehicula infinita et annonas iussit expendi : ut quæ flæntes uenerant et lugentes : ad patriam alienam : alacres cum gaudio ad ciuitates suas reuerterentur . Hac igitur transacta die nocturno regis facto silentio : somni tempus aduenit : Et ecce adsunt apostoli sancti Petrus cum Paulo dicentes : Nos sumus Petrus et Paulus : quoniam flagitiis terminum posuisti : et sanguinis innocentis effussionem horruisti : missi sumus a Christo Iesu domino nostro dare tibi sanitatis recuperandæ consilium . Audi ergo monita nostra : et omnia fac quæcumque tibi indicamus . Syluester episcopus ciuitatis Romæ ad montem Sirapti persecutiones tuas fugiens in cauernis petrarum cum suis clericis latebram fouet . Hunc cum ad te adduxeris : ipse tibi piscinam pietatis ostendet : in quam dum te tertio merserit : omnis te ista deseret lepræ ualitudo : quod dum factum fuerit : hanc uicissitudinem tuo saluatori compensa : ut omnes iussione tua per totum orbem romanorum ecclesiæ restaurentur . tu autem te ipsum in hac parte purifica : ut relicta omni idolorum superstitione deum unum qui uerus et solus est deus adores et excolas : et ad eius uolun | tatem attingas . Exurgens igitur a somno Constantinus Augustus statim conuocans eos qui obseruabant palatium : et secundum tenorem somni sui misit ad montem Sirapti : ubi sanctus Syluester in cuiusdam christiani agro persecutionis causa cum suis clericis receptus lectionibus et orationibus insistebat : At ubi se a militibus conuentum uidit : credidit ad martyrii coronam se uocari : et conuersus ad clerum omnibus qui cum eo erant dixit : ecce nunc tempus acceptabile : ecce nunc dies salutis : aduenit tempus quo nos lectio docuit operum nostrorum assignare fructum . Ecce dominus iterum spiritaliter inter homines ambulat : si quis uult post eum uenire : abneget semetipsum sibi : et tollat crucem suam : et sequatur eum : Et hæc dicens orationem fecit omneque mysterium adimpleuit commendans animam suam et dans pacem omnibus profectus est . Secuti sunt autem eum uniuersi clerici cum presbyteris triginta et diaconibus quinque optantes passioni simul succumbere : melius arbitrantes cum illo pro Christo mori quam in eius absentia epulari : erat enim tranquillo semper animo et sereno : ita omnes clericos diligens : et sicut gallina pullos suos euocans : ut circa uniuersos carum amorem ostenderet : et omni hora eos monitis cælestibus erudiret . Vnde factum est : ut omnes eruditionis sagena refecti passionem magis diligerent quam timerent : et simul cum eo alacres properarent . Profectus itaque ut dictum est : peruenit ad regem . Tunc illico assurgens augustus prior eum salutauit dicens : Bene uenisse te gratulamur : Cui sanctus Syluester respondit : pax

tibi et uictoria de cælo subministretur : quem cum rex alacri animo et uultu placidissimo suscepisset : omnia illi quæ ei facta quæque reuelata sunt secundum textum superius compræhensum exposuit . Post finem uero narrationis suæ percunctabatur qui isti essent dii Petrus et Paulus : qui illuum† uisitassent : et ob quam causam salutis suæ latebram detexissent . Cui sanctus Syluester rospondit† : deus unus est : quem colimus : qui totum mundum fecit ex nihilo idest cælum et terram || et omnia quæ in eis sunt . Petrus autem et Paulus dii non sunt sed serui dei : qui illi per fidem placentes hoc consecuti sunt : ut arcem teneant sanctitatis : et sic in numero sanctorum omnium primi a deo apostoli facti sunt . Ergo ipsi primi diuinitatem domini nostri Iesu christi filii dei gentibus prædicauerunt : et omnis ecclesia ab ipsis initium sumpsit . Hi expleto apostolatus officio ad palmam martyrii peruenerunt : et sunt modo amici omnipotentis dei . Cum hæc et his similia gratanter augustus audisset : dixit : peto utrum hos istos apostolos habet aliqua imago expressos : ut in ipsis liniamentis possim agnoscere hos esse : quos me reuelatio docuisset : qui mihi dixerunt se a deo missos esse . Tunc sanctus Syluester iussit diacono suo ut imaginem apostolorum exhiberet : quam imperator aspiciens cum ingenti clamore cœpit dicere : nihil inferius hac imagine in eorum effigie quorum uultus in uisione conspexi . Hi ergo mihi dixerunt : mitte ad Syluestrum episcopum : et hic tibi ostendet piscinam pietatis : in qua cum lotus fueris : omnium consequeris tuorum uulnerum sanitatem . Cui sanctus Syluester respondit : Audi me rex : et salutis piscinam necessariam hoc ordine require : ut primum credas Christum filium dei ideo de cælo uenisse : et inter homines conuersatum esse : ut istam piscinam credentibus in se manifestaret : Cui Angustus† respondit : ego nisi credidissem : ad te pœnitus non misissem . Tunc sanctus Syluester dixit : exige a te ipso una hebdomade ieiunium : et deposita purpura intra cubiculum tuum : ibique induere ueste humili : prosterne cylicium : et confitere modo per ignorantiam erroris factum : ut christianis persecutionem induceres : et ipsum esse saluatorem corporum et animarum non solum loquendo sed et credendo pronuncia : et pœnitere multos sanctos dei occidisse : et in hac hebdomade templa iube claudi : et cessare omnia sacrificia idolorum : debitores fisco pauperes laxa : carceratos dimitti præcipe : in exiliis et metallis aut in quibuscumque tribulationibus constitutis indulgentiam dari constitue . Iube per totam | hebdomada eleimosynas fieri : beneficia etiam postulantibus exhiberi præcipe : et idoneos qui hæc exequantur constitue . Tunc Constantinus imperator dixit : constat omnes culturas homines in superstitione diligere : nec posse ibi diuinitatis gloriam inueniri ubi mendax assertio deum dicit hunc esse quem fecit . Nisi inuisibilis iste est : qui inuocatus aquis hanc uirtutem concedit : ut peccata animarum abluat : et corporibus conferat medicinam : constat hunc esse uerum deum : cuius apostoli me uisitare dignati sunt : et hoc monere : ut unum deum credam saluatorem meum . Cum hæc et his similia Constantinus Augustus diceret : imposuit sanctus Syluester manus super caput eius : et benedicens eum : ac faciens cathecuminum abiit . Post hæc sanctus Syluester conuocatis omnibus presbyteris ac diaconibus cum uniuerso clero indixit ieiunium biduanum omni ecclesiæ dicens : Si Nineuitæ in prædicatione Ionæ per triduanum ieiunium iram dei et offensam pro meritis debitam euaseruut† : quanto magis nos in prædicatione domini nostri Iesu christi persecutiones euadimus . lucramur animas pacem dei ecclesiis acquirimus : et idolatriis finem imponimus : hoc autem facimus si ieiuniis et orationibus hoc a domino impetremus . Factum est unanimiter ieiunantibus cum ornamento orationis idest die sexta et sabbato in quo claudendum erat ieiunium uespertino tempore dixit Constantino regi Syluester episcopus : audi me rex : piscina ergo hæc omnis aqua quæ est sub cælo siue maris siue fluminum siue fontium siue paludum siue stagnorum : tanta uirtus est nominis Christi : ut ad inuocationem eius peccata uniuersa abluat : et salutem conferat : quam fides credentis exposcit . Vocansque ipsum secum Augustum ieiunantem monitisque instruens constantia erigens : fide certissimum reddens : Vespere itaque sabbati iubet lauacrum caloris sui in palatio lateranensi augustum ingredi : quo ingresso ipse ad benedictionem fontis accedit . Benedicto itaque fonte Augustus introgreditur : quem Syluester episcopus suscipiens || interrogat : si ex toto corde credit in patrem et filium et spiritumsanctum : qui cum credere se clara uoce diceret : et pompis se diaboli renunciare toto corde assereret : mersit confitentis Augusti in piscina totum corpus : atque sancto superfundens chrismate dixit : qui

mundasti in Iordane lepram Naaman Syri : et cæci nati oculos per aquam aperuisti : et Paulo apostolo per baptismum oculos quos amiserat reddidisti : et fecisti nobis ex persecutore doctorem : tu emunda hunc seruum tuum omnium terrenorum principem Constantinum . Et sicut animam eius ab omni stercoræ peccati mundasti : ita corpus eius ab omni hac lepra elephantiæ ablue : ut ex persequente credentem et defendentem se habere uirum hunc sancta tua ecclesia glorietur per dominum nostrum Iesum christum filium tuum : qui tecum uiuit et regnat in unitate spiritussancti in sæcula sæculorum : Cumque omnes respondissent : amen : Subito quasi fulgur lux intolerabilis per mediam fere horam emicuit : quæ omnium et mentes exterruit : et aspectus obtexit : et ecce sonus in aqua quasi sartaginis stridentis exortus ueluti piscium ingentium Christus totam illam piscinam fontis repletam ostendit . Ex qua mundus surgens Constantinus imperator Christum se uidisse confessus est . Et indutus uestibus candidis prima die baptismatis sui hanc legem dedit : Christum deum esse uerum : qui se mundasset a lepræ periculo : et hunc debere coli ab omni orbe romano . Secunda die dedit legem ut qui Christum blasphemasse probatus fuerit puniretur . Tertia die promulgauit legem : ut si quis christiano fecisset iniuriam : omnium bonorum suorum facultatem dimidiam amitteret . Quarta die priuilegium ecclesiæ romanæ pontificique contulit : ut in toto orbe romano sacerdotes ita hunc caput habeant : sicut omnes iudices regem . Quinta die in quocumque loco fuerit fabricata ecclesia consecrationis suæ hanc uirtutem obtineat : ut quicunque reus ad eam confugerit : a iudicis periculo qui in præsenti fuerit defensetur . Sexta die dedit legem : nulli intra muros cuiuscumque ciuitatis | dari licentiam ecclesiam construendi : nisi ex consensu præsentis episcopi : quem sedes apostolica probasset antistitem . Septima die omnium possessionum regalium decimas manu iudiciaria exigi ad ædificationem ecclesiarum . Octaua die processit albis depositis totus mundus et saluus : et ueniens ad confessionem apostoli Petri ablato diademate capitis totum se planum proiiciens in faciem tantam illic lachrymarum effudit multitudinem : ut omnia illa insignia uestimenta purpurea infunderentur : Dans uocem inter amaras lachrymas quibus se errasse : se peccasse : se reum esse de persecutione sanctorum commemorans : et ob hoc non se esse dignum eius limina contingere : Cumque ingenti gemitu hæc exclamaret : quantus ibi ab omni populo lachrimarum fusus est numerus : quis memorare sufficiat ? Erat autem tale gaudium flætibus plenum : quale solet esse in caris mortuis suscitatis aut in his : qui euaserunt naufragia : aut in his qui uicinos dentes euadere potuerunt . Verum quoniam de his longum est enarrare : dicamus quid prima die processionis suæ egit : Exuens se chlamydem et accipiens bidentem : terram primus aperuit ad fundamentum basilicæ construendum . Dehinc in numero duodecim apostolorum duodecim cophinos plenos suis humeris superpositos baiulauit de eodem loco : ubi fundamentum basilicæ apostolis debuerat fundare : et ita gaudens et exultans in carruca sua una cum papa residens ad palatium rediit . Altera uero die similiter intra palatium suum lateranensem basilicæ fabricam cœpit : dans talem legem : quæ in his uerbis concluditur . Sit omnibus notum : ita nos Christi cultores effectos : ut intra palatium nostrum templum eius nomini construamus : in quo populus christianus una nobiscum conueniens deitati eius gratias referamus . Hac itaque lege data constituit atque edicto pendente proponi iussit : ut si quis pauper christianus fieri uoluisset de facultatibus regiis uestimenta candida et uiginti solidos de archa regis acciperet . Hoc autem factum est : ne cupiditas imperaret fallaciam : et || non credentibus sed temptantibus istis donis proficeret . Tanta autem eo anno credidit multitudo : ut uirorum numerus baptizatorum ad duodecim millia tenderetur excepta mulierum populositate et infantium . Sic quoque ex uno latere crescebat dei populus in gloria : ut ex altero paganis confusio nasceretur . Igitur cum et senatorum caterua huic relligioni sanctæ fidem nullus adhiberet : nec ob hoc irasci alicui . Augustum papa permitteret : præcepit Augustus sibi in basilicam excelsum tribunal statui : et senatum ac populum romanum hac uoce affatus est : profanæ dissensiones mentium ideo nulla ratione salubre consilium sumunt : quia profunda ignorantiæ circundantur caligine : et nullus eas clarus ac serenus ueritatis splendor illuminat . Aperiendi sunt ergo lumine scientiæ oculi animorum et diligenti est examinatione cernendum : istos deos nec dici debere : nec credi : qui ab hominibus facti noscuntur . Non enim dii sunt : sed homines magis ipsi eorum

dii dici possunt : quos ipsi plasmauerunt . Denique si quid aliquo casu in his læsum fuerit : homines qui sua eos arte fecerunt : sua eos nihilominus arte restaurant . Sunt ergo homines : ut dixi : dii eorum qui dum non essent eos fecerunt : et dum fecissent : læsi ab eis restaurantur . Vnde coniecturam summens mecum omnibus ad culturam ueri dei exhibeo : quod in me quoque factum aspicitis ipsi et probatis : Nisi enim ipse esset deus Christus : qui me fecit : non utique quod ab alio factum fuerat restaurare ualuisset . Probatur ergo humanum genus huius dei esse figmentum : qui restaurat lapsum : fractum solidat : sublimat allisum . Sicut uniuersa ista idola quæ hominum figmenta sunt : ideo hominum auxilio cum læsa fuerint reparantur . Habeant itaque habeant iam finem isti errores . abdicetur ista superstitio : quam ignorantia concepit : stulticia nutriuit : et aluit . Adoretur deus solus : qui unus et uerus regnat in cælis . Desinamus hos colere : a quibus saluari non possumus : et quos læsos ipsi saluamus . Cessemus ab eis flagitare nostri custodiam : quos no | stri custodia tuemur ne pereant . Quid miserius quam æs lapidesque adorare et ferrum ? Sit itaque omnibus gratum : quod sum a Christo quem negabam pristinæ redditus sanitati : et ab isto errore ipso domino Iesu christo auxiliante cessamus . Et quoniam sapientia romanorum non fallitur : istum deum excolat : a quo ipsa custodiatur : non quem ipsa custodiat . Verum ne longa oratio omnes uos intentos extendat : quid constituendum censui breuiter pandam : Patere uolumus christianis ecclesias : ut priuilegia quæ sacerdotes templorum habere noscuntur : antistites christianæ legis assumant . Vt autem notum sit uniuerso orbi romano uero deo et domino Iesu christo nos inclinare ceruices : intra palatium meum ecclesiam Christo arripui construendam : ut uniuersitas hominum comprobet : nulla dubietatis in corde meo uel præteriti erroris remansisse uestigia : Cumque in isto uerbo fuisset eloquium : uox populorum per tria horarum spatia hæc sunt : qui Christum negant male depereant : quia ipse est uerus deus . Dictum est tricies . Item unus deus christianorum . Dictum est quadragies . Item templa claudantur : et ecclesiæ pateant . Dictum est decies . Item qui Christum non colunt : inimici Augustorum sunt . Dictum est quadragies . Item qui saluauit Augnstum† : Ipse est uerus deus . Dictum est tricies . Item qui Christum non colunt : hostes romanorum sunt . Dictum est decies . Item qui Christum colit : semper uicit : Dictum est quadragies . Item sacerdotes templorum ab urbe pellantur Dictum est quadragies . Item qui adhuc sacrificant diis : ab urbe pellantur . Dictum est terdecies . Item iube : ut hodie repellantur . Dictum est quadragies . Ad hanc uocem Imperator silentium petiit : quo facto sic allocutus est populum : Inter diuina humanaque seruitia hoc interest : ut humana seruitia coacta sint : diuina autem uoluntaria comprobentur . Deus enim quia mente colitur : et sincero hominis ueneratur affectu : spontanea eius debet esse cultura . In hoc enim apparet : quia uerus deus est : quod per tanta sæcula contemptori || bus suis non iratus finem imposuit : sed propitium se esse qui coli debeat demonstrauit indulgendo crimina : et salutem animabus et corporibus conferendo . Sit ergo omnibus notum : non necessitate coactos : sed suo iudicio liberos posse fieri christianos nec humanum metuentes imperium ad dei culturam accedere aliquos oportere : sed rationabili consyderatione magis rogare : uti christianorum numero applicentur ab iis : qui huic sacratissimæ legi deseruiunt . Iustum et enim uerumque conspicimus : ut sicut petentibus culpa est : si negetur : ita non petentibus si tradatur iniquum . Nec hoc aliqui metuant : quod a nostra gratia diuellantur : si christiani esse noluerint . nostra enim clæmentia talis est : ut opere non mutetur . Vnde hoc consyderandum est : quod magis nobis adhærebunt in amiciciis ii : qui spontanee ad christianam legem uenire uoluerint . Tunc omnibus populis et christianis et paganis hanc legem laudantibus : et uitam Augusto optantibus iteratus clamor populi factus est diutissimus . Et cum finis huius rei factus fuisset : reuertenti Augusto ad palatium tota ciuitas cereis lampadibusque repleta coronata est : erat enim omnibus gaudium : quoniam lex talis processerat : quæ nullum ad culturam impelleret : nullum a Christi cultura repelleret . Fit uox læticiæ per uniuersas ecclesias . honorantur uniuersa sepulchra sanctorum : omnesque confessores qui cathenati ad diuersa fuerant exilia tracti : cum gloria et honore regio ad patrias proprias reuocati amici effecti sunt regis . Cætera quæ facta sunt uel dicta prætero† : ne pro ipsa prolyxitate fastidium lector incurrat : sunt enim alia plura et utiliora : quæ præterire non debeo . Exigit enim hæc historia : ut ad Helenam imperatoris matrem

flectam articulum : et hoc ordine ad finem huius operis attingam . Cur autem hoc faciam : epistolæ ab ea conscriptæ textus ostendit : circunuenta enim a Iudæis cum esset in Bythinia in partibus orientis cum duobus nepotibus Augustis Constante et Constantio et pene Iudæa fieri potuisset : huiusmodi ad eum | scripta transmisit . Domino semper Augusto filio Constantino mater . Helena semper Augusta : ueritatem sapientis animus non recusat : nec fides recta aliquando patitur quancumque iacturam beniuolentiæ diuinæ reputari debere : quod meruisti simulachrorum figmenta deserere : Sed errori applicamus humano : quod Iesum nazarenum deum credere uoluisti : et hunc dei filium esse in cælis estimare : qui a Iudæis extitit oriundus et magus accusatus sententiam crucis accipienpo† defecit . Vnde ad ueritatis lumen scias attingere cupientibus : alteram uiam esse non posse : nisi hebreorum acceperint legem . Pietati autem tuæ ideo sanitas reddita probatur : quia tu primus inter Augustos idolis renunciasti . Deus ergo uerus qui est deus Iudæorum ut ostenderet illos : quos recusasti non esse ueros deos fecit te saluari : ut deposita formidine simulachrorum probes eos nec sanitatem conferre propicios : nec iratos auferre . Huius erroris finem deserentem deseruit pietatem tuam infirmitas . Nunc ad deum omnipotentem accedentem uirtus comitabitur tecum : quæ superari non potest . Hunc ergo cum cœperis colere : obtinebis dauiticum clæmenter imperium et Salomonis sapientissimum et pacificum regnum . Eruntque tecum prophetæ : cum quibus locutus est Deus : et omnia quæ per eos poposceris impetrabis . Vale domine Augustorum pater semper Augustæ fili Carissime : et prosperis ad uota successibus polle . Ad hæc rescripta sunt huiusmodi . Dominæ semper Augustæ matri Helenæ filius Constantinus semper Augustus . Qui moderatur sæcula et disponit totius mundi suffragia : quibus alimur : et sustentamur et sumus : per se quidem aspiramenta uiuificat : sed per pectora principum suis iura sæculis dictat . Quanto igitur excellentiorem locum tenemus inter homines : tanto omnium patemus aspectibus . Omnium itaque mortalium oculi omnium iudicia omniumque uota nostrum uelle nostrum nolle consyderant : Et ideo domina semper Augusta non solum irrepræhensibile sed etiam || laudabile debet esse : quod uolumus Et uere non totum bonum quod uolumus nouimus . Hæc autem quæ dixerim in actibus nostris intendant . Deum uero intelligere supra intellectum nostrum eminet . Ipsa erroris nostri testantur iudicia : quia putauimus deos esse : quos nostro iussu factos ab artificibus cernebamus . Cesset ergo in hac definitione nostra præsumptio : ita ut sacerdotes iudaicæ sectæ et christianæ relligionis pontifices in unum conueueniant† : et nobis præsentibus mutua sensuum suorum altercatione agentes ad ueritatis nos faciant indaginem peruenire . Sic fiat : ut ex sacris uoluminibus tam sibi inuicem quam etiam nobis ueritatem ostendant . Ad cuius ueritatis culturam una nobiscum omne sæeulum† inuitemus . Vale domina semper Augusta . et cum filiis meis prosperis successibus polle . Tunc congregati sunt omnes pharisæi omnesque Iudæorum principes et doctores ad Augustam Helenam imperante illis Augusta : ut eligerent eruditissimos uiros : qui cum ipsa ad urbem pergerent Romam . Dixitque eis ipsa Augusta quod legis tenendæ ueritas a principibus uel a toto sæculo non posset : nisi una pars alteram sibi contrariam rationabiliter superauerit . In hoc tempore Isachar summus pontifex Iudæorum erat : qui simulata infirmitate se quidem ab ista profectione subtraxit : Misit autem duodecim scribas et phariseorum magistros ac principes : qui non solum hæbræo sed græco latinoque sermone elimati ad altercationem propositam idonei probarentur . Constantino itaque Augusto et Licinio quater consulibus idibus martiis facta est congregatio chrictianorum† et Iudæorum in urbe Roma in qua diuersarum prouinciarum fuerunt episcopi numero septuagintaquinque . Iudæorum uero sacerdotes centumuiginti exceptis his duodecim : qui ab Isachar pontifice altercationis gratia fuerant destinati . Præsentibus itaque Augustis uniuersisque aliis potestatibus intra palatium in basilica factus est conuentus : In quo auditores esse uoluerunt Constantinus Augustus cum Helena matre Augusta : Iu | dices uero hos dederunt : qui nec Iudæi essent nec christiani : ne unus e duobus gratiam suæ parti seruaret : et ueritatem pro suo cultu assereret . Fuit datus cognitor quidam philosophus Craton nomine tam græco quam latino eruditus magisterio : qui nunquam suaderi poterat ut ab aliquo aliquid loco muneris accepisset : nunquam in iudicio persouam† regis uel cuiuscumque potestatis accepit . Et cum amicus esset terreni imperii : nihil uoluit habere terrenum . Rhetoricam tam græcorum quam latinorum librorum per plures

annos nobilitati romanæ legit : quique ut dictum est cum nihil penitus haberet futuro diei necessarium : sua esse asserebat quæcumque libenter oculis aspiceret . Astruens omnes diuites cum sollicitudine opes custodire : et ipse securitatem frui memorabat. Aiebat ergo : Si propterea diuites utuntur auro et argento et gemmis et sericis uestibus : ut ab hominibus aspecti : oculis placeant populorum cum sua sollicitudine securis placent . Cum omnibus itaque officiis et ornamentis suis diuites eorum seruiunt oculis : qui diuites esse contemnunt : et eorum in se affectus excitant : qui esse diuites concupiscunt : Diuitem uero non facit amor pecuniæ sed contemptus : qui beniuolentiam suam gratis ex indulgentia ingratis exhibet : et quidquid possit non lædendo inimicos suos sed adiuuando inimicos ostendit . Huic socius datus est Zenophilus præfectorius uir : qui consulatum idcirco promeruit : quia cum sæpenumero præfectus fuerit : nunquam penitus ab aliquo munus qualecumque suscepit : Nec posse iustum existere definiuit : qui quacumque occasione diuitias ad se uenientes exciperet . Horum itaque duorum rata assertio id est Cratonis philosophi et Zenophili illustris pro lege habebatur : Nec ut assolet inueniebatur quispiam : qui in ambiguo poneret : quod eorum fuisset iudicio terminatum . Vnde etiam cum omnium uoluntate maiorum minimorumque hos cognitores Augusti altercationibus iudaicis et christianis defensionibus posuerunt . Quod uero initium disputationis extiterit : qui ordo sermonum fuerit : quisue || finis euenerit : secundi libri textus ostendit : In quo fidei tropheum erigitur : et aduersus pugnas iudaicæ superstitionis domini nostri Iesu christi pars accepit palmam .

LIBER SECVNDVS GESTORVM EORVMDEM .

Prioris libri hic finis occurrit : qui promitteret secundum hunc librum Iudæorum contentiones christianorum defensionibus obuiantes . Datis ab Augusto Constantino iudicibus eo usque prostratas : ut uictoria Christi ab iis sumeret palma† : qui neque iudaicæ superstitionis polluerentur ellogio neque christianæ relligionis titulo ornarentur . Vt cum unum e duobus uerum esse astruerent : non illis hoc potuisset opponi : quod professionis suæ gratia ducti partis suæ defensores existerent . Craton igitur philosophus et Zenophilus illustres dantur iudices in conspectu Augustæ Helenæ matris Augusti : quæ a Iudæis mota fuerat : et ipsius Augusti Constantini qui primus inter romanos reges Christi cultor extabat . Adsunt cateruæ Iudæorum cum duodecim illis pseudo apostolis . Adsunt etiam et episcopi cum papa Syluestro . Igitur conuentu facto Augusto cum Augusta matre sedente : omnes qui intererant sedere iussit : et silentium imperatum est : In quo silentio primus Constantinus imperator ita affatus est : non solum præsentis sæculi salus in isto conuentu tractanda est et quærenda : uerum etiam euo omni et posteritati nostræ necessario requirenda . Et quoniam clæmentia Augustæ matris meæ pro uniuerso mundo sollicita Iudæorum uidetur rationi accomodare consensum : saluo quod in isto conflictu probauerit : uerum credat et teneat . Me quoque christianissimum factum uniuersus orbis romanus didicit . Decet enim nostrum una nobiscum silentio dicendi et alcercandi qualitatem audiendo cognoscere : et iudicium datorum iudicum æquitatis lance pensare : et honestis rectisque definitionibus fauorem ostendere . Ministris uero quibusque obiectionibus conscientiæ testimonio condemnationem opponere . Sedeat cui lex ista non displicet : et una nobiscum cum reue | rentia cælestis regis idest omnipotentis dei : cuius causa agitur : audiat et probata comprobet : et condemnata condemnet . Hac enim moderatione et ad noticiam ueri dei omnes peruenient : et nobis gratissimi ernnt† et suarum animarum salutem inuenient : Cumque hæc dixisset Augustus : placere dictum regis uniuersus populus clamat . Factoque post clamorem silentio : Craton philosophus ita alloquitur : uniuersi qui in isto conuentu astatis audite patienter . Breui quidem sermone apologeticum faciam : qui rerum sit earum duntaxat : pro quibus Augustæ sollicitudo iudices me et Zenophilum illustrem uirum inter disputantes instituit . Ipse etenim clæmentissimus imperator amore christianæ legis ductus defensor esse potest huius fidei . Iudex tamen ideo esse recusauit : quia ipse se legem talem dedisse commemorat : ut eiusdem sententiæ non possit quispiam effici et defensor et iudex . Ita quoque clæmentissimi mater imperii Augusti defen-

sionem iudaicæ sectæ arripuerit : ut defensio ex utroque latere summa æqui ltbratione† constructa sit . tunc hinc atque illinc Augustæ definitione punientur ii : qui ad disceptationem parati cernuntur . Sit ergo omnibus notum nos iudices datos neque christianam legem neque iudaicam didicisse : Sumus enim sapientiæ amatores : non minus quam iusticiæ et tales : qui pro æquitate malumus occidi quam uinci . Omnium ergo hic causa tractatur . Omnium ora clausa sint . Omnium aures pateant : ut uniuersi et disputantium sensus intelligant : et iudicantium sententiam cernant .

Zenophilus dixit : meo ore locutum esse datum mecum iudicem constat . Inquirere tamen uolo : qui sunt : quibus datur loquendi facultas : ne ad iniuriam iusticiæ confusus sermo hinc indeque prosiliat . Vni enim damus loquendi potestatem : quo tacente e diuerso dmiittimus† dari ab uno responsum : Quod cum fuerit custoditum : secura ac libera curret oratio . Eritque certum quod dicetur ab altercantibus : certissimum quod ab iudicantibus definitum : Placere sibi uniuersi clamant : quæ ab utrisque dicta sunt . || Et finito clamore nomina et dignitates eorum qui disceptaturi sunt requiruntur . Duodecim igitur Iudæorum electi sunt primus . Abiathar et Ionas rabites eorum : Zodolias et Aunan scribæ ipsorum : Doech et Chusi Didascali synagogæ . Beniamin et Aroel interpretes eorum . Iubal et Thara legisperiti ipsorum . Sileon et Zambri presbyteri eorum . Hic autem Zambri quantum rerum exitus docet etiam magus artificiosissimus celabatur : per quem etiam credebatur sibi de uictoria suæ partis præsumere . Sed confidentia in homine posita in ruinam conuersa est . Spes uero Syluestri in deo posita et tropheum obtinuit et triumphum . Denique cum dicerent duodecim debere a parte christianorum eligi : qui contra duodecim Iudæorum disputatores in conflictu disputationis astarent : obstitit Syluester episcopus dicens : non in multitudine confidimus hominum de sola dei potentia præsumentes . Vnus est enim deus omnipotens cui dicimus : exurge domine iudica causam tuam . quanto autem humanis minuimur auxiliis : tanto iuuamur diuinis . Ad hæc Abiathar dixit : hanc sententiam noster propheta ceciuit† : Si qua ergo sunt : quæ pro uestræ partis defensione proferas : non de nostris codicibus sed de tuis proferre conuenit libris : Cui sanctus Syluester ait : omnia hic hodie de uestris a nobis libris proferenda sunt aduersum uos : sicut e contrario a uobis aduersum nos de nostris si potueritis erunt aliqua proferenda . Tunc enim conuincimur rationabiliter : si pars quæ e diuerso est cum suorum fuerit auctoritate conuicta dictorum . Zenophilus dixit : digna et rationabilis est ista sententia : ut is qui confligit suæ legis auctoritate compellatur non negare : quod credit : Imperator dixit : iusta defensio est : qua compellitur unusquisque suæ religionis auctoritate conuinci . Abiathar dixit : principale negotium est : ut deum quem colimus quia unus est per legem ipsius ignorare doceamur ab iis : qui tres deos esse confitentur . Et ideo de nostris libris qui unum deum colimus iste quæ proferat ignorat : sicut ignorauit et ille : qui | se filium dei cum diceret : iuste a nostris prioribus crucifixus est : quem iste ipse mortuum non negat et sepultum : addit tamen hoc : quod tertio die resurrexit : et in cælos ascendet† . Ecce duos deos idest patrem qui istum genuit filium : qui crucifixus est : et spiritumsanctum : quem dicunt sibi eius apostoli apparuisse . Ecce tres deos conuincitur credere . In nostra autem lege clamat uox dei nostri dicens : uidete : uidete : quoniam ego sum deus : et non est alius præter me . quomodo isti dicunt tres deos esse colendos : patrem quem nos credimus : filium quem parentes nostri crucis patibulo damnauerunt : tertium uero spiritumsanctum ? Cum ergo tres deos istos colant : ipsum qui se solum dixit reprobant et offendunt . Zenophilus dixit : Si hæc uox dei est dicentis : non est alius præter me : compellitur Syluester docere non tres deos colere sed unum : ut possit hanc trium deorum obiectionem euadere . Syluester episcopus dixit : nos unum deum colimus : et fatemur : sed non in tanta sollitudine diuinitatem eius esse dicimus : ut gaudium filii uero haberet : filium autem illum dicimus : de quo propheta uester dixit : uerbo domini cæli firmati sunt : et spiritumsanctum illum dicimus : de quo propheta dicit : spiritu oris eius omnis uirtus eorum . Filium illum dicimus : cui per prophetam clamat pater : filius meus es tu : ego hodie genui te . Deus euim† hodie habet : et cras non habet : sicut ego aut tu : sed semper esse habet . Sicut ergo sine initio deus est : ita sine initio pater est : et sicut sine initio pater est : ita sine initio est iste : cuius pater est : cui dixit : faciamus hominem ad similitudinem et imaginem nostram . Si enim dixisset faciam ad imaginem et similitudinem

meam : uidebatur fortasse solitudinis suæ indicasse uestigia . Nunc autem quod dixit : ad imaginem et similitudinem nostram euidenter et filium et æqualitatem expræssit : nihil enim recipit maius : quia ætatis incrementa non nouit : nihil minus : quia ubi crescat non habet . Ipsumque uoluit humani generis esse redemptorem quem secum uoluit communi consilio et facto || rem . Nam hæc uox illius aduersum incredulitatem Iudæorum qui uidentes eum dixerunt : non est hic a deo . Ergo ut occultam suæ diuinitatis maiestatem ostenderet : taliter eorum incredulitatem confudit : cum diceret : si nec prophetarum uerbis nec meis uultis credere : quia ego sum deus : uel oculis uestris credite uidentibus me esse deum : qui mortuos suscito . Idcirco et prophetæ uestri testati sunt dicentes : hic est deus noster : qui uiuificat mortuos . Præsciens ergo incredulos fore Iudæos præmonens ait : uidete : uidete : quia ego sum et non est alius præter me . ego occidam : et uiuere faciam : percutiam : et ego sanabo . Abiatar respondit : discue† euangeliorum uestrorum uolumina : et ostende : si alicubi inuenis Christum tuum aliquem occidisse : cum legas mortuos aliquos suscitasse . Ait enim uox ista dei : ego occidam : et uiuere faciam . Craton dixit : si constat Christum suscitasse mortuos : constat eundem esse : qui etiam mortem uiuenti intulerit : nam pars ista de qua iudæus causatur idest interfectionis humanæ : possunt hoc et bestiæ facere : et uarietas quæ humanis casibus subiacet : Mortuum uero suscitare non nisi solius dei est . Abiathar dixit : uirtus legis nostræ semper habuit uiros uirtutum : qui uaria signa fecerunt : nam et elementis imperauerunt : et maria diuiserunt : et fluenta fluminis post se currere præceperunt : et solem stare iusserunt : et ignem de cælo super homines iniquos et super sacrificia deiecerunt : et mortuorum cadauera ad uitam quam amiserant reuocarunt . Nullus tamen horum qui hæc signa et prodigia fecisse leguntur sibimet honorem diuini nominis usurpauit : quod iste fecit : quem Iesum dicunt isti Christum et deum et dei filium confitentur . Syluester episcopus respondit : hoc interim negare non potes : quod archisynagogi nostri filiam mortuam suscitauit : et unicum uiduæ in feretro portatum mortuum matri uiuum reddidit : Etiam in sepulchro quatriduanum habens corpus fætens lazari ac si dormientem suscitauit . Mentior si historiographus uester Iose | phus non de illo ista facta retulerit . Sed et Carphus princeps sacerdotum uestrorum in isto facto idest in suscitato Lazaro libare exarserit . Si non et pylatus hæc eadem sua relatione significauerit . Tum Abiathar : an fuisse et alios dixi : qui ista facientes seruos esse se dei memorant . Nam iste deum se esse asseruit . Ad quem Syluester : meminisse inquit debes Aaron et Mariam contra Moysen superbientes lepræ plaga fuisse percussos . Abiathar ita est inquit . Tum Syluester : et hoc ad animum reuoca Dathan et Choreb et Abiron uiuentes a terra propter superbiam deuoratos . Abiathar dixit : ita est . Cui Syluester : nec hoc præterire te patiar : quod Saul Christus effectus per superbiam spiritu dæmonum mancipatus sit : Dixitque Abiathar : ita est . Respondit Syluester : si ita est : imo quia ita est : uideant iudices : utrum nam iste qui cæcis uisum reddidit : surdis auditum : dæmonia ex obsessis corporibus eiecit : maria siccis pedibus ambulauit . tempestates tranquillas fecit paralyticos curauit et suscitauit mortuos : si mentiri potuerit : et se deum dicere : quod non erat . Cum utique deus iste hebreorum nunquam passus est superbientes absque plaga aliqua acerrima præterire : Hunc uero dicentem se deum uirtutum efficacia comitabantur : Dicebat denique incredulis : quos docebat : si uerbis meis non creditis : uel uirtutibus credite . Zenopnilus† illustris et .† Craton philosophus dixerunt : constat Abiathar a Syluestro superatum : si contigerit deum hebreorum semper superbientibus restitisse : sed et ipsa ratio euidenti documento suppeditat : iste si deus non esset : et deum se diceret : non potuisset nec conferre uitam mortuis ualeret . Tunc amoto Abiathar : Ionas ad conflictum admissus est : qui et dixit : rationi humanæ non committenda fides : quæ deum hunc suadeat credi : quem tu unum deum patrem et filium et spiritumsanctum confitearis . Syluester episcopus dixit : cum legas in tuis libris de patre : quod dicat filio : filius meus es tu : et filius : quod dicat patri ipse inuocauit me : pater meus es tu : quare quasi || nouum aliquid non existimas in hac sancta trinitate asserere Nam de spiritusancto audi prophetam tuum orantem : spiritumsanctum tuum ne auferas a me : et alium prophetam dicentem : spiritus a me prodiit† : et alius propheta dicit : spiritu oris eius omnis uirtus eorum idest cælorum . Ionas dixit : Nunc ordo disputationis nostræ ab Abraam patre nostro sumat exordium : qui ita carus deo extitit : ut etiam

amicum suum deus illum diceret : et generationem eius : idcirco in ea parte corporis consecraret : quia genus hoc nostrum naturaliter existeret . Denique cum diuideret deus gentes : et fines earum iuxta numerum statueret angelorum : facta est portio ipsius generatio hæc nostra in Iacob : qui fuit filius Abraæ . Mentior si ita esse scriptum præsens potuerit negare Syluester . Ad quem ille respondit : ita esse negare non possumus : sed cur hoc in medium attuleris ignoramus . Ionas dixit : quoniam circoncisio est : quæ sanctificat colentes deum nostrum : Denique si quis ex gentibus huic nostro populo sociari uoluisset : nisi circoncisus esset : id fieri penitus omnino non posset . Syluester episcopus respondit : recte ista diceres : si absque circoncisione nullus potuisset iustus uel scribi uel credi : Nam et Abel primus deo placuisse legitur : et iustissimus extitisse . Enoch sanctissimus memoratur : siquidem translatum illum e medio mortalium diuino testimonio credimus . Noe quoque ipse deus ita loquitur : te inueni iustum in ista gente . Sem et Iaphet ipsius Noe assertio et benedictio approbat iustissimos . Tunc fuisse Melchisedech summum sacerdotem dei sacratissima testatur scriptura . Ecce hos omnes absque circoncisionis uulnere deo placuisse si negaueris conuinceris . Si non negaueris : simul et te in hac parte superatum statuti iudices data sententia roborabunt . Ionas dixit : memor esse debes : quia initium assertionis meæ hoc fuerit quod et dixi : ab Abraam lineam disputationis assumere . Tunc Syluester : Priores Abraam ideo nominaui : ut respondeas utrum nam ipse sit deus : | cui etiam Abraam complacuit . Ionas dixit : ipse est . Syluester episcopus respondit : interrogo nunc : per quid placuisse istos deo commemoras : per circoncisionem an per iusticiam ? Ionas dixit : per iusticiam . Respoudit† Syluester : Iusticia dei ipsis in solis operibus bonis comprobata est : aut etiam per fidem qua crederent deum hunc esse : qui cælum tæramque ac mare cum omnibus quæ in eis sunt creauerit ? Et Ionas : nec inquit poterant iusti dici : nisi iustum crederent deum . Ad hæc Syluester : Quid nunc interrogem diligenter Augusta intendat . Abraam quoque quando illi dictum est a deo : exi de terra tua : quando illi dictum est a deo : noli timere ergo tecum sum : quando flagellauit deus domum Abimalech regis propter eum : et dictum est regi : scias quia propheta meus est : uide ne contingas eum : sed magis oret pro te : auferatur a domo tua sterilitas . Dic mihi quando uidit angelos tres : et adorauit : et salutauit : et in ipsa trinitate unum dominum memorauit : dic mihi : quando credidit : quod filium consequi posset grandæuus et senior centenaria ætate iam frigidus : et credidit : et reputatum est ei ad iusticiam : et amicus dei appellatus est . dic obsecro iam circoncisus erat : an adhuc circonsionis† nulla nunquam mentio extiterat ? Ad hanc interrogationem Ionas conticuit : Et cum insisteret Syluester : ut daret interroganti responsum : cœpit dicere : ego tecum de circuncisione ago : quia deus generationi hæbreorum attribuit : ut doceret hoc uirtutis indicium : quod generi nostro concessum est . Syluester episcopus respondit : noli mihi anfractus obiicere : et quasi anguis lubricus quo citius coarctaris effugere : atque ab interrogationibus non finitis abscedere . dic quod tuæ initium interrogationis assumpsisse conuinceris : Abraam dixisti disputationis tuæ normam arripere . Dic ergo : quando Abraam his uniuersis uirtutibus promotus dei est amicus effectus iam circuncisus erat an incircuncisus . Ionas dixit : nondum fuerat circuncisus . Syluester episcopus respondit : Interim amicum illum dei fides fecit . dic nobis : quid || plus ab amico per circuncisionem promeruit : si nihil signaculum fidei potest esse circuncisio generi necesarium ? Præscius enim deus generationem hæbreorum per uarias gentes diffundi : signum carni eorum attribuit : ut tanti uiri generatio per hoc signata ostenderet patrem suum Abraam per fidem et iusticiam ad dei amicicias peruenisse . Craton philosophus et Zenophilus illustris dixerunt : prærogatiua circuncisionis excludit finem iusticiæ . Docuit enim Syluester non de ciruncisione† deo Abraam sed de fide et iusticia placuisse : Vnde si aliud Ionas quod proferat non habet : ammotus abscedat : Sciat enim propositionem suam Ionas euidentissime superatam . Constantinus Augustus dixit : miror Iudæum scripturis ex omni parte superatum . Amoto itaque Iona : accessit Godolias : qui et dixit : nos de illo agimus quem natum in euangelii eorum scriptura legitur creuisse ætate et sapientia : temptatum a diabolo : post etiam uænundatione discipuli traditum : tentum : tractum : illusum : flagellis cæsum : cibatum felle : potatum aceto : spinis coronatum : expoliatum : uestimenta eius in sortem cecidisse : crucifixum mortuum et sepultum . Ad hæc Syluester respondit : Hæc

omnia prædicta esse de Christo uestris hodie scriptis docebimus . Nam nasci eum ex uirgine sanctus Isaias hoc ordine prædixit : Ecce uirgo in utero concipiet : et pariet filium : et uocabitur nomen eius Emanuel . quod uero inter homines conuersatus sit : audi tuum prophetam dicentem : hic deus noster : et non estimabitur præter eum : qui ostendit uiam salutis Iacob puero suo et Israel dilecto suo . Post hæc in terris uisus est : et cum hominibus conuersatus est : nam quod temptandus esset a diabolo : et uinceret diabolum : sanctus Zacharias propheta dicit : Vidi : Iesum magnum sacerdotem : et stabat diabolus a dextris eius : et dixit ad eum : imperat tibi deus diabole : qui redemit Israel . quod autem compræhendendus esset : sapientia dei per Salomonem loquitur : Dixerunt inquit impii compræhendamus iustum : quia inutilis est no | bis : Nam quod a discipulo tradendus esset : dicit psalmigraphus : qui edebat panes meos : adampliauit aduersum me supplantationem . Et quod expoliandus esset : et ros† eius in sorte caderet : prædixit sanctus Dauid propheta dicens : diuiserunt sibi uestimenta mea : et super uestem meam miserunt sortem : Nam quod a falsis testibus accusandus esset : prædixit propheta dicens : insurreserunt† in me testes iniqui : quod spinis quidem coronandus esset : prædixit sanctus Hieremias propheta Spinis peccatorum suorum circondederunt me populus hic . Et quod esca fellis cibandus esset et aceto potandus : prædixit sanctus propheta dicens : dederunt in escam meam fel : et in isti† mea potauerunt me aceto . Et quia illudendus esset : prædixit sanctus Hieremias dicens : in illusione factus sum populo huic : Nam quod uinculis eorum ligandus esset : et crucifigendus in ligno : dicit sanctus Hesdras : uinxistis me non sicut patrem : qui liberauit nos de terra aegipti clamantes ante tribunal iudicis : humiliastis me suspensum in ligno : tradidistis me . quod uero sepeliendus esset : sanctus Hieremias dicit : In sepultura enim reuiuiscunt mortui . Tempore autem quo dominus noster Iesus christus in passione emisit spiritum monumenta aperta sunt : et multa corpora sanctorum dormientium surrexerunt : hæc si potueris tu Iudæe probare : quia non a uestris prophetis prophetata sunt : quasi mendacem superabis me .

Si autem uere ista a prophetis sanctis uobis prophetata sunt : tuis crede si meis non credis : quia probaui esse : quæ dicta sunt . Et si hoc tu Iudæe negare uolueris : religionem tuam ipse destrues . Sin uero uera dixisse confessus fueris : et tuos prophetas ueros testes astrues : et nostrum Christum conuictus adorabis . Ad hæc Godolias miror inquit frontem gentilis hominis legis nostræ sibi scientiam usurpantem . Ad quem Syluester : unum ergo e duobus aut deum ueracem probabunt iudices : et te superflua tergiuersatione mentitum : aut deum mentitum : et te posse deo uerius protulisse . Craton et Zenophilus di || xerunt : Vidit nunc Godolias solicismum euidentissimum incurrisse : Aut enim gentiles præsumere non debent scienciam legis uestræ : si hoc deus hebreorum non dixit : aut si dixit deus Abraæ quod in semine eius hereditabunt omnes gentes et promissum suum ipse qui promisit impleuit : superatum te esse in tua obiectione cognosce : si hoc deum promisisse non denegas . Constantinus Augustus dixit : si qua sunt alia proferantur : quia ista satis iuste sunt definita . Recessit igitur Godolias : et accessit Aunan : qui et dixit : omnia quæ de aliquo sancto prædicta sunt a prophetis . Syluester de Christo suo prædicta esse afirmat : unde iustissimum est : ut probare debeat hoc de illo Christo prædictum fuisset per prophetas : ut nasceretur : ut temptaretur ut teneretur : ut contumeliis affligeretur . postremo ut crucifigeretur : ut mortuus sepeliretur . Ad hæc Syluester respondit : necesse ergo nobis erit tuas tibi scripturas exponere : de quibus mihi prius fatearis tuas esse scripturas : et ueras esse : et nullam penitus nebulam falsitatis habere . Aunan dixit : uera esse omnia quæ prophetæ dixerunt omnes scimus : et nullus ignorat : sed tu ad alia dicta alia doces . Cui Syluester : ergo dabis alium quem uirgo concepit : et peperit : dabis alium qui gentes ad tuam legem spiritaliter intelligendam adduxit : dabis alium : qui felle cibatus sit : et aceto potatus : spinis coronatus : crucifixus : mortuus et sepultus : qui tertia die resurrexit a mortuis et ascendit in cælos . Tum Constantiuus† Augustus : Si inquit alterum non dederit : Aunan sciat se euidentissime superatum . Craton dixit : si promissum a deo per prophetas constat hoc : quod in Christo completum est : uidetur Aunan euadendi aditum non patere . Vnde et isto amoto accedat : qui obiiciat : si qua obiicienda sunt : Inhonestum est enim dato responso alia pro aliis quærere : et iustis responsionibus insensatis obiectionibus contraire . Doech quintus dixit : Si ex semine Dauid Christus deus

factus est : quia sanctificatus natus est : baptizari non debuit . hoc enim si | nascendo habuit ut dei filius diceretur : necessarium illi non fuit : ut hoc iterum sibi gratularetur per baptismum euenire : quod iam nascendo extiterat . Ad hæc Syluester : sicut circuncisio finem in circuncisione Christi accepit : ita consecratio initium baptismatis per baptismum Christi suscepit . Non enim sanctificatus est ab aqua baptismatis Christus : sed ipse eam suo sanctificauit ingressu : quam cum intrasset : cælos ei aperiri fecit : quos contra se ipsa aqua clausos habuerat : et spiritumsanctum de cælo uenientem accipere præstitit : ut per ipsum sic lauaret animam a peccatis : sicut per se lauat corpora a sordibus inquinata : et per ipsum discerent omnes credentes in baptismatis unda posse sanctum spiritum accipere . Zenophilus dixit : satisfactum censeo interrogationi tuæ : quod si te aliquid dicturum existimas : quære : At ille conticuit . Constantinus Augustus dixit : non taceret Doech : si haberet contraria : quæ proferret . Sextus Chusi didascalus dixit : Non est ab re : sed ualde opportunum : ut causas nobis partus uirginalis exponas . Ad quem Syluester respondit : legisti in scripturis quia de limo terræ deus fecerit primum hominem : et eiectus de paradiso deliciarum dei ut in labore et sudore ederet panem . Chusi dixit : Ita est . Tum Syluester : ergo exul factus est Adam per præuaricationem : quando inde foras missus est : ubi deliciis affluebat . Chusi dixit : ita est . Et Syluester : dic mihi : terra de qua factus est Adam : incorrupta erat an corrupta ? Chusi dixit incorrupta erat . Ad hæc Syluester respondit : Bene dixisti incorrupta erat : quoniam uirgo erat . Chusi dixit quomodo uirgo erat ? Cui Syluester : si incorrupta erat : uirgo erat . Chusi dixi : ignoro ad quam partem incorruptam aut uirginem dicas : Syluester episcopus respondit : tu non legisti deum dixisse ad Chain : corruptam esse terram : quæ aperuit os suum : et bibit sanguinem fratris eius ? Chusi dixit : legitur . Tum Syluester : ergo uirgo erat ante terra : quia nec maledictionem spinarum acceperat : et sepulchrum corpo || ris humani mortui non habebat : sed nec serpenti data fuerat ad edendum . Chusi dixit : ita est . Syluester respondit : si ita est : imo quia ita est : oportuit enim ex uirgine Maria nouum Adam fieri : qui serpentem temptantem se uinceret : idest qui uictorem Adæ primi hominis uinceret : et hominem de eius captiuitate auferret : Et qui Adæ uictor extitit in paradiso : ipse temptator factus est domini in deserto : et qui uicerat Adam manducantem : uinceretur a domino ieiunante . Nam sicut manducatum est ab Adam suadente diabolo : et omnes qui nascuntur in terra ab Adam morti addicti sunt : ita ieiunatum est a domino : et omnes qui per eum renascuntur : uitæ æternæ restituuntur . Nunc ergo sicut mortem non inueniunt : nisi qui nati fuerint ex carne Adæ et sanguine : ita uitam non inueniunt : nisi renati fuerint ex aqua et spiritusancto : et carnem Christi et sanguinem suæ carni et sanguini sociauerint : qui uicit diabolum : paradisum reddidit : et uitæ æterne ianuas patefecit . Tunc Constantinus Augustus cum iudicibus et uniuersis in laudem clamauerunt Syluestri . Septimus extitit Beniamin dicens : adhuc tempus laudandi Syluestri non est : sunt enim plurima : quæ obiiciamus : Cum ergo de uniuersis satisfactum fuerit : et ipsi manus dantes in laudibus eius uictoriæ prosiliemus . Respondit Syluester : consuetudo illorum qui iniusta defendunt talis est : ut dillationibus studeant : sitque eorum solatium iusticiæ differre uictoriam . Dic ergo : quæ uelis ut agnoscas spiritumsanctum paratum habere in corde nostro responsum . Beniamin dixit : nos de illo agimus : qui natus est Octauiani Cæsaris temporibus : de quo euangelia uestra dicunt : quod temptatus sit a diabolo : et traditus a discipulo : pretio traditionis accepto : et tentus sit a turbis : et pro blasphemiis suis palmis cæsus in faciem : et flagellis in corpore et spinis coronatus in capite : et inter homicidas fixus in cruce : et mortuus et sepultus : cuius monimentum colitis : et dicitis quod surrexit a mortuis : hunc deum dicere quæ ratio faciat non possum appro | bare . Syluester respondit : Excluso Chusi cum quo mihi erat conflictus : nunc ad singula quæ obiecisti ausculta . Cum ergo dicerem semper† fuisse filium dei : ipse dixisti : nos de illo dicimus : qui nuper natus est : et noluisti dicere : qui de uirgine natus est : ne tibi obuiaret propheta tuus : et diceret : hunc esse Emanuel : quod interprætatur nobiscum deus . nam ipse est . de quo omnes prophetæ iudæorum præconati sunt . Denique de natiuitate eius Esaias clamat dicens : ecce uirgo in utero accipiet : et pariet filium : et uocabunt nomen eius Emanuel . Hic ergo natus ex sæmine Dauid secundum carnem : qui prædestinatus est filius dei in uirtute iureiurando iurauerat ad Dauid deus

dicens : de fructu uentris tui ponam super sedem meam : et necesse erat : ut iuramentum suum impleret : ut hunc filium quem antequam esset mundus generauerat : quem uirgo concepit et peperit : corporaret : et esset in eo perfectus deus ante sæcula genitus ex patre sine matre : et perfectus homo ex matre cui non esset pater carnalis : Spiritus enim sanctus uirginis uiscera munda immaculata et intacta ingressus hominem talem fecit eam concipere : ut mundum qui fuerat perditus restauraret : et iste qui est deus dei filius inuisibilis per ipsum uisibilis appareret : essetque inter homines deus per hominem : cui dixit pater de cælis : filius meus es tu ego hodie genui te . Si hoc scriptum in uestris codicibus non est : recusare stude . Si uero scriptum est : tuis potius scripturis quam meis assertionibus crede . Tum Beniamin : cum non de sola natiuitate Christi uestri sed et de illusione et traditione et passione et morte eius interrogatus sis : de sola natiuitate uisus es aliqua intimasse : Et ideo necessarium ducens : ut de cæteris astruas : propterea dixi laudem tuæ differri uictoriæ . Ad quem Syluester respondit : prius est : ut confitearis Christum natum me iuste definisse : ut cum fuerit uictoria mea de natiuitate eius posita : de sola tecum passione confligam . Constantinus Augustus dixit : iusta interrogatio antistitis : fateri enim debes de iis quæ dicta || sunt si recte definita sunt : nec de eodem iterum conflictus incurrat . Respondit Beniamin : bene quidem dicta poterunt dici : si ista quæ sequuntur non læserint . Tum Syluester : dic ergo quæ sequuntur . Ad hæc Beniamin : ergo sic filius dei a diabolo temptari potuit : ut modo in fame panem ex lapidibus facere urgeretur : modo in celsitudine leuaretur : modo ad adorandum ipsum diabolum per ostensas diuitias suaderetur . Cui Syluester respondit : oblitus es me iam dixisse : ille qui per manducantem Adam uictoriam ceperat : quod per Christum ieiunantem sit superatus et uictus . Si enim ideo uicit : quia ab Adam auditus est : constat ideo superatum : quia est a Christo ieiunante contemptus . Nos autem non filium dei temptatum dicimus sed filium hominis : in quo plenitudo fili† dei consistebat : Nam sicut in eo plena diuinitas erat : sic in eo etiam plena humanitas . Vere enim homo erat Christus Iesus : qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus : Et sicut penitus temptari non poterat hoc quod erat filius dei : ita plenissimæ temptationis agonem agebat iste : qui erat filius hominis . Si enim homo perfectus non fuisset : non uicisset illum : qui perfectum hominem uicerat : uictoria enim eius nobis prodesse omnino non poterat : edoceri poterat Adæ perditionem humano generi obfuisse : sed sicut filium uirginis terræ hominem perfectum uicit diabolus : et omnes natos eius in mortis sententia cœpit : ita et a filio uirginis Mariæ homine perfecto superatus : omnes renatos per eum uitæ æternæ inuitus restituit . Idcirco enim deus noster ait : nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritusancto : non habebit uitam æternam . Vna ergo in homine terrena natiuitas : quæ nascitur morti : et altera spiritalis quæ nascitur uitæ perpetuæ : quam natiuitatem nobis Christus illo tempore aperuit : quando temptantem se diabolum superauit . Noli ergo temptatum auertere deum : sed despice diabolum superatum . Nam diabolus semel uicerat Adam : a Christo triplici est uictoria superatus . Suffecerat itaque hoc : ut qui ideo uicerat : quoniam | persuasioni eius Adam pater omnium nascentium manducando consenserat : Christus qui est pater omnium renascentium : contempserit ieiurando† : et duplicatur imo triplicatur in temptatione uictoria : ut qui semel uicerat : tripliciter uinceretur . Nam super pinnam templi eleuatus est qui ieiunium extollentiæ stimulis perurgebat ut quasi qui uictor per ieiunium extiterat : per semet ipsa uictoria ieiunii uideretur extolli : et iam quasi uictor angelorum ministeria sibi promissa exigens in suo præcipitio comprobaret : sed ut daret nobis suæ formam uictoriæ : ut quamuisl† superatum aliquis diabolum per ieiunium gaudeat : extolli omnino non debeat : Dignum huius loci triumphum obtinuit : in quo non sibi sed nobis credentibus uicit : et ipsum superatum diabolum per ieiunium secuta est extollentia . superata iterum extollentia contemptu diuitiarum secuta est gloria . his enim duabus uictoriis celebratis uictriæs† et gloriæ humanæ suppeditant hi : si qui ab eo diuitiæ obtineri potuerunt : qui adorator eorum extiterit : quorum monetur esse contemptor . Nam quicumque famosissimus per sanctitatem extiterit : incipiunt ei simul reges honorem cum nobilibus exhibere : Is ipse si per occasionem sublimium personarum amore captus fuerit pecuniæ : non eam lucrabitur nisi fuerit eis contra iusticiam adolatus : et eos quos scit per polucionem et luxuriam et maliciam et iniusticiam intra se habere diabolum

non solum non execratur et arguit : uerum etiam flectens ceruicem adorat et despicit : et hic esse triumphus quod suæ dimicationis dominus noster Iesus christus obtinuit : ut diceret diabolo offerenti diuitias et dominationem inimicam iusticiæ exigenti : ut eum quem præscium nouerat pro oblatis diuitiis adoraret : uade Sathana : scriptum est enim dominum deum tuum adorabis : et ipsi soli seruies . Ecce omnes tibi temptationis causas exposui : crede iam Iudæe ut possis per eum qui uicit temptationes euadere : et nobiscum Christi istas tres temptationis uictorias celebrare . Tunc nihilominus in laudibus Syl || uestri simul cum Augusto iudices et uniuersi populi clamoribus immorati sunt diutissime . Dehinc octauus Arohel prorumpens in uocem dixit : Deus certe perfectio est : et nullus† rei eget : quid ergo ei opus fuit : ut nasceretur in Christo ? Syluester episcopus respondit : filius dei qui ante tempora ex patre est genitus : ut faceret ea quæ non erant : id est cælum terram et omnia quæ in eis sunt . Et cum hæc diceret Arohel dixit : ergo filius dei fecit cælum et terram . Cui Syluester : quid putas filium dei esse . Arohel dixit : tu debes dicere : qui illum colis . Syluester ait : filium dei uerbum patris legimus credimus et probamus . Sed quia ex Iudæorum sæmine es : et nunc christianorum discipulus esse incipis : audi Dauid dicentem : uerbo domini cæli firmati suut† . Item alius propheta dicit : uerbum dei ualidum et forte quis poterit compræhendere illud : cuius uirtute terra fundata est : et cælum cum suis luminaribus solidatum est : et mari in sinu suo diffusum est ? Arohel dixit : uerbum hoc qua ratione filium dei asseras edicito . Tum Syluester : filium se genuisse uerbum ipse pater asserit dicens : tecum principium in die uirtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex utero ante luciferum genui te . Tanta ergo uirtus patris omnipotentis est : ut sermo qui ex ore eius exiit ad facienda omnia quæ sunt : hic enim filius probari possit et credi . Arohel dixit : Constat quod ante quam haberet filium : pater dici non potuit : Dic mihi quomodo immutabilis dici potest : cui hoc nomen accedit ? Respondit Syluester : nolo tam stulte erres : ut deum putes ita generare sicut homines generant : Nam deus semper pater fuit : quia semper filius extitit : cuius et pater est . Non ergo ex accidenti hoc sortitus est nomen : Semper enim pater et uerbum habuit : et uirtutem habuit : et sapientiam habuit . Verbum ergo dicimus dei uirtutem et sapientiam : quam semper in patre fuisse dubium esse non poterit . Arohel dixit : et unde hoc docere poteris . Syluester respondit : In corde patris uerbum hoc semper fuisse : ipse deus pater eui | denter expressit : cum diceret : Eructauit cor meum uerbum bonum . Item in libro sapientiæ loquitur ipsa sapientia dicens : ego ex ore altissimi prodii : ego feci : ut oriretur lux quando stabiliebantur montes : et firmabatur terra : et fundebantur flumina : et erumpebant fontes aquarum : ego eram disponens omnia . Cum ergo semper apud se habuerit uerbum uirtutis : pater uerbum non cœpit habere quod non habebat : cum ista omnia fierent : sed uirtutem operum uerbi sui cœpit ostendere : quod et habebat : Et sic fit ut non dicatur mutatus deus : cui paternitatis nomen accesserit : Sic enim semper fuit deus : ut semper esset pater : quia sapientia eius et uirtus eius uerbum est . Cum ergo sine sapientia nunquam fuerit : et sine uirtute : quomodo putas hoc nomen deo ex tempore uenisse : cum semper fuerit filius : cuius est pater ? Zenophilus dixit : a natiuitate Beniamin sumpsit eloquium : et ideo de sola natiuitate responsum datum aut accipite aut recusate : ut de cæteris singilatim possim uobis dare responsum . At ille siluit : nec amplius loqui ualuit . Nonus Iubal phariseus dixit : dicat Syluester utrum deus coniugia maledixerit . Respondit Syluester : nos coniugia benedicta dicimus a deo . Iubal dixit : et quare negatis de coniugio natum istum : quem colitis : Syluester respondit : nos non ideo dicimus uirginis filium Christum : ut coniugium condemnemus : sed causas uirginei partus rationabiliter acceptamus . Tum Iubal : quas causas uirginis parientis ostendas ignoro . unum hoc sentio quod ob fuscanda coniugia laudem uirginis studes . Et Syluester : non offuscantur sed ornantur hac assertione coniugia : quoniam hæc uirgo quæ Christum peperit de coniugibus nata est : et ita se sanctam exhibuit : ut digna esset dei filium uerbum carnem factum concipere : qui† perditum sæculum repararet . Ad hæc Iubal dixit : quoniam de sola uirginitate plenius satisfactum est : superest ut ad alia transeamus : dicimus enim uænundatione discipuli illum traditum : tentum : illusum : expoliatum : || coronatum spinis : affixum cruci mortuum et sepultum . Respondit Syluester : memor esse debes iudæe me dixisse dei filium passioni subiici pœnitus non potuisse :

sed hominem perfectum Iesum nazarenum : quem promiserat deus Abraæ dicens : quod in sæmine tuo hæredditabunt omnes gentes : de quo etiam promiserat Dauid deus dicens : de fructu uentris tui ponam super sedem meam : hunc fuisse temptatum et passum : temptatum : ut diabolum cum omnibus temptationibus uinceret : passum ut uniuersas passiones subiiceret : mortuum ut mortis imperium subiugaret . Tum Iubal dixit : ergo sunt duo filii dei : unus quem uirgo peperit : alter quem deus omnipotens generauit . Et Syluester : dei filius unus in Christo est : qui sicut uere dei est filius inuisibilis : ita uisibiilis† est Christus . Est ergo inuisibilis hoc : quod est deus : et est uisibilis istud : quod homo est . Perfectus enim deus perfectum hominem induit : ut perfectam salutem hominibus exhiberet . Respondit Iubal : Et quomodo fieri potest : ut pateretur homo : qui assumptus est sine passione eius : qui assumpserat ? Ait Syluester : doceri potest aliquo exemplo : ut duo in uno positi unus incurrat iniuriam : alter euadat . Iubal dixit : hoc tu mihi nulla ratione ostendere poteris . Ad hæc Syluester : iudaico animo ageris : Idcirco ante quam audias non tibi posse ostendi a me asseris : quæ polliceor ostensurum . Iubal dixit : impossibile hoc mihi ratio humana persuadet : in uno esse duo una : simul subsistere : simul teneri : simul crucifigi : et unum sine altero passionis istius sustinuisse iniuriam . Tum Syluester : Cum qualicumque exemplo rationis humanæ hoc ostendero : dicant præsentes iudices te superatum . Constantinus Augustus dixit : Etiam si non uult præbere consensum : iudicandus est : ut consentiat : cum ipse duas substantias in uno positas ostenderis unam sine alia sustinere passionis iniuriam . Et Syluester : ut præsens purpuræ regis utamur exemplo : lana fuit : et huic lanæ sanguis accedens colorem purpureum præbuit . Cum neretur digitis : et torqueretur in filo : | quid torquebatur hoc : quod regie dignitatis color est : an hoc quod lana extiterat antequam purpura fieret ? Non utique color regiæ dignitatis ornatus sed uilis lana : quæ nascendo extiterat . Quod cum ita sit : constat lanæ assimulari† hominem : et purpureo colori assimulari† deum : qui simul in passione simul in traditione simul fuit dum pateretur in cruce : sed passioni penitus in nullo subiacuit . Constantinus itaque Augustus cum uniuersis acclamantibus asserit exemplo docuisse Syluestrum : Decimus extitit Thara phariseus dicens : non mihi sufficit istud exemplum : quia simul secatur color : simul etiam torquetur lana : cui cum pene omnes contradicerent : non simul quidem sed solam lanam passioni subiacere non colorem . Respondit Syluester : obsecro uos filii carissimi date silentium : ut euidentius exemplum proferam : Cui Iudæus contraire non possit : et adiecit : audi Thara : potest fieri : ut arbor habens in se splendorem solis possit incidi ? Thara dixit : potest fieri . Tum Syluester : Si ergo inciditur : non uides quia ictum ferientis ferri splendor solis excipit priusquam pertingat ad lignum : sed splendor cum ibi sit : non potest nec incidi nec a dolante seperari . Sic autem diuinitas nec seperari potuit nec incidi . Illud autem passioni subiacuit : quod sicut signum† et ligari potuit et teneri . Tunc uniuersus etiam simul iudæorum populus in laudibus sancti Syluestri acclamauit : Et cum uellet Augustus finem dare certaminis : Syluester episcopus ait : Sileon et Zambri soli remanserunt : quibus si negata fuerit copia dicendi aliqua : uidebuntur a nobis timore contempti . Vndecimus ad hæc Sileon respondit bene præuenire facis oppositionem tibi iure obiiciendam : Et ideo si de Christo uestro prophetæ nostri uaticinati sunt : causam statutæ ignominiæ irrisionis tantæ passionis et mortis eius expone : ut ipsum esse Christum qui promissus est : etiam nobiscum fateamur : Ad quem Syluester iusta inquisitio sollicitos auditores habere desyderat : Vnde uolo uos omnes filii carissimi intentos diligen || ter audire . Non enim tantummodo huic interrogationi satisfacturus sum : sed generaliter omnium salutis causam sum tractaturus . Ab initio itaque sæculi ex quo homo de paradisi amoenitate est proiectus : et hic in conuallem lacrimarum et dolorum et mortis est exilio damnatus : de tota humani generis massa Abraam sanctus et fidelis inuentus est . hoc adeo promissum meruit : ut in sæmine eius benedicerentur omnes gentes . Sic enim in Eptatico legitur : cum diuideret excelsus gentes et disppergeret filios Adæ : statuit deus fines gentium secundum munerum† angelorum suorum : et facta est portio domini Iacob funiculus hæreditatis eius Israel : et adiecit : Ita est ? Sileon dixit : Ita est . Syluester episcopus dixit : Cum ergo solius Abræ generationem elegisset : per meritum fidei eius Abram genuit Isaac : et Isaac genuit Iacob : atque hi tres tam fideliter deo seruierunt : et in nullo culpabiles extiterunt : ita ut deus

omnipotens peculiari dignatione nomen suum in his nominari uoluerit dicens : ego sum deus Abraam et deus Isaac et deus Iacob : hoc nomen meum est memoriale et sempiternum in sæculum sæculi . Extiterunt sane causæ : quas nunc memorare longum est : ut filii Abraæ deuenirent in terram ægipti : et essent sub Propharaonis imperio . Sed memor promissionis suæ deus eiecit illos inde in manu forti et brachio excelso : ita ut faceret eos siccis pedibus transire per medium mare : et ipsum Pharaonem in conspectu eorum cum omni exercitu suo marinis fluctibus daret . Dehinc dedit eis legem per sanctum Moisen sacrificiorum idest in uitulis : in tauris : in ouibus : in hœdis in capris : in hircis : in turturibus et in columbis . Sed ista omnia et his similia diabolus affectatus etiam suis idolis coaptauit . Vnde factum est : ut nasceretur ex uirgine : ut nos renasceremur ex ecclesiæ uirginis utero . Esúriuit : ut nos reficeret : sitiuit : ut auiditati nostræ uitalia pocula ministraret . Temptatus est : ut nos a temptationibus diaboli liberaret . tentus est ut nos dimitteret a cultura dæmonum : quæ nos tenebat . ligatus est : ut nos a nodo ma | ledictionis absolueret : Irrisus est : ut nos ab irrisione dæmonum liberaret : humiliatus est : ut nos exaltaret : Captus est ab hominibus : ut nos a captura dæmonum erueret : Expoliatus est : ut nuditatem primæ præuaricationis non ficorum folliis nec pelliciis tunicis sed indumentis candidis indulgentiæ tegeret : et super niuem dealbatos ac mundos a peccatorum sordibus omnes credentes in se patri suo filios adoptaret . Spineam in capite coronam accepit : ut nos a maledictione spinarum et tribulorum eriperet : et flores paradisi quos nos fecit humana præsumptio perdere redonaret . Et quoniam ligno concupiscentiæ detinebamur addicti : lignum crucis Christus accepit : ut de peccato damnaret peccatum in carne . Accepit escam fellis et aceti poculum : ut hominem ad terram fluentem lac et mel introduceret : et fontes nobis mellifluos aperiret . Accepit in se maledictionem nostram : ut super nos ipsos benedictionem suam effundetet† : et nostram a nobis malediclionem† auferret : Suscepit in se mortalitatem nostram et suam nobis uitam simul cum æternitate restituit . Sepultus est : ut sepulturas sanctorum benediceret . Surrexit : ut mortuis uitam redderet . Ascendit in cælos : ut homini non solum paradisum quem amiserat restitueret : uerum etiam et cælorum ianuam aperiret . Sedet nunc ad dexteram patris : ut precibus credentium annuat . Sed ne uerbis currentibus humana tantum ratione patrocinari uideretur : absque aliquibus pigmentis uel hærbis ac medicaminibus cæco nato de luto saliuæ suæ reddidit uisum : ut se esse ostenderet : qui primum hominem de limo terræ plasmauerat : cæco nato uisum redidit : ut quod uisus fuerat non dedisse creando : miserando donaret . Ideo etiam leprosos mundauit uerbo : omnibus ægrimoniis salutem præbuit . dæmonium ex obsessis corporibus expulit . Pedibus deambulauit maria . Imperauit uentis . Tempestates compescuit : et uitam mortuis et sepultis oris sui redonauit imperio . Quid plura edisseram ? uenturus est iudicare uiuos || et mortuos : ut reddat unicuique secundum opera sua . Hæc est fides nostra : quam tenemus et prædicamus : et credimus . Si quid tibi o iudæe minus dictum putas : interroga . Hæc et his similia dicente papa Syluestro uniuersi populi simul cum regibus et cum iudicibus iustis laudibus exclamabant agentes deo gratias : qui tantam rationem per os eius auribus eorum dedisset : ut nulla dubietas eorum mentibus de Christi omnipotentia remaneret . His auditis Syleon dixit : fateor mihi de omnibus satis esse factum . Nam primus sermo tuus et medius et ultimus ita ratione firmatus est : ut iam olim debuissemus Christo credere . Nam nihil nouum agit perfidia nostra : quæ semper probatur contra suam utilitatem egisse . Tunc indignatus Zambri unus ex duodecim uoce clara dixit : miror uos prudentissimos iudices uerborum ambagibus credere : et dei potentiam estimare humana ratione concludi . Modo uero si argumentis humanæ rationis Syluester exuperat nos : relicturi sumus proprias leges : et secuturi hominem magum illum : quem parentes nostri ex uno damnauere consensu . Sed audiat me clæmentissimum imperium : iubeat produci taurum aliquem ferocissimum : ut ostendam hodie in conspectu eius uirtutem dei omnipotentis . Nolo enim ego cum isto uerbis contendere : sed aliquid actibus agere : et ostendere efficaciam in dei nostri nomine : quo possit ratio humana diuinis uirtutibus credere : et quis sit uerus deus ipsis indiciis edoceri . Si enim iste hunc deum dicit : quem crucifixum non negat : Cur ergo hunc deum non asseram : qui incompræhensibilis et inenarrabilis approbatur ? Et cum uellet Augustus taurum ferocem inquiri : extitit Terrenius illustris : qui diceret se

non longe a muro urbis iuxta habere taurum in armento fortissimum : qui uix possit a multis coarctari . Tum Syluester episcopus cœpit obsecrare Augustum et omnes : qui simul aderant : ut adduceretur taurus ille ferocissimus : quem cum iussisset Augustus adduci in spatio euntium et redemitum† : Syluester episco | pus cum Zambri huius rei altercationem exercuit : Cœpit itaque inquirere ab eo ad quos usus taurus ille ferocissimus quæreretur . At uero Zambri cum esset maleficus dixit : quia nomen dei nostri nulla uirtus sufferre præualet : nam seniores nostri cum in sacrificio deo tauros feroces offerrent : hoc nomen dei magnum in aure tauri dicebant : statim mugitum gemitumque reddentes simul etiam spiritum exhallabant . Nulla enim uirtus sicut dixi hoc audiens nomen uiuere potest . Ad quem Syluester respondit : Et tu quomodo hoc nomen non audiens didicisti ? Zambri dixit : Ergo putas : quod audiendo hoc didici : quod nulla ratione potest humanus : uolucrum pecudumque sufferre auditus ? Respondit Syluester : Vel domino rerum Augusto insinua : quo ordine hoc nomen sine auditu didiceris . Zambri dixit : non est tuum hoc nosse mysterium : qui Iudæorum inimicus es . Dicit ei Augustus : ergo legendo hoc nomen didicisti ? Respondit Zambri nam cartha non membrana non ligna non lapides hoc nomen possunt habere conscriptum : statim enim et qui scribit interit : et ubi scriptum fuerit : dissoluetur . Dicit ei Augustus : Dic ergo simpliciter tu hoc nomen quemadmodum didicisti ? Zambri dixit septem diebus ieiuniis uacaui : post hæc in conca argentea noua in qua nullus usus extitit missa est aqua de fonte . Et cum esset plena benedicta est : post hæc in aqua ipsa digito fiunt litteræ : quæ nomen domini erudiant tacentis animum : Tunc ab hora prima diei usque ad uesperum scripsisse in aqua recolo : et uix illud potui climate† in secreto pectoris mei retinere : quid ergo opus est uerbis et contentionibus fræna laxare : et ire per campos sermonum et alia atque alia dicere et audire . Hæc et his similia multa cum Zambri repeteret : ecce taurus ferocissimus a multis militibus præsentatus est uinctus funibus a capite et a tergo . Tunc Zambri insultans beato Syluestro hic tua uerba et argumenta tuorum sermonum finem inuenient . Aut dic nomen dei tui in aure tauri : et probaris omnipotentem colere : aut || ego dicam : ut omnes nostræ relligioni concordent . Tunc pene conturbati sunt omnes fidei nostræ fautores . At Syluester intrepidus stabat : et lætus dicens : maiora certamina dæmonum maioribus diuinisque auxiliis superantur . Attamen quia initia erant credentium : necesse erat : ut tenuis fides tempestate temptationum urgeretur . Consenserunt tamen omnes simul ut diceret hoc nomen in aure tauri : et hoc quod Zambri promisit probaretur . At ubi abiit Zambri : et dixit in aure tauri : statim miser factus dedit mugitum : et uiolentissime eiectis oculis expirauit . Tunc omnes Iudæi insultatione surrexerunt Syluestri : et pars aliqua illorum nostrorum partem cœpit arguere : et fuit ista tumultuatio per duarum fere horarum spatia . Fixus itaque orationi Syluester a domino Iesu christo petebat auxilium . Tunc rogabat Augustum : ut populo imperaret silentium : quod cum fuisset effectum : ascendens in eminentiora loca uoce clara ait : audite principes et intelligite potentes : et agnoscat omnis populus romanus . Dominus Iesus christus quem ego prædico cæcos illuminauit : surdis auditum reddidit : mutis recuperauit sermonis officium : manus aridas restaurauit : claudicantibus gressum restituit : leprosos mundauit : paralyticos curauit : mortuos in suo nomine suscitauit . Vnde apparet hoc nomen diaboli esse non dei : quod taurum occidit : si occisum resuscitare non potuerit . Est enim uite et salutis humanæ inimicus qui uiuum mortificare præualuit : cum mortuum suscitare non possit . Nam deus quem ego prædico non solum uiuentes mortificat : sed et mortuos uiuificat . occidere autem uiuentem et mortuum uiuificare non posse : et serpentes possunt facere et leones et ursi et latrones et omnes bestiæ ferociores . Tamen si uult : ut non credamus hoc nomen dæmonis alicuius fuisse : quod dixit : dicat modo mortuo illud nomen : et suscitet eum . Quod si occidere potest : et uiuificare non potest : constat eum nomen dæmonis nominasse : qui uiuentem occidere potest : mortuum uiuificare non potest . | Tunc Zambri scidit uestimenta sua : et dixit : Domine clæmentissime imperator semper Auguste Syluestrum hunc quem in uerbis superare nemo præualuit : ego hunc in dei omnipotentis nomine superaui . Iustum est : ut non detur ei potestas loquendi : quia noua et acriora quæ contra deum loquatur adinueniet : et grauat uerbositas eius regnum uestrum : Cui Syluester ait : audi iudæe de tuis assertionibus ueritatem . In deuteronomio ipse deus loquitur dicens : uidete uidete : quoniam ego sum deus : et

non est alius præter me . Ego occidam : et uiuere faciam . percutiam : et ego sanabo . Cum ergo inuocatus fuerit : opportune occidit : opportune etiam uiuificat . Tunc Zambri ait : non tibi dixi domine clæmentissime imperator semper Auguste : quia in uerbis Syluestrum nemo superat : nunc dignare ei iubere : ut aliquid non loquendo sed faciendo declaret . Tunc Zenophilus et Craton iudices simul cum Augusto urgebant Zambri : ut suscitaret taurum : quem ad nominis inuocationem occiderat . Cumque reluctaretur : et se diceret illum penitus suscitare non posse : dicunt ei : Constat secundum testimonium Syluestri dæmonis te inuocasse nomen : quod ad occidendum præualuit : ad suscitandum præualere non potest . Ad hæc Zambri dicebat : diuinæ uirtutis nomen tanti ponderis esse ut penitus ferri non possit . Cui Syluester insistens opponebat nos dominum Iesum memorauimus hinc probatum dei filium mentibus hominum claruisse : quia infirmantibus salutem cæcis lumen et uitam mortuis contulisset . Tu per istum : cuius nominis inuocatione uiuentem mortificare potuisti : mortuum suscitare non potes ? Respondit Zambri : Ignoras decem plagis ægyptum inuocatione huius nominis cæsum : et omnia primitiua ægypti ab homine usque ad pecus subito mortua ? Ad quem Syluester et tu ignoras hoc esse scriptum : dominus mortificat : et uiuificat : deducit ad inferos : et reducit . Tunc ista audientes Zenophilus et Craton iudices dixerunt : Constat superatum Zambri : si non potuerit per inuocationem huius nominis suscita || re taurum mortuum : cuius nominis inuocationc† uiuentem occidit . Zambri dixit : Suscitet hunc Syluester inuocato illo gallileo Iesu Nazareno : ut assertorem deitatis eius nos recipere ualeamus . Ad hæc Syluester respondit : uis ergo : ut ego suscitem in inuocatione domini mei Iesu christi hunc taurum . Zambri dixit : Ista tu non facies : etiam si pennis uolare possis . Constantinus Augustus dixit : miror importunitatem tuam : tu dixisti cessent uerba : factis aliqua ostendat . hic hoc se facere promittit : quod tu penitus ut asseris implere non poteris : Vnde patet : ut fatearis hunc uerum deum esse : qui mortuum suscitare potuerit . Illum autem diabolum : qui occidere potest : et uiuificare non potest . Tunc Zambri se denotari cœpit : et per salutem Augusti asserere : quod si Syluester taurum illum a morte erigeret : omnes iudaicam legem dimitterent : et christianæ relligioni se traderent : Qua promissione audita Syluester episcopus Cratoni et Zenophilo iudicibus dixit : peto uos iudices : qui cuncta iusta moderamini : interrogate cæteros iudæos : qui nobiscum iniere conflictum : si huic sententiæ præbeant sui cordis assensum : ut cunctis pateat suscitato tauro nihil dubii de Iesu nomine remansisse . Zenophilus et Craton dixerunt : singilatim edicant iudaicæ assertionis auctores : utrum ratum ferant hoc : quod ultima inuenit post omnium contentiones sententia . Abiathar dixit : consensus noster præsto erit : si auditu probauerimus istum in nomine Iesu surrexisse . Ionas dixit quicquid supra hunc taurum dixerit Syluester audiamus : ut possimus nosse : quod illius qui crucifixus est inuocauerit nomen . Codolias† dixit : si illum quem parentes nostri reum mortis inclamauerunt inuocauerit : et surrexerit hic taurus diuino nomine interfectus : sine dubio manus dabo assertionibus Syluestri . Aunan dixit : sicut non possunt dies nostri a recto itinere deuiare : sic nec taurus iste poterit resurgere : Tamen quia in eo est conclusa sententia : ut si in nomine Iesu crucifixi assurrexerit : tribuamus assensum : | si hoc factum fuerit : nequaquam ego contradictor existam . Doech dixit : miror homines prudentes ad tantam insipientiam deuolutos : ut credant hunc taurum diuino nomine mortuum aliquatenus suscitari . Hic si etiam sicut iacet mouere se potuerit in Iesu nomine omnem ambiguitatem abiiciam : et hoc quod Syluester prædicat credam . Chusi dixit securius me spondeo crediturum : quia noui taurum ad inuocationem nominis Iesu suscitari non posse . Beniamin dixit : nunquid non risum mentibus aspectantium : qui uident taurum oculis egressis de loco suo iacentem totum tumidum et mortuum : ut hunc credamus ad inuocationem hominis crucifixi posse resurgere ? Tamen quia hoc iudicibus placet : si factum fuerit : dabo consensum . Arohel dixit prosecutio Beniamin meo ore dicta est : et ideo suscitato tauro consentaneum christiano defensori polliceor : et credam deum esse . Sileon dixit : et ego polliceor me a Iudaismo recedere : et Christo credere : si Syluester istum taurum uel uno die uiuere fecerit . Thara dixit : sicut magna dæmentia est credere istum taurum suscitari posse : sic magna imperitia est : ut promittam me a lege mea discedere : Et quia utrumque fieri non potest : securus polliceor : quod suscitato tauro a Syluestro : christianus efficiar . Iubal dixit : quantum-

cumque promissio nostra gestis teneatur ascripta : nec taurum resurgentem nec me Christo credentem uidebitis : tamen ne uideamur suscitare uolentem Syluestrum impedire : omnes profitemur christianos fieri : si hic inuocato Christi sui nomine istum suscitauerit taurum . Zenophilus et Craton dixerunt : ecce omnium iudæorum sententia : qui ad conuincendum Syluestrum hactenus contraxere conflictum : in ea definitione peruenit : ut si a Syluestro inuocato nomine Iesu hic surrexerit taurus . Syluestri defensio uictoriæ sortiatur effectum : et se a iudaismo illico auferant . Quid nunc Syluester facturus sit : uideamus . Tunc beatus Syluester imperato silentio dixit : Audite fratres et filii quibus deus tribuit intellectum : de bobus || deo curam non esse pro certo didicimus : Sed quia tempus exigit ut dignetur : salutis omnium causa huius rei curam habere propitius : sequestrent se ab infidelibus fideles et increduli a credentibus : ut nos omnes qui credimus Christo in una parte stantes flectamus genua domino omnes unanimiter postulantes : ut dignetur petitionibus nostris annuere : et dominum nostrum Iesum christum suum esse filium demonstrare . Ad hanc uocem segregati sunt omnes increduli a credentibus : et facta est oratio per unam fere horam : ita ut non esset inter eos : qui non flens deum exoraret . Ridentibus autem inter se iudæis et insultantibus : dicebant modo apparebit Christus uester . Tunc Syluester episcopus expandit manus suas ad dominum et dixit : Deus Abraam . Deus Isaac et deus Iacob qui trina inuocatione in his tribus patriarchis ideo te inuocari uoluisti : ut manifestaretur nobis per dominum nostrum Iesum Christum : quod in trinitate pater cum filio et spiritusancto unus sis deus uerus pater uerum filium habens ex te genitum uerum spiritumsanctum ex utroque procedentem : una deitas in trinitate : una trinitas in unitate subsistens : nihil minus uni : nihil maius alteri : Es enim idem : qui semper deus : qui mundum ex nihilo fecisti per uerbum tuum idest per filium tuum : qui dignatus est formam nostræ seruitutis arripere : et hominem perfectum deus perfectus assumere : ut in uno deus et homo homnibus† credentibus subueniret : qui uirgineo partu editus stella indice demonstratus es magis : et pastoribus ostensus ab angelis in præsepio positus : rex cælestis in terris humilis in terris ostensus es : omnia propter nos temptationum genera superasti : ut nos a temptationibus dæmonum eriperes : et ad gloriam paradisi reuocares . Atque ideo filius hominis factus es : ut nos dei filios faceres atque æternæ uitæ consortes . Te itaque inuoco Iesum nazarenum crucifixum magnæ resurrectionis auctorem : qui ideo mori uoluisti : ut mortis imperium resurgens a mortuis deuicta morte captiuares et uitæ æternæ aperires introitum . Ego no | men tuum uoce publica confiteor : ut sciat omnis iste populus : quoniam taurus iste qui dictione nominis diaboli occisus est : sancti tui nominis inuocatione reuiuiscat : Et ideo audi me seruum tuum : ut excitetur iste taurus ab omnipotenti dextera tua : et cum omni mansuetudine surgens quasi agnus ad gregem suum cum omni lenitate perueniat : ut cognoscant præsentes omnes : quia tu es dei filius : qui in hunc mundum uenisti . Et hæc dicens sanctus Syluester inclinauit se ad aurem in qua nomen nescio quod dixerat Zambri : et dixit : nomen maledictionis et mortis sicut intrasti in aure huius tauri : ita egredere iussu domini nostri Iesu christi Nazareni crucifixi : in cuius nomine dicitur tibi : Taure surge : Et cum hæc dixisset : recuperato flatu taurus surrexit cum omni mansuetudine : cuius uincula manu sua sanctus Syluester soluit dicens : uade cum omni mansuetudine ad armentum tuum : unde adductus es : nullum lædens : a nullo enim lædi poteris nec occidi : fecitque ei fieri spatium : et dimisit euntem cum omni mansuetudine . Statimque omnes iudæi pedibus beati Syluestri prouoluti fatentes se Christo credere precabantur : ut pro eis oraret : ne quid eis aduenirel aduersi . Ipsa quoque Helena Augusta publicis aspectibus abiectis aureis uestibus in conspectu omnium genua sancti Syluestri deosculans rogabat sibi locum pœnitentiæ dari . Moxque omnis populus simul cum Augusto ac iudicibus cunctisque iudæis una uoce per tria horarum spatia clamauerunt dicentes : uerus deus et uerus dei filius Dominus Iesus christus . Eo die amplius quam tria millia iudæorum conuersi sunt ad fidem Christi . Ipsaque Helena Augusta cum omnibus filiis ac filiabus suis credidit Christo : omnesque simul cubicularii crediderunt : sed et ipsi iudices Zenophilus et Craton : omnesque amici eorum Iesum Christum filium dei uerum deum esse crediderunt . Omnes autem dato nomine : quia inter initia Martii mensis hæc gesta fuerant : in die sancto pasce sacro renati sunt baptismate : et glorificabant || dominum Iesum christum gratias agentes deo manenti

in trinitate quod per Syluestrum papam eos sua miseratione ab errore liberasset : et salutis suæ uiam absque dubietate inuenire fecisset : Omnesque sanctum dei Antistitem ab illa die unanimiter excolebant : et non solum in urbe Roma sed et in totis finibus romanæ urbis fides catholica per assertionem fidei eius et uirtutes operum perpetuam obtinuit palmam . Transactis aliquot diebus pontifices uniuersi qui fuerant templorum huiusmodi suggestionem Augusto Constantino fecerunt dicentes : Sacratissime imperator semper Auguste populus uester romanus draconis inuictissimi periclitantur afflatu . Solebant enim uirgines sacrosanctæ deæ uestræ per omnem calendarum diem habere ad eum descensum : et cibos ei similaginis ministrare . Ex quo autem pietas uestra legem christianam accepit : huic nibil† fertur : Ideoque indignatus quottidie flatu suo populum uexat . Tunc Imperator Constantinus consuluit sanctum Syluestrum interrogans si opportet : ut more solito esca daretur draconi : et illa sacra cerimonia exhiberetur . Cui respondens sanctus Syluester dixit : Si quis militum tuorum ad inimici tui tyramni legem aliquam fieri contra iura tua permittat : nunquidnam simulatio hæc : quia ipse quidem non facit : alterum autem non prohibeat : quid de hoc iudicabis ? Respondens autem Imperator : aut gladio aut incendio interibit . Dicit ei Syluester episcopus : hanc pœnam apud regem cælestem incurrit qui permittit contra eius uoluntatem impleri . Calfurnius autem urbis præfectus cum simul esset cum principe : quando hæc Syluester asserebat : et adhuc esset gentilis : ait : per clæmentiam uestram sacratissime imperator : quoniam per singulos dies moriuntur amplius quam sex millia homines promiscui sexus et ætatis : et non est aliud remedii genus nisi ut placetur : et hoc oportet ut semel iratus de contemptu nostro ualeat aliquatenus ampliatis muneribus complacari . Respondens sanctus Syluester ait : ostende mihi ex iis qui moriuntur uel unum qua | lemcumque ultimum christianum . Calphurnius dixit : ergo si christianos non inuadit : descende ad eum tu : et fac illum in nomine dei tui uel uno anno ab interfectione generis humani Cessare : ut credamus Christum tuum diuinitatis habere uirtutem . Cui sanctus Syluester ait : Christus quidem meus diuinitatis uirtute plenus ostendere dignabitur in hac parte uirtutem suam . Sed dura corda uestra alia sibi adinuenient : quæ possint contraria et inimica uestris utilitatibus esse . Dicit ei Calphurnius : fac sicut dixi : ut uno anno cesset : et credimus in Christum quem prædicas . Tunc beatus Syluester constanter dixit : Audi me clæmentissime princeps : iube in præsenti adesse uniuersos pontifices incredulos crastina die cum prefecto Calphurnio : ut quod solus hic pollicetur : simul quoque etiam illi promittant . Cumque altera die adessent omnes pontifices cum Calphurnio : promiserunt in conspectu Augusti : omnes se Christo credituros : si Syluester egisset : ut uel uno anno draco ab hominum læsione cessaret . Tunc sanctus Syluester conuocatis omnibus sanctis ac spiritualibus uiris prædicauit triduanum omni ecclesiæ ieiunium et orationis instantiam : ut dignaretur dominus Iesus christus saluti hominum consulere et sui nominis potentiam demonstrare . Tertia itaque die expleto† constituti ieiunii : uidit Syluester episcopus beatum Petrum apostolum in uisione talia sibi monita proferentem : assume tecum Theodorum et Dionisyum† et Felicissimum presbyteros et Honoratum et Romanum diaconos : cum ipsis tantum descende : solo Christi sacramento refecti descendite : Non timeas : neque trepidum sit cor tuum : sed confidens in deum accede ad draconem : in quo habitat Sathanas : et dic ei : Iesus christus dominus natus de spiritusancto et Maria uirgine crucifixus et sepultus resurrexit et ascendit in cælos : sedet nunc ad dexteram patris : Hic uenturus est iudicare uiuos et mortuos . expecta eum fixus in isto loco : dum ueniat : Et cum hoc dixeris appræhende eum : et liga os eius lino canabineo torto triplici : || quod tecum portabis et super ceram imponens : et signabis annulo qui signum crucis habebit sculptum . Post hæc assume cathenam ferream quam deportabis tecum : et appræhensas portas æreas quas ibi inuenies habentes circulos : adduces eas ad te : et in circulis earum induces cathenam : et cum clauseris dices . Hæc dicit apostolus Christi Petrus : Istæ ianuæ non aperientur nisi in die iudicii : clauem uero cathenæ ubi uolucris† subterrabis : Et ascendens inde uenies ad me aperta confessione mea : inuenies ibi panem a me tibi preparatum : de ipso te reficiens cum omnibus cum quibus fueris introgressus : statimque omne uenenum abiicies a te et illis : et saluum te et illos christiano principi simul et populo præsentabis . Descendente autem sancto Syluestro omnes christiani per ecclesias flætibus incumbebant de

cælo petentes auxilium . Pontifices autem templorum miserunt cum eo Porphyrium et Torquatum magos dicentes : isti a longe sequantur ut nuncient nobis te peruenisse ad draconem . Orans descendebat beatus Syluester cum memoratis presbyteris et diaconibus per gradus centum quinquaginta . Porphyrius autem et Torquatus sacrificantes et inuocantes dæmonia descendebant post eos . At ubi peruenerunt ad flatum draconis : compræhendit Porphyrium et Torquatum angustia et ceciderunt . Sanctus Syluester cum presbyteris ac diaconibus suis intrauit ad draconem et dixit omnia quæ supra dicta sunt : Et ligauit os eius et signauit cera et egrediens clausit ianuas æreas : impleuitque omnia quæ fuerant a sancto apostolo pronunciata . Veniens autem ad Porphyrium et Torquatum Syluester episcopus inuenit eos uolutantes in terra præ nimia angusta† : et facta oratione eleuauit eos et secum eduxit : qui mox ut ascenderunt sani cursu rapidissimo pergentes detulerunt codices maleficiorum suorum et proiicientes eos ad pedes sancti Syluestri coram omni populo et coram cunctis pontificibus incendio eos consumpserunt dicentes : sic incendantur et sic ardeant qui non credunt in Christum dei fi | lium : quem Syluester prædicat . Transacto autem uno anno omnes ministri draconis probantes apud se : quod uere superatus esset† draco et clausus : prosternentes se pedibus sancti Syluestri omnes crediderunt in Christo : Sicque factum est : ut populus romanus a duplici morte liberaretur idest a cultura draconis et a ueneno eius . In ipso autem anno baptizati sunt triginta milla† uirorum exceptis paruulis et mulieribus : et nullus penitus draconis flatus apparuit ex illa die et deinceps . Constantinus autem Imperator hanc legem proponi iussit per omnes amplissimas ciuitates . titulus Constantini Augusti omni orbe romano cunctis úrbium ciuibus salus . Ad culturam summi dei tardius uos differentes accedere : non paruo animi dolore errorem uestræ prauitatis ammiror : præsertim cum uideamur homines ætate et temporali condicione mortales : et sic in uitæ incrementa facile consurgimus : ut finem nostrum in toto minime prouideamus . Neque uerum deum aut iusto timore reueremur aut debita relligione colimus : non solum actuum testem sed etiam pectorum secreta cernentem . Ipse etiam nobis spiritum uitæ inseruit quem uniuersa ætas humana reueretur Ipse deus unus ac solus est sine ullius consortio potestatis : qui in trinitatis unitate totius mundi gubernat imperium supra omnem magnitudinem : qua possit humana estimatio compræhendere inuisibilis et omnipotens ipse in propria potestate consistens : nec humanis uisibus aspicitur : Ipse tamen cuncta prospiciens : uniuersitatemque rerum in semetipso tenens : ex qua omnium natura originem duxit : Nec mirum est : corpus nostrum ex ossibus et carne concretum in contemplatione dei aciem oculorum ferre non posse in cælestem et uerum æternitatis auctorem conditoremque mundi totiusque rectorem : Cum nec in solis quidem radios dirigere non possit obtutum : cum statim inbecilitatem illam fragilitatis humanæ splendor solis tractet et a facultate intuendæ ueritatis auferat . Igitur conuenit nos malignas cogitationes infandumque uirus respuere derelinquen || tes tenebrosi itineris cæcitatem et eius gloriam laudeque† casta uoce celebrare . Oportet enim nos salubri gradu per planum ac lucidum iter incedere atque ab errore desistentes dirigamus ordinem nostrum uiuacissime ad ea quæ sunt meliora et utiliora : præsertim : hic cursus sit illustrior atque præclarior : quem tanta diuinitas monstrat : quam ille qui caliginem inferre cuncto humano generi nititur : ut a uerbo dei animum tollat . Et ideo indefesso cursu seruiamus deo omnipotenti creatori et redemptori nostro : legemque quam tribuit teneamus : Et enim summus : cui uniuersa succumbunt : apud cuius clæmentiam uita perpetua et æterna lux est : Illisque dulciorem effudit gratiam qui se tantæ maiestatis cultui dedicauerint . Illi soli oportet nos colla submittere . Abiiciendus est igitur error : et ad id propositum recurrendum quod nos possit ad æternam lucis perducere claritatem . Nam qui uerum deum pura mente uenerantur æternam uitam ac perpetuam cælestemque sortientur dulcedinem . Hanc igitur ego Constantinus Augustus relligiosus mentis affectu cunctis hominibus sancti sermonis conscriptionem credidi declarandam : ut qui pater patriæ diuinitus merui nuncupari Ipse quoque diuine pietati debitum cultum relligiosa mente efficiam . Intendamus itaque ad unicam omnipotentis dei gloriam : exoremus immortalem deum mihi et omnibus imperantem . Hac enim ratione bella internicionesque ab hominibus sedabuntur : nec amplius quis gladiis dimicabit : aut certe necessitatem famis sustinebit . Deus enim summus piissimus et relligiosissimus meritis prouocatus dabit nobis propitiatus intercedente domino

et pastore nostro beato Syluestro per omne tempus uitæ nostræ pacis perpetuam tranquilitatem et inestimabilem affluentiam gaudiorum . Expletis ergo iis quæ oportuit non omitti : transeam ad illa quæ de cultoribus dei nostri non mediocriter laudanda læta fronte narrantur : Erat enim in beato Syluestro sermo ad correptionem congruus : ad intercessionem culparum probatissimus : ad instruendum | quoque singulos ualde dulcissimus . Sed quia omnia bona tanti confessoris præsenti uolumine scribere nequeo : qualiter ad sidereas mansiones migrauerit breuiter perstringam : Qui uero omnia gesta uel acta illius uult pleniter agnoscere : quantas ecclesias sanctorum miro construxit honore : quantaque auri argentique pondera in ornamentis earum diuersis in uasis quantaque contulerit prædia : romanos perlegat libros ·romanasque scrutetur chronicas : in illis quidem cuncta tenentur scripta : Ex quibus nos ad laudis eius cumulum aliquantos decerpsimus flores : sed nunc ad ea quæ cœpimus dicenda pergamus . Et quoniam gloriosius Syluester antistes quottidianis ieiuniis assiduisque uigiliis suum in dominum seruitute macerans corpus : uite in éo semper merita cumulabantur . Sed enim† omnipotens deus eius labori : illiusque magno certamini peremnem gloriam tribuere decreuisset : appropinquante eius uitæ termino : molestiaque corporis superueniente : cum uideret se relicto pondere carnis ad purum ætheris uolare fulgorem : conuocatis omnibus sacerdotibus cunctisque leuitis : omnemque clerum quos excels† nominis inuocatione sanctorumque benedicens apostolorum : osculatusque singulos taliter allocutus est : Iam me filii carissimi ætas compellit ad transitum : Iam originaria ad ius suum reuocat terra particulam . Hæc enim hæreditas domini : ut refert propheta : Cum dederit delectis† suis somnum . Ante omnia amplissimam in uobis omnibus caritatem commendo in :† qua omnium uirtutum bona consistunt . Commendo ecclesiam domini apostolicis fundatam doctrinis : quæ semper uestris exhortationibus uestrisque monitis de die in diem in sanctis proficiat incrementis : Et ne lupus gregem dominicum inuadat : dominicumque intra triticum ne i† inimicus superseminet zizania : semper estote sollicíti : qui dum ista et alia plurima prædicaret : flentibus omnibus qui aderant atque psallentibus : inter diuina colloquia spiritum cælo reddidit : ætheriasque lucidissimas mansiones angelicis deportatus officiis sine fine possessurus intrauit . Qu† || cumque ibi pater aduenit a diabolicis erroribus liberatum clamabat ab eo filium : quæcumque mater filiam : quicumque maritus uxorem : quæcumque uxor maritum : quicumque cælebs seipsum : et in tanta multitudine hominum non solum romanæ amplissimæ urbis : sed etiam uicinarum urbium que illuc conuenerant : nullus inuentus qui beneficiis illius non fuisset adiutus . Quanta ibi fuerunt flumina lachrimarum : quanti planctus : silebo : ne post annorum curricula nouellum dolorem scriptor incurram . Sed nunc cessemus a flætibus : deposita tristicia soluamus frontem . Et quoniam ille cum hinnidicis angelorum agminibus sanctorumque choris cælesti lætatur in gloria : lætemur et nos in terris positi : eius gloriam celebrantes . Sepultus itaque est cum omni reuerentia multisque aromatibus in cimiterio Priscille uia Salaria ab urbe milliario tertio pridie calendarum ianuariarum . Et nunc usque sancta membra illius quiescentia uirtutibus florent atque miraculis . Tuam ergo beatitudinem precamur sanctisime pater : ut pro nobis omnibus domini clæmentiam deprecari non cesses . Et quia in adipiscendam uitæ æterne gloriam tecum non sumus digni habere consortium : adepti nostrorum ueniam peccatorum sit nobis premium fugisse supplicium .

PASSIO SANCTORVM SIMPLICII FAVSTINI ET BEATRICIS MARTYRVM .

Temporibus Dioclitiani et Maximiani sceleratissimorum imperatorum multi christianorum necati sunt in urbe Roma propter nomen domini nostri Iesu christi . Eodem autem tempore contigit : ut quædam Beatrix nomine et opere quæ erat soror sanctorum Simplicii et Faustini : qui pro nomine domini nostri Iesu christi post multa et diuersa supplicia quæ illata sunt eis a carnificibus iussi sunt capitalem subire sententiam : et corpora eorum ligato saxo in colla eorum sic mitterentur per pontem : qui uocatur lapideus in ti | berinis reumatibus : quorum corpora dei nutu inuenta sunt 7

iuxta locum : qui appelatur sextus Philippi uia portuensi . Tunc Beata Beatrix una cum beatis Crispo et Iohanne presbyteris aliisque christianis leuauerunt corpora sanctorum martirum Simplicii et Faustini de fluuio : et sepelierunt ea ibi in sexto Philippi quarto calendas augustas . Et hæc ut diximus beata Beatrix nomine eorum soror posteaquam suis sepulturam fratribus martyribusque Christi fecit : uenit ad uenerabilem Lucinam : et apud eam morata est per menses septem : In quo omni spatio semper duæ cōniculæ† cum singulis nucibus aduenerunt . Factum est autem ut quoddam predium quod fuerat beatæ Beatricis commune cum fratribus uicinus possessor ambiret . Tunc itaque fecit tenere beatam Beatricem : et duci ad sacrificandum idolis . Tunc beata Beatrix dixit ad eos : ego non sacrifico dæmoniis : quia christiana sum . Quare lucretius dixit ad eam : accede nunc : et sacrifica magnæ deæ Dianæ : et libera te a diuersis suppliciis : quæ te expectant . Itaque beata Beatrix exclamauit uoce magna dicens ad eum : nunquam tibi bene sit Lucreti : ego iam tibi dixi : quia christiana sum : et domini mei Iesu christi ancilla : et reprobis idolis tuis nunquam sacrifico : Quibus auditis Iussit eam Lucretius carcerali custodia mancipari : quousque de ea cogitaret : Cumque in dei nomine ohstitisset† : fecit eam ambitiosus uicinus Lucretius præfocari noctu a seruis suis : et sic tradidit spiritum domino : quam etiam sancta ac uenerabilis Lucina una cum suis sanctissimis fratribus ibi in Sexto Philippi sæpeliuit quarto calendas augustas . Post hæc autem ingressus est predium sanctorum : et fecit Lucrecius conuiuium : in quo insultans sanctis dei dum epulantur : et esset ibi mulier : quæ filium suum lactabat : ille infantulus pannis inuolutus uocem emisit in conuiuio coram omnibus dicens : Audi lucreti occidisti et inuasisti : ecce datus es in possessionem inimici . Ad hanc uero uocem impalluit Lucretius : et tremor ac timor inuasit eum : Statimque etiam Sathanas in eum || ingressus : ibi in conuiuio per tres horas uexauit eum : quousque spiritum eius tolleret . Tantus autem metus irruit in omnes : qui aderant : ut simul omnes ad christianos confugium facerent : et christiani facti omnibus enarrarent passionem sanctæ ac beatæ martyris Beatricis uirginis Christi in conuiuio uindicatam . Lucina autem uenerabilis fœmina cum fugeret asperitate territa passionis : apparuit ei sancta dei Beatrix dicens : noli abscedere : quia in hoc mense pax dabitur ecclesiis Christi : quod factum est domino auxiliante : et regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI SYMPHORIANI MARTYRIS .

Sub Aureliano principe cum aduersus christianorum nomen persecutionis dire procela detonaret : et ad delendam religionem catholicæ legis imperii sui decreta concitaret : erat tunc in Augustudinensi urbe Fausti nobilis uiri filius nomine Symphorianus christianæ familiæ et litteris bene institutus et moribus ita : ut primitiue indolis florentibus annis senium anticipans uitam immaculatæ mentis sinceritate superaret . Hic itaque cum adolescentia crescens transiret infantiam : et cum ætas feliciter auspicata in robore uirili migraret : tantam spem uirtutum suarum bonis omnibus fecit : ut illum omnes boni iam cum supernis uirtutibus habere consortium meritorum ammiratione iudicarent . Illustrabat enim eum cælestis sapientia et spiritualibus gemmis ornata simplicitas : Et iustum uitæ tramitem tenens felicis gubernaculi defensione seruatus naufragium mundi male blandientis elapsus est . Erat enim Edua ciuitas antiqua nobilitatis titulis : sed sacrilegæ relligionis referta cerimoniis : errore famulans diuersis idolorum templis uano superstitionis amore tenebatur . Berecynthie Apollinis et dianæ cultum speciali dilectione uenerata est . ad Berecyn | thiæ matris .† dæmonum profanam sollemnitatem populorum multitudo conuenerat . Hæraclius illis temporibus consularis in eadem urbe sedebat : ad inquirendos discutiendosque christianos sagaci inquisitione sollicitus . Sanctus Symphorianus affuit : et quia statuam Berecynthiæ : quæ carpento portabatur agminibus stipata populorum despectam idorare† noluisset : publicæ seditionis obtentu compræhensus tenetur : et Heraclio consulari statuto præsentatur : Cui ille dixit : quod est nomen tuum : respondit Symphorianus : Christianus sum : et Symphorianus dicor . Iudex dixit : christianus es ? quantum iudeo† latuisti nobis : nominis huius magna professio est .

Cur deæ matris effigiem profana abusione despiciens adorare noluisti ? Et Symphorianus : iam dixi tibi christianus sum . deum unum adoro : qui regnat in cælis . Simulachrum dæmonis non adoro : uerum etiam si permittis maleis illud mea auctoritate comminuo . Iudex dixit : Iocaris Symphoriane gloriose indolis : nec tibi subambiguum fama cœpit suadere mendacium . Forsitan ignoras : quod principum nostrorum sanctitate sanctissimo officio recitante panditur : Ex officio dictum est : Aurelianus imperator singulis amministratoribus suis atque rectoribus : Comperimus ab iis : quos christianos temporibus nostris dicunt : legum præcepta uiolari . Hos compræhensos : nisi diis nostris sacrificauerint : diuersis punite cruciatibus : quatinus habeat et districto† prolata iusticiam et in resecandis criminibus ultio terminata iam finem . Lectis imperatorum præceptionibus : Iudex dixit : Quid ad hæc Symphoriane respondes ? nunquid possumus decreta conuellere ? duplex tibi crimen intenditur . uideris et pro deorum despectione sacrilegium perpetrare : et pro legum abusione contemptus : nisi præceptis satisfeceris : hæc omnia sanguinis placabit effusio . Ad quem sanctus Symphorianus respondit : nunquam ego hanc imaginem nisi diabolicæ persuasionis infaustum simulachrum et publicæ perditionis execrandum dæmonium iudicabo . In || chaos semper semita urgente collabitur : quisquis christianus damnatus passionibus deterioris uitæ mala retrorsum couersus† aspexerit . Statim per diuinum gradum semita exorbitante iactatus et parati muneris gratia destitutus antiqui hostis rætibus patet . Deus noster ut nouit remunerare merita : ita nouit punire peccata . Nomini suo obedientes uiuificat . rebelles interficit : in cuius confessione firma stabilitate duranti : tutum mihi est sempiterni regis tenere portum quam mortiferum diaboli sæuientis intrare naufragium . Vbi uidet iudex sanctum Symphorianum iussionibus suis non præbere famulatum : ussit† eum a lictoribus suis cædi : et in carcerem mancipari : quem compræhendentes statutis diebus conspectui suo iubebat offerri : producebatur a tenebris flius† lucis de illo uestibulo feralis ergastuli : cum æterno rege semper in æternitate mansurus : arctiores nexus liuentium lacertorum macie cutis attenuata laxauerat : Et dum animum suum ad supernæ gaudia alacritatis attolleret : inter beata supplicia non fuit minus consumpsisse sanguinem quam fudisse . Tum Iudex : quantum rectius feceris Symphoriane : ut immortalibus diis seruiens muneratum te ex ærario publico nobilis militiæ splendor attolleret . Quia hallantia sertis redimire iubemus altaria ture odoribusque incensis sacrificia digne resoluere . Ad quem Symphorianus : non debet iudex cui commissa respublica est : friuolis uerborum sermocinationibus iacentem proferre sententiam . Si periculosum est non quottidie ad profectum animæ aliquid addere : quanto periculosius est a salute discedentem in scopulis peccatorum naufragio urgentem collidi uitam . Quæ Christo soluturi sumus ex debito : soluamus ex uoto . Sera pœnitudo est sub iudicis timuisse conspectum : munera enim uestra fucati mellis permixta dulcedine incredulis mentibus uenena paturiunt† : Diuitiæ uero nostræ semper in Christo sunt . Cupiditatis autem uestra omnia habendo possidebit : quæ diabolicis delegata facultatibus infelicis lucri cupiditatibus detinetur . Solus deus noster beatitudinem uendicat | sibi . Huius gloriæ exordium quia non fuit conscia rerum : nescit antiquitas . Huius terminum quia erit nosse non potest series inueterata sæculorum . Iudex dixit . Nimium diu te Symphoriane nesciocuius Christi magnitudinem disputantem patientiæ meæ tenore sustinui . Nisi deæ matri sacrificaueris : hodie dillaniatum omnibus pœnis capitalis sententiæ te damnatione prosternam . Ad hæc Symphorianus : ego omnipotentem deum : qui me fecit timeo : et ipsi soli seruio . Tu corpus meum ad tempus in potestate habes : animam non habes . Iudex dixit : Symphorianus publici criminis reus qui diis nostris sacrificare renuit gladio feriatur : ut deorum uindicetur iniuria . Sic datur sententia . Dum beatus Symphorianus duceretur ad uictimam : uenerabilis eius mater de muro sedula commonuit dicens : Nate Symphoriane in mente habe deum uiuum . Resume constantiam fili : depone timorem mortis : quia constantia sine dubio perducit ad uitam . Sursum corda suspende fili : aspice illum : qui regnat in cælis . Hodie tibi uita non tollitur : sed mutatur in melius . Hodie nate ad supernam uitam felici commutatione migrabis . Sic sanctus Symphorianus extra murum ductus a percussore prostratus a religiosis latenter inde sublatus est . Sic martyr delatus ad fontem : qui extra publicum est : et ibi in parua cellula sepultus : semper tamen uirtutibus se publicauit per ipsum : cui est cum patre laus uirtus et gloria in sæcula sæculorum Amen ,

PASSIO SANCTORVM SIMONIS ET IVDAE APOSTOLORVM .

Simeon chananeus et Iudas Zelotes apostoli domini nostri Iesu Christi cum per reuelationem spiritussancti Persidem regionem fuissent ingressi : inuenerunt ibi duos magos Zaroen et Arphaxar : qui a facie sancti Mathei apostoli de Ethiopia fugerant : Erat autem doctrina eorum praua : ita ut deum Abraam || et deum Isaac et deum Iacob blasphemantes deum dicerent tenebrarum . Moysen autem dicebant maleficum . omnes prophetas dei a deo tenebrarum missos assererent . Animam hominis partem dei habere dicerent : corpus uero figmentum a deo male factum : et ideo contrarium sibimet : diuersisque substantiis : in quibus lætatur caro : anima tristatur : et in quibus exultat anima : corpus affligitur . Solem et lunam deos affrimantes† : Aquam simul deitatem habere docebant . Dei autem filium dominum nostrum Iesum christum phantasiam fuisse : nec uerum hominem ex uirgine natum : nec uere passum : nec uere sepultum : nec uere tertia die resurrexisse a mortuis . Hæc prædicatio polluta persis per Zaroen et Arphaxar meruit euenire : qui se dicerent spiritumsanctum de cælo missum habere iuxta promissum domini dicentis : uado ad patrem : et mitto uobis spiritumsanctum paracletum . Sed et rex Astriachim licet gentilis dixit eis omnibus : notum est Iudæos crucifixisse Iesum : et die tertio illum resurrexisse : et ideo pene uniuersus orbis credidit hunc deum esse : quia non solum surrexit : uerum in cælos ascendit . Sancti itaque apostoli domini Iudas Zelotes et Simon chananeus cum ingressi essent persidem : occurrit eis præfectus Baradach dux regis babyloniorum : cui nomen Xerxes . Hic autem contra Indos qui fines persidis inuaserant susceperat bellum . in comitatu autem eius erant sacrificatores et Arioli et magi et incantatores : qui per singulas mansiones sacrificantes dæmoniis dabant responsa falaciæ suæ . Illo autem die concidentes se et sanguinem suum effundentes nullum penitus potuerunt dare responsum : Perrexerunt autem ad fanum uicinæ ciuitatis : et illic consulentes dæmonia : dedit mugitum dæmon : et dixit : dii qui uos comitabantur euntes in prælium non possunt dare responsa : quia apostoli dei ibi sunt : unus dicitur Simon : alter Iudas . Isti autem hanc uirtutem consecuti sunt a deo : ut nullus deus audeat illis presentibus loqui . Tunc Baradach dux exercitus regis Xerxis fecit eos inquiri : | quos cum inuenisset : cœpit ab eis inquirere : qui essent : aut unde essent : aut quare uenissent . Cui sanctus apostolus Simon dixit : Si genus quæris : hebrei sumus : Si conditionem serui sumus Iesu christi . Si causam quæris : salutis uestræ causa uenimus : ut relicto errore simulachrorum : deum qui est in cælis possitis agnoscere : Cui Baradach dux dixit : nunc interim ad prælium Indorum quod proposueram uadam : qui inuadentes fines Persidis : Medorum auxilia contra nos promouerunt : Et non est oportunum mihi : ut de his discutiam : dum felix fuerit reuertendi successus : audiam uos . Dicit ei sanctus apostolus Iudas : modo magis congruum est : te cognoscere illum : cuius ope et auxilio possis uictor existere : uel certe eos : qui rebelles existunt pacatissimos inuenire . Dicit eis Baradach dux : quatinus audio deos nostros non esse ausos coram uobis positos nobis dare responsa : uos nobis futura prædicite : ut quos belli exitus habiturus sim : possim scire . Dicit eis sanctus Simon apostolus : ut agnoscas errorem horum : quos tu putas tibi futura prædicere : damus illis potestatem respondendi tibi : ut cum dixerint : quæ ignorant : probemus eos per omnia esse mentitos . Dicit ei Baradach dux : Vtinam quidem possit fieri : ut interrogati loquantur . Dicunt ei ambo apostoli : modicum sustine : et iubebimus dæmonibus his loqui : Cumque orationem fudissent ad dominum : dixerunt : In nomine domini nostri Iesu christi præcipimus uobis loqui : ut more solito detis responsa iis qui uos interrogare consueuerunt . Ad hanc uocem cœperunt faanatici† eorum aripi : et dicere : grande bellum futurum esse : et ex utraque parte posse interfici preliantes . Tunc apostoli ex abundanti lætitia in risum excitati sunt . Dicit eis Dux : me timor inuasit : et uos ridetis ? Dicunt ei apostoli : cesset timor tuus : quia in ingressu nostro pax nobiscum intrauit in istam prouinciam : Nam hodie intermitte profectionem : et crastino die hac hora diei idest tertia uenient ad te : quos præmisisti cum legatis Indorum : qui uobis et terras inuasas restitutas ue || stro imperio nunciabunt : et in solitis : ributis† additum referent : et paci uestræ ad uascumque conditiones uolueritis gratanter

consentientes pactum firmissimum stabilibunt . Simili modo pontifices risum leuauerunt dicentes duci : domine dux noli credere istis hominibus uanis mendacibus aduenis et ignotis : qui ideo aliqua loquuntur : ut non teneantur quasi exploratores . Isti autem dii qui nunquam fallunt dederunt tibi responsa : ut sis cautus : et sis sollicitus . Isti autem uolunt te reddere securum : ut dum minus cautus fueris : possis ex inprouiso acrius laborare . Respondens autem Simon apostolus Christi dixit : Audi me dux : nos aduenæ et ignoti sumus : sed mendacissimi non sumus : non enim diximus : expecta biduum aut triduum : sed crastina die circa horam tertiam prædiximus uenturos esse hos : quos ipse misisti . Venient autem cum eis Indorum honorati : qui pactum feriant consentientes hoc : ut sint tributarii persarum amplius quam fuisse noscuntur . Cœperunt etiam pontifices insanire in eos : et dicere : Inter aureas et gemmatas : inter purpureas et auro textas uestes Inter pateras et omnem gloriam Babylonii regni dii nostri splendidi diuinitatis suæ responsa dantes dicuntur posse mentiri : quod blasphemum† capiti eorum redundare debet : et isti pannosi et personam nullam habentes ueraces sunt ? quos uel audiri uel uideri iniuria est . Hos domine dux ad iniuriam deorum non punis ? Respondens autem dux dixit : hoc est magnum : quod aduenæ pauperes et ignoti cum tanta conscientia hoc asserant : quod deorum nostrorum uidetur testimonio esse contrarium . Dicunt ei pontifices : iube eos custodiri : ne fugiant . Respondens dux dixit : ego non solum eos iubeo custodiri : sed etiam et uos eritis in custodia in crastinum : ut rerum exitus doceat : si possit eorum testimonium comprebari† . Post hæc iudicabitur : qui sint : qui merito debeant honorari : quique merito debeant condemnari . Factum est autem in crastinum iuxta uerbum apostolorum : uenerunt nuncii : qui missi fuerant cursu uelocissimo in dro | medariis et nuntiauerunt omnia ita esse : sicut apostoli fuerant prosecuti . Tunc iratus pontificibus dux iussit ignem copiosum accendi : ut ibi pontifices præcipitarentur : et omnes qui apostolorum dei effuscare nitebantur predicationem . Apostoli autem prostrauerunt se duci dicentes : obsecramus te domine : ne efficiamur nos causa interitus eorum : ut qui pro salute hominum huc missi sumus : non uiuificare mortuos sed uiuentes occidere uideamur . Et cum puluerem super caput suum mitterent prostrati duci Barach : dixit : miror uos ita pro his interuenire : qui nihil aliud egerunt per omnes comites meos et tribunos et sataapas† quibus etiam premia contulerunt ingentia : nisi ut uos incenderent uiuos . Dicunt ei ambo apostoli : disciplina magistri nostri hanc regulam tenet : ut non solum malum pro malo non reddat : sed etiam bona pro malis restituat . Hanc solam distantiam noui inter nos esse et cæteras disciplinas : quod omnes reddunt pro malo malum : omnesque odio habentes se odio habent : nos autem diligimus inimicos nostros : et benefacimus iis : qui nos oderunt . Dux autem dixit eis : uel hoc facere me permittite : ut omnia bona eorum uobis tradantur : Et cum hæc diceret : iussit inquiri quanta esset facultas pontificum : et respondentes tabularii fisci dixerunt unus pontifex unam libram auri in mense de fisco consequitur . Et computati sunt pontifices et inuenti sunt centumuiginti excepto eo : qui pontificatus arcem tenebat : et quadruplum in eo consequebatur quam cæteri : qui inferiores esse uidebantur . Congregatæ sunt autem familiæ eorum et uestes et ministeria et argentum et aurum et iumenta et omnia : quæ habere poterant . Apostoli uero nihil omino† acipere uoluerunt . Dixit autem dux ad regem : Audi me rex : Isti dii sunt in effigie hominum latentes : nam ii quos habemus deos timent eos : et nisi iussissent eis responsa dare non poterant : et ipsi responsa falsa nihilque in se uerum habentia protulerunt . Isti autem pontifices eorum dum dicerent eos aduenas fallentes quibus non debe || tur credi : et insisterent : ut punirem eos : utrosque in custodia habui : ut pars quæ uera diceret remuneraretur : et pars quæ falleret puniretur . At ubi omnia eo ordine quo isti prædixerant sunt adimpleta : et uellem eos hoc pati : quod illi istos pati laborabant : Isti precibus egerunt : ut penitus istos mala ferre non sinerem : Et quæ eis offerebantur contempserunt dicentes : non nobis licet aliquid possidere super terram : quia possessio nostra in cælis est : quæ est æterna : ubi immortalitas regnat . Et ideo nulla ratione possumus accipere aurum et argentum aut uestes aut domos aut prædia aut seruos aut ancillæ† . Ista omnia terrena sunt : et morientem hominem non sequuntur : quibus cum dicerem aliquantulum accipite : quia peregrini estis : Isti dixerunt : non sumus pauperes : quia diuitias cælestes habemus : Sed si uis ut ad salutem animæ tuæ proficiat census : eroga eum debilibus :

eroga tribulatis : eroga uiduis et orphanis : eroga infirmantibus : libera debitores : qui a creditoribus exiguntur : et quod reddere possint non habent . eroga publice manum porrigentibus et omnibus : qui his opibus indigent . Nos enim terreno penitus non egemus . Audientes hæc Zaroes et Arphaxar magi qui cum rege erant : quando hæc dux regi intimabat : excitati in Zelum dixerunt : Isti homines maligni sunt : et contra deos et contra regnum tuum subtiliter agunt : nam si uis scire : quia uera sunt : quæ dicimus : non prius permittantur loqui : nisi prius adorauerint deos tuos ante te domine rex . Dicit eis dux : si ausi estis habere cum eis conflictum : et si uiceritis eos abiicio . Dixerunt magi : si nos adorauerimus deos uestros omnipotentes : adorent et illi . Dixit eis rex . Hoc ipsum conflictus uester inueniat : ut possint adorare deos nostros . Responderunt magi : Si uis uidere potentiam nostram : ut probes : quia non poterunt loqui nobis presentibus : iubeas stare hic aliquos eloquentissimos potentes in lingua : accutissimos in argumento : clamosos in uoce : et precipe illis : ut habeant nobiscum conflictum : Et si ausi fuerint nobis præsentibus loqui : | probabis nos esse imperitissimos . Tunc iussu regis et ducis omnes aduocati præsto facti sunt : Isti sunt a duce admoniti : ut quanta possent constantia haberent cum his magis contentionem : et eos a defensione proposita excluderent suorum argumento uerborum . Et cum in præsentia regis et ducis cunctorumque magi loquuti essent : omnis illa aduocatio ita muta facta est : ut nec quod loqui non poterant indicarent . Et cum unius hore fere spatium transisset : dixerunt magi ad regem : ut sciant nos ex deorum numero esse : permittemus eos loqui quidem posse : sed ambulare non posse . Quod cum fecissent : adiecerunt iterum dicentes regi : Ecce reddimus eis gressum : sed facimus eos apertis oculis non uidere . Cumque et hoc fecissent : expauit cor regis et ducis : dicentibus amicis eorum non debere contemni hos magos : ne et regi et duci hanc inferrent debilitatem in membris . Igitur hoc spectaculo primo mane usque ad horam sextam explicito : aduocati mærore confecti reuersi sunt domos et nimio animi fatigabantur impulsu . Dux uero cum haberet apostolos ut amicos : et narraret eis omnia : quæ dicta uel facta fuerant : duci apostoli dixerunt : ut scias nobis præsentibus figmenta eorum ualere non posse : et eos timere nostram præsentiam : iube aduocatos ipsos ad nos uenire : priusquam ad ipsos uadant : Et postea quam ad nos uenerint : iterum ingrediantur ad regem similem habituri conflictum : et si præualuerint eis : scias nos posse aliquatenus ab eis uinci . Conuocauit autem dux omnem illam aduocationem in domum suam : et quasi compatiens illis dux dixit : doleo ualde de uerecundia uestra : quam estis in regia aula perpessi . Vnde sciatis me inuenisse homines : qui uos muniant : et doceant : qualiter non solum nobis† non præualeant : sed etiam a nobis† superati discendat† . Tunc omnis illa multitudo aduocatorum prostrata duci gratias agens cœpit precibus agere : ut dictum facto compleret . At ille produxit eis apostolos dei Simonem et Iudam . Videntes autem aduocati homines uilissima ueste indutos : quasi || despectorum cœperunt habere personas . Facto tamen silentio sic eis locutus est Simon : Sæpe uenit : ut intra serinea aurea et gemmata uilia quæque habentur inclusa : et intra uilissimas et ligneas capsas sint gemmarum monilia pretiosa composita . Solent enim uasa pulcherrima aceto repleta execrationi et contemptui subiacere . Vasa uero fœdissima in aspectu intus uino optimo repleta ambitionem sui saporis excitare gustantibus : Ita ut neglecta uisione contemptibili quæ aspectus offendit de sola cogitent homines suauitate : qui enim alicuius rei cupit esse possessor : non magnopere gestatorem eius sed ipsum quod gestatur expectat . Non ergo offendat aspectus uestros iste noster habitus uilis : Intus enim latent ea : quæ æternam nos facient gloriam inuenire et uitam . Nos enim omnes homines de uno patre et de una matre nati sumus : qui cum facti essent : et positi in regione uiuorum : suadente angelo inuidiæ præuaricati sunt in lege : quam a suo conditore acceperant et serui facti eius : cui suadenti obtemperauerunt . Post hæc cum ipso angelo de illa regione uitæ æternæ proiecti : in ista terra exilio damnati sunt : Sic tamen exilio damnatis misericordiam suam deus in parte constituit : ut si homo creatorem suum solum deum excoleret : inimicus ille angelus ei nocere non posset . Egit autem hic ipse pessimus homo : ut a creatore suo recedens idola coleret : et elementa adoraret : et diceret ligno quod ipse dolauerat : tu es deus meus . Recedente a deo suo homine a custode suo a saluatore suo patuit inimico . Hunc autem errorem in omnibus hic angelus princeps inuidiæ ideo nutriit : ut ipse eis dominetur :

et faciat de eis : quod ipse uoluerit : quoniam deus uerus quem iste angelus timet : non est cum eis . Hac de causa fecit nos† per magos suos quandiu uoluit tacere : et iterum fecit uos immobiles permanere : Vnde ut probetis ita esse : uenite ad nos : et promittite ab idolorum cultura discedere : et deum solum inuisibilem colere et adorare : Et cum hæc feceritis : imponimus nostras manus super | capita uestra : et signum Christi facimus in frontibus uestris : et si non confutaueritis eos : credite nos fallere omnia quæcumque asserimus . Tunc uniuersi illi aduocati considerantes rationem ueram : prostrauerunt se apostolis dicentes : uos facite : ut non nobis possint linguæ impedire officia : nec aliqua in membris nostris impedimenta inferre : et sit super nos ira dei : si ultra nos idolis crediderimus . Tunc orauerunt simul sancti apostoli Simon et Iudas dicentes : Deus Israel qui exinanisti magica figmenta Iannes et Mambres et dedisti eos in confusionem : et hulcera in carnibus eorum nasci iussisti : sic ueniat manus tua super hos magos Zaroen et Arfaxar : Hos autem famulos tuos promittentes quod ab omni cultura idolorum abscendant† : fac fortes et stabiles constantes contra eos insurgere : ut cognoscant omnes : quia tu es deus unus omnipotens : qui regnas in sæcula sæculorum : Cumque respondissent : Amen : signati sunt in frontibus : et abierunt . Ingressi autem cum duce ad regem : assunt magi uolentes facere : quæ fecerunt : et nulla poterant ratione præualere . Vnus autem ex aduocatis nomine Zeus dixit : audi domine rex ista stercora abiicienda sunt ex tuo regno : et emundanda : ne forte omnibus putredinem generent : habent enim secum angelum humani generis inimicum : et ludificant de his hominibus : quos ipse angelus malus poterat habere subiectos : qui non deo omnipotenti subiecti sed illos habent deos : quos ipsi custodiunt . Ideo autem insistebant ipsi magi : ut apostoli sancti hos deos adorarent : quo facto deum uerum offenderent : et ipsi præstigia exercerent . Denique signum dei sui in frontibus nostris suis digitis facientes miserunt nos dicentes : Si post istud signaculum dei præualuerint artes eorum : sciatis nos quæ docemus uniuersa esse mentitos . Ecce in dei nomine insultamus eis . Tunc uniuersi aduocati insultant eisdem magis dicentes : Si potestis agite quæ heri gessistis . Illico irati magi multitudinem serpentium fecerunt . Tunc dixerunt omnes regi : domine rex uoca apostolos || dei : et cursim miserunt ad apostolos dei . Et uenientes apostoli impleuerunt pallia sua serpentibus : et miserunt in eosdem magos dicentes : In nomine domini nostri Iesu christi non morte eos afficite : sed morsibus eos attractantes sibillorum uestrorum mugitus dabitis : Statimque serpentes comedere cœperunt carnes eorum : et cœperunt hululare sicut lupi . Rex autem et omnes dicebant apostolis : permittite eos : ut moriantur ab eis . At illi dixerunt : nos missi sumus : a morte ad uitam reducere : non a uita præcipitare ad mortem . Tunc oratione facta dixerunt apostoli serpentibus : recedite in nomine domini nostri Iesu christi ad loca uestra . Omne autem uenenum quod infudistis istis magis auferte . Maiores autem cruciatus passi sunt : cum uniuersi serpentes iterum morsibus edebant carnes eorum : ut uenena sua traherent suggentes sanguinem eorum : Cumque abiissent omnes serpentes : dixerunt apostoli magis : audite sanctam scripturam o impii dicentem : qui proximo suo parat foueam : ipse prior cadit in eam . Vos quidem parastis nobis mortem : nos autem rogauimus dominum nostrum Iesum christum : ut uos a morte eriperet : Et qui per multos annos debuistis uulneribus his serpentinis affligi : tercio die transacto recuperata uobis sanitas renouabitur . Forsitam† uel ab impietate uestra cessabitis : dum bonitatem dei circa uos exhuberare probaueritis . In istis autem tribus diebus ideo permittimus uobis dominari dolores : ut pœniteat uos erroris uestri . Tunc apostoli dei iusserunt eos inter manus tolli : et duci ad hospitia sua : et per triduum non manducare non bibere neque dormire illis possibile fuit . Sed cum iam in eo essent : ut simul pariter expirarent : uenerunt apostoli ad eos : et dixerunt : Non dignatur deus habere seruitia coacta . Ideoque surgite sani habentes liberam facultatem conuertendi de malo in bonum : et exeuudi† de tenebris ad lucem . Illi autem permanentes in perfidia sua : sicut a facie Mathei fugerant : sic ab his duobus apostolis fugientes simulacrorum cultores per totam persi | dis regionem ad apostolorum inimicicias excitauere dicentes : uenient ad uos inimici deorum uestrorum : si uultis deos uestros habere propitios : compellite eos sacrificare eis . Si autem noluerint interficite eos . Ipsi autem sacrificabant per cuncta templa eorum : et faciebant præstigiis suis subito homines cæcos : et iterum uidentes : subito surbos† et iterum audientes : subito fixos et iterum reso-

lutos . Apostoli autem a rege et duce rogati morabantur in Babylonia facientes mirabilia magna illuminantes cæcos : surdis reddenies† auditum : gressum claudis : mundantes leprosos : fugantes dæmonia ex obsessis corporibus . Habebant autem discipulos multos : ex quibus presbyteros diaconos et clericos ecclesiasque ordinabant . Factum est autem ut unus ex diaconibus pateretur crimen incœstus : erat enim uicinus filiæ Satrapæ cuiusdam ditissimi hominis : quæ perdita uirginitate partum edens periclitabatur . Interogata a parentibus : uirum asnctum† et castum diaconem Euphrosynen nomine impetebat : qui tentus a parentibus puellæ urgebatur subire uindictam . Audientes autem apostoli uenerunt ad parentes puellæ : qui cum uidissent apostolos : clamare cœperunt et diaconem reum huius criminis accusare . Tunc ambo apostoli dixerunt : quando natus est puer . Responderunt heri hora prima diei . Dicunt eis apostoli dei : perducite huc infantem : et diaconem : quem accusatis huc adducite : Cumque in præsentia essent : dicunt apostoli ad infantem : in nomine domini nostri Iesu christi loquere : et dic si iste diaconus præsumpsit hanc iniquitatem . Infans autem absolutissimo sermone ait : diaconus iste uir sanctus et castus est : et nunquam inquinauit carnem suam . Insistebant autem parentes : ut de persona culpabili interrogarent : qui dixerunt : nos innocentes absoluere decet : nocentes prodere non decet . Post hæc autem contigit dum exercitum agerent : ut amicus regis Nicanor nomine in ipso genu sagittam acciperet : quæ de osse illius nulla poterat euelli ratione . Tunc beatus Simon apostolus Christi inuocato || nomine Iesu mox ut manum applicuit eam abstulit : statimque sanatus est : ut nec signum uulneris remaneret . Item euenit : ut duæ tygres ferocissimæ in singulis caueis clausæ fugerent : et quidquid inuenire poterant deuorarent : Tunc sancti apostoli inuocantes nomen domini nostri Iesu christi iusserunt : ut sequerentur eos domum in qua manebant : et per triduum ibi manserunt : et conuocantes omnem populum dixerunt : audite omnes filii qui ad imaginem filii dei facti estis : quibus dedit deus ingenium memoriam et intellectum . Consyderate feras : quæ nunquam mansuescere poterant : quoniam audito nomine domini nostri Iesu christi in agnos conuersæ sunt : et homines in tanta stoliditate perdurant : ut non intelligant deos istos esse figmenta aurea et argentea : quæ conflata sunt et ad arbitrium hominum fabricata aut de lapide et ligno sculpta : deum autem qui nos creauit ignoratis : qui dat nobis pluuiam de cælo : et producit nobis panem de terra et uinum et oleum de surculis lignum : Vt autem sciatis quia ipse est uerus deus : erunt uobis in testimonium tygres istæ : ut ipsæ uos ammoneant quodam modo : ut non alterum colatis deum nisi dominum nostrum Iesum christum : in cuius nomine istæ mansuetæ factæ sunt : quasi oues in medio uestri conuersabuntur . Vespere autem facto in suam cellulam reuertentes manebunt : nos autem oportet peragrare ciuitates uniuersas et prouincias : ut prædicatio euangelii domini nostri Iesu christi possit agnosci . Flæbant autem populi rogantes eos : ut non discederent : quibus petentibus : uno anno et mensibus tribus remorati sunt : in quo amplius quadragintamillibus hominum baptizati sunt exceptis paruulis et mulieribus : Baptizato prius rege cum uniuersis dignitatibus suis . Videntes autem omnes infirmitates uerbo curari ; illuminari cæcos etiam mortuos suscitari : domino nostro Iesu christo uniuersi populi crediderunt destruentes templa : et ecclesias extruentes . Ordinauerunt ex ciuitate episcopum nomine Abdiam : qui cum ipsis ue | nerat : qui et ipse uiderat oculis suis dominum : et repleta est ciuitas ecclesiis : quibus recte ordinatis profecti sunt . Sequebantur autem turbæ discipulorum ducenti et eo amplius uiri . Circumierunt autem duodecim prouincias persidis et ciuitates eorum : in quibus quæ egerint : et quæ passi sint per annos tredecim† longa narratione scripsit Craton apostolorum discipulus in decem librorum uoluminibus uniuersa comprehendens : quæ Aphricanus historiographus in latinam transtulit linguam . Nam uolentibus scire quæ fuerint apostolorum principia prædicationis uel quo fine mundum dereliquerint : et ad cælestia regna migrauerint ista sufficiant memorata . Igitur magi Zaroes et Arfaxar facientes scelera pereuntates† : et dicentes se ex genere deorum semper a facie apostolorum fugientes tandiu erant in quacumque ciuitate : quandiu agnoscerent eos aduenire . Apostoli autem cum fuissent ingressi detegebant facta eorum : et ostendebant doctrinam eorum ab inimico generis humani adinuentam . Erant autem in ciuitate Suamnir septuaginta templorum pontifices : quos hac locutione magi in apostolos incitauerunt . Venturi sunt duo hebrei deorum omnium inimici . At ubi docuerint

deum alterum adorari debere : uos exclusi eritis a facultatibus uestris : et pro purgamento eritis abiecti . Alloquimini ergo populum : ut mox cum urbem istam intrauerint teneantur ad sacrificandum : si consenserint pacem habebunt cum diis uestris : si uero contempserint : sciatis illos ipsos ad subuersionem uestram ingressuros ad depredationem et mortem . Factum est autem : ut cum peragrassent uniuersas prouincias : uenerunt ad Suamnir ciuitatem magnam : in quam cum ingressi fuissent : et mansissent apud discipulum suum uirorum nomine Sennen : ecce circa horam primam uenerunt omnes pontifices cum populo innumerabili clamantes ad Sennen : produc ad nos inimicos deorum nostrorum : cum quibus si non sacrificaueris : incendemus te et domum tuam cum ipsis . Interea tenentur apostoli dei : || et ducuntur ad templum solis : quod ingredientes cœperunt clamare dæmones per erguminos† : quid nobis et uobis apostoli dei uiui : ut in ingressu uestro flaminis† exuramur ? Stabat autem in una æde templi ab oriente quadriga equorum fusilis ex auro : in qua sol radiabat . In alia autem stabat luna fusilis ex argento habens bigam boum fusilem similiter ex argento . Cœperunt ergo pontifices apostolis dei uim facere cum populo : ut adorarent eos : simul et illi duo magi qui hanc ipsam uiolentiam excitarant . Tunc dixit Iudas ad Simonem : frater Simon uideo dominum Iesum christum uocantem nos . Similiter et Simon respondit : diu est quod intueor aspectum domini in medio angelorum : nam dixit mihi angelus domini : cum orarem : faciam uos egredi de templo : et faciam ipsum templum ruere super eos : et dixi nequaquam : domine non fiat hoc . fortasse erunt ex his aliqui : qui conuertantur ad dominum . Igitur cum hæc secum hebraico sermone loquerentur : apparuit eis angelus domini dicens : Confortamini : et unum ex duobus eligite : aut istorum repentinum interitum : aut ad palmam martyrii uestri cum fiducia boni certaminis præparate . Cui resnondentes† dixerunt : oranda est misericordia domini nostri Iesu christi : ut et istis propitietur : et nos adiuuet : ut possimus pertingere ad coronam . Hoc autem soli apostoli uidentes et audientes compellebantur a pontificibus adorare simulacra solis et lunæ : quibus apostoii† dixerunt : facite fieri silentium : ut demus responsum omni populo . Facto autem silentio dixerunt : audite omnes : et uidete : Solem nos scimus esse seruum dei : et lunam similiter præcepto sui creatoris esse subiectam : in cæli tamen firmamento consistentes non sine iniuria sui in templis includiuntur† : qui in cælo omni sæculo patent . Vt sciatis autem : quia simulachra eorum non sole sed dæmoniis plena sunt : iubemus nunc huic dæmonio quod in simulacris solis et lunæ uos ludificat : et stupentibus dixit Simon ad simulacrum solis : præcipio tibi ludificator huius populi dæmon pessi | me : exi de simulacro solis : et comminue ipsum et quadrigam eius . Similiter cum hoc Iudas ad simulacrum lunæ dixisset : uisi sunt ab omni populo duo ethiopes nigri nudi horribili habitu egressi : et confringentes ea hululatum diræ uocis emiserunt . Tunc omnes pontifices irruentes in apostolos Christi interfecerunt eos . Erant autem gaudentes et alacres : gratias deo agentes : quia digni habiti sunt pro nomine domini pati . Passi sunt autem quinto calendas nouembres . Simul quoque passus est Sennes hospes eorum : quoniam idolis sacrificare contempsit . Ipsa autem hora cum nimia fuisset cæli serenitas : fulgora steterunt nimia : ita ut trifariam templum ipsum inciderent a summo tecti fastigio usque ad ultimum fundamentum . Illi autem magi Zaroes et Arfaxar ictu corruscationis adusti in carbones conuersi sunt . Post menses autem tres misit rex : et confiscauit omnes pontifices : corpora autem apostolorum cum ingenti honore ad suam transtulit ciuitatem : in qua instruxit basilicam in octogeno eiclo† angulorum : ut octogenorum pedum numerus numeretur per gyrum : In altum antem† pedum centum uiginti . Omnia ex quadratis marmoribus simmaticis extruxit . Cameram uero laminis aureis affixit . In medio autem octogeno sarcophagum ex argento puro instituit . Per tres autem annos fabricam incessanter exercuit : et consumans eam die natalis eorum id est quinto calendas nouembres meruit dedicare loca eorum . In quo loco beneficia consequuntur : qui credentes in dominum Iesum christum illuc meruerunt peruenire . Scripsit autem gesta apostolorum Abdias episcopus Babylonis : qui ab ipsis apostolis ordinatus hebreo sermone : quæ omnia a discipulo eiusdem Abdiæ Europio nomine in grecum translata sunt : quæ uniuersa nihilominus ab Aphricano in decem librorum uolumina latino sunt translata sermone : Ex quibus decem libris ista descripsimus : initia de primo et ultima de decimo agentes deo gratias : qui uiuit et regnat in secula sæculorum . Amen . ||

VITA SANCTI SIMPLICIANI ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS ET CONFESSORIS .

Beatus Christi confessor Simplicianus : sicuti quorundam ueredicorum uirorum relatione didicimus : qui hæc se in quibusdam uetucstissimis† scriptis reperisse fatentur : tam moribus quam genere clarissimus fuit : patre Lodouico matre uero Senedruga in pago betuatensi ut fertur oriundus . Traditus autem a parentibus liberalibus studiis adeo suam pueritiam ibi exercuisse uisus est : ut præ omnibus sui temporis phylosophiæ splendore radiaret . Quanto uero labore in sua adolescentia et iuuentute tam diuinis quam humanis litteris : non solum Romæ ubi præcipue degit : sed etiam per mundum quasi fugientes litteras insecutus est : eius uenerabilis testatur senectus : quæ pro sua sancta scientia suaque uera sapientia in tam celebri ecclesia deo ordinante pontificali mitra sicut in sequentibus demonstrabitur redimi meruit . Et ne mea inbecillitas de proprio quicquam hic addidisse uideatur : præstantisimi doctoris Ambrosii sanctæ Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopi cuius uenerabile os sapientiæ sale repletum : nihil solet redolere insipidum : testimonium in medium proferamus . Namque ut sanctos dei decet : exhortationis seu familiaritatis subtilissimis requisitus sæpe quæstionibus : in quadam sua epistola ad eundem uenerabilem Simplicianum rescribens beatus Ambrosius : inter cætera sic respondet : Sed quid est : quod tu ipse dubites : et a nobis requiras : cum fidei et acquirendæ dilectionis diuine gratia totum orbem peragraueris : et quottidiane lectioni nocturnis ac diurnis uicibus omne uitæ huius tempus deputaueris : acri præsertim ingenio etiam nec intelligibilia : ut pote qui etiam philosophiæ libros monstrare soleas et plærosque inanes esse : ut prius scribentium in suis scriptis sermo quam uita eorum defecerit . Sed interim ea quæ sibi in sua senectute contigerunt relinquentes ad ea quæ adhuc iuuenis ges | sit : cuiusue honestatis siue sanctitatis fuerit uideamus . Erat autem domini confessor Simplicianus etiam ante quam ullo ecclesiastico officio fungeretur : uir per omnia moderatus : humilis in habltu† : in incessu compositus : uelox ad audiendum : tardus ad loquendum : discretus in silentio : temptatus in uerbo : in consilio prouidus : castitate præcipuus : Sibi parcus : pauperibus largus : in lectione assiduus : in oratione continuus : præcipuus in contemplatione : dei et proximi plenus dilectione . Talibus tantisque uirtutibus sanctam iuuentutem suam uir domini decorare studebat : unde factum est : ut gradatim ad sacros ordines digne promoueretur : et a cuncto non solum romanæ ecclesiæ clero diligeretur : uerum a cunctis pene catholicis per orbem constitutis eius opinio declararetur . Per idem tempus dum Liberius summi pontificis honore potiretur : et romanum imperium a Constantio regeretur : multimodæ hæreses per totum orbem maxime in ecclesia apostolicæ sedis pullulabant . Fungens igitur beatæ memoriæ Simplicianus in ipsa principali ecclesia precationis seu dei dilectionis officio : pro uiribus elaborabat : ita et ecclesiæ dei diligentius prouidebat : ut talenta a deo sibi commissa duplicarentur : et ad cultum ueræ fidei uerbo dei disseminato multi per eum perducerentur : inter quos fuit quidam Victorinus urbis Romæ rethor natione apher : qui totam fere urbem suo stemmate polluerat adeo : ut serui dei diuersis suppliciis non solum in plateis uerum etiam in ecclesiis necarentur . Ipse uero fauente sibi uniuerso populo statuam in romano foro adorandam erexerat . Insuper etiam ut supra dictus papa Liberius exilio deportaretur effecerat . Ad postremum uero nimio timore obstupefactus acquieuit hæreticis : et comunicatus est cum eis . Hiis et aliis inmunerabilibus† angustiis ecclesiæ dei crebrescentibus nixus est beatus uir dei Simplicianus lumbis succinctus duplici ensse† dei et proximi dilectione accinctus : pro muro se opponere : et in die domini pro Israel in prælio stare : Vnde factum est : ut primitus seculum ueridi || cam sententiam domini beaius† Simplicianus secretius ac familiarius rethorem Victorinum corriperet : atque corripiendo admoneret : seu admonendo suaderet : quatenus a tam magno cruore desisteret : et sanctas scripturas inuestigaret : ut ad uiam ueritatis redire posset . Igitur sicut diuina testatur pagina : ubi spiritussanctus doctor adest nulla mora discendi est : statim postquam sanctam scripturam inuestigasset : omnesque christianas litteras cum beato Simpliciano stu-

diosissime perscrutatus fuisset : sic affatus est sanctum Simplicianum : Noueris me iam esse christianum . Cui Beatus Simplicianus respondit : non credam : nec deputabo te inter christianos : nisi in ecclesia te uidero . Victorinus autem irridebat eum dicens : Ergo parietes faciunt christianum . Beatus inquit Simplicianus non ob hoc dixi quod parietes faciant christianum : licet christiani magis in ipsa ecclesia confiteantur deum et recognoscant delictum : sed sicut instinctu diabolico fecisti pene omnes uiam ueritatis obliuisci : ita tuo sollemni exemplo doceas eos ad tramitem ueritatis conuerti . Victorinus uero hoc sæpe ei dicebat iam se esse christianum : et beatus Simplicianus illud sæpe respondebat : et sæpe ab illo parietum irrisic repetebatur : amicos enim suos reuerebatur offendere superbos dæmonicolas subditos domesticos : quorum culmine babylonicæ dignitatis quasi ex cedris libani quas nundum contriuerat dominus grauiter ruituras in se inimicitias arbitrabatur . Sed posteaquam legendo atque inhiando cum beato Simpliciano duxit firmitatem : timuitque negari a Christo coram angelis dei : si eum timeret coram hominibus confiteri : reusque sibi magni criminis apparuit : erubescendo de sacramento humilitatis uerbi tui de sacrilegio superborum dæmoniorum : quæ imitatorum superbus accepereat† dpuduit† uanitati : et erubuit ueritati . Subitoque et inopinatus ait beato Simpliciano : Eamus in ecclesiam : et acquiescere tibi uollo . christianus fieri cupio . At beatus Simplicianus magno gaudio nimiaque læticia accensus incedebat per uiam eum introducendo atque | deum omnium bonorum factorem glorificando . Vbi autem imbutus est primis instructionum sacramentis non multo post etiam nomen dedit : ut per baptismum regeneraretur Mirante roma gaudente ecclesia : superbiebant et irascebantur dentibus suis stridebant et tabescebant heretici . Seruo autem suo Victorino dominus deus erat spes eius : et non respiciebat in uanitates et insanias mendaces . Denique ut uentum est ad horam profitende fidei quæ uerbis certis conceptis† retentisque memoriæ de loco eminentiori in conspectu populi fidelis Romæ reddi solent ab eis qui accessuri sunt ad gratiam : oblatum esse dicebant Victorino a presbyteris : ut secretus redderet sicut non nullis qui uerecundia trepidaturi uidebantur : offerri mos erat . Illum autem constitit maluisse ad monitionem pii patris Simpliciani in conspectu tantæ multitudinis profiteri . Itaque ubi ascendit : ut symbolum sanctæ fidei in conspectu tantæ multitudinis redderet : omnes sibimet in uicem increpuerunt : nomen eius a strepitu gratulationis esonuit : et præsso sonitu per ora cunctorum collætantium Victorinus cito sonuerunt exultatione : quia uidebant eum : et cito siluerunt intentione : ut audirent eum . Pronunciauit ille fidem ueracem præclara fiducia : et uolebant eum omnes rapere in cor suum : et rapiebant amando et gaudendo atque gratiam sanctispiritus paracliti recipiendo : Sicque factum est : ut urbem a præfati Victorini beatus Simplicianus errore expiaret : ipsumque Victorinum per sua sancta monita cum ingenti multitudine ad catholicam fidem conuerteret . Ob hoc fit : ut ecclesia dei multis uulneribus scissa consolidaretur : atque in pristinis bonis restitueretur : et beatus Symplicianus a cuncto clero et populo prædicator egregius et prelatus Romæ habitus magis præconiis atolleretur . Si quis autem plenius nosse desyderat : qualis et quantus : cuiusue fuerit auctoritatis Victorinus : siue quo ordine diuina gratia illustrate† et beati Simpliciani suffragantibus meritis ad fidem Christi fuerit conuersus : seu quomodo post diuturnam cordis conuersionem eiusque || uerissimam confessionem fontem baptismatis innouatus : beati Augustini hipponensis episcopi octauum confessionum librum requirat . Ibi si quidem inuenire poterit horum omnium integram ueritatem . Reuolutis uero paucis temporibus : Valentiniano cum fratre Valente regnantibus : Mediolanum ad destruendam perfidiam arrhyanorum prædestinante diuina clæmentia directus uir est inclytus Ambrosius : cui subsecutus dogmati supradicto perfidiæ contrarius uir uenerabilis Simplicianus . Per idem tempus extincto Auxentio arrhianæ perfidie episcopo : qui Dionixio uenerabilis memoriæ episcopo ad exilum† destinato regebat ecclesiam : ex ore infantum et lactentium sui episcopatus accipit laudem beatus Ambrosius a conctis ecclesiæ mediolanensis confratribus in officio archidiaconatus uenerabatur beatus Simplicianus . Nos quippe ad alia tendentes de pluribus pauca prælibamus . Veruntamen quoniam sancti Augustini confessionum fecimus mentionem : quid ipse eo libro deo confitendo de beato Simpliciano refferat audiamus . Ait enim inter plurima . O tu deus misisti in mentem meam uisionem bonam : pergerem ad beatum Simplicianum : qui mihi bonus apparebat seruus tuus : et lucebat in eo gratia tua .

Audiebam enim : quod a iuuentute sua deuotissime tibi uiueret . Perrexi ergo ad eumdem beatum Simplicianum patrem in accipienda gratia tunc episcopi Ambrosii : quem uere ut patrem diligebat . Iam uero tunc senuerat et longa ætate in tam bono studio sectande uiæ tuæ multa expertus multa edoctus mihi uidebatur . Et uere sic erat . Vnde mihi ut proferret uolebam conferenti secum æstus meos : quis esset aptus modus sicut affecto : ut ego eram ad ambulandum in uia tua . Narraui ei circuitus erroris mei . Vbi autem conmemoraui legisse me quosdam libros platonicorum : quos uictorinus condam rethor urbis Romæ : quem christianum defunctum esse audieram in latinam linguam transtulisset : Gratulatus est mihi : quod non in aliorum cripta† incidissem plena fallaciarum et || deceptionum secundum elementa mundi . In istis autem omnibus incertis insinuari deum : et eius uerbum . Deinde ut beatus Simplicianus exhortaretur me ad humilitatem Christi sapientibus absconditam et reuelatam paruulis : Victorinum ipsum recordatus est : quem Romæ cum esset familiarissime nouerat : De illo mihi narrauit : suamque conuersionem me remonendo patefecit . Sed ubi beatus Simplicianus de rethore Victorino ista narrauit : exarsi ad imitandum . Ad hæc enim et ille mihi narrauit : Hiis et aliis quam pluribus uerbis quæ a beato Augustino in supradicto confessionum libro referuntur : manifeste conuincimus beatum Simplicianum sancti Augustini conuersioni plurimum contulisse : eique in tantum ut a beato Ambrosio mediolanensi baptizaretur ualuisse . Nec mirum si eum† adhuc manicheorum hæresis laqueis irrætitus teneretur a beato Simpliciano sæpe monitus sit : quatenus hæresum† derelinqueret : et ad catholicam fidem conuerteretur .

PROLOGVS IN VITAM SANCTI SYRI EPISCOPI PAPIENSIS ET CONFESSORIS .

Electis exorta prosperititas† dulci facundia erga aures fidelium circumquaque clarescit . Nullius enim assertionis imbecilitas ualeat enarrare mysteria : nisi fuerit superno magisterio erudita : dicente sapientissimo Salomone : dominus dat sapientiam : et ex ore ipsius scientia et prudentia : quod et beatus apostolus Iacobus affirmat dicens : omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est : descendens a patre luminum . His ueritatis præmissis assertionibus : qualiter Ticinensium urbis : quæ nunc Papia uocitatur diuinæ respectu misericordie et uisitatione supernæ gratiæ sit illuminata dicendum est . Nam ut a primo statu crescentis ecclesiæ et apostolorum uicinia ticinensis ciuitatis populus ad domini sit fidem conuersus : actus beatissimorum Syri atque Iuuentii : quibus huius urbis primi prædicatores || ac præsules extiterunt : scripta informant . Redemptore et enim nostro : peractis quibus uenerat carnis passionis mysteriis : remeante ad cælos : reparato discipulorum duodenario numero : ac scriptus aduentu glorificato uniuersum mundum sortes mittentes diuiserunt : atque ut quibusque sors dedit prouincias proprias suceeperunt : Quibus etiam incarnationem dominicam prædicantibus crescebat numerus fidelum† : ita ut relicto infidelitatis errore se eorum magisterio sociarent . Vnde factum est : ut adiutores et successores apostolorum existerent : per quos Christi ecclesia ueris informata assertionibus ad fidem Christi et ad cultum cælestem proficeret . Quo in tempore fundata beatissimus Petrus Christi apostolus anthiochena ecclesia in qua primum nouellæ gentis christianum nomen exortum est : ædificaturus ecclesiam romanam : ad romanam urbem transiuit : Ibique prædicans Christum crucifixum omnesque uirtutes atque miracula quæ coram conspectibus Iudæorum fecerat multos ad credulitatem sui conuertit oraculi : quibus in diebus Marcus euangelista auditor et interpres eius effectus de omnibus quæ ex ore illius didicerat mirabilibus saluatoris nostri Iesu christi euangelium edidit . Quod plurimi etiam beati Petri esse confirmarunt : eo quod eius documento eruditus euangelista Marchus ipsum conscripserat : sed eius sit auctoritate firmatum atque ad legendum ecclesiæ traditum . Marcus uero euangelista post hæc digressus a Roma ægyptum perrexit : atque Alexandrinam ecclesiam ex doctrina magistri operarius ueritatis mira concordia et sanctissima conuersatione fundauit . Euangelium autem quod rogatus a fratribus Romæ confecerat secum deferens beatum

uirum Hermagoram quem ipse educauit et enutriuit ordine uicis suæ Italiæ prudentia et sanctitate reliquit insignem . Huius adiutores atque ministri uenerabiles uiri Syrus fuerunt atque Iuentius . Ecce enim a fonte luminis inestimabilis claritas procedens per beata pectora deriuata ticinensis populi animum circunfulsit . Ita a Christo in Petrum : a Pe | tro in Marcum : a Marco in Hermagoram : ab Hermagora in beatissimos Syrum atque Iuentium transcurrat : ut impleretur illud psalmistæ præconium : qui emittit elloquium suum terræ uelociter currit sermo eius . Porro his secundum diuinæ scripturæ traditionem præmissis : ordinem quem ex sermonis uitæ eorum narratione didicimus : consequemur .

Igitur beatus Hermagoras dum apud aquilegensem urbem populis iusciis† Christum dominum innotescere curaret : cœpit ex diuersis partibus ad eius dogmata infinita infinitæ multitudinis cœtus concurrere : et superno affatu ueloci felicitate Christi ecclesiam germinare . Ita sane ut ad credulitatem prædicationis eius mentes conferrent : ad quos uerbi illius eruditio peruenisset . Conuocans autem aluminum† suum Syrum episcopali fastigio dedicauit : atque consocians illi beatum Iuentium ad euangelizandum nomen domini nostri Iesu christi Papiam : urbem direxit : quatenus ibidem honoris huius fungeretur ministerio : et fidem Christi populo in eadem ciuitate commoranti ostenderet : ac paganorum animas Christi gratiæ copularet . Absoluti itaque a patre auctique benedictionibus eius uiam sancti huius ingressi sunt operis . Proficiscentesque dum ueronensium oppidum introissent : non potuit abscondi iuxta euangelium ciuitas supra montem posita : Nam quædam nobilissima fœmina superno credo nutu ammonita ingressum eorum agnoscens summa ad eos cum festinatione cucurrit : orbatamque se unico filio deplorans : pedibus sanctissimi prosternitur Syri : promittens se suosque christianæ relligionis participes fieri : si orationibus eius sobolem sibi cerneret restitutam : Cuius uoci protinus ipse uir dei aperte respondit : Si ex toto corde credideris : omnia possibilia sunt credenti . Illa autem in hac permanente constantia : uir dei domum eius protinus perrexit : Ibique super iacentis corporis funus orationem ad dominum fudit : atque uitæ et saluti pristinæ defunctum restituit . Cœpit itaque adolescens glorificare deum : quod per orationes famuli eius a tene || brosa fuisset ereptus custodia . Ad quod uero miraculum multi concurrentes dicebant : uerus est deus christianorum : quem prædicat hic famulus eius . Ipsum enim adorare debemus . Illa autem nobilissima uidua uidens sibi filium restitutum : quod pollicita fuerat festinanter impleuit : Statimque baptizata cum filio et utriusque sexus familia relinquens sacrilegium idolatriæ Christi collegio se sociauit . Sed et immensa multitudo paganorum hoc uiso miraculo baptizata est Christum dominum confitentes . Egressus dehinc uir dei Syrus cum Papiam tenderet fama præcurrente relatus est . Iam uero ante ingressum eius plurima populi turba ex ciuitate confluxerat expectans cum summo desyderio aduentum tanti patris et prædicatoris salutis suæ : atque aduenientis uestigiis prosternitur his uocibus exclamans : Ingredere . Ingredere desyderabilis pater : reuoca errantes . suscipe abiectos . doce imperitos . libera : quos captiuos crudelissimus detinet hostis . Erue nos : ac institutis salutaribus informa : et transfer nos in cœtum ueri dei : ut cognoscamus : quem nos adorare oporteat . Hora autem eadem operante dei clæmentia quique tetigerunt eum infirmi : confestim integerrimæ saluti sunt restituti . Ingressusque urbem futuræ prosperitatis eius annuncians deprompsit presagium . Delectare gaudiis urbs Papia : quia ueniet tibi ab externis montibus exultatio : nec uocaberis minima sed copiosa in finitimis ciuitatibus . Et uæ tibi Aquilegia cum impiorum manus incesseris destrueris : nec ultra ædificata consurges . Populi autem multitudo clamabat : Ipse uerus solus est deus : quem prædicat hic beatissimus pater : Qui autem idola colunt : uanitate stulticiæ pleni sunt . Annuens autem uniuerso collegio uir dei dixit : Constantes estote filii carissimi : certatimque implete opere : quod uoce profertis : credite Iesum christum dei esse filium ante sæcula cum patre manentem : deum ex deo inuisibilem de inuisibili omnipotentem de omnipotente . Et ut nos redimeret assumpsit carnem ex uirgine : et pro tempore ætatibus creuit ut ue | rus homo : in deitate permanens ut uerus deus . Secutusque dominicæ passionis et resurrectionis atque in cælos ascensionis coronam omnibus audientibus aperuit sacramentum annuncians illis et diem iudicii atque credentium gloriam sempiternam dicens : hæc si credideritis : erit uobiscum deus sicuti nobiscum : et quidquid fideliter petieritis in nomine eius : consequimini . His

autem et aliis multis sanctis exhortationibus populus ad fidem conuertitur Christi : atque baptismatis gratiam consecuti patrem et salutis suæ ostensorem miro omnes uenerabantur affectu . Eo uero tempore dum orta esset persecutio christianis in mediolanensium urbe a quodam paganissimo comite Anolino et aliquot ex christianis pro amore Christi punirentur : beatum Prothasium et Geruasium gloriosos uiros pro confessione christiana idem crudelissimus præses carceralibus tenebris mancipauit plurimis Christi fidelibus latitantibus . Beatissimus uero Nazarius claris ortus natalibus ea tempestate Christi nomen constantissime prædicans despectis huius erumnosæ uitæ negotiis multorum animos illustrabat : Sed detentus impiorum manibus marinis fluctibus immergitur . Succurrente autem diuino præsidio naufragio tanti periculi uerus Christi athleta liberatus euasit . Ac post ista diuina magnalia incunctanter prædicans dominum Iesum christum dei filium esse ad eandem mediolanensium urbem peruenit : In qua iussu nequissimi Neronis ab eodem comite mortis sententiam sustinuit . Et quia erat nobilior præclaroque ex genere : metuens seuissimus persecutor intempesta nocte eum truncari præcepit cum Asseda† suo paruulo nomine Celso : Cumque relatione multorum beatissimus Syrus hæc cognouisset : uenerandum uirum Iuentium alloquitur summa inquiens alacritate ac celeritate Mediolanum transcurre : omni sollicitudine inquirens Christianos uiros alloquere : Supernæ uos ardor caritatis detineat : et erga Christi martyrum reuerentiam uinciat : ut corpuscula fratrum uestrorum Nazarii et Celsi quorum sanguis || pro Christi effusus est nomine dignæ sepulturæ cum maximo honore tradantur : atque epitaphium certaminis eorum sacris apicibus conscribentes simul recondite . Prothasium autem et Geruasium dignissimos confessores qui a pestifero præside clausi carcere detinentur : cum pro Christi fide et ipsi fuerint martyrio coronati debito honore et merito condientes certaminis eorum libellum pro futuris temporibus ad laudem domini nostri Iesu christi et gloriam ipsorum ad capita eorum reponite : quia prædestinatum est a deo uiris fidelibus qui tempore opportuno credituri sunt : ob confirmationem eorum corpora reuelari : et honoribus atque uirtutibus præfulgere : multorumque infirmantium ualitudinibus restituere medellam salutis . Cumque omnia sereno pectore patris monita suscepisset : lætus ac festinus huius præcipuæ legationis iter arripuit : atque ad eandem urbem licet anxius iam noctu peruenit : inuentisque quos sanctus pontifex prædixerat Christi fidelibus : quæque ei commissa fuerant auribus eorum retexuit . At illi corpora martyrum Nazarii et Celsi se condidisse responderunt : quibus beatus Iuentius : obsecro inquit uos ut dum certaminis sui hi qui supersunt beatissimi Geruasius et Protasius finem exceperint : aliquod pro amoris dulcedine eorumque reuerentia de uestibus uel corporibus eorum pignus retinentes : nostris desyderiis offeratis : His uero auditis qui aderant responderunt : quendam dei famulum dum sancti Nazarii caput ab impio lanista abscisum fuisset : uidisse se linteo sanguine eius recepto fugam petisse : quo Iuentius uir dei responso commonitus anxio tali insinuatione dum remearet : spiritu in ipso itinere eandem Christi coniunxit ancillam : quæ diuina ammonitione permota gratuita uoluntate matris ei cruorem obtulit : quem ferebat . At ille acepto tanti muneris quem quærebat thesauro : lætus ad mœnia ticinensis reuersus est ciuitatis : Cuiusque portam tanti doni portitor dum intrasset : quidam dæmonio puer arreptus uolutabatur in plateam : ex cuius ore dolens ac | luctuosa uoce eiulans clamabat diabolus : Væ mihi : quia torqueor martyris ingressu cruoris : Quod ubi audiuit miles christi Iuentius super uexatum puerum sancti Nazarii martyris sanguinem imposuit : et statim ab eo dæmonium quod uociferabatur expellit . Contigit autem : ut pro confirmanda fide catholica : ipse prudentissimus uir Iuentius operante Christo in multis signis probabilem faceret sancti martyris cruorem Nazarii . Nam positus super cæcorum oculos lumen restituit : uarias infirmitates concurrentium ad se frequenter curauit : atque ex hoc tempore beati Nazarii meritis et patrocinio promerente plene crudelitatis augumentum huius urbis ticinensis populus est adeptus . Post non multorum dehinc temporum curricula cum sanctorum martyrum Prothasii et Geruasii apud Mediolanum finita essent certamina : pretiosa corpora eorum a christianis oculte sublata sepulturæ sunt traditi : ne impiorum attrocitas sicut uiuentes persequeretur et mortuos . Tunc quidam Christi fidelis Liberius nomine cum reuerentia et amore a sanctis eorum eximiis† fidelissima temeritate quandam quæ fas fuerat detrahens particulam beatissimo Syro ticinensis urbis patri et doctori idoneo :

ut ab eo fuerat postulatus amice detulit . Vir autem uenerabilis suscipiens pignora beatorum multis in eis uirtutibus usus est : Cumque sanitatum signa longe lateque splendescerent : cœpere languentium etiam ex inopinatis partibus ad eum turbæ concurrere : eumque immensa frequentia perurgere . Inter hæc sacerdos dei eximius exultans de mirabilibus quæ per merita suorum martyrum Christus dominus sedulo faciebat : concepit animo non procul ab huius urbis mœniis extra ciuitatem templum domino in memoriam nominum eorum erigere : idque in modum crucis ut aggressus est consumauit : atque hoc primum cælestis regis uexillum in hac urbe erectum est et ouile dominicum : Intra cuius caulas pastor uerissimus oues regebat dominicas : quas peruigili custodia a faucibus extrahe || bat serpentis nequissimi : quod et Dauid fortissimus designabat : quando brachia confringens ursorum conterensque colla leonum ex cruentis dentibus raptas ouiculas auferebat . Perfectis igitur templi siue altaris dedicationis insignibus : quottidianas deo laudes et hostias offerrebat . Vna autem dierum dum missarum solemnia pontifex singularis ibidem celebraret : et copia filiorum eius quos uerbi sæmine iuxta apostolum deo genuerat : deuota sanctis mysteriis nteresset† : audenter Iudæus in illud ingressu† maligno instigante spiritu corpus dominicum suscipere ipsumque in sterquilinio proiicere molitus est : qui inter turbas fidelium ad manus uiri dei perueniens ausu nefario immundo ore corpus suscepit dominicum : qui ut reiiciendi os aperuit digna ultione percussus sine effectu uerborum cunctis audientibus et uidentibus clamare cœpit : uolebat labia iungere : et non ualebat . Conabatur uerba edere : sed lingua rigida loquendi officium non præbebat : et quasi ignitum iaculum in ore portans immensis torquebatur doloribus . Resonabat omnis illa ecclesia ineptæ uocis clamoribus : et de tam egregii uirtute miraculi Christi fidelium lætabatur conuentus : Impleturque illud : derisores ipse deridet : et quod apostolus ad Galatas scribit : nolite errare . deus non irridetur : quæ enim sæminauerit homo : hæc et metet . Iudæus ergo incredulus nec audierat nec legerat ista præconia scripturarum : qui putauit sancto spiritui stropham inducere : quem uir dei suo conspectui præsentari præcepit atque aduenienti dixit : Incredula et perfidiæ mens plena : quare tam iniqui hostis Implesti consilium : ut existimares corpus Christi uilissimum . Ecce quod clandestinus persuasor te miserum illexit ut faceres : cunctis fidelibus suis diuina uirtus ostendit . Iudæus autem nimio dolore superatus uoces emittere absque sermonibus non cessabat : habens in guttine suo malicie cruciatum : quia secundum sanctissimi uaticinium Simeonis ut incredulis est pernicies ac ruina : ita fidelibus suis uita et exultatio est uerbum dei . | Nam subtilius aspectantibus mirabili liberatione corpus dominicum in ore uidebatur Iudæi dependere : ut nec linguæ subter compaginem insideret : nec desuper immundo adhæreret palato . Sed postulantibus fidelibus pro eius miseria uir domini manum tetendit : et sanctæ eucharistiæ mysterium a sacrilego ore abstraxit dicens : ecce nunc liberatus es : de cetero caue huiusmodi simile facias : et ulterius repetere hæc præsumas . Iudæus autem pedibus eius aduolutus clamabat se domino Christo crediturum : si sacri baptismatis eum unda perfunderet : ac pro eius conuentui copularet . Tibi inquit uir dei omnipotens refero gratias : qui iudaicam perfidiam non dedignaris corrigere : sed ad tui unigeniti fidem ampla pietate conuertis . Baptizato autem illo multi ex iudæis credentes cum eo sacro renati baptismate Christi fidelibus ac spiritali cœtui sunt uniti . Igitur dum multa per hunc patrem nostrum laudanda deus ostenderet : et quia iam prophetiæ spiritu illuminatus enitebat : quendam ad se superbo spiritu sub figura pietatis aduenientem intuens : silere te magis oportet inquit quam loqui : quia quæ cogitas manifeste clarescunt . Obmutescens uero ille : nec aliquid profari ualuit : sed pedibus sancti uiri aduolutus gemitibus ac lachrymis iniquæ cogitationis pandebat arcanum . Vir autem domini lachrymis ac gemitibus ipsius inclinatus loquendi mox ei officium restituit : atque diuini muneris fecit esse mysterium .

Diffundebatur autem dei gratia in ciuitate Papiæ et diuulgata sancti uiri fama ex diuersis partibus multorum turba ueniebat ad eum . In qua felicissima urbe instituit ecclesiasticos ordines discipulosque suos Iuentium et Pompeum† mitissimos diacones fecit . Chrisantum uirum illustrem et Fortunatum clarissimum presbyteros ordinauit . Eiusdemque urbis expletis octo hebdomadarum curriculis sedem obtinuit : multorumque a paganissimis idolorum cultibus retrahens animos ad dei seruitium et credulitatem perduxit . Egressus autem quodam tempore ex urbe memorata dum uicos ||

et uillas ciuitatesque circumquaque peragraret : et prædicationis sanctæ uerbo ignorantium corda imbueret : uir quidam pedibus eius prosternitur : qui mutum surdumque se habere filium clamitabat : eumque sanctæ eius præsentiæ rogitabat offerri : si dignaretur loquendi et audiendi gratiam condonare . Beatus Syrus iussit offerri : cuius iussu eius præsentiæ puer oblatus cunctis audientibus orationem fudit ad dominum dicens : Domine Iesu christe qui humanam formam cum patre et spiritu sancto sine uicio ad tuam similitudinem plasmare dignatus es : et dedisti eis libertatis arbitrium : qui mutis loquellam cæcis uisum : surdis auditum : mortuis uitam redidisti : respice super hunc puerum : et os atque aures eius obturatas adaperi : quia tibi plasmatori hæc pertinet reformatio : cuius digito uniuersa compacta sunt congruentia corporum membra humanæ substantiæ . Completa autem oratione in ore et in auribus eius signum crucis digito suo fecit : statimque apertæ sunt aures eius et lingua ipsius absoluta est : ita ut uoce clara confiteretnr† puer : ac benediceret dominum : quod uero miraculum uidentes increduli : crediderunt in dominum Iesum christum : perceptaque fide baptizati sunt . Dehinc exorta aduersum christianos grauissima persecutione in tantum : ut per diuersa loca plurimus sanguis effunderetur : ad eandem ciuitatem in qua uir dei talia signa faciebat : operarii iniquitatis properare gestierunt . Sed pene factos omnes ciues christianos cognoscentes minime ausi sunt apetere eam : uel impias per eam manus afferre : Sed ad uirum dei properantes quasi comminantes dicebant : Quis tibi dedit hanc potestatem : ut nobiles et ignobiles christianæ sectæ oppressionibus arguas : et nolentes magicæ artis tremore concutias : ut Christum quem Iudæi crucifixerunt quasi filium dei adorent : quem nec uiderunt nec uisuri sunt : et deos ueros quos romana colit relligio detestentur ? Sed ubi hoc ad aures inuictissimi principis relatum a nobis fuerit : simul te cum his ominibus† qui tuo consilio adheserunt : ac dogmati consentiunt : multis supplicis† punire præ | cipiet . Placeat tibi consilium nostrum : recede ab hac stulticia : et noli subuersionem facere animarum : quæ uere cultui seruientes uiuant pacifice . His eorum sermonibus beatissimus Syrus dulcissima benignitate respondens : nolite ait fallere dilectissimi filii : neque antiquus error in uestra mente permaneat : qui parentum uestrorum obcæcata corda possederat . Nolite adorare idola muta surda atque uanissima sine sensu et anima quæ humana prouidentia facta sunt diabolo suggerente : quia neque possunt uobis salutis conferre medellam : sed credite potius in deum cæli et terræ omniumque creaturarum factorem : qui mundum fecit ex nihilo : et terram fundauit super aquas : qui luminibus maria circumdedit : et fecit omnia quæ in cælo sunt sursum et in terra et in aquis deorsum : qui firmauit terram super abysum : et aquas fluere facit ex summitate petrarum et montium : qui producit flumina ex abditis : et discurrentia marinis miscet in fluctibus . Credite huic Christo filio dei : qui propter nostram salutem dignatus est formam serui suscipere : quem Gabriele archangelo nunciante integerrima uirgo concepit Maria : qui nouem mensium plenitudinem uirginis matris crescendo adimpleuit in utero . Natum per stellæ apparitionem magi agnouerunt : et ea præuia in Bethleem Iudæ adorare uenerunt : et ut regi regum munera obtulerunt : qui ab Herode ut inueniri posset atque necari exquisitus est : qui in sanctis innocentibus persecutus est : qui in multis fulsit miraculis : suscitauit mortuos : leprosos mundauit : cæcis uisum reddidit : surdis auditum : claudis gressum : mutis loquellam : atque iussu ac uoluntate uniuersa curauit : qui ut uerus homo dormiuit : et ut uerus deus uentorum flatibus imperauit : qui ut uerus homo esuriem sensit : et ut uerus deus de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia populi satiauit qui ut uerus homo sitiuit : et ut uerus deus fontem indeficientem in se credentibus dedit : quem principes iudæorum per inuidiam sub Pontio pillato flagellatum crucifixerunt : et quo crucifixo tene || bræ factæ sunt super uniuersam terram ab hora diei sexta usque ad horam diei nonam . quid plura ? mortuus est et sepultus : sed die tertia resurrexit : conuersatusque cum discipulis suis per dies quadraginta : ipsisque aspectantibus atque mirantibus ascendit in cælos : promittens in se credentes discipulos ad suam gloriam accessuros : non credentibus autem æternæ flammæ supplicia quæ parata sunt eis et patri eorum diabolo : quoniam unusquisque cuius opera agit : eius est filius . Ego uero polliceor uobis confidens in domino : quia si credideritis in filium dei Iesum christum : et malis artibus atque uanissimis idolis ab renunciaueritis : possidebitis cum sanctis angelis perpetuam uitam : in qua lux indeficiens erit et tenebræ nullæ . In qua nec esuries nec indigentia

esse potest : sed Christus ipsa uera refectio suorum fidelium : qui dat credentibus in se candidissimas stollas et quottidie felicitatis gloriam sempiternam : Cumque uir dei his alloqueretur sermonibus : diuinæ respectu clementiæ conuersæ omnium mentes quasi ex uno ore dixerunt : Tali ergo nos conuenit credere deo : qui non in lapidibus sed in cælis habitat . Omnesque prouoluti ad sancti uiri uestigia postulabant se baptismi gratiam adipisci : quibus uir domini aperiens catholicæ fidei sacramenta : tradensque omnibus donum sancti baptismatis corpori catholicæ coniunxit ecclesiæ . Die autem quadam egressus urbem ticinensem causa sanctæ prædicationis : dum ad Brixianæ ciuitatis tenderet plebem : quidam puerulus nomine Eustachius plenns† dæmonio exclamauit : quis est hic : qui hanc urbem penetrat : aut ex quo genere : qui collactaneos et compatriotas meos suo subdit imperio ? Et occurrens éi obuiam : sufficit tibi dicebat Syre : quod tantis in locis me persecutus es : uel hic habitandi mihi concede licentiam . Quis te misit : ut de meis me excutias domiciliis ? De longinquis partibus egressus : nulla tibi huic consanguinitas : nostra possessio facta est tibi hæreditas . Vir autem domini hilari in eum uultu respiciens dixit : Quis tibi miser tribuit hic licentiam possidendi ? possessio | tua ignis æternus est . Dæmon respondit : nec solius mei arbitreris possessionem incendii : quia multi mecum de hac urbe illuc ituri sunt : qui meas nunc faciunt in omnibus uoluntates . Tu autem solus e contrario me depellis : et frequenter de mea augeris euersione . Protinus uir dei in cælum oculos eleuans orauit : imperauitque dæmoni dicens : immunde ac deceptor animarum spiritus exi ab eo : et ne ulterius audeas ingredi in ipsum : sed uade ad præparata tibi tormenta æterna . Mox autem ad uocis eius imperium gemens et dolens discerpensque puerum exiit ab eo : nec ultra ausus est eum repetere . Hora autem eadem multi hæc audientes mirabilia crediderunt in Iesum christum . Puer uero cum tota domo sua et multitudine maxima credentium populorum baptizatus est : in qua urbe sanctissimus pater plurimis diebus apud fideles christianos sanctæ ecclesiæ plures auxit filios spirituales : egressusque ciuitatem Brixianam : dum laudensium oppidum introisset : obuiam cæcus ei a natiuitate occurrit subnixius postulans eius precibus adiuuari : Cui uir dei credis inquit Dominum Iesum christum dei filium ? Cæcus respondit : credo tantum illuminentur oculi mei . Beatissimus Syrus dixit : Si ex toto corde credis : ipse in quem credis aperiat oculos tuos : Statimque oculorum suorum percepto lumine : cæcus cœpit glorificare dominum nostrum Iesum christum unigenitum ac uerum dei filium . Baptizatusque cum omni domo ac multitudine maxima ista uidentium permansit in fide Christi . Sequenti quoque die dum Papiam reuerteretur : multi sancta eius eloquia diligentes cum† secuti sunt quique morati pluribus diebus apud ipsum fundamentum uere fidei perceperunt . Ciues autem sancti uiri cognoscentes regressum et mirabilia : quæ in memoratis urbibus fecerat : exeuntes obuiam tam uiri quam fœminæ laudabant et glorificabant deum : qui eis talem et tantum dignatus est patrem concedere . Reuertens autem ad proprie functionis cathedram accersiuit ad se prudentissimum uirum Iuentium : cui non te ait lateat || fili carissime : te tertium post me ad huius officii honorem pertingere . Confortare : et uiriliter age : ne te perterreat perturbantium rabies amonensque eum de uniuersis ecclesiasticis disciplinis migrauit ad dominum : expletis cunctæ uitæ suæ octo hebdomadarum geminatis recursibus . Cuius sancti corporis relliquias conuentus fidelium populorum quos uenerabilis pater prædicatione sua domino acquisiuit : cum sacerdotali cœtu et copia clericorum in Basilica sanctorum martyrum Prothasii et Geruasii quam ipse construxerat debito honore et summa diligentia condiderunt : Post cuius discessum Pompeius quem ipse gradu diaconatus sublimauerat : simplicitate et humilitate præclarus : eius sedis est infulas assecutus : Quique paucos atque pacificos annos agens migrauit ad dominum : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum .

SANCTORVM SISINNII MARTYRII ET ALEXANDRI MARTYRVM PASSIO .

In diebus illis præsidente catedram ecclesiæ urbis trientine uenerabili uiro Vigilio episcopo : qui postmodum ipsam sedem gloriosi sanguinis sui effusione decorauit : dum quandam regionem sibi uicinam : cui uocabulum est Inanaguia : quæ uigintiquinque millibus a supradicta ciuitate abest : uetusta caligo gentilis errore cæco detineret : tres enim uiros supradictus antistes direxit : Ex quibus unus Sixinius nomine uenerabilis senectute genere græcus ex prouincia Capadocia : huic diaconatus dedit officium : ut per hunc uerbum dei prædicaretur : qui etiam proprio sumptu et labore ecclesiam fabricauit in supradicta regione in uico : cui uocabulum est Methol . Huic enim coniuncti sunt Martyrius lector et Alexander ostiarius et ipsi peregrini . Tunc igitur dum per aliquod tempus in eodem loco uacarent orationi : et uerbum dei paulatim prædicarent : indigne ferens turba infidelium ecclesiæ culmen eiectum est . Hæc fuit causa | prima odii . Cumque se sæpe tubarum uocibus excitasset truculenta gentilitas : ut aduersus sanctos dei propugnatura consurgeret : sanctorum fuit perfecta uictoria : ut priuata mansuetudine publicum superarent furorem . Contigit autem : ut secundum gentilem consuetudinem quam habebant : per quinquennium culturam ruris sui diabolica pompa et sæmina sua circumirent luctuosis ornatibus coronati : quasi per hunc ludum sibi estimarent prodesse . Nuper ad fidem Christi de sua gente conuersum uictimas Saturno dare cogebant : quod cum uidissent sancti : in defensione eius astiterunt : Tunc ipsi appræhensi a mlutitudine† gentilium similiter immolare iubentur : quibus reluctantibus tanta cæde sunt mactati : ut uix extremo spiritu animarent . Interim una nocte dillata : mox peruenitur ad coronam martyrii : Nam sanctus Sisinnius tuba ærea caput percussus atque securibus confossus est iuxta ipsius ecclesiæ limina lectulo decumbens : cæteris uero matutinis horis hymnum deo canentibus iam aurora rumpente irruit subito multitudo gentilium armata securibus atque præustis sudibus ex ara diaboli . Ingressis ecclesiam facta est sæua direptio : contaminantur omnia sacra atque diuina mysteria . Sanctus igitur Martyrius circa curam sancti Sixinii inuentus est : Nam cum iam exanimi calicem aquæ propinaret : uidens turbam atque inter rosarum fructeta residens : Cumque eum de cubiculo domus suæ quædam uirgo cuius erat ortus conspexisset : atque prodidisset : agens gratiam uulneratus cæso capite cum securibus : lotus iterum baptismate proprii sanguinis atque sudibus :ransforatus† ducebatur ad idolum : in quo itinere reddidit spiritum . Tunc studiose perquiritur Alexander : ut in his tribus truntatis† gratia compleretur . Appræhendentes sanctorum corpora et in colo sancti Sixinii suspendentes tintinabulum ueluti animal trahentes insultabant dicentes : modo te uindicet Christus : nam uox illa rauca Christi dictabat præconem : quia ipse primus in his locis relligiosa uoce insonuit . Igitur inter corpus sancti Sisinuii† et Martirii uiuus Ale || xander trahendus apponitur : ut per iter asperum membratim corpora disiungerentur : donec ad uite terminum perueniret . Vbi ergo peruenerunt ad aram Saturni : igne copioso facto sanctorum corpora immiserunt : Alexandrum iterum flagellantes interrogabant : si uellet euadere flammas : sacrificaret Saturni hostias consuetas : Ille uero contemnens impias uoces gloriosæ passionis meruit palmam . Et in his tribus uiris impletum est mysterium trinitatis . Nam maxima pars interfuit fidelium : et a gentilibus sunt increpati . Sed quibus fuit deuotio fidelis : perceperunt coronam cælestis sedis : Sed et impiis non defuit horror : Nam cum hæc sexta feria acta fuissent sicut et saluator crucifixus fuerat : umbra quædam nigra proximo terrore totam exegit regionem per fulmina currentia : ut ipsi impii confiterentur hanc sanctorum causa fieri uindictam . Sed et apostolica uox in hoc impletur : ubi abundauit peccatum : superabundauit gratia . Abundauerunt tunc in hac regione diuersorum simulacrorum portenta : sed superabundant nunc sanctorum martyrum templa : Vt oues quæ in errore pastorem non agnouerunt : postmodum pastoris sanguine ditarentur : In quo loco est basilica constituta in sanctorum memoria : ad quam fideliter concurrentibus præstantur

diuina beneficia . Passi sunt autem beatissimi Sisinnius Martyrius et Alexander quarto calendarum iuniarum : Stilicone consule : Regnante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

VITA SYRI GENVENSIS EPISCOPI ET CONFESSORIS .

Crescit in augumentum fœnoris fides catholicæ ecclesiæ spes promissa : futuraque præmia pensantur : et caritas propagatur in trinitate atque solidatur : quando sanctorum patrum gesta narrantur . Idcirco ego pusillus orthodoxus quidem episcopus nullius eloquentiæ | scientiæque fultus doctrina : parui quinimo ingenii diuitiarum sum scripturarum perscrutator . Denique solummodo sanctorum fruens amore patrem et filium et spiritumsanctum qui docet hominem scientiam obseruaui : sicut etiam per semetipsam ueritas dicit : non enim uos estis : qui loquimini sed spiritus patris uestri qui loquitur in uobis . Igitur quia catholicus et amator fidei inspicior : attamen non carens contagio uiciorum quorum superuictus angore ineffabilem clæmentiam fusa prece atque lachrymabili uoce humo stratus obsecraui : ut ea quæ a præcessoribus meis didici spiritusancto reuelante : christianæ huic plebi ad memoriam reuocarem . Quocirca sermo mihi est de sancto ac beatissimo confessore Syro huius quidem genuensis ecclesiæ sacerdote : cuius uitam Christo præsule summæ uenerationis ac diligentiæ cura propagaui : sed et meo notario scribenda dictaui : et nec sublimitate aut fallaciæ uerborum in adulatione hominum a quibus semper ueritas ocultatur : aut fraudatur : sed tantummodo in simplicitate sermonum beatissimi uiri innotescendam uirtutem christianæ congregationi deprompsi . Nempe sanctus Syrus ortus ex loco qui nuncupatur Hæmiliana perrexit non longe a ciuitate genuensi plus minus millia quater bina : In quo loco prius cœptum oraculum nominis eius usque in præsentem diem constat esse fundatum . Quod cum ita sit : absque ulla ambiguitate uerum esse constat : qui cum ab infantia sanctæ meditationis floreret uirtutibus a genitore suo sancto Felici antistiti oblatus est : quem uir dei certe : ut mos sacerdotum est : omni eum diuina traditione instruxit . Erat cunctis bonis operibus præditus : ita ut a cunctis ueneraretur : ac diligeretur . Vnde factum est certe ut sacerdos eum dignum officio ministrum altari sublimaret : Et dum lætus iuxta ordinem suum in titulo qui uocatur hactenus dextera sacrificium sacerdos libaret : in eodem die ad mensam dominicam assistens : Ibi sanctus minister Syrus ministrabat . Et dum antistes christianæ plebis uota persolueret super ho || locaustum protinus splendor emicuit : atque radiauit : In quo fulgore dexteram domini meruit sanctus uidere Syrus . Quo uiso trepidus factus beatus minister humo se prostrauit : donec sacrificium suppleretur . Quod factum sacerdos pensans sollicitus : ne forte post uisa miracula ut assolet extolleretur : præfatum ministrum sanctum ad exilium destinauit : Qui uir dei suscipiens iussum patris : lætus ad locum qui dicitur Manduciana perrexit : Ibique assiduis orationibus uacabat : ita ut eius suffragiis ægris salus præstaretur : Et post dies non multos pater ministrum præcepit reuerti : quem sacerdos paterno affectu et diuinæ caritatis uerbo affatus est dicens : miracula apparuisse : Vnde factum est : ut utrique maiore urgerentur diuinæ iucunditatis amore fulgentes in sacro ministerio : Eorum temporibus florebat catholica ecclesia : et lætabatur in suorum firmitate membrorum . Iussu igitur domini sacerdos merito felix migrauit ad Christum . Post hæc autem cuncta plebs urbis Genuæ unanimiter et consona uoce sanctum ministrum in sacerdotium subrogauerunt : quod ita factum esse : manifestissime constat . Erat enim in cunctis bonis operibus prospere agens : ita ut opitulationibus suis plebi sibi commissæ subueniret . Eodem quoque tempore affligebatur populus flatu ualidissimi serpentis : qui uulgo dicitur Basiliscus . Ipse quoque serpens iacebat in puteo non longe ab atrio basilicæ apostolorum : quæ nunc sancti Syri appelatur . Et cum sæpe a serpentis flatu populus elideretur : sanctus sacerdos plebem diuinis hortamentis et spiritalibus armis adhorsus monebat : ita ut uniuersus populus cum ieiuniis et orationibus atque flætu per triduum pari modo cum sacerdote Christum dominum obsecraret . Tertia uero die ad locum ubi anguis iacebat cum uniuersa multitudine perrexit : ibique in oratione coram cuncto populo prostratus auctorem dominum postulabat . Post completam

uero orationem surgens situlam simul et funem præcepit afferri : Et stans super os putei situlam suis manibus in puteum mersit . et huius | cemodi uerbis serpentem affatus est : serpens uenenose atque deceptor animarum attrahe nocibilem flatum tuum ad te : et claude ostium : et ascende in situlam istam : quia in nomine domini nostri Iesu Christi nazareni iuberis ascendere : quo audito serpens confestim ad imperium sacerdotis se conglomerauit : quem sacerdos trahens sursum uniuerso populo monstrauit et emicuit serpens : erat enim nimis terribilis : cuius caput Christam hăbebat† ad similitudinem galli : quo uiso populi uniuersi consona uoce deo omnipotenti gratias agentes et sacerdotem magnificabant dicentes : uere hic est : de quo dauid uaticinatus est dicens : super aspidem et Basiliscum ambulabis : et conculcabis leonem et draconem : et in his quattuor uocabulis diabolum hostem humani generis Christo auctore prostrauit : sicut et ueritas per semetipsam dicit : ecce dedi uobis potestatem calcandi super omnem uirtutem inimici : Hæc et his similia dicentibus : sanctus dei sacerdos silentium petit : quo facto sic populum adorsus est dicens : A Christo uobis hæc salus prestita est : Quod cuncti uidentes serpentis os ad sancti uiri imperium esse obstructum : ita ut nulli ualeret ultra nocere : benedicebant dominum Iesum christum . Et coram omnibus sacerdos serpenti præcipit : ut se in mare præcipitaret : quod cum factum fuisset : omnes eum iustum ac sanctum acclamabant dicentes : uere hic est dei famulus : per quem diuina operatio monstratur . Post uero assidue illum ipsum comitabatur gratia curationum usque ad diem uocationis suæ : Diem autem obitus ipsius esse cognoscite in die passionis beatissimorum apostolorum Petri et Pauli : quoruam† docttrinam† præsul optimus Syrus adeptus est : quo equidemque die cælesti meruit coronari tryumpho . Die igitur quo corpus illud sanctum ad Basilicam apostolorum in grauatum gestatum est : infinitus populus lachrymabili uoce præ nimia ueneratione uestimenta ipsius carpebant : ita ut portitores pro turbæ eminentia lectum ab humeris deponerent : Inter quos etiam nau || clerius Libiæ prouinciæ plenissimam fidem agens : cum appropinquasset ad sanctum illud corpus : illico uidit de naribus eius sanguinem efffluentem : qui festinus tollens sudarium quibus habebat super caput : sanguinem emanentem† detersit . Postquam uero corpus illud sanctum sepulturæ traditum est : nauclerius ad nauem reuersus : sudarium cum omni ueneratione et diligentia reposuit . Expleto nanque negotio ad propria ueleficans comitabatur ei prosperitas : Cumque appropinquaret propriæ patriæ suæ : procul posito occurrerunt obuiam multitudo infirmorum : qui ab spiritibus uexabantur immundis dicentes : ecce sanctus Syrus uenit : qui nos habet mundare : et quantum plus nauis porto appropinquabat : tantum illi maiore urgebantur stimulo : etiam ut in mari se præcipitarent : dicentes : quia nunc uenit : qui nos erecturus est . Cumque in portum introisset fixis anchoris nauclerius ad littus egreditur . Videns igitur turbam stantem et infirmos clamantes et dicentes uenit liberator noster : et cum a populo scisitaretur nauclerius utrum haberet reliquias sanctorum : ammirantes quid nam esset : quod infirmi ad littus concurrissent : naucleruis† in obliuionem tradiderat ea : quæ acta fuissent in urbe genuensium : a uocibus quippe infirmorum beatum Syrum attestabantur uenisse : et cum se uellet in mare præcipitare : eandem scilicet uirtutem nauclerius ad memoriam reduxit : quomodo cum sanctum corpus beati uiri fuerat sepultum interfuisset : et astantibus pluribus dixit : si rite recordatus sum quadam die cum essem in prouincia Italiæ in ciuitate genuensium quidam sacerdos ciuitatis ipsius migrauit ad dominum : et dum corpus illius ad basilicam sanctorum apostolorum deduceretur : turbis irruentibus qui deducebant lectum ab humeris deposuerunt : Cumque christianus populus mergeret ad eius corpusculum pro nimia ueneratione carpebat fimbriam uestimenti eius : inter quos ego famulus uester appropinquans ad sanctum corpus eius uidi sanguinem egredientem de naribus eius : et cum meo su | dario cruorem detersi : et præter hoc actum aliud nescio : nomen uidelicet ipsius qui migrauerat ad Christum Syrus beatissimus uocabatur : forsitam† hic est : de quo infirmi clamant nunc nobis aperte datur intelligi . Abiit ergo nauclerius ad nauim : et sudarium quod sacrum sanguinem deterserat mox ad littus detulit : Cumque se iam mergerent qui uexabantur : ipse uero de sudario quod habebat tangebat eos : et confestim cuncti ab infirmitatibus suis mundati sunt : quo facto uniuersa plebs loci illius ad ecclesiam simul cum nauclerio perrexerunt : agentes gratias omnipotenti deo : et dicentes uera salus præstita est nobis de cælo : quo uiso episcopus loci illius una cum

christiana plebe basilicam in eius nomine fundauerunt : Ibique sub tegmine templi sudarium condidit : cuius tactum infirmi a languoribus curati sunt : et nunc usque ad præsentem diem curantur . Depositio beatissimi sacerdotis et confessoris Syri constat esse tertio calendas iulias regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTAE SCHOLASTICAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Eodem tempore quo Benedictus apud castrum Casinum cœnobium uenerabiliter regebat : non longe ab eius monasterio soror eius Scholastica nomine deo omnipotenti ab ipso infantiæ tempore dedicata cælicam ducebat uitam : ad quam uir dei semel per annum uenire consueuerat : Sed cum omnipotens deus beato Benedicto tribueret : ut omnia quæcumque postulasset ab eo : libenter concederet : nunc uero quod uoluit : implere non ualuit . Non longe autem extra ianuam in possessionem monasterii descendebant : qui totum diem in dei laudibus sacrisque colloquiis ducentes incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibum : Cumque adhuc ad mensam sederent : et inter sacra colloquia se hora protraheret : eadem sanctimonia || lis fœmina soror eius rogauit eum : dicens : quæso te frater : ut in ista nocte me non deseras : ut usque mane aliquid de cælestis uitæ gaudiis loquamur : cui ille respondit : quid est : quod loqueris soror ? manere extra cællulam nullatenus possum . Tanta uero erat cæli serenitas : ut nulla in aere nubes appareret . Sanctimonialis autem fœmina cum uerba fratris negantis audisset : insertis digitis manus super mensam posuit : et caput in manibus omnipotentem dominum rogatura declinauit : Cumque leuaret de mensa caput : tanta corruscationis et tonitrui uirtus tantaque inundatio pluuiæ erupit : ut neque uenerabilis Benedictus neque fratres qui cum eo erant extra limen loci quo consederant pedem mouere potuissent . Sanctimonialis enim fœmina caput in manibus declinans lachrymarum fluuium in mensa fuderat : per quas serenitatem aeris ad pluuiam traxit : Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est : sed tanta fuit conuenientia orationis et inundationis : ut de mensa caput iam cum tonitruo leuaret : quatinus unum idemque esset momentum et leuare caput et pluuias deponere . Tunc uir dei inter corruscationes et tonitrua atque ingentis pluuiæ inundationem se ad monasterium non posse remeare uidens : conqueri cœpit contristatus : dicens : parcat tibi omnipotens deus soror quid est : quod fecisti ? Cui illa respondit : ecce te rogaui et audire me noluisti . Rogaui dominum : et audiuit me . Modo ergo si potes egredere : et me dimissa ad monasterium redi . Ipse exire extra tectum non ualens : qui manere sponte noluit in loco : mansit inuitus . Sicque factnm† est : ut totam noctem peruigilem ducerent : atque per sacra spiritualis uitæ colloquia sese uicaria relatione satiarent . Qua de re dixi eum nolulsse† aliquid : sed minime potuisse quia si uenerabilis uiri mentem aspicimus : dubium non est : quod eandem serenitatem uoluerit : in qua descenderat permanere : Sed contra hoc quod uoluerit in uirtute omnipotentis dei ex fœmineo pectore miraculum inuenit : Nec mirum quod plus illo fœmina : quæ diu fratrem | in eodem loco cupiebat : in eodem tempore potuit . Quia enim iuxta Iohannis uocem deus caritas est : iusto ualde iudicio illa plus potuit : quia amplius amauit : Cumque die altero eadem sanctimonialis fœmina ad cellam propriam recessisset : uir dei ad monasterium rediit . Tum ecce post triduum in cella consistens eleuatis in aere oculis uidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam in columbæ specie cæli secreta penetrare : Qui tantæ eius gloriæ congaudens omnipotenti deo in hymnis et laudibus gratias reddidit : eiusque obitum fratribus denunciauit : quos etiam protinus misit : ut eius corpus ad monasterium deferrent : atque in sepulchro quod sibi ipse præparauerat poneret† : quo facto contigit : ut quorum mens una semper in domino fuerat : eorum quoque corpora nec sepultura seperaret . Obiit namque beata et uenerabilis Scholastica quarto idus februarias et cum omni felicitate ad æternam beatitudinem transmigrauit . Vir autem domini uene-

rabilis Benedictus post excessum sororis suæ quadraginta dies in hac uita superuixit : qui et ipse cum dignissimo honore et laudibus cælestibus ad syderea regna feliciter peruenit : Præstante domino nostro Iesu christo : cui est honor et gloria per omnia æcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE SYMPHOROSAE CVM SEPTEM FILIIS MARTYRIBVS .

Sanctus Eusebius historiographus memorat Aphricanum pene omnium de urbe regia atque de tota Italia Christi martyrium† gesta conscripsisse . Nam Symphorosam dixit apud tyburtinam urbem cum septem filiis suis una die ab Adriano principe hoc ordine interfectam . Cum fabricasset Adrianus palatium et cum dedicare uoluisset ritu illo nefario : et cœpisset sacrificiis idolorum imo a dæmoniis qui in idolis habitabant flagitare responsa : responderunt : et dixerunt : || Symphorosa uidua cum septem filiis laniat nos quottidie inuocando deum suum . Ista enim si cum filiis suis sacrificauerit : promittimus nos omnia præstare : quæ petuntur . Tunc Adrianus imperator iussit eam teneri cum filiis suis : et blandis eos sermonibus hortabatur : ut ad sacrificandum idolis consentirent : Cui beata Symphorosa dixit : uir meus Getulius cum fratre suo Amantio : tribuni tui cum essent : pro Christi nomine passi sunt diuersa supplicia : ne idolis consentirent ad imolandum : Et quasi boni athletæ dæmones tuos moriendo uicerunt . maluerunt enim decolari : quam uinci . Mors enim quæ pro nomine Christi suscipitur inter homines quidem terrenos ignominiam parit temporalem : inter angelos uero gradientes trophea passionum suarum dantes cum æterno rege uitam æternam fruuntur in cælis . Ad quem† Adrianus imperator dixit : aut sacrifica cum filiis tuis diis omnipotentibus : aut te ipsam cum filiis tuis sacrificare faciam . Et illa : dii tui in sacrificium me acipere non possunt : sed si pro nomine Christi dei mei incensa fuero : illos dæmones tuos magis exuro . Adrianus Imperator dixit : elige tibi unum ex duobus : aut sacrifica diis meis : aut malo interitu finieris . Respondit Symphorosa : tu existimas : quod possis animum meum aliquo terrore mutare ? cum ego desyderem cum uiro meo Gethulio quem pro Christi nomine interfecisti requiescere ? Tunc Adrianus imperator iussit eam adduci ad fanum Hereculis : et ibi primum alapis cædi : post hæc capillis suspendi . Sed cum nulla ratione posset aut aliquo timore reuocare : iussit eam ligato ingenti saxo in flumine præcipitari : cuius corpus colligens frater eius Eugemus† principalis curræ† tyburtinæ : et in suburbano eiusdem ciuitatis sepeliuit . Alia uero die iussit Adrianus imperator simul omnes filios eius septem sibi præsentari : quos dum ad sacrificandum idolis prouocaret : et in nullo penitus eos uideret suis minis atque terroribus consentire : iussit circa Herculis templum septem stipites figi : et ibi eos iussit ad trocleas extendi . primum Cre | scentem in gutture transfigi : secundum Iulianum in pectore pungi : tertium Nemesiuum† in corde pungi : quartum Primitiuum in umbilico uulnerari : quintum Iustinum auersum per dorsum perforari gladis† : sextum Stracteum in latere uulneraro† : septimum uero Eugenium a summo usque dehorsum findi . Altera uero die ueniens Adrianus imperator ad fanum Herculis iussit corpora eorum simul auferri : et proiici in foneam† altam : posueruntque pontifices nomen loco illi ad septembrothanatos . Post septem uero dies in die octaua eorum martyrii filiam Adriani imperatoris arripuit diabolus : et ueniens ad locum ubi obruti erant sancti : clamabat diabolus per os eius dicens : domini mei septem germani martyres Christi incenditis me miseram : Ipsum autem patrem eius Adrianum imperatorem inuasit timor : ut ossa ei carperentnt† : et dum uidissent eum magi et arioli ipsius sic concuti : fecerunt eum sub terra in palatio tiburtino morari languentem : Ibique persistere dicentes ei : si lucem uideris et diei aut solis splendorem respexeris : mox morieris . Sed cum prope annum ibi moratus fuisset : desyderio luminis cælestis exiit foras : et statim eum dæmon arripuit : et tam diu uexauit : quousque spiritum eius abstulit . Factus est timor Christi : et quieuit persecutio anno uno et mensibus sex : In uuo† spatio omnium martyrum honorata sancta corpora tumulis construxerunt cum omni

diligentia : quorum nomina sunt in libro uitz† . Natalis uero sanctorum martyrum Christi beatæ Symphorosæ et septem filiorum eius Crescentis : Iulliani : Nemesii : Primitiui : Iustini : Stractei et Eugenii quinto calendas iulias est : quorum corpora requiescunt uia tiburtina milliario nono . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTAE SVSANNAE VIRGINIS ET MARTYRIS . ||

Temporibus Dioclitiani et Maximiani Augustorum fuit quidam presbyter nomine Gauinius romanus frater utermus† Gaii episcopi urbis Romæ . doctus in diuinis libris auctor tam sapientiæ quam mundanarum litterarum . Hic frequens tractabat cum Gaio germano suo : ita ut libros tractationum faceret contra paganos : et erat eruditus in omni mundanæ artis studio et litterarum : qui tamen et nobili ortus progenie in celebri fama cognoscebatur : eo quod esset de genere Dioclitiani Augusti : nam et Gaius ita uulgabatur . Hic Gauinius presbyter dum haberet filiam unicam dulcissimam et pulcherrimam : quam nutrierat in eruditione litterarum mundanæ artis similiter diuinis libris imbuerat : facta est huius ingenii cuius pater suus . Audiens hoc Dioclitianus de puella : quia et pulchritudine et sapientia esset farmosa† : misit ad Gauinium petiitque eam Augusto Maximiano filio suo in coniugium . Et misit ad Gauinium quendam : qui ex genere erat consobrinum suum nomine Claudum ex affectu generositatis ut omnia pacifice obtineret a Gauinio presbytero . Veniens autem Claudius ad Gauinium sic alloquitur dicens . nisi festi dies occnrissent† in præceptis dominorum nostrorum Augustorum ut me ad uestram caritatem dirigerent : tamen uos non debuistis longe fieri a pareatum† suauitate agnitionis . quid melius eligere dignus es : quam ut geuerositas† nostræ coniunctionis reparetur per claritatem dominorum nostrorum Augustorum ? Respondit Gauinius presbyter dicens : Nos humiles unde digni sumus cognatione dici maiorum ? Respondit Claudius : sanctæ frater nunquid tu filius non es Maximi : cuius et Gaius Episcopus noster frater amantissimi senatoris et consulis patrui nostri et consobrini duorum nostrorum Augustorum . Respondit Gauinius : ita est : Tamen nos ultimi in annis temporum non sumus digni hoc dici . Ad quem Claudius : fructu cognationis communis habito consilio sapienti hoc præcepit domine | noster princeps Dioclitianus Augustus ut fiia† tua quam cognouimus eruditam in omni sapientia in coniunctione filio suo tradenda Maximiano Austo† copuletur : quia iustum est : ut ex radice firma uirgultæ natæ non separentur : quod tantum a nobis optandum semper speretur in gaudio . Respondit Gauinus presbyter : inducias mihi date ut animum puelle obligem caritati : Et data pace salutationis : recesserunt . Tunc abiit Gauinius presbyter ad filiam suam nomine Susannam : quam amplectens : ei desydero te inquit ad patrem et germanum nostrum auunculum tuum Gaium episcopum duci : ut quod in te contulit spiritussanctus non euacuetur . Eodem tempore rogauit ad se sanctum Gaium episcopum : et narrauit ei primo omnia : quæ gesta fuerant : et intrantes domum dixerunt puelle cum lachrymis : Dioclitianus Augustus direxit ad nos Claudium consobrinum nostrum : qui ueniens ad nos : te carissimam filiam suo filio Maximiano in coniugio petere declarauit . Respondit Susanna ad patrem suum : ubi sapientia tua exclusa est ? Si non scires me esse christianam sicut et uos dicerem : quare coinquinasti os tuum uel aures audiendo polutos sermones : ut ego coniungar crudeli pagano : quem uos secundum fidem domini non timustis† negare generositati uestræ esse coniunctum ? tantum gloria deo omnipotenti : qui me coniungi dignatus est corporibus sanctorum : Et credo in domino Iesu christo : quia per me hoc contempto ascendo ad palmam martyrii . Respondit Gauinius presbyter : Ergo filia constans esto in fide : quam tenes . Respondit Gaius et dixit : et nos mereamur fructum oblationum offerre domino Iesu christo de constantia tua : quia scio pietatem eius in omnes homines esse et misericordem dominum Iesum Christum . Resuondit† Susanna ad Gaium episcopum auunculum suum et ad patrem suum Gauinium presbyterum : et dixit eis : Domini mei ego scio : quia de ore tuo pater hoc sum erudita : ut caritatem studerem semper seruandam et pudiciciam domino Iesu christo exhiberem : et in eius timore constituta nunquam

coinquinabor uirili commissa studio . Sed cui me tu se || mel tradidisti : ipsi seruio : in ipso confido : quia nouit conscientiam meam ad quem† Gaius episcopus : Ergo si iam semel tradita es deo : custodi præcepta eius : quia sic dignatus est nobis seruis suis per euangelice doctrine declarare uestigium : Cum stabitis ante principes et præsides nolite præmeditari qualiter respondeatis : quia dabitur uobis in illa hora : quid dicatis : quia non uos loquimini : sed spiritussanctus : qui loquitur pro uobis . Respondit .† Susanna cum lachrimis : et dixit : Sic spero in dominum .† Iesum christum : quia orationibus uestris templum dei efficiar : sicut apostolis† Paulus nos commonet dicens : templum enim dei sanctum est : quod estis uos : nemo uos seducat . Eisdem inuicem tractantibus subito uenit Claudius ad eos post tres dies : et cum gaudio introiuit in domum Gauinii : et inuenit eos sedentes : qui tamen cum magna multitudine et obsequio cum inuenisset non introiuit cum aliquo de obsequio militantium nisi ipse solus : et in introitu eius fuit gaudium : et in præsentia communiter sunt amplexa† : cum pace osculantes se inuicem . Claudius uero clarissimus dixit : cognouit sanctitts† ustra† pro qua causa uenerim ad uos . Respondit Gaius episcopus : et dixit ad eum : et si causæ aliæ sunt : tamen uel propter genealogiam communem et propter genus nostræ conuinctionis† nos mereamnr† præsentari cognationi . Claudius dixit : ergo modo cognoscat sanctitas uestra : quia dominus noster Dioclitianus Augustus amiciciam nostram cognationis affectu desyderat amplecti : Vnde commoneo et tamen rogo sanctimoniam uestram : ut faciatis uoluntatem domini principes† totius mundi : et animum eius gaudio repleatis . Respondit Gauinius presbyter et dioit† : diuulga sancto episcopo præceptionem Augusti . Tum Claudius : ego cum gaudio et gloria diuulgabo : dominus noster clæmentissimus Augustus filiam uestram neptem meam in coniugio petit Augusto et Cæsari filio suo Maximiano : eo quod multa bona de eius eruditione cognouerit : Nihil enim melius esse cognouimus : quam ur† generatio nostra ad infulas imperii migrare festinet : | et genus nostrum augeatur sublimitate præclara . Cui Gauinius presbyter : nihil ait extraneum nobis obscurat uel impedit : tamen quæramus simul animum puellæ . Tunc uocata est puella Susanna in conspectu Claudii et Gauinii presbyterri et Gaii episcopi : ut nullus alius interiudicaretur esse cum eis . Tunc Claudius uidens Susannam cum lachrymis amplecti eam uoluit : et osculari : quia caritate et generositate proximus iungebatur . Respondit Susanna : et dixit ad Claudium : noli contaminare os meum : quia dominus meus Iesus christus nouit : quia nunquam os ancillæ suæ tetigit uir . Respondit Claudius et dixit : Ego quidem secundum caritatis affectum uolui osculari te dominam neptem meam . Susanna in conspectu Gauinii presbyteri patris sui et Gaii episcopi sic dixit : non tantum ego recuso osculum tuum sed recuso : quia de sacrificiis idolorum polutum est os tuum . Claudius dixit : et quid faciam : ut purificetur os meum ab immundicia ista ? Dicit ei Susanna : hoc faciendum tibi est : ut pœnitentiam agas : et baptizeris in nomine patris et filii et spiritussancti . Claudius dixit ad Gaium episcopum : ergo purificate me : Si melius est homo mundus : qui credit in Christo quam in deos : quos colui : et quibus sacrificia obtuli : quibus et principes nostri humiliantur . Gaius episcopus respondens dixit ad Claudium : frater Claudi audi me : bonum est : quod te admoueo† : hoc autem quod agere uenisti : dominus te redimere uult per puelle petitionem : ut saluum sit genus nostrum : quia ipse dominus dignitatis est in euangelio dicere : uenite ad me omnes : qui laboratas† : et onerati estis : et ego reficiam nos† . Nullum onus peccatorum pessimum est : quam ut idolis coinquinetur homo : quem dominus deus fecit : pro quo dignatus est ad terras descendere : et nasci per uirginem et humiliari : et mori propter hominem : quem resurgendo ipse dominus de inferno releuare dignatus est : ut qui tenebatur uinculis peccatorum idolis seruiendo : erectus usque ad cælorum terminum perduceretur Claudius autem omnia cum gaudio suscipiens dixit ad Gaium episcopum : uir reuerende omnia faciam : quæ || nobis prædicatis tantum : ut petitio Augusti Dioclitiani non tardetur . Gaius episcopus dixit : tu frater fac prius petitionem nostram : et omnia conceduntur tibi bona præcanti : Claudius dixit : declarate mihi omnia : quæ custodire debeam : et facio præcepta uestra : tamen quid agendum sit Augusto Dioclitiano hoc me instante continuo : et relationem meam qualiter illi exponam . Gaius episcopus dixit : tu frater utere consilio meo : et esto fidelis deo : et age pœnitentiam de sanguine sanctorum : quem effudisti : et baptismum percipe : et omnia ministrabuntur tibi : quia dominus

noster sic dignatus est nos admonere dicens : cum stabitis ante præsides et reges : ego dabo uobis os et sapientiam : cui non possint resistere omnes aduersarii uestri Claudius dixit : et dum baptismum percepero : delebuntur omnia facinora cordis mei? Respondit Gaius episcopus : et dixit : omnia lauabuntur facinora : tantum tu fideliter crede . Eadem uero hora mittens se Susanna ad pedes Gaii episcopi dixit ei : domine per Christum te coniuro : ne tardes eum baptizare : sed redime eum . Dicit Gaius episcopus : inquisitionem quæramus : si ex toto corde credere festinat Claudius dixit : ego in uestra pollicitatione credo : si omnia mihi laxantur delicta : Responeit† Caius : In nomine domini Iesu christi et dei omnipotentis tibi omnia relaxantur peccata . Eodem die proiecit se in terram ante pedes Gaii : et iacens seque aspergens puluere terræ ante caput suum sic aiebat dicens : domine deus lumen ignosce mihi omnia : quæ sanctis tuis gessi : quia nesciens feci propter idola : quibus sacrificia obtuli miser inanis et uacuus : reple me gratia tua : ut sciant omnes filii mei uel uxor mea : quia tu saluas omnes sperantes in te Tunc fecit eum catechuminum : et dedit ei medicinam : et dimisit eum . Claudius autem ueniens domum suam narrauit omnia uxori suæ : quo modo per petitionem puellæ neptis suæ ad gratiam domini accessisset. Tunc uxor eius Prepidignainomine† hoc cum audisset : stupefacta est : et dixit ad uirum suum Claudium : quis dedit tibi ista monita? Respondit Claudius : Gaius episcopus frater | meus et Gauinius presbyter nam et puella uirgo præcipua in omnibus . Eadem hora Prepidigna ascendit caueam Basternæ : et uenit domum Gauinii presbyteri : et introiuit sola ad Gaium episcopum . Videns eam Gaius episcopus gratias egit deo : quæ cum uenisset misit se ad pedes beati Gaii episcopi : et tenuit eos et osculabatur cum lachymis† dicens : Salua famulum tuum et me et filios meos . Audiens hoc Susanna exiit de cubiculo amplectiturque Prepidignam cum gaudio . Subsecutus nocte ipse Claudius cum duobus filiis uenit domum Gauinii presbyteri : et misit se ad pedes eius dicens : per dominum Iesum christum te coniuro : ne me tardes cum uxore mea et filiis meis baptizare . Tunc fecit uxorem eius secundum consuetudinem et filios simul Alexandrum et Cutiam cathecuminos et dedit eis medicinam sapientiæ . Eadem uero hora cathetizauit eos : et afferens aquam benedixit secundum timorem domini : et baptizauit Claudium : cui ita dicebat : credis† in deum patrem omnipotentem ex toto corde? Et respondit Claudius stans nudus super peluem ligneam : credo . Et iterum dixit ei : Et in christum Iesum dominum nostrum? Et respondit : credo . Qui natus est de spiritusancto ex Maria uirgine? Et respondit Claudius : credo domine . Et tunc dixit ego famulus dei et sacerdos baptizo te in aqua in remissioeem† paccatorum† et carnis resurrectionem . Et leuatus de pelue cœpit dicere Claudius : uidi lumen splendidius sole illuminans me : unde integre credo dei filium Iesum christum dominum . Eadem hora beatus Gaius episcopus liniuit eum chrismate . baptizauit et uxorem eius Prepidignam et filios eius Alexandrum et Cutiam : quos tamen Gauinius presbyter de baptismo suscepit . Tunc obtulit pro illis sacrificium in eadem domo : et consecrauit corpus et sanguinem domini nostri Iesu christi hoc est lactis et mellis fontem : et participauit cum omnibus mysterium domini . Ab eadem die cœpit Claudius omnes facultates suas uendere et pauperibus christianis erogare . Et quærens loca abdita et secreta ubi christiani habitarent Ambulansque pe || cunias et tegumenta distribuebat : uel in custodias quoscumque ipse obligare præceperat : Ipse per† se ad eos cum uictu et uestimentis ambulans relaxabat omnes . Mittens se ipse ad pedes singulorum : qui in custodia tenebantur : pœnitentiam agens : et prout habebat omnia illis ministrabat quottidie cum gaudio nocturnis temporibus . Post mensem unum et dies sexdecim requiritur Claudius a Dioclitiano imperatore : dum autem eum perquireret propter puellam nomine Susannam : dictum est ei : quia ægritudinis morbo teneretur . Et misit ad eum fratrem eius nomine Maximum comitem rei priuate : ut uisitaret eum : et loqueretur ei de puella Susanna nepte sua : Et cum uenisset Maximus ad Claudium inuenit eum in cylicio orantem : Et subito Maximum tremor appræhendit : et dicit ad Claudium : frater dilectissime et nimium amator meus : qui me a cunnabulis educare dignatus es : ex qua causa sic tenuis factus es? Respondit Claudius : si consyderares frater audire : enarrarem tibi : ex qua causa adhuc febricitor . Tunc amplectitur eum Maximus : et dicit ei : enarra mihi domine tristiciam corporis tui . Dicit ei Claudius : ago penitentiam : quia audiui præceptum principis : et effudi sanguinem innocentium . Tamen

ignorans feci : quia sanctorum christianorum effudi sanguinem : et eos cruciaui . Dicit ei Maximus : dominus meus Dioclitianus princeps ad hoc te direxit : ut filiam Gauinii fratris nostri in coniugio copulandam filio suo Maximiano Cæsari Augusto tradendam cum gaudio peteres : quia et tanta ei gratia data est : ut genus nostrum augeatur sublimitate : et non separetur a cognatione communi : et tu mihi talia iuseris† in animo ? Respondit Claudius : et ego petiui carissimam dominam neptem meam : de qua mihi præceperat Augustus Dioclitianus : sed inueni eam sanctam et prudentiæ suauis et pulchritudinis clarissimam et deo æterno dicatam : per quam redemptus sum a peccatis meis . Tamen ut scias deum omnipotentem posse omnes homines saluare : eamus domum fratris uostri† et patris Gauinii presbyteri una nocte : et uidebis lumen æter | num . Maximus dixit : quicquid mihi iusseris faciam . Eadem nocte uenerunt ad arcus portæ Salariæ iuxta palatium Salustii : ubi manebat Gauinius presbyter : Et nunciatum est Gauinio presbytero : quod Claudius et Maximus germani præ foribus stantes uos salutare desyderant . Tunc Gauinius presbyter exiens occurrit illis : et introduxit eos in domum suam . Et dum introissent : dedit orationem Gauinius presbyter dicens : Oremus : Et dum prostrati iacerent in pauimento : dixit Gauinius presbyter : domine deus qui dispersa congregas : et congregata respicis : respice in opera manuum tuarum : et illumina omnes in te credentes : quia tu es lumen uerum in sæcula sæculorum . Et responderunt omnes : Amen : et erigentes se de pauimento amplectentes se osculati sunt inuicem . Eadem hora Claudius osculari cœpit pedes Gauinii presbyteri cum gaudio . Videns hoc Maximus mirari cœpit et rogans cœpit dicere : ut præsentaretur cis† Susanna . Ingressus Gauinius in cubiculum uocauit eam . Susanna uero exiens de cubiculo : adorans dominum dixit patri suo : da nobis benedictionem : et in eius iterum aduentu orauit Gauinius presbyter dicens : pax nobis donetur a domino nostro Iesu Christo qui uiuit et rognat† cum deo patre omnipotente in sæcula sæculorum : et responderunt omnes : amen . Tunc audiens Maximus Susanne constantiam humilitatis et uerecundiæ : tnens† manus Susannæ osculatus est manus eius . Illa autem contemnebat hoc fieri : et dum diu præ gaudio flærent : nunciatum est sancto Gaio episcopo : quia iuxta habitaculum ecclesiæ suæ quam ipse fecerat iuxta palatium Salustii erant : eo quod ibidem maneret . Et cito ueniens ad Gauinium presbyterum sperans quod ad palmam martyrii uentum fuisset : et ideo concitus uenit : qui uero tantæ ambitionis ingressus est : ut in ingressu eius omnes caderent in pauimento ? quibus dixit beatas† Gaius : animo constantes estote in nomine domini . Eadem hora dedit orationem dicens : oremus domine deus pater domini nostri Iesu christi : qui omnibus ad salutem et uitam eternam misisti dominum nostrum Iesum christum : ut nos erueres a tenebris mundi : dona his seruis tuis constantiam fidei : quia tu regnas in sæcula || sæculorum : et responderunt omnes uno animo : Amen . Et sedentes audiebant uerba a beato Gaio episcopo . Susanna uero nunquam uoluit cum eis sedere : sed stans orabat . Tunc Gaius episcopus dixit gratias ago deo meo frater Maxime : quia dignatus est nos uisitare . Respondit Maximus et dixit : Ego quidem non meritus ueni ad uos : tamen osculabor pedes uestros . Ex qua causa uenerim melius nosti . Dicit ei Gaius episcopus : ennarra nobis . Respondit Maximus dicens . Dioclitianus Augustus parens noster direxit me ad Claudium germanum meum quia audiuit eum egritudine detineri : quem tamen direxerat ad petendam filiam sancti presbyteri Gauinii in consortio filio suo adoptiuo Maximiano Cæsari . Ideoque et ego ausus fui uenire ad uos . Ecce ex qua causa dirrectus sum . Dixit autem . Gaius episcopus : Puella hæc iam Christum accepit coniugem a deo patre omnipotente . hæc scito . Respondit Maximus et dixit : quicquid a deo datur sempiternum est Gaius episcopus dixit : ergo accipe et tu sempiternam uitam . Et dicit ei Maximus : et que est sempiterna uita ? Respondit Maximus : uere quod tu cognouisti : et ego desydero : tamen non debet elongare natio nostra a sublimitate Augustorum . Dicit ei Gaius episcopus : nos te commonemus ut credas dominum Iesum christum deum dei filium sempiternum : quia sublimitas hæc quam uidemus temporalis esse cognoscitur : Illa autem quam nos prædicamus sempiterna et innoxia detinetur a malis . Hoc audiens Maximus cum gaudio suscepit . Dicit ei Gaius episcopus : Nosti frater omnia quæ dereliquimus : que uobis diximus : quanta uobis commisimus et nihil sperauimus quam dominum nostrum Iesum christum : per quem uiuimus et gloriamur . Respondit Maximus et dixit : Ne tardes in me domine sed quod cognoscis

expedire in me : sicut in uobis facite celerius . Tunc indixit Maximo ieiunium : et præcepit ut ambularet ad domum suam . Veniens autem ad domum suam Maximus : nihi† alicui confessus est : sed tantum detinebatur amore fraternitatis : qui tantum cupiditate amoris Gaii episcopi et Gauinii presbyteri detineba | tur : ut morte post-posita dominum confiteretur . Quod tamen cum ipsis diebus illis habuit consilium : Et intra quinque dies cœpit uenumdare facultatem suam et pauperibus christianis distribuere . Post quintum diem ueniens in axium† dux misit se in pedes Gaii episcopi dicens : adiuro te domine meus per ipsum per quem illuminasti fratrem nostrum Claudium : ne me tardes illuminare : quia sensi conpunctionem in corde meo domini nostri Iesu Christi : quem tu prædicas a die : quo mihi dignatus es sermonem ædificationis donare . Dicit ei Gaius episcopus : ergo inclina cor tuum in inuocationem domini nostri Iesu christi . Respondit Maximus et dixit : ego miser et infelix oro sanctimoniam tuam ut saluetis animam meam : et eruas me de profundo idolorum et tenebrarum : et ad ueram lucem perducere digneris : Cui Gaius episcopus dixit : Audi me frater : Si ex toto corde credis : et abrenuncias pompis angelis sathanæ ? Respondit Maximus : ego semel abrennnciaui† : quia uestro exemplo uiuere uolo . Tunc cathetizauit eum Gauinius presbyter : et omnia sacramenta manifestauit ei : Et sanctus Gaius episcopus fecit secundum consuetudinem : et ut moris est baptizauit eum . Et leuato de pelue liniuit eum chrismatis sacramento : obtulitque pro eo oblationem domino : Et participati sunt omnes : et cœperunt omnes ab eodem die simul habitare cum gaudio et hymnis . Maximus autem omni nocte uenumdabat facultatem suam per quendam amicum suum Thrasonem christianissimum togatum : qui oculte assidebat publico habens in corde suo reuerentiam in religione christiana : quem ante multos annos Gaius episcopus baptizauerat : qui magis gesta martyrum sanctorum colligens ornabat : et omnia nocturnis temporibus pauperibus christianis erogabat : circumiens per uicos et carceres et custodias . Eodem tempore post dies quindecim diuulgata est fama Maximiano a quodam pagano adiutore comitis rei priuatæ nomine Arsicio : Dioclitiano Augusto quasi ad gloriam dicente : Sacratissime princeps et semper Auguste magna fama declaratur de famulo uestro comite rei priuatæ : eo quod multis subueniat egentibus per || alimoniam . Nam multi in eius humanitate famam declarant facientem . Dioclitianus Augustus dixit ad Arsatium : perquire mihi unde hic pecuniæ auxilium habere cognoscitur Respondit Arsatius : et dixit : sacratissime semper Auguste uictor : si licet loqui : suggero . Dioclitianus dixit : loquere fiducialiter . Arsatius dixit : facultates suas transigendo uænundat : et exinde facere hoc uidetur : nam et christianus esse cognoscitur factus a Gaio et Gauinio presbytero . Hoc audito Augustus Dioclitianus secretum habuit in semetipso : et retulit Serenæ uxori suæ : eo quod filiam Gauinii postulasset Maximiano in uxorem . Serena hoc audito magis confortata est : et dedit gloriam deo : quia et ipsa oculte christiana erat . Respondit Serena Augusta dicens : quod tibi imperatum fuerit a superna maiestate fac . Tunc Dioclitianus Augustus contempsit uxorem suam : Et uocauit ad obsequendum Iullium paganum crudelem : et habito cum eo consilio dixit ei : misi carissimos meos ad quendam petere uxorem filio meo . Illi autem contemnentes præcepta mea qui fuerunt mei Imo magis christiani effecti sunt . Respondit Iulius et dixit : omnes contemptores principum : etiam si iniusta præcipiant : puniantur . Pietate autem uestra et prudentia et quod iustum est imperatum erat faciendum . Quare in euolutione adductum est sine mora puniantur contemptores . Et iussit Dioclitianus Augustus Iulio : ut ipse dirigeret milites : et tenerent omnes : ut tantum Gaium episcopum non tenerent : sed tenuerunt Gauinium presbyterum cum filia sua Susanna et Claudium cum uxore et filiis : quos iussit deportari in ciuitatem Chomos : ibique incendio concremari . Claudium et Prepidignam et Alexandrum et Maximum in Hostia in rheuma iactari . Gauinium uero presbyterum et Susannam fecit in custodiæ uinculo mancipari . Post dies quinquagintaquinque iussit Serenæ uxori suæ : ut adduceretur ei Susanna : et mores eius flecteret : quæ cum uidisset milites ad se uenire : orauit dominum dicens : domine ne derelinquas ancillam tuam : Et adducta Susanna ad Serenam Augustam adorauit eam Serena in introitu eius . Su | sanna autem prostrauit se in pauimento : et dixit Serena ad Susannam : gaudeat in te Christus deus noster : et cum cognouisset : quia Christum inuocasset : hoc dixit . Gratias ago deo meo : quia in omni loco damnationes eius sunt . Et fuit cum Serena Augusta Susanna

multis diebus . quibus die noctuque Susanna hymnis et orationibus non cessabat domino assistens gratias agere . Imperator autem Dioclitianus semper sperans : quod Susanna ad coniugium filii sui Maximiani per Serenam declinaret : misit quendam Curtium familiarem suum ad Serenam dicens : iungamus pueslam† filio meo Maximiano per tuam industriam . Serena dixit ad Curtium : nisi uoluntas fuerit : non est decora iunctio : quia ego non cognosco amorem puelle iuxta filii tui consortium . Puella uero die noctuque lachrymabiliter in laudem dei sui non cessat uocem psalmorum canere . Sicut faciebat pater eius Gauinius presbyter : hoc nunciatum est Dioclitiano Augusto . Tunc Dioclitianus furore plurimo accensus iussit Maximiano : ut reuocaretur ad domum patris sui Gauinii presbyteri : dicens : non coinquinetur palatium nostrum : sed in domo patris sui ibidem cum ea utere sicut desyderas : et relinque eam . Respondit Serena dicens : Qui liberauit famulam suam Susannam priorem : liberet et te : sit tibi auxiliator dans ei pacem cum gloria . Clæmens autem Susanna cum duabus mulieribus in domum suam introiuit : et iactans se in pauimento cœpit orare dominum Iesum christum ipsa autem nocte ueniens Maximianus introiuit ubi orabat Susanna . Et in ingressu eius apparuit angelus domini supra Susannam Ille autem uidens claritatem tantam timuit : et cursim fugit ad palatium : et non contigit eam : narrauit omnia patri suo Dioclitiano . Dicit ei Dioclitianus : Hoc genus non est nisi ars magica . Et misit Curtium iussitque ut in domo sua ibi eam gestis audiret amplissime . Veniens autem Curtius cœpit magis ac magis pauere . Eodem tempore Dioclitianus Augustus introiuit ad Serenam uxorem suam : et cœpit eum† ea habere altercationem de Christi aduentu et idolorum cultura . Et dum conuictus fnisset† a Serena : conuertit se ad Susannæ || disciplina : dicens ad Serenam : Quare ita egisti : ut non consentiret puella prudens et pulchra filio meo in coniu-gium . Respondit Serena : quia elegit melius : quod nobis in relatione sua ennarrauit lumen æternum : quod Maximianus ennarrare non tacuit . Iratus Dioclitianus Augustus uocauit quendam Macedonium sacrilegum paganum : cui hoc præcepit dicens compelle eam in domo sua : ut sacrificia diis offerat : tamen oculte propter mansuetudinis nostræ inuidiam . Veniens autem Macedonius introiuit in domum eius in regione Salustii : et cœpit coarctare eam ad sacrificium deferens deunculum aureum Iouis et mensam et tripoda . Cum uidisset hoc Susanna : insufflauit : flectensque genua ad dominum dixit : domine uident oculi mei dæmonium thecas : sed consolare ancillam tuam . Tunc dixit Macedonius ad eam : erige te a terra : et adora deum Cæsaris . Erigens caput suum Susanna ad cælum subito simulacrum nusquam comparuit . Tunc Macedonius dixit ad eam : cupiditas auri seduxit te : et in impetu cupiditatis clarefecit te : tamen gratias ago tibi : quia nisi amore deorum non furasses eum . Illa autem consignans pectus suum dixit : Deus misit angelum suum : et tulit eum ante faciem meam : ne poluerentur oculi mei . Eadem hora introiuit unus e seruis Macedonii : et nunciauit Iouem aureum in platea ante palatium Salustii iacere . Accensus Macedonius ipse manibus suis expolians eam : cœpit eam fustibus cædere . Susanna autem gaudens dicebat : gloria tibi domine . Dixit ad eam Macedonius : consule tibi : et sacrifica . Illa autem consignans pectus suum dicebat : ego deo meo me ipsam desydero sacrificium offerre . Eodem tempore Macedonius renunciauit Dioclitiano Augusto rem gestam : et quomodo Iouis simulachrum expulsum est : et confractum in platea redactum est in nihilum . Tunc iussit Dioclitianus Augustus : ut ibi intra domum suam iuxta domum Gaii episcopi gladio puniretur : quæ percussa intra domum suam reddidit spiritum . Hoc cum audisset Serena Augusta cum gaudio nocte ueniens collegit corpus sanctæ Susannæ martyris : et sanguinem quem effuderat : in eodem loco | cum suo uelamine detersit : et posuit in capsam argenteam in palatio suo : ubi die noctuque furtiuis uicibus orare non cessabat . Corpus autem sanctæ Susannæ ipsa manibus suis ornauit cum linteaminibus aromatibus : posuitque iuxta corpora sanctorum in cymiterio Alexandri in harenario in cripta iuxta ciuitates Fliglinas : tertio idus augustas . Natale Tiburtii in cymiterio inter duos lauros uia Lauicana et Chrisanta et Dariæ et Susannæ uia Salaria . Ab eodem die cœpit beatus Gaius episcopus in eadem domo introire : ubi gladio fuerat percussa : et sacrificium domino deo suo offerre pro commemoratione beatæ Susannæ populo : Quia domus beati Gauini presbyteri iungebatur domui beati Gaii episcopi . Ab eodem tempore iam tale erat signum christianis statio deputata in duas domos : quod est usque in hodiernum diem

Factum est autem hoc Romæ in regione sexta iuxta uicum Mamuri ante forum Salustii : Regnante cum patre et spiritusancto domino nostro Iesu christo in sæcula sæculorum Amen .

FINIS

PASSIO BEATISSIMAE VIRGINIS ET MARTYRIS TECLAE .

In diebus illis proficiscente Paulo Iconio ab Antiochia facti sunt ei comites Demas et Hermogenes erarius simulatione pleni et ficte blandiebantur Paulo : quasi diligerent eum : Paulus autem habens magnam benignitatem in se nihil mali suspicabatur in eis . Diligebat autem eos ualde : ita ut omnia uerba domini et doctrinam secundum euangelium interprætaretur eis : de natiuitate de passione et resurrectione Christi demonstrabat eis : et quemadmodum fecisset magnalia Christus interprætabatur eis : et quemadmodum de Maria ex sæmine Dauid secundum carnem et de spiritu || sancto Iesus christus filius dei excelsi natus instruebat eos . quidam uero uir Honesiphorus audiens paulum uenientem ab Iconio exiit cum filiis suis Siman et Zenone uxore sua Recta obuiam Paulo : ut eum susciperent . Narrauerat enim eis Titus : qualis esset in actu et figura Paulus . non enim nouerat eum Honesiphorus : sed tantum ex auditu sciebat eum iterque faciens per uiam regalem quæ ducebat listris stetit expectans eum uenientem : et uenientes intuebatur secundum iudicium† Titi . Viderunt ergo eum uenientem uirum statura breui capite reburro : naso aquilino : gratia repletum : cuius Vultus tanquam angeli apparebat . Idem uero Paulus Honesiphorum uidens lætatus est ualde . Honesiphorus autem dixit : Aue minister benedicte dei : et ille dixit Gratia tecum et cum omni domo tua . Demas uero et Hermogenes Zelati sunt : et eo magis ampliorem suam declarauerunt simulationem : ita ut diceret Demas : nos non sumus benedicti : quia nos minime salutasti : Ad quos Honesiphorus dixit : Non uideo in nobis† inquit fructum iustitiæ . Si autem est et in uobis aliquid boni : uenite : et uos in domum meam : et requiescite . Itaque introeunte Paulo in domum Honesiphori læticia magna facta est : et erat sermo dei de omni iusticia et de continentia Paulo hæc docente : beati qui puro sunt corde : quia ipsi deum uidebunt . Beati qui se in castitate custodiunt : quia animæ eorum templa dei efficientur . beati abstinentes : quoniam cum ipsis loquitur deus beati qui sæculo renunciauerunt : quoniam ipsi deo placebunt . beati qui coniugia ita habent tanquam non habentes : quia ipsi hæreditabunt uitam . beati timorem dei habentes : quoniam angeli efficientur . Beati qui uerba dei metuunt : quia ipsi consolabuntur . Beati qui baptismum sanctum custodiunt : quia in lumine requiescent . Beati qui sapientiam Christi accipiunt in agnitionem : quia filii altissimi uocabuntur . Beati qui cum prudentia Christi mandata dei conseruant : et præcepta ipsius non contemnunt : quia ipsi ueste lucida induentur . Beati qui propter fidem et caritatem dei morti tradentur ambicionem sæculi contemnentes : quia ipsi angelos iudica | bunt : et ad dexteram Christi stabunt . Beati misericordes : quia ipsis miserebitur deus : et non indicii† diem habebunt amarum . Beati spiritus uirginum : quia absque tristicia et periculo permanebunt : et non perdent mercedem iusticiæ suæ . Sermo euim† dei fiet illis in salutem in diem filii dei uiui : et requiem habebunt in sæculo futuro in lumine sempiterno . Hæc igitur Paulo per totam diem prædicante in media ecclesia hoc est in domo Honesiphori : uirgo quædam nomine Tecla Theocliæ filia Thamiro desponsata quæ erat iuxta domum Honesiphori manens audiebat dici de Paulo : quemadmodum faceret de castitate et oratione sermonem : Quæ sedens ad domus suæ fenestram minime recedebat ab ea : sed fidem iam habens in deo affectu maximo Christi ducebatur . Videbat enim plurimos introeuntes ad Paulum : et cupiebat ipsa quoque ut inter hos digna esset audire Pauli sermonem . Neque enim effigiem eius uiderat sed tantum ex aurium dictu sermonem illum facere audiebat : Cumque a fenestra minime recederet Christi Iesu fide intenta : ut superius memorauimus : mater eius misit ad Thamyrum accersiens eum . At ille gaudens aduenit quasi iam eam ad nuptias suscepturus : et interrogauit dicens : Vbi est mea Tecla : ut illam uideam . Theoclia uero Thamyro

dixit : Nouum tibi spectaculum Thamyre dictura sum : dies enim sunt tres et noctes tres : ex quo Tecla Christi nescio cuius amore detenta ab hac fenestra non recedit : neque ad manducandum neque ad bibendum : et quasi ad epulas intenta ita adhæret uiro cuidam peregriuo† seductoria et uaria ac uana uerba de illo loquenti : ut etiam mirum sit : quomodo talis pudica uirgo tam sæuissime affligatur. Iste homo Thamyre Iconiorum ciuitatem commouit : atque sollicitat et tuam Teclam. Omnes enim homines sed et omnis pene ciuitas ad eum ingrediuntur : et affectu doctrinæ eius tenentur : In qua docentur unum timere deum : atque caste uiuere semper : sed et mea filia Tecla ueluti aranea ita deuincta est eius uerbis : et capta uano desyderio atque nouæ doctrinæ attonita uidelicet : quæ ab eodem dicuntur : tails† uirgo periit. Ac || cede itaque ad eam : et loquere illi. tibi enim desponsata est. Ille uero amans et diligens eam obuirgansque† illam ait ad eam : Tecla quid talis es : quæ te passio uel amentia tenet ? potius conuerte te ad me : et erubesce. Necnon et mater talia dicebat : Tecla cur talir† es sedens deorsum respiciens : ac ne† neminem nostrum intueris amens effecta ? Sed cum hæc dicentes nihil proficerent : cuncti plorabant : atque lamentabantur. Thamirus quidem quia uxore erat priuatus. Theoclia uero : quia filia. ancille autem domina. Multus itaque erat planctus luctusque : sed ad hæc Tecla minime mouebatur : neque conuersa est ad eos : sed erat pro uerbo dei doctrinæ Pauli deuincta. Thamirus igitur prosiliens perrexit ad hospitium Pauli : et obseruabat introeuntes ad eum. Videns uero quosdam uiros exeuntes ab eo atque inter se de Pauli doctrina disputantes ait ad eos : Quis est iste dicite mihi aut quis est hic : qui intus uobiscum est seductor : qui animas adolescentium ac uirginum peruertit : quod nuptiæ minime fiant : sed persuadet illis : ut sic permaneant. Spondeo itaque me uobis multam pecuniam daturum : si mihi quis sit hic dixeritis. Nam sum prior ciuitatis. Demas autem et Hermogenes dixerunt : Hic quidem quis sit nescimus. confirmat autem iuuenes et mulieres et uirgines dicens eis : Altera non erit resurrectio uestra : nisi sancti permanseritis : et carnem uestram non coinquinaueritis. Thamyrus autem dixit eis : Venite domum meam : et requiescite : et reficite uos : et abierunt ad prætiosam cænam et diuitias magnas et mensam splendidam : et satiauit eos potionibus. Thamyrus autem amans Teclam et uolens adipisci matrimonium in die qua statutum fuerat a Theoclia matre dixit eis : Viri quæ est huius doctrina : dicite mihi : ut ego sciam. non minime enim tribulor propter Tecla† : quia amat peregrinum istum hospitem Paulum. Dixerunt autem Demas et Hermogenes ex uno ore Thamyro. Perduc eum ad Sextilium præsidem : et dic eum persuasorem esse populi doctrine christianæ : et secundum senatusconsultum perdet eum inauditum : et tu habebis Teclam uxorem tuam : et nos docebimus te resurrectionem : quam dicit iste | futuram esse iam factam : quomodo resureximus : et resurgemus semper in filios nostros. Et hæc ut audinit† Thamyrus repletus Zello et furore surrexit ante lucem : et abiit domum Honesiphori cum turba copiosa et fustibus et magistratibus cum magno clamore dicens : Impostor peruertisti Iconiorum ciuitatem et constabilitam mihi uxorem euertisti : ut etiam nolit nubere : et compræhendens Paulum districtum trahebat ad præsidem. Et omnis turba sequebatur eum : et clamabat dicens : hic homo magus est. peruertit enim corda hominum : et multam turbam populi persuasit. Thamirus ad tribunal præsidis dicebat : Rogo domine Sextili : quis est hic homo : nescimus : aut unde uenerit : qui non sinit nubere uirgines : uel qua de causa hæc facit. Demas et Hermogenes dicebant Thamyro : Dic illum christianum esse : et celerius peribit. Statim proconsul constabiliuit sensum suum : et iussit Paulum sibi offerri : quem dum uideret : ait : Quis es tu : et quid dices. Non enim minime te turbe accusant. Et Paulus clara uoce respondit dicens : Si ego hodie interrogor : quid doceam : audi proconsul : Deus uiuus deus uerus est zelans : cuius sunt omnes : misit me : ut ab errore idolatriæ et a corruptela et ab immunditia homines reuocem : ita ut iam amplius non peccent : Propter quod misit deus filium suum : quem annuncio ego : et doceo omnem hominem in illo habere spem suam : qui solus condoluit erranti sæculo : nec iam sub iudicio sint iudicium† terrestrium : sed habeant timorem dei et noticiam castitatis et caritatem ueritatis. Si hæc ergo quæ a deo mihi tradita sunt deceo† proconsul : quid mali doceo : aut quid iniuste loquor ? Proconsul autem his auditis iussit Paulum uinctum in carcerem recipi dicens : Quousque mihi uacuum sit : ut eum diligentius audiam custodiatur. Cum uero Tecla hanc rem scisset : noctu

nebridas suas exuens de brachiis ianitori dedit et patefacta ianua ad carcerem perrexit : atque illic speculum argenteum carceris custodi dedit : Ac sic ad Paulum ingressa est : et ad pedes eius sedens audiebat eum Christi sapientiam docentem . Paulus uero nihil metuens imo et dei auctoritate libertate quam habebat loquebatur : Cuius audiens illa ser || mones augebatur in fide Christi : et uincula eius osculabatur . Inter hæc Tecla quærebatur a suis : ubinam esset : et quasi perisset et per diuersas uias inuestigabatur . Quidam uero ex hominibus ianitoris indicauit illis : quod noctu foras exisset . At illi eumdem ianitorem percontati sunt : Quibus idem ait quod illa dixerit : uado ad peregrinum : ubi uinctus habetur . Pergentes itaque ad carcerem secundum indicium ianitoris inuenerunt eam doctrinam dei a Paulo audientem . Inde uero exeuntes turbas concitauerunt ciuitatis : et indici† factum nunciauerunt . Tunc proconsul iussit Paulum ad tribunal adduci . Teclam etiam accersiri præcepit . At illa cum gaudio ibat exultans . Populus uero Paulo de carcere exeunte uæhementer clamabat dicens : magus est tolle eum iam . Cum autem proconsul eum in suis iustis operibus et consilium caperet Teclam aduocauit dicens : Quare nubere non uis secundum Iconiorum legem ? Illa autem stabat Christum cogitans : et intuens Paulum : qua tacente ac responsum minime dante : Theoclia mater eius uociferans dixit : Adure proconsul innuptam in medio amphiteatro : ut omnes fœminæ ab ista instructæ ueniant talia cogitare . Proconsul uero hoc audiens uæhementer condoluit : et Paulum quidem flagellans extra ciuitatem repulit . Tecla uero ut ureretur indicauit : Atque confestim surgens idem proconsul ad anphiteatrum perrexit : quem magna frequentatio populi ad spectaculum insecuta est . Inter hæc Tecla uelut agnus in deserto pastorem Paulum Christi doctorem et dei famulum requirebat : quæ intuens cælum deinde populum uidit dominum Iesum ueluti Paulum sedentem : et ait : Quasi impatientem me Paulus uenit spectare : et cum eum intenta respiceret : ille recessit ab oculis eius in cælum . Adolescentes itaque et ministri attulerunt ligna : ut male incendio cremaretur : quæ cum introisset : proconsul uæhementer eius admiratur uirtutem atque constantiam . Ordinauerunt ergo ligna : et iussit publicæ super ascendere ea . Illa autem extensis manibus similitudinem crucis faciens ac signans se ascendit super ligna composita : At illi confestim ignem supposuerunt : sed eam minime contingebat incendium . Deus | enim misertus est et mugitum atque strepitum terra mouens se dedit : ac desuper nubem de celo aqua grandinique commixta descendens memoratum extinxit ignem . Turbaque omnis inde dispersa est : ita ut multi morerentur timore . Tecla uero ope diuina adiuta incolumis euasit . Dum hæc ita geruntur : Tecla ex inde secessit . Paulus uero ieiunans cum Honesiphoro eiusque coniuge ac filiis qui in monumento erant clausi in uia quæ ab Iconio pergitur : et cum iam plures essent dies ieiunii : accidit ut Honesiphori pueri esurierent† : ac dicerent ad Paulum : esurimus : et panes unde emerent non habebant . Relinquens enim Honesiphorus ea quæ sunt mundi Paulum cum omni domo sua sequebatur . Tunc Paulus exuit se tunica qua superutebatur : et dans puero dixit : Vade fili eme panes plures et affer . Cum uero missus puer panes emeret : uidit Teclam uicinam suam : et admirans ait ad illam : Tecla quo uadis . Illa uero respondens ait : Paulum Christi mei quæro ab igne erepta : Cui puer . Veni inquit : et ego te ad eum perduco . Sollicitus enim est tui causa atque ieiunans orat dies habens iam sex . Cum itaque ad monumentum cum puero peruenisset : inuenit Paulum orantem : atque dicentem : domine pater Iesui† Christe Teclam ignis non tangat sed adesto illi : quia tua est famula . Illa autem retro stans clamauit : Pater domini nostri Iesu christi qui cælum ac terram constituisti : qui dilecti filii tui pater es : benedico te : quia liberasti me : et fecisti ut doctorem nominis tui Paulum inuenirem . At Paulus surgens uidit eam : et dixit : Deus qui solus corda intelligis hominum pater domini nostri Iesu christi glorifico te : ac benedico : quia quod te rogaui accelerasti mihi præstare . Erat itaque multa dei claritatis intra monumentum orante et exultante Paulo et Honesiphoro cum reliquis omnibus . Habebant autem panes quinque et olera et aquam : atque epulabantur in sanctis operibus Christi . Inter hæc Tecla ait ad Paulum : Tondeo me : et sequor te : quocumque ieris . Qui ei respondens ait : Tempus inquit persecutionis est et iter asperum ualde : et tu speciosa es : ne aliqua te temptatio deterior comprehendat : quam sustinere || non possis : Cui Tecla : Da mihi tantum in domino signaculum : et nulla me adgredietur temptatio . Tunc Paulus Honesiphorum cum omni domo sua

baptizatum Iconio remisit . Ipse uero profectus est . Mox uero ut ingressi sunt Antiochiam : Syrus quidam Alexander nomine antiochensium primus multum potens in ciuitate et in principatu præeellens† uidit Teclam adamauitque eam : atque Paulo multas cœpit polliceri diuitias donare quam plurima : ut eam suæ traderet uoluptati . Paulus autem dixit ad eum : Nescio prorsus mulierem : quam dicis : neque mea est . At ille multum potens occurrit illi in publico : et amplexus est eam . Illa autem tantam non ferens iniuriam Pauli Christum inuocabat : atque proclamabat in ciuitate dicens : Ne opprimas peregrinam . ne uim facies dei ancillæ . Iconiorum sum prima : et quia nubere nolui : pulsa sum ciuitate : et arripiens eum : chlamidem illi conscidit : et coronam quam portabat de capite eius excussit : statuitque eum hebetem . Idem uero Alexander licet eam diligeret : tamen postquam se destitutum conspexit ipso rubore ductus obtulit eam sicut sacrilegam proconsuli : Quam confitentem se christianam : et hæc eadem sibi perpetrasset : damnauit ad bestias : Alexandro munera dante : At uero omnis ciuitas obstupuit mulieribus ante tribunal hululantibus et uociferantibus malum iudicium iniustum iudicium . Tunc Tecla proconsulem postulauit : ut tantum modo usque in illum diem quo esset ad bestias pugnatura castitas eius inuiolata maneret . Itaque Triphinæ cuidam diuiti fœmine cuius filia nuper fuerat mortua custodienda est tradita : quæque interim Teclæ solatio fruebatur . Cum autem pridie muneris feræ publicari cœpissent : statuerunt eam super caueam lænæ† ferocissimæ atque ingentis formæ . Triphina uero regina retro sequebatur . Tunc leæna præclaros pedes Teclæ lambebat : Vnde omnis populus uidens hoc nimium mirabatur . Causa autem eius elogii sacrilega legebatur . At uero populus omnis cum suis mulieribus et filiis clamabant dicentes : Deus iniusta fiunt in hac ciuitate . Cum enim publicata fuisset rursus accepit eam Triphina : eique diligentiam adhibebat . filia enim eius defuncta in somnis illis apparens dixit : Mater peregrinam desti | tutam Teclam meo loco habeto : ut oret pro me : et transferat ad locum sanctorum . Postquam igitur transacta est pompa : Trifina Teclam ad domum reduxit . lugebat eam : simulque illum diem quo erat ad bestias pugnatura . Amabat enim et diligebat eam ac si propriam filiam Phalconillam . Tunc itaque ait ad illam : Filia mea Tecla ora pro filia mea : ut uiuat : hoc enim uidi in somnis . At illa confidens in deo eleuansque uocem dixit : Deus cælorum filii† altissimi da illi secundum suam uoluntatem ut Phalconilla eius filia uiuat in æternum . Cum hæc Triphina illam postulantem audiret : maior ei luctus accreuit : quod tanta eius sapientia ac tale decus feris obiiceretur . Postera autem die cum primum lucesceret : uenit Alexander : ut eam susciperet dicens : Proconsul iam sedet : et populus spectat . da ergo : ut ducam bestiariam . Triphina autem regina ita uociferata est : ut etiam Alexander fugeret dicens filia mea Phalconilla secundus mihi luctus in domo est : et nullus qui consoletur me : aut qui solatium mihi præbeat : filia enim mea mortua est : et neque cognati sunt mihi : et ego sum uidua : sed deus filiæ meæ Teclæ adiuua Teclam . Tunc proconsul misit Stratoclem : ut adduceretur : Triphina autem non recessit ab eadem sed tenens eius manum cum illa pergebat dicens : Filiam quidem meam Phalconillam ad sepulchrum deduxi : te uero Teclam ad bestias persequor pugnaturam : quæ audiens Tecla amarissime flænit† : atque gemens dixit ad dominum : Domine deus meus cui ego credo : et quem scio ueritatis esse deum : ad quem etiam confugi : qui me ex igne pernitioso liberasti : et ab eius atrocissimis minis eripuisti : Triphinæ retribue mercedem : quia tuæ famulæ condolet : et quia me castam inuiolatamque seruauit . Inter hæc tumultus uæhementissimorum clamorum tollebatur : rugitus etiam et fremitus ferarum nec non clamor populi et mulierum ingens . Vociferatorum quorundam quidam dicebant inducatur sacrilega . quorundam uero clamantium perit ciuitas pro hoc iniusto iudicio : ac deinde dicebant : auffer omnes proconsul . infandum enim est hoc spectaculum et iniquum iudicium . At Tecla ex manu Triphinæ sumpta spoliata est et procincta : itaque in stadium missa . Deinde Leones et ursos || ad eam deuorandam immiserunt : inter quas bestias erat etiam leæna illa sæuissima atque miræ formæ : quæ circumueniens ad pedes eius recubuit : et hoc uidens omnis populus et multitudo mulierum existimabant : quod ursus in eam impetum faceret : Cui leæna illa occurens confestim eum necauit . Rursus est immisus illi leo qui erat eiusdem Alexandri : cuique leæna obuiam uadens complexa est eum : et diu inter se feritate sua pugnantes pariter expirauerunt : Quod uidentes populi et mulieres multo magis timere et flære cœperunt : eo quod leæna quæ illi auxilio erat

cum leone fuisset mortua . Post hæc dimittunt ei plurimas feras . Illa uero manibus extensis orabat : et cum complesset orationem conuersa uidit magnam fossam aqua repletam multasque belluas marinas habentem : et dixit : Nunc tempus est lauandi : ibique se emisit dicens : In nomine dei patris et filii et spiritussancti ego hodie baptizor . populus deinde omnisque multitudo mulierum uidens lachrymata est : et cœpit clamare : Noli Tecla noli te mittere . Proconsul etiam prohibebat dolens : ut tantum decus a bestiis comederetur . At illa neminem audiens misit se hoc tantum dicens : in nomine tuo domine : ut statim beluæ quæ illic erant ignis et fulgoris splendorem uidentes mortuæ supernatare cœperunt . Erat autem circa eam quasi ignea nebula ita ut neque a feris contingeretur neque nuda posset uideri . At uero mulieres aliis fortioribus feris immissis hululabant : ne ab aliqua illarum discerperetur . Et quædam aromata mittebant . aliæ uero nardum aliæ innantium quam plurimæ autem pretiosum unguentum mittebant . Tantum denique memoratarum rerum copiam in stadium iactauerunt : ut ipsa odoris abundantia omnibus feris in somnum conuersis a nulla earum contingeretur . At uero Alexander cum uideret illam nullis morsibus bestiarum attrectari ait Proconsuli : Tauros habeo ualde feroces ac metuendos ad ipsos illam ligemus : Cui Proconsul dolens respondit : Fac quod uis . Itaque ligauerunt manus eius ac pedes : et medios eam inter tauros statuerunt : et femoribus eorum ignita ferramenta supposuerunt : quo ex dolore uulnerum ferociores effecti eam citius interficerent . Verum cum idem tauri exilire cœpissent flamma qua erant incensi funes exusti sunt : quibus fue | rat illa innexa : quæ iam erat quasi non uincta . Dum hæc in stadio geruntur : Triphina iuxta harenam stans diriguit atque exanimis facta est : ut etiam serui eius clamarent mortuam esse Triphinam reginam . Proconsul autem hoc audiens obstupuit animo : omnisque ad eum ciuitas commota est . Alexander autem audiens procidensque in terram Proconsulem rogabat dicens : miserere mei : Et tota ciuitas subclamabat : solue maturius bestiariam : ne omnis ciuitas cum illa pereat : Hæc enim si audierit Cæsar : fortasse ipsam etiam perdet ciuitatem : eo quod Triphina eius cognata sit mortua . Tunc itaque proconsul Teclam de medio ferarum uocauit : atque percunctatus est eam dicens : Quæ es tu : aut quæ sunt : quæ circa te aguntur : quia nulla ferarum te contigit ? Illa autem : Ego inquit dei uiui sum famula : Quod autem circa me credis : hoc est : quia in eum in quo deo patri complacui : saluatorem mundi credidi : propter quem nulla ferarum me contingere potuit . Hic est enim deus solus salutis terminus et uitæ mortisque discretio . Ipse enim fluctuantibus tranquillum existit refugium . Hic est refectio eorum : qui pro dei nomine opprimuntur . Ipse est munimen iis : qui spem suam in deo habent : et ut compendio dicam : si quis in hunc deum non crediderit : æternam uitam non habebit : sed in perpetuum morietur . Hæc cum audisset proconsul : iussit uestimenta eius afferri et indui Teclam . Illa autem ait : Qui me expoliatam ac nudam de igne eripuit : qui inter feras constitutam saluam conseruauit : ipse me induet in die iusti iudicii sui uestimento salutaris . Quæ accipiens uestem suam : induit se . Deinde proconsul uelociter Curionem misit ad populum dicens : Teclam religiosissimam dei famulam dimitto uobis . Ad hæc multitudo populi et mulieres maxima uoce clamabant : unoque ore laudem deo referebant dicentes : unus et uerus deus : qui Teclam saluauit . Tantus autem clamor extitit : ut ipsis uocibus omnis ciuitas motu quodam contremisceret . Triphina autem hoc audiens cum frequentia populi occurrit : et amplectens Teclam ait : Nunc credo : quomodo mortui resurgunt . || nunc credo : quomodo filia mea uiuit . Eamus domum : et omnia mea tibi conscribo . At illa pergens cum ea ingressa est domum : et requieuit ibi diebus octo : Sermone eam suo cathetizans ita : ut ex ancillis audientes eam plurimæ crederent : et esset in domo maxima gratulatio . At Tecla Paulum ubi esset requirebat : De quo indicatum est ei : quod in smyrna esset . quod cum audisset : assumpsit secum et alias quas ipsa deo acquisierat : et perrexit in Smyrnam : ibique Paulum reperiens sermonem dei docentem superuenit : Qui cum eam uidisset : obstupuit : Simulque et alias intuens : quæ cum ea erant turbatus est timens : ne forte aliqua temptatio accidisset ei . At Tecla hoc intelligens ait : Paule lauacrum accepi : Qui enim operatus est tibi in euangelio : operatus est et mihi in lauacro . Tunc Paulus assumens eam perduxit eam in domum Hieremiæ : Et cum omnia quæ gesta sunt ab eadem didicisset : ipse quidem mirabatur . Audientes confirmabantur in fide domini Iesu . Tunc pro Triphina pariter orauerunt . Post hæc surgens

Tecla ait Paulo : proficiscor Iconium . qui ei dixit : Perge : et doce dei sermonem . Triphina autem multam uestem et aurum Teclæ transmiserat : Ex qua quantitate plurimam partem Paulo relinquens ad usum sanctorum et pauperum : ipsa uero perrexit Iconium : Et cum peruenisset illa ingressa est Honesiphori domum : ibique se prostrauit : ubi Paulus sedens antea docebat : ac lachrymans dixit : Deus meus et huius domus : in qua mihi lumen eflusit† Iesu Christe fili dei deus adiutor meus in carcere : adiutor ad iudicium : auxiliator in ignem : adiutor inter feras quomodo tu es deus : cui gloria in sæcula adiuua seruos tuos : et ora inimicorum infesta nobis obstrue . Thamyrum perinde obitum repperit . matrem uero Theocliam uiuam inuenit : quam ad se conuocans ait illi : Theoclia mater ecce iam crede : quia uiuit dominus in cælis in sempiternum . Siue enim diuitias cupis : dabit tibi in me : siue filiam quæris : ecce assum tibi . Et hæc testificans in Seleuciam abiit : atque multos in domino illic dei doctrina illuminans cum bono cursu requieuit in pace : Regnante domino nostro Iesu Christo : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen . |

PASSIO SANCTORVM TROPHINII : ET EVCARPIONIS MARTYRVM .

Trophinius et Eucarpio testes dei fidelissimi officiales erant consulares† prouinciæ Bythiniæ sæuissimi executores : ut sine ipsis a iudice tormentorum fieret nihil . Decius imperator persecutor uenerandæ legis christianorum decreta constituens per singulas prouincias : præmia promittens : ut inuenti christiani iudicibus offerrentur . perlatum est igitur Marciano consulari : quod in Nicomedia ciuitate essent quidam christianorum inclusi in carcerem . Conuocans itaque Trophinium et Eucarpionem animabat eos dicens : Comperi in Nicomedia ciuitate quosdam esse christianos . Ergo ut electissimi uiri executores et amatores deorum nostrorum et clæmentissimorum imperatorum euntes colligatos eos adducite ad nos exquisitis pœnis ideo occidendos . pergentibus uero eis et sæuissima supplicia cogitantibus atque crudelissimas mortes eis machinantibus subito mirum apparuit in uia credentibus fidele : incredentibus uero incredibile : nebula quædam ignea in aera et uox de ea facta est : Quo inquit festinatis Trophini et Eucarpio : ut quid meis famulis comminamini ? Non superabitis illos : neque uincetis eos : sed eritis et uos cum his meis famulis similiter seruientes . Hæc audientes illi audaces et magni atque crudelissimi : qui contra seruos dei sæpe pugnauerant : in faciem ceciderunt super terram : ut neque uisionem tollerarent : uel cernerent : nec uocem sufferrent audire : nam faciem suam uelantes ita dixerunt : magnus deus christianorum : qui apparuisti et locutus es nobis . Hæc eis cum omni timore dicentibus : discinditur subito : et diuiditur illa ignea nebula : et uox datur de cælo : surgite inquit : et pœnitentiam agite ex toto corde uestro : ut offensæ uestræ remittantur uobis . Cum autem audaciam accepissent surgendi : uiderunt candidatum quendam sedentem in circuitu nubis : multos autem in circuitu stantes : quos ipsi interfecerant : stupentes uero de uisione et percutientes pectora sua di || cebant . Propitius esto nobis domine deus omnipotens : et suscipe nos domine Iesu Christe inter famulos tuos confitentes peccata nostra in quibus deliquimus . Hæc cum dixissent : subito disparuit nebula . Prædicti autem contristabantur apud se pœnitentes : et intelligentes : quanta gessisent . Sed pœnitentes cum lachrymis percutientesque pectora sua et proiicientes se in terram supplices pro quibus deliquerant præcabantur . Cum autem proxime Nicomediæ uenissent : qui quidem habitabant ciuitatem : expectabant illos : ut uiderent quemadmodum christianos maceratos tormentis interficerent . Continuo ingressi custodiam ubi erant ligati tam clerici quam laici inclusi : confestim soluentes eos ceciderunt ad pedes eorum : factamque uisionem narrauerunt : seque etiam eorum si digni essent seruos uocabant . Illi gratulantes laudauerunt dominum : qui in omnibus largam et infatigabilem misericordiam suam donare dignatus est : rogauerunt uero : a presbyteris : si fieri uellent christiani : protinus baptizarentur : ne ab eis fierent alieni : Cumque id fuissent consecuti : diffamatum est per totam Nicomediam Trophinium et Eucarpionem factos esse christianos et prædicatores

domini : mirabile uidebatur omnibus : hos sæuissimos et crudelissimos contemptores extitisse iudicis præceptorum . Curia igitur cum hæc audisset : omni cum uelocitate nunciauerunt iudici : quæ a Trophinio et Eucarpione gesta fuissent . mittens itaque consularis cum grandi iniuria exhibuit eos : oblatisque dixit : Quid passi estis omnibus hominibus miserabiliores ? Quomodo fortissima anima repente peruersa est ? Si maleficiis estis confecti : dicite mihi . sed summa amentia estis ōonuersi† : sobrii efficiamini : ut non similia patiamini : qualia sæpe aliis intulistis . Trophinius et Eucarpio responderunt : conuersi sumus pro eis : quæ gessimus . pœnitentes cognouimus deum uerum ante omne principium : uidimus : quos interfecimus : cum illis uero esse elegimus : et cum illis conuersari desyderamus . Vtinam aut sæuiores nobis inueneris ministros : ut in nobis operentur : quæ nos in seruos et in confessores dei sæpe te iubente perfecimus : ut pro iis quæ fuerimus passi : satisfacere | ualeamus : siquidem multum peccauimus in conspectu domini . Hæc ubi dixissent : ait ad eos consularis : redite ad sensum uestrum . subito enim uideo uos quibusdam ueneficiis esse subuersos . Trophinius et Eucarpio responderunt : Vtinam ante his ueneficiis quibus tu putas fuissemus infecti : ut per longam satisfactionem maiorem gratiam accipere mereremur : et in hoc ipso non nos proiectos affaciæ domini esse cognouimus : qui ipsius audiuimus esse promissum peccatori ad horam conuerso ex toto corde a suis iniquitatibus ueniam non denegari : et quod nos passionis suæ gloria dignos iudicauit . Ad quos consularis : Audite me inquit et sacrificate : ut sitis sicuti semper in meo amore . Trophinius et Eucarpio responderunt : Nos magis amorem dei quam tuum elegimus . Tu autem de nobis fac : quod uis . Iussit itaque consularis eos suspendi in equuleis : et adhibitis ungulis uexari præcepit : affectisque tormentis cylicium iussit deferri : et plagis eorum appositum defricari iubebat . At illi uenerabiles uiri nihil omnino sentientes non aliud nisi oculos ad cælum leuantes dicebant : Gratias tibi agimus domine Iesu Christe : quia nos miseros et infelices persecutores nominis et passionis tuæ gratia dignos indicasti† . Cum autem uidisset crudelissimus iudex : quod in nullo proficerent eius tormenta : iussit eos flammis exuri : illi autem omnia cum gaudio suscipientes deo gratias egerunt : quod tantæ passionis connumerari simul cum sanctis martyribus meruerunt . et eorum per bonam confessionem socii efficerentur . Passi sunt autem beati uiri famuli dei Trophinius et Eucarpio apud prouinciam Bythiniam in ciuitate Nicomedia nonis decembribus sub Decio imperatore agente Marciano consulari : et regnante domino nostro Iesu Christo : Cui est imperium potestas gloria per immortalia sæcula sæculorum Amen . ||

[VITA SANCTI THOMAE AQVINATIS .]

De illustri sancti Thomæ de Aquino prosapia et ortu ac nomine eius matri prænunciato .

Sanctus Thomas Aquinas ordinisque prædicatorum ac doctor egregius nobilibus ortus natalibus de domo ac illustri prosapia comitum urbis Aquini in confinibus Campaniæ regnique Siciliæ duxit originem . Cuius pater Landulfus nomine fuit : mater uero eius tam morum quam progenitorum claritate conspicua Neapoli oriunda Theodora nuncupata est . Huius pueri ortus et uitæ progressus antequam nasceretur fuit diuinitus præmonstratus . Erat enim quidam in campaniæ partibus re Bonus et nomine : qui compluribus aliis heremitis anachoriticam uitam ducens in monte : qui dicitur Rochasicca opinione celebris habebatur . Hic spiritu dei afflatus ueniens ad matrem eius in castro de Rochasicca dum adhuc eum gestaret in utero ait illi : gaude domina Theodora : quia tu paries filium : Thomas uocabitur nomen eius . Hic erit magnus in toto orbe in scientia et uita : eritque frater in religione ordinis prædicatorum : Ad quem Theodora : adimpleat dominus suæ beneplacitum uoluntatis : Quæ omnia sicut prædicta fuerant sunt adimpleta . Natus est itaque puer nobilis : Thomasque uocatus et mnlta† diligentia enutritus ,

De carthula salutationem angelicam continente .

Cum adhuc Thomas esset lactens puerulus et infantis more pannis inuolueretur in cunnis : contigit aliquando dum causa balneandi nutrix ipsum soluisset : ipse infans extendens manum suam quandam carthulam diuino nutu repertam de terra nullo sibi innuente suscepit : eandemque in manu conclusit : et constrinxit . Cum autem nutrix ipsum uellet balneare : et de manu eius cartham extrahere manumque aperire : cœpit infans fortiter eiulare . Cum uero permittebaiur† carthulam tenere : tacebat . Quare nutrix ei compatiens puerum clausam manum habentem cum ipsa carthula balneauit : abstersit : et induit : uolensque scire mater pueri quid carthula continebat : eandem manum eius aperuit : quantumcumque ploraret : | et in carthula nihil aliud scriptum esse repperit nisi salutationem angelicam : Aue Maria gratia plena et cætera : Conueniens cnim† fuit diuinæ prouidentiæ : ut tali præsagio piæmonstraretur† in puero quid futurum erat : postmodum in magistro . ut præsciretur : quam salutarem doctrinam iam uir factus effusurus esset : quem non nisi diuino spiritu dictum† præfatam carthulam contigit inuenire .

De bona indole pueritie eius .

Completo autem ætatis suæ quinquennio parentes eius ipsum puerum deo offerunt et cum decenti comitatu tanquam alterum Samuelem ad Heli ad monasterium montiscassini ordinis sancti Benedicti transmittunt informandum moribus et litteris imbuendum . Hoc autem diuino prouidente consilio agebatur : ne tam clarum luminare futurum mutaretur in tenebris : et tam præclarum uitæ speculum conuersatio sæcularis aliquatenus inficeret mundanis . Vbi ad futuri profectus iudicium† puer in ætate tam tenera et scibilium nescia qua se necdum nosse poterat miro modo deum adhuc nesciens diuina præuentus gratia scire uolens quærebat : de quo futurum erat : ut dum deum maturius quæreret : clarius præ cæteris scriberet : quæ de deo ipso donante studiosius inueniret . Puer itaque quem diuinus spiritus elegerat aliorum puerorum nobilium qui ibidem nutriebantur puerilia deuitans consortia : dissoluta eloquia penitus fugiebat . Sequestrabat se ab eis cum poterat gerens in manu carthulam continentem pro erudiendis ex more puerulis primaria rudimenta . Maturus erat puer in gestu ab omni puerilitate quietus in loquendo non garrulus : sed meditari iam incipiens intra se taciturnus : eratque moribus compositus : et ut ostendere poterat ætas illa in oratione deuotus .

De profectu eius mirabili in liberalibus disciplinis .

. Quoniam autem sicut ait scriptura ex studiis suis cognoscitur puer : si recta et munda sunt opera eius : Cum abbas præfati monasterii quasi spiritu præsago aduerteret puerum tantæ indolis magnum aliquid esse futurum : persuasit parentibus eius : ut Neapolim mitteretur ad studium liberalibus artibus imbuendus : quod cum factum fuisset : ita profecit || in studio supra coætanios† suos ingenii uiuacitate : ut omnes transcenderet : et tam in repetendo altius audita et acutius intellecta quam in conferendo cæterisque actibus scholasticæ discipline : scholaribus et magistris puer admirabilis uideretur . Mirabantur enim omnes super prudentia et responsis eius . Breui itaque cum in gramaticalibus et logicalibus ac naturali philosophia plurimum profecisset : cœpit agente deo secum disponere : ut sæculo renunciaret omnino et in ordine fratrum prædicatorum talentum sihi† creditum excellentis ingenii et intelligentiæ perspicacis domino redderet duplicatum . Nam cuidam fratri ipsius ordinis admiranti de tanti prærogatiua ingenii uisum fuit : quod de uultu eius splendentes radii procederent : qui longe lateque diffusi intuentium oculis illucescerent .

De ingressu eius ad ordinem prædicatorum .

Cum itaque pueri qui sortitus erat animam bonam per omnium ora fama celebris uolitaret : et in mente eius sanctum propositum ad ingressum ordinis permaneret : contigit fratrem Iohannem de sancto Iuliano uirum utique fama celebrem eundem

adolescentem Thomam spiritu dei instigante alloqui : et ad introitum ordinis quem iam præconceperat inducere : ut sic dei spiritus per ipsum quod cœperat adimpleret . Ordinem igitur prædicatorum infra annos pubertatis existens sicut in litteris canonizationis eiusdem tempus exprimitur : ingreditur futurus lucerna super candelabrum ecclesiæ : ad cuius lumen existentes in tenebris ambularent . Cui habitum ordinis contulit et induit uir per omnia laudabilis frater Thomas de Agnilentino tunc prior neapolitanus : qui post modum archiepiscopus cusantinus fuit : indeque translatus factus fuit sanctæ ciuitatis Hierusalem patriarcha : Admirantur super ingressu talis ac tanti iuuenis ciues : lætantur fratres : et bonorum memoria digna mater ipsius auditis rumoribus consolatur memor promissionis sibi factæ per uirum dei : quæ uidebatur in filio iam impleri . Gaudens itaque in domino pia mater cum decenti comitiua Neapolim properat uisura filium : ut ipsum confortaret in cœpto proposito permanere : iterato parere cupiens spiritu : quem carne prius pepererat mundo . Audito autem aduentu eius cœpit in fratrum | cordibus suboriri quædam suspicio timorosa : ne mater ad filium carnali duceretur affectu atque fœmineo more aliquid circa iuuenis exitum moliretur : qua suspicione moti fratres ipsum Romam usque deducunt : ne Neapoli inueniretur a matre . De Roma uero ipsum transmittunt in Tusciam : ut inde Parrysios duceretur : quem sollicita mater persequens de Neapoli usque Romam ueniens : ipsumque non inueniens tanti laboris fructu ac uisione filii priuata dolore cordis intrinsecus percellitur : asserens quod filium ad hoc uidere uolebat : ut ipsum in proposito ordinis confirmaret et cohortaretur .

Quomodo captus fuit in itinere beatus Thomas cum fratribus ordinis : et ui ablatus .

Audiens hoc itaque mater : turbata est eo : quod sibi de suo sic ordinato non credebatur affectu : et directo nuncio ad alios filios suos imperialis curiæ aulicos in castello aquæpendentis in Tuscia intimat seriem rei gestæ : præcepitque eis sub obtentu maternæ benedictionis : ut iter illius præocupent : et uidendum filium maternis oculis repræsentent : Exponitur coram Cæsare Frederico Maternum edictum a filiis : conceditur que licentia : ut perficiant : quod iubetur : Mandatur itaque executioni licentia illicita : et ueluti prædones insanientes insiliunt per stratas ad prædam . Inuenitur tandem iuuenis cum quatuor fratribus prædicatoribus comitibus itineris et conductoribus suis iuxta quemdam fontem quieti deditus propter laborem itineris præteritum et instantem . Capitur : et trahitur non sicut a fratribus sed ueluti sæuis ab hostibus : Cumque iussus ab eis deponere habitum nullatenus acquiesceret : ipsum exuere per uiolentiam conati sunt . Sed non præualuerunt : ne puer qui totis conatibus resistebat forsan resistendo in corpore læderetur . Captum igitur ad matrem cum habitu ordinis sub fida custodia transmiserunt . Ad conspectum dæmum filii mater exultat . Sed animo fœmineo quippiam se passam ostendens inducere nititur filium : ut deponat habitum ordinis præassumptum . Non cedit autem mens bene conscia uerbis fœmineis : nec maternis blanditiis supra firmam petram solidatus eius animus emollitur . Traditur ergo quasi agnus innocens custodie in castro montis sancti Io || hannis usque ad fratrum suorum carnalium proxime futurum aduentum . Interim autem dum hæc aguntur : ad Innocentium papam qartum† tunc existentem in Tuscia a fratribus qui eius comites in uia fuerant et a quibus fuerat ui subtractus pergitur : et quærimonia proponitur de prædictis . Mandat ille Imperatori de uiolentis debere fieri inquisitionem sollicitam : et pro mensura excessus uindictam debitam exerceri . Quod cum imperator exquireret : prouido consilio fratres ordinis destiterunt : ne forsitan suboriretur durius scandalum et periculum religiosis consciis imineret .

De profectu in carcene† et de constantia mentis eius .

Cum itaque electus a deo iuuenis seruatur in custodia carceris : lux diuina in tenebris sibi illuxit in mente : nam multa ibidem perlegit : didicit et memoriæ mandauit . Sorores quoque suas ibidem docuit : et unam illarum quæ ipsum a suo sancto propo-

sito peruertere nitebatur ita cohoperante deo perduxit ad amorem dei et contemptum mundi : quod deo uotum castitatis emisit : et sanetimonialium† habitum deuote suscepit : et postmodum in monasterio sanctæ Mariæ de Capua ordinis sancti Benedicti electa sanctimonialibus præfuit : et in sanctæ religionis proposito uitam finiuit . Interea deuotus iuuenis uelut alter Ioseph carcere clauditur : in cæli spacia contemplanda mente discurrit : et sicut dum legit cum ipso deus loquitur : ita dum orat : ipse cum deo dulciter fabulatur . Non defuerunt autem ipsi incluso aduersa diuersorum molimina : et si licet credere : nefaria temptamenta . Sed non deiicitur leuibus flatibus arbor firmis innixa radicibus : quia quem spiritus dei stabiliuit nullatenus commouetur . Veniunt tandem ad locum carceris fratres eius carne non spiritu : non iam ut prius blanditiis pulsant sed iniuriis et terroribus prouocant et lacessunt : Ipse autem ut blandientes contempserat : ita despicit irritantes . Nam cum habitum ordinis quo induebatur laniassent in eius corpore ut sic piæ† uerecundia dillaniatum dimitteret : et alium indueret : qui placeret : ipse patienter sustinuit iniuriam et semicintiis quæ residua fuerant inuoluitur in maiori iniuria maiorem per patientiam uictoriam assecutus . Sed ne ullus omitteretur contra iustum tempta | tionis insultus : inimici eius facti sunt domastici† eius : et fratres carne hostes spiritu ad diaboli arma fraudesque se uertunt . et per fœmine speciem subuertere quærunt animam innocentis : Nunquid inquiunt primo parente Adam cautior . Sampsone fortior : Dauid deuotior : Salomone sapientior erit iste ? ingrediatur igitur puella lasciua : et impudico uultu ac gestu et si præualet actu turrim hanc deiiciat : quæ minarum nostrarum machinas et blanditiarum missilia non formidat : Occidamus animam pueri : ut de societate eius corporea gaudeamus . Expellamus ab ipso spiritum dei : quo regitur : ut eius spiritus confundatur . Tales actus caro et sanguis excogitant : talibus insultibus et camales† parentes et amici suos impetunt ut perimant . Ingreditur itaque cameram : in qua solus sub tali tenebatur custodia puella pulcherrima et impudica quasi serpens humana facie : ut iuuenem illaqueet : et si possit deiiciat a proposito castitatis . Quem nunc uipereo aspectu nunc uerbis lasciuis et tactibus quærit allicere innocentem iuuenem : non credens se cum angelo sed cum homine decertare . ut autem uirtus infirmitate perficiatur : subsequuntur stimuli in iuuenili corpore : quos tamen in adolescente mox tam senilis quam iuuenilis animis† non distulit superare . Tunc uirtutem pudori ac furori bono adolescens immisit : et quia de ignita libidine tractabatur : ad ignem qui fortuitu erat in camera mox accessit : et ticionem pro pugione arripiens suggestricem ignitæ libidinis puellam extra caneræ† ambitum effugans exturbauit : quo facto accedens in sermone spiritus ad angulum cameræ signum crucis in pariete cum summitate titionis impressit : et ibidem sese in oratione prosternens cum lachrimis a deo dari sibi petiit perpetuæ continentiæ ac uirginitatis donum : ut qui iam in hoc actu illud expertus fuerat : deincepes† conseruaret penitus incorruptum : qui dum hoc orando cum lachrimis obdormisset : ecce dormienti duo subito affuerunt angeli dicentes : ipsum fore a domino exauditum : qui etiam circa renes ipsum ut sibi uidebatur stringentes usque ad dolorem sensibilem hoc dixerunt : ex parte dei te cin || gimus ut petisti : cingulo castitatis : quod nullatenus de cætero dissoluetur . Visione autem prædicta cum excitatus esset : et clamaret sacri tactus angelici sentito dolore : reuelare noluit : quid haberet quibusdam a uoce eius commotis interrogantibus . Sed usque ad finem uitæ suæ seruauit occultam : quam tunc socio suo fratri Raimundo secretorum eius conscio humiliter reuelauit . Itaque ex tunc mulierum aspectus atque colloquia nisi necessitas uel utilis occasio coegisset ita uitare solebat : ut solet homo sibi a serpentibus præcauere .

Qualiter biennio fuit custoditus : et carceri mancipatus : in quo probata uirtus eius emicuit .

Fuit autem fere biennio in tali conclaui uelut in carcere custoditus quamuis sæpe a fratre Iohanne de Sanctoiuliano superius memorato : cuius ad eum feruebat affectio : in eodem sollicite uisitaretur : Cui etiam de uestibus ordinis prout poterat prouidebat : secrete tunicas ei deferens indutas : quas ibidem se expolians dimittebat : ne iuuenis defectum pateretur in corpore : qui tanta uirtute roborabatur in mente . Oh felicem

carceris clausuram : in qua tantus intelligentiæ splendor illuxit . Oh compedes salutares : qui tot contemplanti cælestes libertates contulerunt . Oh felicem uictoriam : fortemque in pugna temptationem : quam cum hostis concludere conabatur ad casum : surrexit diuina coassistentia in triumphum . Oh expressa et matura indicia meritorum sanctitatis et uitæ : ut ex utraque parte uitæ sensibilis impugnatus pugil inuictus hinc blandiciis et deliciis Inde iniuriis : nec emolliri nec allidi poterat . Oh uirilem pugilem et inuictum tironem : qui antiquo et familiari hoste deuicto de tam difficili pugna uictoriam reportauit et prædam : dum uictor ipse in pugna perstitit : et germanam de mundo erutam dei seruitio dedicauit . Oh felicem uiatorem et hospitem sæculi : qui factus est ex uictoria ciuis cœli : qui suos diuina dispensatione conciues cui angelica societas dum castitate cingitur : non negatur : qui meruit fieri puritate angelicus : dum pugnauit pro sua uirginitate terrenus . Tandem prouida mater uidens implendum esse in filio : quod per sanctum hæremitam spiritu ipso diuino reue | lante fuerat prænunciatum : ne uideretur non tam iuuenis constantiam quam dei prouidentiam impugnare : dissimulata per eam prudenter custodia subtractisque caute custodibus : per fenestram de castro cum fune deponitur : et ab expectantibus ibidem fratribus prædicatoribus ad hoc præparatis gaudenter suscipitur : susceptumque læticia Neapolim perduxerunt : quem fratres receperunt sic instructum de carcere : quasi diu mansisset in studio scholasticæ disciplinæ .

De profectu eius in scientia .

Restitutus itaque ordini solo corpore quia spiritu non fuerat unquam absens : de Neapoli Romam mittitur : quem inde uenerabilis pater Iohannes theutonicus magister ordinis et episcopus duxit Parrhysios . Deinde Coloniam mittitur : ubi sub fratre Alberto theutonico ordinis prædicatorum magno doctore tam in philosophicis quam in diuinis florebat studium generale : quo cum peruenisset : et audisset magistrum in ea scientia profunda et miranda docentem : gauisus est se inuenisse : quod quæreret : a quo haurire posset auidius : quod sitiret : cœpitque non segniter intendere studio uelut apis argumentosa spiritualia mella colligens et recondens in alueario mentis suæ : ut suo tempore mellita effunderet eloquia doctrinarum . Et quia oporteret in silentio cum mansuetudine percipere disciplinam : tantam taciturnitatem seruauit in omnibus : ut bos mutus a cæteris constudentibus diceretur : uere bos in agro dominico tunc primitus pascebatur : cuius manifesta fortitudo postea appareret in spiritualium segetum hubertate . Est enim modus congruentissimus scientiæ acquirendæ : ne aliquis antequam audierit et didicerit audeat disputare : Demum cum sibi tempus loquendi aduenit : qualis lateret interius : qui modeste tacuerat audientibus innotuit ex loquela . Cum enim memoratus doctor Albertus libros sancti Dionisii de diuinis nominibus tunc legeret : prædictus iuuenis attentius cœpit lectionem audire : Cui cum quidam studens ignorans quanta in eo lateret intelligentia ad repetendum sibi lectionem magistri se uoluntarium obtulisset : ipse sicut uere humilimus erat gratanter acceptauit . || Cum uero studens cœpisset repetere et interdum deficeret repetendo : tunc frater Thomas post tantum silentium lectionem sicut a magistro audiuerat : luculenter repetiit : et nonnulla quæ magister non dixerat repetendo suppleuit : De quo adiurans prædictus studens magistro studentium ait : Iste Thomas de regno magnus est in scientia : nam hodie tam sufficienter mihi repetiit lectionem : quod ex ore eius melius intellexi : quam cum eam ex magistri ore suscepi . Quod cum ille audisset uolens certius experiri in crastinum repetitionis hora et loco in quo frater Thomas repetebat secretius superuenit : ipsum attentius audiens repetentem mirabiliter et diserte : admiratus est eius sufficientiam ampliorem : quam a studente audiuisset : eamque magistro Alberto quantocyus studuit indicare .

Qualiter in prima eius responsione Scholastica cœpit mirabilis apparere .

Contigit etiam illis diebus magistrum Albertum disputare quandam difficilem quæstionem : quam attente frater Thomas recolligens et in scriptis redigens in quadam scedula reposuit : Cumque de cella studii pergeret festinanter : prædicta scedula ceci-

dit ad hostium cellæ eius : quam quidam studens inde transiens recollegit : eam uidendam detulit ad magistrum : quam magister sibi ostensam intelligens et admirans puri furtum discipuli studiosi aduertit in eo tam diuturnum eius silentium : quod eidem committeret : ut in prima disputatione in scholis de quadam quæstione satis difficili responderet : quam cum ex humilitate accipere recusaret : opportuit tamen humiliter obedire : unde ad secretum orationis se conferens et primum actum suum Scholasticum deo humiliter recomendans ad respondendum in scholis in crastinum se parauit : Cumque repetitis argumentis præmisisset pro solutione quæstionis quandam quæstionem : per quam tam ipsam quæstionem quam argumenta sufficienter dissoluebat : Ipse magister Albertus ait : non uideris Thoma respondentis locum tenere sed potius determinantis : Cumque magister amplius et fortins† contra eum arguisset : ita ut eidem se crederet conclusisse : sic sufficienter respondit ad singula : quod magistrum dixisse fertur : nos uocamus hunc bouem mu | tum : qui tamen in doctrina daturus est talem mugitum : quod in toto orbe audietur . Iuuenis autem qui in profundo humilitatis cor suum fundauerat ex his non ellatus sollicitæ simplicitatis ac uiuendi modum minime immutauit : quamuis magister Albertus deinceps difficiliores actus Scholasticos sibi iniungeret : quem sufficientiorem præ cæteris inueniret : Sicque in responsionibus cæterisque actibus Scholasticis tam magistro quam studentibus admirandus apparuit : ex quo liquido patuit : dei spiritu plenum esse . Et quanquam præ cæteris tam scientia quam ingenio præpoleret : nullum tamen uel leuiter contempsit : uel insulse cupiam† respondit : uel se supra se eleuans se magnum aliquid reputauit .

Qualiter factus Bachalarius in theologia cœpit in doctrina mirabilis apparere .

Peracto itaque tempore studii quo in audiendo magistrum attentius insudauit : ad præfati doctoris suasionem et testimonium qui discipuli sui sufficientiam et excellentiam probauerat : in scientia et in uita magister ordinis de ipso sancto Thoma prouidit parrhysiensi studio pro Bachalarii officio exequendo scribens ei ut Parrhysios se conferret : et ad legendum sententias se pararet : qui cum esset humillimus de se ipso semper humilia sentiens libenter ex humilitate uoluisset officium subterfugere : nisi ipsum obedientiæ meritum compulisset . Factus autem Bachalarius cum cœpisset legendo diffundere : quam tacendo prius collegerat abunde : tantam sibi deus in labiis suis effudit gratiam in doctrina : ut scholares in stuporem adduceret : et ad studium animaret . Erat enim in legendo nouos articulos adinueniens nouumque modum determinandi : Et nouas producens in determinationibus rationes : ut nemo ipsum audiens dubitaret : quin ipsum deus noui luminis radiis illustrasset . Ibi itaque claruit splendor diutius in eius animo ocultatus : et mirati sunt uniuersi de iis : quæ gloriose et clare admodum proferebat .

Quomodo factus est magister in theologia : et de uisione quam habuit : in qua fuit eidem Thomæ quod proponeret reuelatum .

Expleto igitur cursu Bachalarii in legendo sententias : Parrhysios gratiose tempus ad || uenit : quo erat magisterii in theologia nomen et rem magistralemque cathedram accepturus : ut eius doctrina tanquam lucerna super candelabrum exaltata omnibus qui sunt in domo domini circunquaque diffusa eminentius refulgeret . Mandat itaque cancelarius Parrhysiensis priori fratrum prædicatorum : ut ipsum fratrem Thomam Bachalarium pro suscipiendo magisterio repræsentet . Prior igitur fratri Thomæ præcipit ut ad suscipiendum magisterium se præparet : et disponat : qui ut uere humilis cœpit se humiliter excusare prætendens insufficientiam scientiæ et ætatis : erat enim tunc ætatis incipiens quasi annorum triginta . Sed præualuit uirtus obedientiæ et humilitas : Dum non refragratur† mandato : ex utraque meritum acquiritur copiosum . Accepto itaque edicto ad solitæ orationis concurrit refugium : et eius qui docet hominem scientiam piis cœpit precibus auxilium implorare . Cum itaque in spiritu ueritatis cœpisset psalmum illum : Saluum me fac domine : quoniam defecit sanctus :

quoniam diminutæ sunt ueritates a filiis hominum : totus perfusus lachrymis orabat : ut deus sibi assistere dignaretur inspirando scientiam diuinorum : quæ sic erat ab intellectibus humanis diminuta : et eidem anxio quid pro suo principio proponeret : reuelaret : Quo sic orante cum protinus obdormisset : apparuit ei frater quidam in habitu ordinis prædicatorum canicie reuerendus dicens : cur frater Thoma duriter cum lachrymis oras . Cui respondit : impositum est mihi subire onus magisterii : ad quod cum non me sentiam plene sufficere : ignoro : quid accipiam pro meo themate in principio ut est moris . Cui senex ait : exaudiuit te deus : ne formides onus magisterii suscipere : quia tecum est deus : et hoc ipse propones : Rigans montes de superioribus suis de fructu operum tuorum satiabitur terra : quo dicto senex ille ultra non apparuit . Expergefactus uero gratias deo reddidit : qui eum tam celeriter exaudiuit : et thema sibi reuelatum principium suum fecit et medium et finem ultimum adimpleuit . De diuinis enim et superioribus sibi factis immissionibus montes scilicet futurorum doctorum ingenia irrigauit . De fructibus uero operum suorum terræ ple | nitudinem fœcundauit . Neque enim ullus inhæsit scripturæ eius operibus deuotus : qui non fuerit scientiæ et sapientiæ fructibus satiatus : per eius siquidem doctrinam doctus quilibet quasi cælesti irrigatus imbre doctior redditur : et minus doctus quasi cæli pabulo satiatur .

De excellentia scientiæ et doctrine sancti Thome .

Doctrina siquidem sancti Thomæ quam totus pene oriens et occidens amplectitur et miratur quasi lux spendens† procedit et crescit usque ad perfectum diem . quos enim studiosos non docuit : quos proteruos non corripuit : quos deuios non direxit ? Sic enim diuina docuit : ut humana decentissime quantum fuit expediens ad salutem hominum pertractauit . Superuacuum autem est non recensendo errores describere : quos idem ueritatis doctor scripturarum suarum tanquam falce accutissima ualuit extirpare . Sic contra gentilium errorem et stulticiam in arcu et gladio doctrinæ suæ præualuit : quod in sæculi conflictu sibi hactenus nostris temporibus similis nequaquam fuit . Sicut liber eiusdem contra gentiles prætitulatus euidentius manifestat . Sic obscura et abscondita scripturarum et mysteriorum arcana aperuit ut sibi illud conueniat : profunda fluuiorum scrutatus est : et abscondita produxit in lucem . Hic enim doctor uisus est quasi campum et agrum sæcularium scientiarum ingrediens flosculos excerpsisse de sentibus : plenam manum habere de apostolicis cophinis fragmentorum sacræ scripturæ : quæ deus mandauit apostolis : ne perirent colligere : et quasi futuris doctoribus reponenda seruare . Hic etiam de sanctorum doctorum libris quasi de horreis plenis frumento de utriusque testamenti excusso segetibus utiliora collegit in libris suis : quorum numerus et nomina inferius in fine omnium congruentius conscribuntur . Hic igitur quasi alter Moyses merito et congrue dici potest : qui de aquis mundanæ uanitatis et propriæ natiuitatis eductus : quasi de Aquinorum illustri prosapia genitus miro modo quasi per Pharaonis filiam matri ecclesiæ : cui tollitur : redditur : et eius huberibus ecclesiasticæ disciplinæ lacte diuinæ sapientiæ enutritur . || Hic est Moyses : cui deus mentaliter loquitur : ad fratres suos mittitur : et non sine signis et mirandis prodigiis ductor populi delegatur . Hic est Moyses : qui duplici columna nubis et ignis fideles Aegipti tenebris duplicis scientiæ luce doctus eduxit . In columna siquidem nubea quæ de terra oritur intelligitur scientia sæcularium scripturarum humanis sensibus et ex sensibus acquisita . In columna uero ignis lex illa ignea designatur : qua ex dextera sedentis super trhonum† deo sibi inspirante suscepit . Hic est Moyses : qui de petra difficilis intelligentiæ scripturarum fluenta diuinæ sapientiæ dum orauit humiliter : obtinuit abundanter . Hic est Moyses : qui montem diuinæ speculationis ascendens non sine stilo diuini digiti scribentis in eius animo sub duarum tabularum similitudine scientiam duorum testamentorum de summa diuinorum speculatione portauit . Hic quoque ut alter Solomon† disputauit a cedro : quæ est in Libano usque ad Isopum : qui de pariete oritur : dum a dei filio qui est splendor et candor a deo patre genitus usque ad eundem de gloriosa uirgine matre natum cum corpore nostræ humanitatis sicut studium inspiratæ ueritatis incepit : sic scribendi et uiuendi terminum felici morte finiuit . Hic est ut alter ille Thomas non didimus nec dubius sed certus in scientia diuinorum : qui dictus est abyssus propter profun-

ditatem ingenii : quia per abyssum Christi latus ingreditur ad secreta scrutanda diuinorum admissus tam certa noticia sibi inspirata scripsit in libris quasi manu propria contingeret : quæ intelligentiæ digito indicaret .

De efficacia uerborum eius in excitando ad fidem duos Iudæos .

Non solum autem in scriptis suis doctor sanctus admirabilis fuit : sed etiam uiuis sermonibus eius dum uiueret resistere nemo præualuit . dederat enim sibi ueritas os et sapientiam : cui nullus aduersarius resistere potuit : nisi quis ueritatem contemnens : ut rabidus desæuiret aut ut cæcus in tenebris ambularet : Cum enim semel in castello Malarie domini Ricardi cardinalis prope urbem festum natiuitatis domini cum eodem cardinali celebraturus adesset : et aduenissent illuc sicut omni anno consueue | rat† in tanto festo duo iudæi prediuites et in lege mosaica multum docti : et de uoluntate ipsius domini cardinalis sanctus Thomas ad commune cum illis colloquium diu utique ac diuersis rationibus cum illis disputans : eiusdem domini saluatoris ex scripturis sanctis probauit et conclusit aduentum : quo facto terminum respondendi sibi assignauit in crastinum : ut diligenter secum discuterent : ut uel sic crederent : uel rationibus responderent . Pro ipsorum tamen connersione† ipse orare non distulit : ut eos Christus in sue natiuitatis festo conuerteret : qui pro peccatoribus natus esset . Mane igitur in eorum cordibus orto iam sole ueræ lucis illi iudæi ad locum præordinatum conueniunt : et relicto iudaicæ uetustatis errore acceptoque baptismo Christum dominum induerunt .

De deuotione eius in oratione ac recollectione mentis iugiter ad diuina .

Fuit autem supra modum in oratione deuotus : qua sic liber in deum eleuatione mentis ascenderet : quasi pondus carnis contrarium sustineret . Erat autem præcipue deuotus ad sacramentum altaris : de quo quia concessum ei fuerat profundius scribere : donatum est ei deuotius celebrare . Quottidie namque missam unam ipse deuote dicebat : nisi eum infirmitas impedisset : et aliam audiebat a socio suo uel ab alio : cui ipse humiliter ut frequentius ministrabat . Fertur etiam quod in eleuatione corporis Christi cum magna deuotione solitus erat dicere : tu rex gloriæ Christe : tu patris sempiternus es filius et cætera usque in finem . Consueuerat autem sæpius rapi in missa tanto deuotionis affectu : ut totus perfunderetur lachrymis : qui tanti sacramenti absorbebatur mysteriis : et reficiebatur ex donis . Erat etiam nocturno tempore humanæ deputato quieti post breuem somnum in oratione prostratus : ut orando mereretur adiscere : quæ oportuisset scribere : uel dictare : Sic itaque post illud tempus modicum quod somno uel refectioni pro ualitudine corporis indulsisset : reliquum orationi lectioni meditationi uel scribendis aut dictandis uoluminibus occupabat : ut nullum uitæ suæ tempus esset uacuum : quod non esset sacris actionibus occupatum . Si autem interdum pro fratrum uel aliarum uenerabilium personarum consolatione cogeretur intermisso || studio in locutorio consedere : a profectu tamen uirtutus† et studii etiam illa hora modica non uacabat : nam expeditis iis quibus oportuisset propositis intendere et respondere aliquid historiale aut morale proponendo ad ædificationem breuiter diserebat . Reliquum autem si superfuisset tempus prius quam ad cameram sui studii completa locutione redisset : surgens a loco cum quibuscumque consedisset : quasi non aduertens quid ageret : mox diuinis intentus in suis consuetis deuotis meditationibus expendebat : sic iterum ad orandum paratus quasi non dimisisset internum oraculum : cuius nulla occupatio aut distractio externa immutabat affectum : quia nec in aliis delectabatur eius affectio nisi illis meditationibus aut reuelationibus quas impetrasset orando . Quotiens autem studere disputare legere scribere uel ditare† uoluit : prius ad orationis secretum accedens profusis orabat lachrymis petens sibi reuelari diuinitus : quod quæreret : et habere in promptu : quod scriberet : uel dictaret . Cum autem sibi aliquod dubium occurrisset : ad orationem accedens : inde surgens inueniebat apertum : quod prius erat ocultum . Sic in promptu habens quod dictaret uel scriberet : quasi in libro aliquo didicisset . Nam

ut socio suo fratri Rainaldo secrete reuelauit : et secretum quandiu uixit seruari uoluit : Scientiam uero suam non tam humano naturalique ingenio et studio quam orationis suffragio et uirtute diuinitus impetrauit : quod ipse socius post eius obitum publice in scholis legendo et alibi pluribus enarrauit . Vnde quia interdum contigit : quod dum intellectus superius subtilia speculatur : affectus inferius a deuotione remittitur : Ideo idem doctor sæpius cum sibi uacabat : lectionem unam de libro qui collationes patrum inscribitur percurrebat : de quo interrogatus cur hoc faceret : respondit : Ego in hac lectione deuotionem mentis recolligo : ex qua facilius in speculationem consurgo : ut sic affectus habeat : nude† se in deuotione diffundat : et intelectus ex huius merito ad altiora conscendat . In hoc beati patris sui Dominici imitatus est exemplum : de quo in eius gestis scribitur : quod in prædicto libro legens frequentius | magnum perfectionis apicem appræhendit .

De efficacia orationis eius ad impetrandum : quæ petebat a deo .

Erat igitur tanta ei collata gratia et efficacia in orando : ut quæcumque postulasset a deo fiducialiter : obtineret : Aliquando quidem obscura sancto doctori oranti elucebant diuinitus . Aliquando prius ignota patefieri sibi mox ut orasset dominum sentiebat Cum enim Parrhysiis super epistolas Pauli scriberet : et quippiam sibi obscurius occurrisset : emissis scriptoribus prosternitur : et lachrymis deuotus orauit : et obtinuit : ut ei lucidè patuit : quod antea fuit obscurum : Idem quoque sanctus doctor cum super Isaiam scriberet : profetiæ eius mysteria exponendo peruenit ad quendam libri textum ei difficilem : quem cum non posset intelligere : nec profunditatem sensus scripturæ propheticæ penetrare : multis diebus in ieiuniis et orationibus se afflixit . Orando tandem obtinuit : quod petebat : Quadam enim nocte cum orationi insisteret : socius eius audiuit eum cum aliquibus conferentem : lieet† non perciperet de qua materia uel cum quibus tam secretum haberet colloquium . Cumque loqui destitisset : socium proprio uocans nomine ait : fili Rainalde surge : et accende lumen : et accipe quaternum : in quo scripsisti super Isaiam : et iterum scribe : qui surgens scribere cœpit : quæ doctor quasi in libro legens scribenda dictaret : Et post horam dixit eidem : uade ad quiescendum fili : quia adhuc non modicum tempus superest ad quietem . tunc ille pedibus eius aduoluitur suppliciter : et cum lachrymis petit et dicit : ego de hoc loco non surgam nisi dixeris mihi : cum quibus diutius hac nocte loquebaris : et super hoc cœpit obnixe pro nomen domini adiurare : quod cum ille pandere nollet : sed diceret non id opus esse sibi nosse : Ille e contrario instantius adiurando eadem exorabat . Tandem pius doctor ne nomen domini per quod fuerat adiuratus contemnere uidetur : prorumpens in lachrymas ait : fili uidisti afflictionem meam his diebus super dubio littere textus huius : quem modo exposui : et tu scripsisti : quem a domino orans intelligere impetraui : qui hac nocte misit ad me uigilantem beatos apostolos Petrum et Paulum : || quos ad hoc impetrandum Intercessores rogaueram apud deum : cum quibus modo locutus sum : qui me plenissime de hoc quod orabam instruxerunt . ex parte autem dei tibi præcipio : ne alicui dum uixero reueles : quod tibi dixi et pro quo me fortiter adiurasti . O stupendum diuinæ dispensationis mysterium : ut deus scripturæ sacræ secretum ad tempus abscondat : quod alio tempore reuelat : ut sciatur quantum intellectus humanus a diuino deficit : qui per se ad diuina mysteria non pertingit : et ab illo petatur intelligentia secretorum qui ea mentibus prophetarum et apostolorum uoluit reuelare . O felix anima : cuius deuotionis oraculum diuinæ pietatis inclinauit auditum : ut sciat homo patienter ferre dubitando : dum diuina non capit : quæ appetit : et confidat orando impetrare : quod petit . O felix doctor : cui diuinæ scripturæ cæli et clauicularius aperuit hostium : et ascensor cæli Paulus doctor ille mirabilis docuit in ueritate secretum . O felix doctor hospes mundi et ciuis cæli : qui cum cælestibus ciuibus loquitur : dum adhuc peregrinatur in corpore . O certa uera et digna fide doctoris huius comprobata doctrina : quæ diuina reuelatione suscipitur : et a cælestibus doctoribus edocetur .

Quomodo orando obtinuit dentem superfluum : qui in eius ore supercreuerat absque periculo ammoueri :

Cum autem semel deberet Parrhysiis determinare quæstionem de qua prius disputauerat : dum in nocte præcedente orationi incumberet : sensit in ore suo supercreuisse dentem unum superfluum : qui superheminens eius loquellæ officium non modicum impediret : super quo admirans : fratri Rainaldo socio suo retulit : et loquellæ impedimentum exponit . Suadet socius : ut mane scholis indicetur magistro superuenisse impedimentum legitimum : quo a determinatione quæstionis excusari mereretur . putabat enim eius socius ad euulsionem dentis fore necessarium ferreum instrumentum . Super quo doctor attente consyderans uniuersitatis scandalum : et quod iminere poterat ex dentis euulsione periculum : ait : nullum aliud remedium uideo : nisi quod diuinæ prouidentiæ me committo Ad orationis itaque locum pergit : | et dum orat deuotius : deuote cum lachrymis dens ille subortus leuissimo manus contactu absque omni dolore decidit : et loquellæ liberæ fuit officium subsecutum : hunc dentem ad memoriam beneficii præstiti multo tempore secum tulit .

Qualiter eius oratio fratri Rainaldo socio suo infirmanti fuit in salutem .

Nec solum suæ orationis expertus est ipse fructum : sed pro aliis impetraturus orans exauditus est . Socium enim suum fratrem Rainaldum febre continua laborantem uisitationis gratia adiit : et eum piis uerbis consolans ad patientiam doctor pius induxit : cui cum diceret consequenter quod ad beatam Agnetem : ad quam ipse spiritualiter deuotus erat : deuotionem conciperet et ipsa eum sua prece sanaret : reliquias dictæ uirginis et martyris quas ipse et uirgo pro deuotione in collo suspensas secum portabat accepit : et orando super pectus ægrotantis imposuit . Moxque meritis sanctæ uirginis et sancti huius doctoris orantis infirmus sanus effectus de lecto surrexit .

Qualiter oranti frater Romanus post mortem apparuit et de iis quæ ei reuelauit .

Hic uir sanctus ueridicus doctor et deuotus orator dum aliquando Neapoli in ecclesia fratrum in oratione persisteret : uisibiliter ei frater Romanus theologiæ doctor ordinis prædicatorum apparuit : quem Parrhysiis legentem reliquerat successorem : Is uero nuper obierat : sed eius obitus nondum fratri Thomæ fuerat numeratus : quem cum subito prope se noctu in ecclesia cerneret : ait : bene ueneris : quando uenisti ? Et ille subiunxit : ego ex hac uita transiui : sed mihi concessum est pro tuo merito tibi apparere . At ipse qui fuerat ex tali uisione attonitus : se recolligens ait : Ex quo deo permittente mihi appares : te ex parte eius adiuro : ut mihi respondeas ad quæsita : quæro quid est de me : et si deo placent opera mea . Respondit ille : permane in eo statu : in quo es : quoniam bonus est : deoque placent opera tua . Tum frater Thomas : quid est de te ? Et ille respondit : ego sum in uita æterna : fui autem in purgatorio per dies quindecim propter negligentiam : quam ad expeditionem cuiusdam testamenti || commisi : et eam mihi commiserat episcopus parrhisiensis quantocius exequendam : eamque expedire tardaui . Ad hæc frater Thomas adiecit : quid est de ueritate quæstionis illius : de qua sæpe soliti sumus disputare : utrum habitus scientiæ in hac uita acquisiti post hanc uitam in anima remaneant . Respondit : ego deum uideo : nec de hoc amplius requiras . Et sanctus Thomas adiunxit : uidesne deum sine medio : an aliqua specie mediante ? Et ille respondit : Sicut audiuimus : sic uidemus in ciuitate domini uirtutum : Moxque disparuit . remansit autem doctor ex tam noua uisione attonitus† : sed de tam placida responsione consolatus .

Qualiter oranti soror eius defuncta bis apparuit : et de iis quæ eidem reuelauit .

Quodam tempore ipsi sancto doctori Parrhysiis oranti soror eius defuncta apparuit : se in purgatorio esse commemorans : missarum et orationum suffragia postulauit : quæ idem doctor per fratres celebrari et orari pro anima eius instanter et sollicitæ procurauit . Post aliquod tempus eidem doctori Romæ oranti eadem apparuit : et quod iam esset in gloria liberata propter suscepta suffragia reuelauit . De duobus quoque eius fratribus carnalibus defunctis quærenti ipsa respondit : quod dominus Landulfus erat in purgatorio : dominus uero Rainaldus iam in gloria cum deo erat . De.† se ipso autem quærenti respondit : tu frater in bono quidem statu es : et cito ad nos uenies . Sed maior tibi gloria quam nobis parata est : quem constat tam strenue pro dei ecclesia laborare .

De uisione alia quam habuit in prædicto fratre suo Rainaldo .

Alias quoque eidem sancto doctori oranti et statum fratris sui domini Rainaldi scire desyderanti apparuit quidam librum habens manu apertum : qui scriptus erat litteris aureis et ut uulgo aiunt azurinis : qui color a Grecis glaucus appellatur per modum letaniæ : in quo nomen fratris sui prædicti scriptum inuenit inter litteras aureas : quæ erant martyrum : quia mors ei illata sub tyramnide Phrederici imperatoris fuit eidem ad martyrium reputata propter causam ecclesiæ : quam defendit : et patientiam quam habuit in tormento . |

De tribus quæ a deo specialiter petiit in oratione exauditus est .

In oratione sua sola illa quæ deo placita esse credidit : ipse quæsiuit : Ideoque semper a deo obtinnit† : quod petiuit . Vnde in fine suo ipsi fratri Rainaldo de morte sua imminente irremediabiliter lachrymanti inter cætera sic ait : consolare fili Rainalde : quia ego morior in omnibus consolatus : totum enim quod a deo petiui : obtinui . Triplex autem donum a domino postulaui : primum quod nullius rei temporalis aut carnalis affectio mentis meæ puritatem inficeret : uel fortitudinem emolliret : Secundum : quod deus non permitteret : ut a statu humilitatis meæ et ordinis alicuius prælationis dignitas me extolleret : aut transferret : Tertium : ut scirem statum animæ fratris mei domini Rainaldi : qui pro defensione ecclesiæ de hac uita tam dura et crudeli morte transiuit : De quibus omnibus sicut per reuelationem diuinitus mihi factam innotuit deus me misericorditer exaudiuit . Felix igitur anima : quæ sic meruit exaudiri : ut eam nec ullius rei temporalis onus deprimeret : nec affectio carnis dissolueret : aut honoris cuiusquam ambitio supra se eleuaret : et status animæ fratris sui fieret ipse conscius quod æterna beatitudine frueretur .

Quomodo sanctus Thomas orando uisus est a terra sæpius eleuatus .

Erat autem sanctus Thomas orando ita attentus : ut non solum spiritu sed et corpore a terra aliquando et a pluribus uisus fuerit eleuatus : similis illi qui dixit : eleuauit me spiritus inter cælum et terram : Nam cum semel in conuentu fratrum Salernitanorum existens post matutinas ante maius altare oraret : fratres duo scilicet socius eius frater Rainaldus et alius nomine Iacob : qui ipsum deuotionis causa et exempli gratia sedulo sæpius uiderunt eum quasi duobus cubitis a terra in aere eleuatum : quo enim tendebat mentis eius intentio : illuc etiam corpus ut poterat spiritus subleuabat . Dignum namque erat : ut animam illam quam nulla uiolarat carnis affectio : corpus miraculose sequeretur sibi obediens : et hoc deus uisibiliter reuelaret miraculo : quod misericorditer concessisset ex dono . || Simile in conuentu Neapolitano uidit frater Dominicus de caferta† conuersus uir senex uitæ sanctæ conscientiæque timoratæ . Cum enim esset sacrista prædicti conuentus aduertens : quod prædictus doctor ante matutinas de camera sua secrete sæpius descenderet in ecclesiam : ut

oraret : Aliquando obseruans eundem curiosius uidit in capella sancti Nicolai ipsum in oratione positum quasi duobus a terra cubitis in aere eleuatum : Super quo frater ille diu admirans : subito audiuit ab imagine crucifixi : ad quam conuersus sanctus doctor orabat prolatam clarius istam uocem : Bene scripsisti de me Thoma : quam ergo recipies pro tuo labore mercedem ? Scribebat enim tunc temporis tertiam et ultimam partem summæ theologiæ : ubi de incarnatione natiuitate passione ac resurrectione Christi tractabat : et respondit Thomas : domine non aliam mercedem recipiam nisi te ipsum . Quia enim a domino de mercede facta fuit quæstio : dabatur intelligi de propinquo labori suo fore terminum imponendum . Nam re uera postea pauca scripsit . Congruam itaque petiuit pro remuneratione mercedem : ut haberet quo pleno gustu reficeretur in patria : de quo bibendo tanta dulcedine dulcorabatur in uia .

Qualiter eidem oranti ut sibi reuelaretur a deo ueritas dubiæ quæstionis : Christus uisibiliter apparuit : et ipse doctor orans uisus est a terra in aere eleuari .

O quanti meriti fuit sancti huius doctoris oratio in qua et archana discere et intelligere meruit : et quæ peteret impetrauit : Cum enim apud Parrhysios inter doctores circa sacramentum dominici corporis ageretur quæstio admodum scrupulosa de dimensionibus et accidentibus qualiter existerent sine subiecto in ipso mirabili sacrameno† : et circa hoc licet diuersa et sibi discordantia magistri dicerent et sentirent : In hoc fertur omnium concordasse sententia : ut quicquid frater Thomas doctor decerneret : et diffinitiue proferret hoc omnis schola inconcusse teneret : Experti nanque fuerant in aliis de eodem : quod ipse subtilius in omni quæstione ueritatem attingeret : et eam clarius edoceret . Defertur itaque quæstio in scriptis cum rationibus et | argumentationibus singulorum . Deuotus uero doctor arduam quæstionis huius ad intelligentiam reuocans more solito ut alter Moyses putauit eam esse quærendam a domino : et oratione præmissa scripsit : quod sibi diuinus spiritus reuelauit . Quo facto iterum cum quaternione ad altare oraturus accessit : et super altare coram Christo tanquam summo magistro quaternione deposito sic deuote orans eleuatis ad crucifixum manibus obtulit thymiama dicens : domine Iesu Christe qui in hoc sacramento mirabili ueraciter contineris : ut res et ueritas et mirabiliter operaris : ut omnium artifex et dei sapientia : in quo te quero intelligere et ueraciter edocere : quæso te suppliciter : ut si ea quæ de te scripsi uera sunt : concedas mihi illa docere et aperte disserere . Sin autem aliquid scripsi tuæ fidei non consonum et ab huius sacramenti ueritate alienum impedias : ne proponam : quæ sunt tuæ fidei inconuenientia : aut non conuenientia huic mirabili sacramento . Mira res . Mox ibidem Christus uisibiliter apparens a socio doctoris et aliquibus aliis fratribus obseruantibus super quaternione stans in altari conspicitur taliter alloquens sanctum suum : bene de hoc corporis mei sacramento Thoma scripsisti : et bene determinasti tibi propositam quæstionem : sicut ab homine in hac uita degente potest intelligi : et humanitus definiri : Quo diutius in oratione persistente : uisus est prædictus doctor quasi per unum cubitum a terra in aera eleuatus . Ad quod prodigium intuendum prior conuentus et plures alii fratres conuocati uenientes corporalibus oculis rem ipsam aspexerunt : et aliis absentibus retulerunt ad dei gloriam et sancti doctoris testimonium ueritatis . Igitur sanctus doctor certus effectus de ueritate propositæ quæstionis tam luculenter eam coram uniuersitate disseruit : quam enidenter† per eum qui est ueritas doctus fuit .

Quod ipse orans uel meditans sæpius uisus est quasi in estesi positus .

In estesi sæpius orans uel meditans raptus apparuit : et multa quæ aliquando referre noluit etiam rogatus a multis aspexit : Nonnunquam uero quædam retulit : de quibus audientium animos sæpe refecit . Erat autem mirabile || uidere hominem utentem sensibus et cum sensibilibus conuersari subito rapi : et mente abstrahi : et

quasi ab hominibus seperari : et ad cælestia eleuari : quasi non esset : ubi corporaliter sisteret : sed ubi mentaliter inhæreret . Vnde fertur inuitatus aliquando ab illustri Francorum rege sancto uidelicet Lodouico ad suæ mensæ conuiuium : cum se humiliter excusaret propter opus studii et scriptunæ† cui intentus erat : Prior tamen parrhysiensis ipsum ex parte regis uenire coegit : Recedensque de studio suo cum imaginatione quam studendo conceperat contra hæresim Manichei : et quam tunc temporis impugnabat : et post iuxta regem in mensa sederet : subito ueritate sibi diuinitus inspirata mensam manu percutiens dixit : Modo conclusum est contra hæresim Manichei : uocansque socium suum nomine ait : surge . scribe : quasi in sua camera esset seu in suæ cælle studio . Prior autem tetigit eum manu dicens : aduertas magister : Nunc enim es in mensa regia non in cælla : qui ad se reuersus : et ubi erat aduertens erubuit : et inclinans se ad regem humiliter ait : ueniam date domine mi rex : putabam enim in studio esse : ubi contra prædictam hæresim cogitare cœperam : qua de re sanctus ipse rex plurimum admiratus fuit atque ædificatus : quod in homine fieret tantus per spiritum mentis raptus : quem non impediret in aliquo sensus carnis . Itaque sanctus rex prouidus uocato scriptore mandauit ei ut statim scriberet : quæ doctori fueraut† diuinitus reuelata . Alias apud Neapolim fertur eidem simile contigisse : Cum enim quidam cardinalis legatus in regno Siciliæ Neapolim accessisset : audissetque prius a domino petro tunc archiepiscopo capuano miianda† de fratre Thoma sibi referri : rogauit legatus archiepiscopum : qui discipulus eius fuerat : ut cum eodem doctore posset habere familiare colloquium : cuius noticiam affectabat : Cumque prædictus doctor uocatus de suo studio descendisset uidere legatum et archiepiscopum sedit medius inter eos : adeo mente eleuatus et abstractus : ut nihil eis penitus loqueretur . Cumque expectassent diutius sic abstractum : cœpit sanctus doctor læta facie dicere : nunc habeo : quod quærebam : de quo admirans legatus cum nullum | eis signum reuerentiæ ostenderet : cœpit ipsum in corde suo despicere : Cui archiepiscopus ait : domine non miremini : quia frequenter sic abstrahitur : ut cum quibusuis personis fuerit nihil loquatur . Et tunc archiepiscopus ipsum per capam fortiter traxit dicens : aduertas magister : quia cardinalis legatus est hic : qui uenit uolens te uidere . Tunc ille quasi de somno contemplationis euigilans : et aduertens se esse medium inter tantos inclinansque se reuerenter ad cardinalem ueniam petiit dicens : parcite mihi domine nam in studio me esse putabam : et occurrit mihi pulcherrima ratio ad illius operis propositum : quod nunc scribo : quæ mihi ualde placuit : et de qua mirum in modum sum gauisus . Scribebat autem tunc temporis summam contra gentiles : de quo cardinalis admirans ualde consolatum se comperit . Hæc autem prædictus archiepiscopus compluribus ennarrauit .

Quomodo in dominica passionis in sacro mysterio apparuit quasi raptus .

Aliquando etiam in conuentu Neapolitano cum in dominica de passione sacrum mysterium missæ illius diei perageret : in prosecutione tanti sacri mysterii multis astantibus subito uisus est sic absortus ab altitudine sacramenti : quasi diuinis admissus interesset mysteriis : et hominis Christi putaretur affici pœnis : quod indicare uidebatur diuturna mentis eius abstractio et inundans lachrymarum perfusio : quo sic diutius permanente admirati fratres accesserunt : et ipsum tangentes : ut prosequeretur sacra mysteria a profunditate sacri secreti qua raptus esse uidebatur excitauerunt : quem post sacrum mysterium aliqui fratres et milites familiares rogauerunt : ut sibi quid accidisset in illo raptu eis dignaretur ad ædificationem reuelare : quod ipse facere renuit : et ne reuelata proderet occultauit : Visus etiam fuit frequenter cum cantaretur ille uersus in tempore quadragesimali : Ne proiicias nos in tempore senectutis : quasi raptus et in deuotione absortus multis perfundi lachrymis : quas de occultis uidebatur educere piæ mentis .

Quomodo circa finem uitæ in raptu mentis fu || erunt eidem secreta grandia reuelata .

Dum esset aliquando in Sanctoseuerino castello sororis suæ cum fratre Rainaldo socio pluribusque aliis fratribus eiusdem ordinis anno quo de hac uita migrauit per triduum fere abstractus a sensibus propriis fuit . Ex quo cum Theodota germana sua præcipue turbaretur : quæsiuit ab eius socio : quidnam hoc esset : quod fratri suo subito accidisset : qui dixit ei : frequenter magister in spiritu rapitur : cum secreta aliqua contemplatur . Nunquam tamen tanto tempore sicut nunc uidi ipsum a sensibus corporis sic abstractum . Tandem ipse eius socius illum per capam fortiter trahens quasi a somno contemplationis excitauit : qui ad se rediens et suspirans ait : fili Rainalde tibi in secreto reuelo prohibens : ne in uita mea alicui audeas reuelare : uenit finis scripturæ meæ : quia talia mihi sunt reuelata : quod ea quæ scripsi et docui : modica mihi respectiue uidentur : et hoc spero in deo meo : quod sic cito finis erit et uitæ . Sicut enim deus mirabilis Moysi : qui legem iusticiæ iudeis uidit et attulit : et Paulo qui gentibus legem gratiæ prædicauit : supra humanum intellectum plurima reuelauit : Sic et huic beato Thomæ doctori qui de manu sedentis in trhono† utriusque legis librum inuolutum accepit : et apertum toti ecclesiæ exponendo porrexit : aliqua supra naturale lumen ingenii reuelare placuit : ut maiora superesse sciret : quæ naturali intelligentia non uideret . Felix doctor : cui præsentia non sunt abscondita : et reuelata futura : cui datum ex iis quæ meruit scribere : potiora uidere .

De abstractione mentis a sensibus .

Tanta autem erat huius doctoris mentis abstractio : ut interdum non perciperet : se lædi in corpore a corporali læsione : unde aliquando cum de consilio medicorum esset causterium in tibia recepturus : ait socio suo : cum uenerit qui ignem debet in tibia mihi apponere : facias me hoc ante præscire : quod cum fieret in loco in quo causterizandus erat : se præparans extensa tibia : tanta fuit mentis abstractione leuatus : quod calorem ignis et causterium non percepit : cuius signum fuit : quia de loco ubi tibiam extenderat : non mutauit . Cum etiam aliquando prædictus doctor esset in camera sua : et dictaret super | tractatum Boetii de trinitate : candelam accensam in manu tenens sic in contemplatione abtractus† est : quod candela ardens consumpta est usque ad digitos manus eius : quibus ignem candelæ diutius inhærentem doctor non sensit : sed ipsum sine aliquo motu digitorum sustinuit : donec defecit : Inhibuerat enim scriptori suo : ut ipsum nullatenus uocaret : quidquid in ipso uideret . Simile de ipso Parrhysiis sæpius uisum fuit : quotiens enim oportuisset fieri minutionem antequam minutor ad percutiendum uenam accederet : ipse per contemplationem de abstractione mentis a sensibus prouidebat : et tunc secure minutor uenam percutiens sancti doctoris imaginationem lædere non ualebat : quem abstractum a sensibus inueniebat . Fertur enim quod fuit miro modo passibilis ex corporali complexione : ideo subito a læsione corporis turbabatur . Vnde diuinitus fuit ei concessum : ut in corpore passibili uiueret : et interdum læsionem corporis non sentiret .

De gratia prædicationis diffusa in labiis eius : et de muliere sanata a fluxu sanguinis ad ipsius capæ tactum .

Nec prætereundum est de gratia prædicationis diffusa in labiis eius in proponendo populo uerbum dei . Sermo enim eius ad populum non erat in curiosis et persuasibilibus tantum humanæ sapientiæ uerbis sed in ostensione spiritus et ueritatis : qui deuitans uerba : quæ curiositati potius quam utilitati deseruiunt auditorum in illo suo uulgari natalis uel soli sui quod non mutauit : proponebat saluti utilia et moralia iuxta capacitatem audientium : subtilitates quæstionum reseruans scholasticæ disciplinæ : Nouerat enim : quod pro qualitate audientium formandus est sermo doctorum . Ita autem reuerenter audiebatur a populo : quasi sua prædicatio prodiret de cælo .

Neque alios facere docebat : nisi quæ deus per eum faceret iuxta illud apostoli documentum : nihil audeo loqui eorum : quæ per me non efficit Christus . Vnde uerba sermonis eius ardebant ut facula : et consequenter uerba audientium ad amorem dei et compunctionem animi inflammabant domino cohoperante et sermonem confirmante sequentibus signis : Cum enim semel in hebdomade sancta Romæ in ecclesia sancti Petri de passione domini deuotissime prædicasset : et populum ad compassionem || et ad lachrymas prouocasset : in sequenti die resurrectionis dominicæ ibidem prædicans de gaudio resurrectionis Christi : sicut ad compatiendum ita ad congaudendum audientem populum mirabiliter excitauit . Factaque est prouocatio deuotionis magna in populo : et cœperunt omnes in domino exultare : Cumque post prædicationem de pulpito descendisset : mulier quædam quæ fluxum sanguinis multo tempore patiebatur : nec curari poterat alicuius remedio medicinæ : accedens tetigit fimbriam capæ eius : credens se meritis eius posse sanari : quæ mox ut tetigit sensit se a prædicta infirmitate liberatam : et sequens eum usque ad conuentum fratrum sanctæ Sabinæ beneficium salutis quod receperat fratri Rainaldo eius socio indicauit : qui postmodum pluribus factum miraculum ad dei laudem et sancti præconium recitauit . Felix doctor qui simili miraculo claruit : ut saluator : cuius fimbria dum tangitur a profluuio sanguinis liberatur : ut sciretur : quanta uirtus erat in sancti doctoris anima : ex quo tantæ uirtutis effectus in eius ueste inueniebatur .

De uera humilitate ac mansuetudine cordis eius .

Fuit autem prædictus doctor exemplo et doctrina magistri sui et omnium domini Iesu Christi uere mitis et humilis corde : unde de sua humilitate fertur in puritate conscientiæ suæ dixisse : Regratior deo : quia nunquam de mea scientia seu magistrali cathedra nec de aliquo actu scholastico habui motum inanis gloriæ : qui meum a sede sua extolleret animum : et si primum motum præuenientem rationem habui : eundem rationis superueniente iudicio depressi . Non enim potuisset in tam sublime erexisse animum ad diuina : nisi in fundamento humilitatis sua deposuisset humana : Erat enim sibi conscius a deo habere scientiam : qui dederat : Ideoque in animo suo motum inanis gloriæ non habuit noxium : qui quottidie sciebat sibi fieri diuinæ uirtutis influxum . Sciebat enim : quod ubi humilitas : ibi sapientia . Vnde quando potuisset ipse a sua sublimi speculatione diuinorum ad ima deduci : sic erat in conuersatione tractabilis : in loquutione sua | uis : ut uere ostenderetur ab illius formam exemplatus descendere : cuius uitam meruerat contemplando intelligere : et scribendo docere : cuius humilitatis indicium ex eius humili conuersatione ostenditur : ex qua qualis fuerit : interior eius animus edocetur .

Exemplum de conuersatione eius humili .

Fertur enim de eius humili conuersatione : quod cum aliquando in conuentu bononiensi esset : et more solito per claustrum contemplatiuus incederet : frater quidam alterius conuentus qui doctorem non nouerat : uenit ad eum petita et obtenta licentia a prione† : quod cum fratre quem primum inueniret : in ciuitate ad sua negotia ire liceret : et dixit ei : bone frater : prior mandat : quod ueniatis mecum : qui statim inclinans caput secutus est eum . Verum cum post illum non posset festinanter accedere : frequenter argutus a socio se humiliter excusabat : Ciues uero qui eum nouerant admirati : quod tantus doctor post fratrem modicæ conditionis incederet : cogitantes hoc ex aliquo errore contigisse : indicauerunt illi fratri : quis esset ille : quem post se duceret : Qui conuersus ad fratrem Thomam petiuit ueniam : ut eius ignorantiæ indulgeret . Et conuersis prædictis ciuibus ad magistrum cum reuerentia et interrogantibus de tantæ humilitatis exemplo benigne respondit : quod in obedientia perficitur omnis relligio : qua homo homini propter deum se subiicit : sicut se deus homini propter hominem inclinauit . O humilem animam : quam dignitas magistralis non extulit : nec tanti doctoris status conditio a radice humilitatis auulsit : cui non est uisum aliquam excusationem opponere : ubi ex uerbo prioris innotuit obedire :

qui quamuis non esset discursibus assuetus : qui diuinis meditationibus erat intentus : in promptu tamen habuit obedientiam : quam esse nouerat uirtutum omnium ex humilitate magistram .

De subtilitate intellectus et ingenii ac capacitate memoriæ sancti Thomæ .

Subtilitate uero intellectus et ingenii sanctus doctor admodum præpolebat : quam ei spiritus sapientiæ dei subtilis dederat : cum quo per gratiam habitabat : unde fertur ipsum dixisse aliquando familiari colloquio studentibus : || non ad ambitum inanis gloriæ sed ad præconium diuinæ laudis et gratiæ : nunquam librum legisse : quem diuino adiutus spiritu non intelligeret : et ad profundum libri mysterium non ueniret . Dignum itaque erat : ex quo scrutationem diuinorum totus intenderet : ut desyderiorum uiro diuinus spiritus nihil absconderet : sed ei quod sacræ doctrinæ erat necessarium reuelaret : Cuius ingenii subtilitatem et acumen intelligentiæ ac rectitudinem iudicii euidenter ostendunt multitudo librorum : quos edidit et sententiarum nouitas : quas inuenit et sensus scripturarum abscondititi† quos produxit in lucem . Fuit quoque idem doctor tante memoriæ : ut quod semel legendo caperet : perpetuo retineret : ut uideretur in eius anima scientiæ habitus fieri quam sic in animo habebat quasi exemplatum haberet in libro . Quod euidenter patuit in mirabili opere quod iubente summo pontifice Vrbano in quattuor euangelia de dictis sanctorum edidit : Quem ipse perlegens in diuersorum monasteriorum libris fertur quasi ex integro ita memoriter commendasse : tanquam sanctorum dicta præ oculis habuisset quæ prius legisset in libris . In signum euidens autem quod idem doctor in thesauro memoriæ quasi collectam scientiam possideret : ueridici socii sui fratris Rainaldi aliorumque relatione compertum est quod ipse de diuersis materiis tribus scriptoribus et interdum quattuor in eodem tempore ipse dictabat : ut uideretur deus simul eius intellectui diuersas infundere ueritates : quæ simul posset non absque specialis dono gratiæ pluribus dictare : ut non uideretur ignota discurrendo perquirere : sed quasi collecta in memoria de thesauro scientiæ effundendo aperire . Videbatur eius scientiæ habitus esse quasi quidam inundans doctrinæ fluuius scripturarum : qui desuper oriens in eodem de diuinæ sapientiæ fonte descenderet : quem in diuersos libros quasi diuisos riuulos deriuaret . Retulit quoque eius scriptor brito Euenus nomine terorensis diocesis : quod postquam dictauerat sibi duobusque aliis scriptoribus tanquam fessus præ labore dictandi ponebat se ad quietem : in qua etiam dormiendo dictabat : de cuius ore dormientis : quæ audiebat scriptor redigebat in scriptis continuando materiam : de qua antea | scripserat : cum uigilando dictaret .

Qualiter fuit pius benignus et misericors erga omnes .

Fuit sanctus Thomas caritate ac pietate diffusus : ut alios ex se ipso præueniret in gratiis : quibus datus erat diuinitus ut splendesceret in doctrinis . Erat enim miro modo benignus in animo : qui totus erat suauis in uerbo et liberalis in facto : ut ostenderet : quis eius spiritus habitaret in mente : cuius tanta suauitas procedebat ex ore : ut unusquisque qui totam eius conuersationem uidisset : mentis eius potuisset intelligere sanctitatem : qui licet supra modum contra peccantes insurgeret : ipse qui peccata nesciret : sic amore iusticiæ et uestre salute proximi iudici et prælato confidebat contra culpam insurgere : ut prælatus ex eius consilio una fieret criminis persecutor et hominis liberator : ut sic in subdito crimen deficeret : et homo cum crimine non periret . Et quamuis ipse difficile crederet : hominem peccare similem tamen sibi unumquemque existimabat in innocentia ut in natura : Cum tamen constitisset aliquem ex infirmitate peccasse : sic alienas deflebat culpas ut proprias : Illius imitatus exemplum : qui per compassionem ut propriis urebatur incendiis in defectibus alienis : ex qua benignitate caritatis quidam ex corporali eius mirandus effectus aspectu ita uidebatur oriri : ut nemo ipsum aliquandiu potuisset aspicere : quem non contingeret gratiam spiritualis consolationis haurire : sicut illi qui secum conuersari experti fuere : cum deuotione id sæpius retulerunt : Hoc autem sine spiritussancti præsentia

esse non poterat . de quo tanta gratia procedebat : unde ex diffusæ caritatis eius radice quidam fructus pietatis erumpebat in ramos . Erat namque mirum in modum compatiens pauperibus et indigentibus : quibus de pannis suis et aliis rebus quotiens posset libentissime tribuebat : nihil sibi reseruans de rebus superfluis pro supplendis defectibus alienis .

Qualiter contempsit diuitias honores et huius mundi gloriam .

Sic autem sanctum doctorem diuina sapientia : quæ melior est cunctis opibus : quamque ipse sibi a iuuentute sua sponsam acceperat : inebriauerat caritate : ut nihil mundanum illiceret mentem eius . Cum enim esset nobi || li genere natus rerum temporalium copiam concupiscere et honorum gloriam potuisset ambire : diuitias tamen magis sibi computauit et gloriam sequi Christum pauperem et humilem : quam diuitiis huius sæculi temporalique gloria affluentem gradum obtinere . Vnde fertur : quod ipse aliquando cum suis studentibus de Sanctodionisio rediens : quo iuerat : sanctorum reliquias uisitare et cum uidisset de propinquo ciuitatem Parrhysinam : dixerunt ei studentes : uide magister quam pulchram ciuitatem Parrhysios . uelletisne esse dominus huius ciuitatis ? expectabant enim ab eo aliquod uerbum ædificationis audire : qui respondit : libentius uellem habere omellias chrysostomi super euangelium Mathei . Ciuitas enim hæc si esset mea : propter curam regiminis contemplationem diuinorum mihi eriperet et consolationem animi impediret : quam scriptura donaret . Quanto enim quis amplius amore temporalium premitur : tanto periculosius a cælestibus elongatur . Quantum etiam despexerit honores et diuitias temporales : liquido patuit : non solum cum omnia reliquit : quæ concupiscere potuit : sed etiam cum magnitudine animi oblata despexit . Cum enim Clemens papa quartus qui eundem carum habebat archiepiscopatum Neapolitanum cum additione reddituum monasterii sancti Petri ad Aram sibi obtulisset : Bullamque misisset : sanctus Thomas huiuscemodi dignitatem sibi gratis oblatam recipere redditusque illos possidere penitus recusauit . Et quod non promoueret eum ad similia ulterius humiliter orauit . O felicem doctorem contemptoremque sæculi atque cæli amatorem : qui quod docuit fecit : qui sic terrena despexit quasi pignus haberet possessionis cælestium : quæ speraret .

De naturali dispositione et habitudine eius corporis .

Naturalis autem dispositio et habitudo corporis sancti Thome traditur fuisse talis : Fuit siquidem corpore magnus proceræ et rectæ staturæ : quæ rectitudini animæ responderet : coloris triticei ad temperatæ complexionis indicium : magnum habebat caput : sicut perfectiones uirtutum animalium : quæ rationi deseruiunt : organa perfecta requirunt : fuitque aliquantulum caluus : tenerrimæ complexionis in carne ad indicium aptitudinis intelligentiæ | eius in mente . Fuitque uirilis robore : cum se ad aliquos actus uirtutis corporeæ exerceret : qui etiam ex uirtute animi nihil terribile timuit : qui præter hæc in diuina sibi assistente uirtute confidit : ut uideretur deus tam nobile corpus organum præparasse : quod ad actus uirtutum seruiret obediens : quod nunquam esset rationis iudicio contradicens . In terroribus autem aeris tonitrui et tempestatis : quasi pro scuto se muniens signo crucis dicebat : deus in carne uenit : deus pro nobis mortuus est : et resurrexit .

De stella quæ uisa fuit descendere et super eo stare .

Anno autem quo sanctus doctor de hac luce migrauit signum luminis apparuit super eum : cum enim die quadam in camera decumberet apud Neapolim : Iohanes copa de Neapoli cum germano suo fratre Bonfilio ordinis prædicatorum gratia uisitationis iuit ad ipsum : amboque simul uiderunt intrantem per fenestram cameræ stellam clarissimam magnitudinis et mensuræ ipsius fenestræ : stetitque super caput ipsius et supra lectum : in quo iacebat infirmus per aliquam moram : et ipsis uidentibus post paululum unde uenerat : discessit .

De tempore et itinere quo cœpit infirmari : et de miraculo in alecibus sibi diuinitus præparatis .

Post hæc autem tempus aduenit : quo eundum sibi fuit ad generale concilium Lugduni : quod per Gregorium papam decimum calendis Maii anno incarnationis dominicæ millesimoducentesimoseptuagesimoquarto celebratum fuit . Mandauerat siquidem idem Gregorius papa sancto Thomæ propter eminentem eius scientiam : ut ad dictum concilium ueniret : secumque deferret librum quem de mandato Vrbani papæ quarti contra errores grecorum : scripserat de quibus erant in eodem concilio : ad quod uocati fuerant : rationabiliter arguendi . Recedens autem sanctus Thomas a Neapoli et uersus Romam dirigens gressus : transiensque per Campaniam uenit Magentiam castellum : quod erat dominæ Franciscæ neptis suæ : ubi cum corpore cœpisset languescere : pene totaliter edendi amiserat appetitum . Medico autem magistro Iohanni de Guidone quærenti ab eo : si aliquem cibum appeteret : ait : || forsan alecia qualia apud Parrhysios deferuntur comederem : si haberem . Sed in his partibus non habentur : egreditur medicus occurritque cuidam : qui onus piscium a Terracina detulerat : requisitus autem cuiusmodi pisces deferret : Sardas inquit defero . Putauit tamen medicus aliquos forte pisces alios inter sardas inuenire : quos illi deferret : si sibi fortasse placeret : Mirum negotium nouumque pro sancto uiro apparuit miraculum : ut enim in una cistella quærunt . Alecia recentia et non Sardas inueniunt quanquam affirmabat uænditor Sardas non Alecia comparasse : quæ nunquam in illis partibus contigit recentia reperiri . deferumtur† noua sancto uiro Alecia diuiuitus† præparata . Sed nec de illis gustare uoluit : altius admirans diuinæ pietatis beneficium : sed diuinæ tantum prouidentiæ se commisit : secutus exemplum Dauid : qui desyderatam aquam gustare noluit : quam sibi trium fortium probitas diuino miraculo procurauit . Multis itaque cincumquaque† innotuit dominicum prodigium : qui et de prædictis Alecibus comederunt . Remansitque miraculum usque hodie in tota illa regione uulgatum .

Qualiter finem uitæ suæ præuidit : et prædixit in monasterio Fossenouæ .

Deinde diebus aliquibus interiectis sanctus doctor parumper conualuit : et uersus Romam itinere quo cœperat pergere cœpit : Transiensque iuxta monasterium Fossenouæ cisterciensis ordinis inuitatus ab abbate et monachis cum caritatis affectu : ut ibidem recreationem reciperet usque ad perfectam corporis sanitatem prædictum monasterium est ingressus . Præmissaque oratione coram altari in ecclesia cum secundum claustrum intrasset : facta est manus domini super eum : et tactus spiritu dei finem suum præcognoscens iam proximum imminere : clara uoce multis audientibus ad socium suum conuersus in hæc uerba prædixit : fili Rainalde hæc requies mea in sæculum sæculi : hic habitabo : quoniam elegi eam : quasi diceret : hic fiet uitæ et uiæ meæ terminus : et post uitæ laborem in requiem duraturam in sæculum sæculi pertransibo . Felix doctor : qui suum de ergastulo corporis præscire meruit simul et æternæ uitæ felicitatis ingressum : præscius simul suæ quietis ad uitæ principium et laboris terminum et occasum . | Paratur itaque ei locus honestus in camera abbatis ad corporis quietem cæterisque comitantibus prout melius fieri potuit cum multo caritatis affectu . Vbi cum sanctus doctor pluribus diebus grauatus infirmitate decumberet : monachi cum tanta reuerentia et humilitate ei seruire cœperunt : ut etiam propriis humeris ligna de sylua deferrent : erat enim hiems . Ipse uero doctor pius et humilis famulis dei compatiens dicebat : unde hoc mihi : ut serui dei seruiant homini : et onus tantum deferant : quo laborant ? Cœpit autem in dies languor ipse inualescere : Nec tamen sanctus doctor a doctrinæ fluentis se continere poterat . Rogatus nempe ibidem ab aliquibus monachis qui capere poterant : ut aliquod memoriale scientiæ suæ eis in fine relinqueret : breuiter ipsis exposuit Solomonis† cantica canticorum : ut in canticum cælestis gloriæ transiret studium ecclesiasticæ disciplinæ .

Et bene congruit sancto doctori transituro de ergastulo corporis : qui cælestis aulæ epithalamum de proximo cantaturus cum angelis in dilecti sponsi Christi et ecclesiæ thalamum introclusus aduenit .

Qualiter deuote ac fideliter in extremis susceptis ecclesiæ sacramentis suamque doctrinam in manu sanctæ romanæ ecclesiæ derelinquens obdormiuit in domino .

Inualescente autem morbo et corporis deficiente uirtute cum magna deuotione petiit exhiberi sibi sacratissimum corpus Christi : quod cum reuerenter ab abbate et monachis deportatum fuisset : et ipse ad terram prostratus debilis corpore fortis mente suo domino obuiam occurrisset : cum lachrymis et miranda deuotione orans : requisitus ut moris est ecclesiasticæ disciplinæ si crederet : quod in illa hostia consecrata esset uerus dei filius : qui exiuit de utero uirginis : et pro nobis in cruce pendens mortuus est : et die tertia resurrexit : libera uoce attenta deuotione cum lachrymis respondit : Si maior scientia quam fidei integritas et infallibilis eius ueritas habetur in præsenti exilio de hoc sacramento uel haberi possit in illa : respondeo quia uere credo : et pro certo scio hunc esse uerum deum et hominem æterni patris et uirginis matris filium dominum Iesum || Christum : et sic puro corde credo : et ore confiteor . Sic itaque deuote et cum lachrymis accepit illud uiuificum sacramentum . Fertur autem cum illud sumeret : hæc uerba præmisisse dicens : sumo te pretium redemptionis animæ meæ : uiaticum peregrinationis meæ : pro cuius amore studui : uigilaui : et laboraui : te prædicaui : te docui : nihil unquam scienter contra te dixi . Si quid autem de hoc sacramento et de aliis minus bene dixi : aut scripsi : totum relinquo correctioni sanctæ romanæ ecclesiæ : in cuius obedientia nunc transeo ex hac uita . Suscepto autem sic deuote uiuifico sacramento : sequenti die extremæ unctionis sacramentum sibi dari deuote petiit : et suscepit : qui cum in tota unctione ad singulas formas uerborum sana mente respondisset : Amen : præscius sui felicis transitus iunctis ad deum manibus spiritum suum creatori suo recommendans feliciter obdormiuit in domino hora matutinali nonis martii incohante† tunc dominicæ incarnatiunis† anno Milesimoducentesimoseptuagesimoquarto : uitæ autem suæ anno quinquagesimo inchoante . Conueniens enim fuit : ut quadragesimum nonum et ultimum annum uitæ suæ perficiens transiret in quinquagesimum æternæ læticiæ iubileum .

De solemnibus exequiis ac sepultura sancti Thomæ in monasterio Fossenouæ .

Interfuerunt autem in eius felici transitu plures fratres ordinis prædicatorum diuersis e conuentibus : et specialiter conuentus Gagetaui et Anaguiæ : qui ad prædictum doctorem uisitandum conuenerant : ac etiam multi fratres ordinis minorum : Cumque prædictus doctor multis etiam indiciis sanctitatis clarus obisset : abbas et monachi prædicti monasterii cum cæteris religiosis ac nobilibus uiris patriæ circa corpus sancti doctoris solemnes exequias honorifice celebrarunt . Affuerunt namque funeri et exequiis episcopus terracinensis dominus Franciscus ordinis fratrum minorum cum cæteris religiosis superius memoratis ac etiam multi nobiles de Campania : quorum quamplures attraxerat naturalis affectio parentelæ : cum multos haberet in partibus illis consanguinitate coniunctos . Non nullos uero prouocauerat fama scientiæ et exempla sanctitatis eius et uitæ . | Celebrantur itaque sollemnes exequiæ sancti doctoris et occurrit neptis eius nobilis domina Francisca ad hostium ipsius monasterii : quia mulieri introire monasterium non licebat secundum ordinis instituta : Deferturque funus illuc ad eius instantiam ad uidendum sibi ex gratia speciali : ubi quantis lamentationibus more patriæ deploratum fuerit cum eiulatu et clamore lugubri : uix ab aliquo credi posset . Cumque planctus et gemitus tam lugubris personaret : mirum dictu : mulus cui sanctus doctor insederat eadem hora fracto fune de stabulo exiit : et nullo ducente ueniens et appropinquans ad feretrum : eoque uiso ibidem sine alia infirmitate mortuus cecidit : et defecit : ut etiam in brutis animalibus deus osten-

deret : quam magnum lumen ecclesiæ defecisset . Post hæc autem delatum est corpus sacrum ad ecclesiam : ibique ante altare uenerabiliter tumulatum et glebæ terræ traditum : quod totius mundicie fuerat alabastrum .

De fideli testimonio fratris Rainaldi de sanctitate sancti Thomæ .

Tunc frater Rainaldus de Piperino ordinis prædicatorum surgens in medio prædicauit : et ad ædificationem astantium qui audire desyderabant merita et præconia sancti doctoris et ad laudem ejusdem magistri sui de sanctitate uitæ eius tale dedit testimonium ueritati : Ego enim inquit istius doctoris sancti totius uitæ et conscientiæ testis sum : qui freqnenter† in uita sua et nunc in ultimo fine suo confessionem eius generalem audiui . De quo testificor coram deo : quod ipsum ita semper purum inueni sicut puerum quinque annorum : quia nunquam carnis suæ sensit contagium nec alicuius mortalis criminis in uoluntate consensum habuit : Hic est frater Rainaldus in diuiduus sancti Thomæ : qui in uita sibi sedule in omnibus ministrauit et seruiuit ut magistro discipulus : ut patri filius : ut sancto deuotus : Circa quem oportebat eum gerere tanquam nutricis officium propter abstractionem eius quasi continuam et frequentem ad cælestia mentis raptum : ut sic abstractum ab exterioribus præuenire etiam ipsum oporteret de necessariis corporis alimentis et præparare ante ipsum : quod sumeret : ne in iis quæ nocerent error contingeret : si abstractus continue in sumendis erraret . ||

De signis quæ in hora sui transitus uisa et ostensa fuerunt .

Non defuerunt autem in eius transitu signa miranda et manifesta : quæ sancti doctoris iudicarent† exitum : et æternæ felicitatis ingressum præsignarent : In hora enim transitus sancti Thomæ quidam monachus præfati monasterii orans in ecclesia paululum obdormiuit : et ecce uidit stellam splendidissimam super monasterium cadere : duasque stellas alias de cælo descendentes eiusdem fulgoris cum prima post paululum primam stellam quam prius uiderat ad cælestia subleuare . Post quam uisionem monachus a sopore solutus audiens pulsari tabulam signum obitus sancti doctoris : qui in hora prædictæ uisionis obierat : intellexit : quod illa uisio demonstraret felicem transitum sancti Thomæ : cuius anima tunc de corpore exiit : quando prima stella cum aliis duabus cælum conscendit . Aliud quoque signum in ipso monasterio apparuit : quædam stella ad modum cometæ tribus diebus ante sancti doctoris obitum super monasterium prædictum uisa fuit : quæ etiam in die aliquando uidebatur : quæ cum ignoraretur : quid significaret dum apparuit : ostendit præfati doctoris transitum dum cessauit . Nam sancto doctore deficiente ipsa defecit . Aliud etiam signum in conuentu Neapolitano Fossenouæ . Vidit enim in uisione imaginaria prædictum doctorem in scholis legentem in cathedra Neapoli coram copiosa scholarium multitudine : Et beatum Paulum apostolum scholas intrantem cum multa societate sanctorum : Cui cum Thomas doctor de cathedra descendens uellet occurrere : Paulus ait : ut legeret et prosequeretur quam inceperat lectionem . Quem sanctus Thomas rogauit ut ei diceret an in epistolis suis uerum habuisset intellectum : apostolus respondit : quia plene habuerat intellectum : sicut potest quis uiuens in corpore de illis habere . Et subdidit dicens : uolo : ut mecum uenias : et ducam te ad locum ubi clariorem habebis de omnibus intellectum . Videbaturque ipsum per capam extra scholas secum educere . Tunc prædictus frater Paulus cœpit fortiter alta uoce clamare : dicens : succurrite fratres . succurrite : quia frater Thomas tollitur à nobis : ad cuius clamorem excitati fratres . | Interrogauerunt eum quid clamans in uisione uidisset : quo referente seriem uisionis : hora notatur : et inuentum est postea hanc fuisse : qua doctor fuerat ex hac luce subtractus . Felix doctoris anima cui cælestes ciues obuiant : ut ad cælestia regna perducant : Et quem habere meruit dum uiueret scientiæ instructorem : dum ex hac uita transiret habuit ad cælestem gloriam conductorem .

Quomodo fratri Alberto theutonico fuit eius transitus reuelatus .

Non est autem prætereundum silentio : quod ide† transitus eius frater Albertus theotonicus reuerendus doctor et episcopus existens apud coloniam uidit : hic enim in mensa discumbens præsente priore conuentus cum aliquibus fratribus cœpit subito lachrymari . Priori uero causam lachrimarum quærenti respondit : frater Thomas de Aquino filius meus in Christo qui fuit lumen ecclesiæ ex hac luce migrauit : Tunc notatur dies a priore : et repertum est postea sanctum doctorem Thomam sub eodem die de hac luce migrasse .

Qualiter in die sepulturæ ipsius supprior monasterii Fossenouæ fuit a cæcitate oculorum sancti Thomæ meritis liberatus .

Ante quam sacrum corpus fuisset traditum sepulturæ dominus Iohannes de Ferentino monachus et uice prior monasterii Fossænouæ patiens in oculis fere omnimodam cæcitatem emisso uoto ad sanctum eius corpus se duci fecit : Ad cuius pedes cum deuotione et reuerentia prostratus applicuit se funeri : ponensque faciem suam super faciem illius : orauit dupliciter : ut meritis sancti Thomæ uisus beneficium quo carebat recipere mereretur : qui statim perfecte illuminatus clamauit coram toto conuentu ibidem præsente : benedictus deus : quia meritis sancti Thomæ uisus est mihi perfectissime restitutus : et ita clare uideo sicut ante .

De miraculo suauissimi odoris facto in prima translatione sacri corporis sancti Thomæ et de integritate eius in membris et in uestibus diuino munere conseruatis .

Post sepulturam sancti Thomæ timentes abbas et monachi ne forsan in posterum corpus sancti doctoris ipsis inuitis auferretur a dicto monasterio procurantibus fratri || bus sui ordinis per mandatum summi pontificis præsertim quia sub deposito ibidem fuerat commendatum : et frater Rainaldus sociis eius fecerat inde recipi publicum instrumentum : et idem doctor mandauerat corpus suum ad fratres sui ordinis apud Neapolim congruo tempore deportari : de nocte secretissme† paucis arbitris transtulerunt ipsum de ecclesia ad capelam sancti Stephani iuxta claustrum : ut sepulturæ eius ignotus cæteris esset locus . De quo postmodum sanctus doctor in somnis apparens Iacobo de Floreutino† priori monasterii ipsum grauiter arguit : et comminatus est ei : nisi ad priorem locum corpus suum reduceret : ubi qui ad sepulchrum eius ex deuotione uenirent loco sepulturæ cognito non errarent : Timens itaque dictus prior diuinæ ultionis iudicium si præteriret quod audiuerat in uisione mandatum : uolensque claustrales monachos hoc latere acceptis prædicte capelle clauibus a domno Blasio monacho de nocte cum paucis monachis et aliquibus oblatis monasterii seu donatis accessit ad capellam prædictam in qua corpus sancti doctoris sicut præmittitur translatum fuerat et humatum . Et aperto sepulchro tanta fragrantis odoris suauitas emanauit quod totam capellam claustrumque ipsius monasterii : quod diffusum est : mira suauitate repeluit† : ut non uideretur patuisse defuncti corporis sepultura : sed multorum aromatum apoteca : quæ de ipsius sancti corpore exiens : prout ex sollicita curiosaque monachorum indagine corpus ipsum odorantium compertum est : mirifice fundebatur : Qui odor tantus fuit quod ad ipsum nullo alio iudicante† tam prædictus domnus Blasius quam cæteri monachi excitati conuenerunt : Coram quibus manifestatio sancti doctoris inuenerunt ipsum integrum in omnibus membris habituque sui ordinis in capa scapulari et tunica penitus in corruptum et ex odore odoriferi corporis redolentiæ : cum tamen sancti doctoris corpus fuisset pingue et grossum ac magnum : locusque sepulturæ esset humidus et profundus : ex quo debuisset etiam sine causa alia immutari nisi diuina uirtute ex spirituali priuilegio et miraculo seruaretur : Conueniens autem fuit ut corpus illud etiam exanime non nisi odorem suauissimum diuina uir | tute redderet : de quo fetor mortalis criminis non exisset . Videntes

autem monachi tam euidens miraculum : concepta nimirum ad ipsum maiore deuotione : coadunato conuentu : priore dicti monasterii cum quibusdam ex monachis paramentis induto corpus ipsum ad primum eius tumulum processionaliter et honorifice detulerunt : cantaueruntque antiphonam : Iste sanctus digne in memoriam uertitur hominum et cætera . Tot autem testes fuerunt de huius odoris mirabili fragrantia : quot monachos tunc habuit Fossanoua : Fuit autem facta translatio elapsis mensibus septem a transitu sancti Thomæ sicut in litteris canonizationis et in depositione testium qui præsentes fuerunt de tempore inuenitur : quamuis de tempore translationis prædictæ aliqui scripserint quod facta fuit septennio iam elapso .

De magna fragrantia in secunda sepulchri eiu† apertura .

Elapso septennio post primam de qua supra corporis sancti Thome translationem dominus Petrus de castello montis sancti Iohannis tunc abbas monasterii prædicti iterato fecit ipsum corpus exhumari et transferri in alium locum decentiorem ad sinistram uidelicet altaris partem in sepulchro marmoreo super terram : in cuius† apertura sepulchri odor similis sicut in prima eius translatione ex ipso corpore emanauit : Et tam corpus quam etiam uestimenta eius sicut prius integra reperta sunt et illæsa . Memoratus itaque Abbas qui in prima translatione monachus interfuerat : et secundam cum factus esset abbas fieri facit : tandem uir grandæuus coram iudicibus mandato summi pontificis inquirentibus de miraculis sancti Thomæ testis iuratus de prædictis ueritati testimonium perhibuit : sicut in ipsa inquisitione plenius continetur .

De tertio miraculo in tertia tumuli apertura .

Placuit autem deo ad ampliorem et certiorem sancti Thomæ gloriam demonstrandam tertium miraculum iterare . Quartodecimo nanque anno ab eius felici transitu abbas dicti monasterii rogatus a Theodora comitissa Sanctiseuerini sancti doctoris sorore fuit : ut daret sibi pro relliquiis manum dexteram fratris sui : Volens autem abbas satisfacere eius uotis annuit : et accedens ad || sepulchrum eleuato uix lapide ipsum aperiri fecit : patefacto autem sacri corporis prætioso thesauro : tantus inde emanauit tamque mirabiliter se diffudit odor : ut omnes monachi ab ipsa fragrantia allecti illuc subito confluerent . Inuentum est autem ipsum corpus sanctum odoriferum et integrum in membris et pannis sui habitus sicut prius præter nasi summitatem : quæ paululum diminuta uidebatur . Abbas igitur manum ipsam quam leui tactu auellere posse putabat : ferro detruncare compulsus est : Eandemque cum reuerentia prætactæ detulit dominæ : quam ipsa summo cum desyderio expectabat : et quam receptam cum deuotione et lachrymis reponi fecit in capella castelli sui Sanctiseuerini cum aliis relliquiis quas ibidem habebat .

De alio miraculo per tactum prædictæ manus sancti Thomæ .

Anno siquidem quadragesimosecundo ab ipso sancti Thomæ obitu Thomas de Massia canonicus salernitanus uir bonæ famæ cum in capella castelli Sanctiseuerini relliquias quæreret reponendas in quadam capella sanctæ crucis quam ipse ædificari fecerat : Ostensis sibi per capellanum Sanctiseuerini multis sanctorum relliquiis : eisque quam debebat reuerentia exhibita : ait tandem : alias habeo præciosiores etiam relliquias manum uidelicet fratris Thomæ Aquinatis integram post tanti temporis decursum et mira quadam fragrantia redolentem : quod ille ex indeuotione despiciens deridensque ait : Iste frater Thomas non est sanctus : sed bonus homo fuit : sicuti de ordine suo frater unus : quibus uix perfectis uerbis tremor magnus totius corporis et tumor capitis ipsum arripuit : uidebaturque caput habere crassum ualdeque ponderosum . In se autem reuersus aduertensque hoc sibi ex tali contemptu non immerito accidisse : et pœnitens cum lachrymis confessus coram sacerdote prædicto peccatum suum : ueniam petiit dictamque manum sibi ostendi præcabatur : ut debitam sancto reuerentiam redderet : quem despiciens contempsisset : quam cum deuote ac reuerenter aspiciens adorasset : statim ab ipso corporis tremore capitisque inflatione penitus

liberatus est : Accedensque propi | us magna cum deuotione ipsum† sanctam manum osculatus est : suauissimumque odorem ex ea progredientem sensit : qualem ut asseruit nunquam ante hac se percepisse meminerat . Mirabileque dictu : fragrantia illius sanctæ manus sic in illum totumque eius indumentum penitus transfusa est : ut admirantibus illis cum quibus postea conuersabatur longo post tempore de fragrantia illa rationem reddere compulsus fuerit . Ex tunc tanta deuotione erga sanctum Thomam affectus est : ut quandocumque temptationis alicuius periculum imineret : beati Thomæ meritis confidens eiusque nomen sanctum inuocans ab omni impugnationis periculo liberatum se comperiebat .

De excellentia sancti Thomæ fratri Alberto de Brixia diuinitus reuelata .

Vir religiosus deuotus et doctus frater Albertus Brixiensis ordinis fratrum prædicatorum sæpenumero legendo et alias inter loquendum fratrem Thomam sanctum se† asserebat sic dicens : scio profecto fratrem Thomam magnum in cælo sanctum esse : De qua quidem assertione a duobus fratribus aliquando scisitatus obsecratusque et adiuratus ne nomen domini per quod admiratus† fuerat spernere uideretur ait illis : carissimi filii et fratres in Christo : uos non latere puto : quo pacto doctrinam sancti Thomæ legendo docendo et scribendo in omnibus sum sequutus . Admiratus autem sæpius quomodo in tam paruo quo uixit tempore ad tantam uitæ sanctitatem doctrinæ scientiam atque scripturarum profunditatem peruenire potuerit : deum et beatam uirginem Mariam et beatum Augustinum cum deuotionis instantia præcatus sum : ut mihi ostenderetur eiusdem sancti Thomæ gloria . Aliquando autem ante beatæ Mariæ uirginis altare prostrato mihi et in oratione posito cum diu intentus et cum lachrymis orassem : Duæ reuerendæ personæ cum splendore mirabili apparuerunt : quarum una in pontificali habitu et ornatu existens mitram in capite portabat : altera in habitu ordinis nostri coronam auream lapidibus præciosis intextam gerebat in capite : circaque collum duas aureolas quasi torques unam argenteam alteram uero auream habebat : In pectore uero prætiosum lapidem magnum gestabat : qui mirabili splendoris plures ex se ipso radios emittens totam || ecclesiam illustrabat . Ego uero stupefactus de tam mirabili uisione pedibus eorum corrui suppliciter orans : ut mihi indicarent : quinam essent : qui tam mirabiles apparebant . Tunc qui mitra insignitus erat respondit : quid tu frater Alberte admiraris ? Scito enim : quoniam preces tuæ assiduæ exauditæ sunt : Ego enim Augustinus sum ecclesiæ doctor : qui missus sum : ut de gloria fratris Thomæ Aquinatis hic mecum astantis certiorem te facerem : Ipse enim filius meus est : qui doctrinam apostolicam ac meam in omnibus est secutus : ecclesiamque dei sua illuminauit doctrina : designant autem lapides prætiosi de præcipuæ ille magnus quem gestat in pectore : intentionem rectam : quam ad defensionem et declarationem fidei habuit . Ipse uero Thomas mihi in gloria est æqualis : nisi quod uirginitatis aureola me præcellit : et ego ipsum in pontificalis ordinis dignitate . Hæc deposuit testis fidelis et uerax iuratus frater : qui a prædicto fratre Alberto Brixiensi audiuit seriem uisionis in inquisitione de uita et miraculis coram iudicibus ad hoc a sede apostolica deputatis .

De canonizatione sancti Thomæ .

Sanctus itaque Thomas Aquinas ordinis fratrum prædicatorum post sollertem inquisitionem factam auctoritate sedis apostolicæ : ut est moris et iuris de uita eius et miraculis : ueritate miraculorum compertum fuit per dominum Iohannem papam uigesimumsecundum canonizatus : et sanctorum confessorum cathalogo annotatus cum solemnitate debita in huiusmodi consueta : celebratis missarum solemniis per eundem dominum papam in maiore ecclesia : assistentibus sacris indutis uestibus cardinalibus et prælatis apud Auinionem : ubi tunc papa residebat decimoquinto callendas augustas anno incarnati uerbi Millesimotricentesimouigesimoquarto pontificatus eius anno septimo : a felici uero sancti Thomæ transitu anno quinquagesimo inchoante .

Post felicem transitum sancti Thomæ de Aquino : diuina non defuere miracula quibus mirificauit deus sanctum suum et signis eui | dentibus ac prodigiis magnis et multis corruscantibus : assumptum in gloria terrigenis declarauit . Quorum non nulla per incuriam fratrum : multo neglecta tempore : obliuioni sunt tradita nullius scripturæ testimonio commendata . Ea uero quæ secuntur inferius sub compendio ac beruiloquio† : ne sermo prolixior legentibus afferret fastidium : collecta sunt et accepta : tam de prima quam de secunda inquisitione facta de uita conuersatione ac miraculis eiusdem . per inquisitores ab apostolica sede datos : sub anno dominicæ incarnationis Millesimequadringentesimodecimonono† usque ad eius canonizationem : quæ facta fuit postmodum quadriennio iam ellapso . Sub anno eiusdem incarnationis dominicæ Millesimotricentesimouigesimotertio In fine uero subsequentium miraculorum : addita sunt non nulla alia : quæ relatione et assertione fide digna plurimum comprobata sunt et comperta : et addi poterunt etiam alia in futurum . Hæc autem sunt miracula collecta per ordinem ex processu prime inquisitionis factæ . de uita conuerisatione† et miraculis sancti Thomæ per inquisitores eosdem præter illa quæ de fragrantia mirifici odoris superius in contextura hystoriæ sunt conscripta .

Dominus Petrus grassus de Neapoli : miles regis et consiliarius : per decem circiter menses : priuatus extiterat uirtute naturali : et solito usu brachii dextri sui : adeo quod de ipso brachio : nec de manu poterat se iuuare . Hic romam uadens peregre : dum esset in uia : iter faciens prope monasterium Fossenouæ : occurrit ei memoria sancti Thomæ de Aquino . Et tunc mente concepit : spemque et fiduciam sumpsit : quod de passione brachii sui posset eius meritis liberari . Vouitque in animo suo : ad eius sepulchrum accedere : et accessit . Flexisque genibus in terra : ibidem orauit deum : ut sancti Thomæ meritis perciperet deperditi brachii sanitatem . Et extenso toto corpore suo super sepulchrum eius : mox sensit redditam sibi uirtutem deperditam brachii supradicti . Reliqua miracula quæ per ordinem sequebantur : quia pene innumera : et ne prolixitas ipsa fastidium pareret : hic non impressa fuerunt . ||

PASSIO SANCTI THEODORI MARTYRIS .

Temporibus suis Maximus et Maximinus imperatores miserunt per omnem terram regni sui edictum aduersus omnes ueræ Christi religionis cultores : ut gustantes immolaticios cibos possent euadere tormenta et uiuere : contradicentes uero iudiciis tradi : ac multis diuersisque suppliciis affligi . Eo autem tempore tentus est Theodorus : et cum eo alii tyrones ad militandum . Et adductus est in legionem quæ dicitur mamortinorum sub præposito Brinca : quæ legio consistebat in ciuitate Amasiæ prouinciæ Helesponti : Vbi etiam secundum edictum imperatorum compellebantur uniuersi ad immolandum idolis . His contradicens beatus Theodorus ductus est ad Brincam præpositum : cui Brincas ait : Vt quid non obtemperas præceptis imperatorum : et immolas diis immortalibus ? Beatus uero Theodorus cum esset fidelis deoque plenus et spiritusancto : stetit in medio legionis et dixit : Quia ego christianus sum immolare reprobis simulachris præceptum non accepi . Habeo enim regem meum Christum in cælis . Brincas præpositus dixit : Accipe arma Theodore et militiam : et accquiesce† sacrificare diis immortalibus : et obtempera inuictissimis imperatoribus . Respondens autem sanctus Theodorus dixit : Ego milito meo imperatori : et alii militare non possum . Ad quem Brincas : et hi omnes circunstantes christiani sunt : et militant . Theodorrus dixit : Vnus quisque nouit quomodo militat . Ego autem milito domino meo et regi cælesti deo et filio eius unigenito Iesu Christo . Possidonius ducinarius dixit : Ergo deus tuus filium habet ? Cui sanctus Theodorus respondit : Etiam habet filium : qui est uerbum ueritatis : per quem omnia facta sunt . Dixit autem præpositus : possumus eum cognscere† ? Sanctus Theodorus dixit uellem siquidem dari uobis talem intellectum ut cognoscatis . Possidonius ducinarius dixit : Et si agnouerimus eum : numquid possumus derelinquere imperatorem terrenum : et ad | eum accedere ? Sanctus Theodorus dixit : Nihil est : quod uos imperator impediat : ut derelinquentes tenebras : et fiduciam : quam ad modicum habetis apud temporalem et terrenum atque mortalem uestrum imperatorem : accedatis ad deum uiuum et regem

æternum atque cælestem : ut ipsi efficiamini milites sicut et ego : Ad hæc Brincas : Demus ei inducias : ut semetipsum ammoueat : et conuertatur ad id : quod expedit : Cumque accepisset dillationem beatus Theodorus : permanebat in oratione . Illi uero soliciti etiam de aliis christianis circuibant ciuitatem : ut quoscumque inuenissent Christo credentes : tenerent . Cumque compræhendissent aliquos : adducebant eos in carcerem . Beatus uero Theodorus sedens cum eis docebat eos uiam ueritatis ac perseuerantiæ dicens : Nolite hæc tormenta pertimescere : quæ ad modicum uobis inferuntur : ut abnegetis regem et dominnm† Iesum Christum : Cumque hæc et his similia beatus Theodorus diceret ad eos qui reclusi erant : tempore oportuno templum Matris deorum noctu ingressus est : ponensque ignem succendit eum . Visus autem ab aliquo accusatus est . Chronides uero tabularius cum cognouisset hoc factum : metu perterritus comprehendit beatum Theodorum : et obtulit eum populi præsidi dicens : Hic pestis electus tiro : qui etiam aduenit in ciuitatem nostram : templum antiquitatis deorum igne succendit : deosque nostros iniuria affecit : quem ita comprehensum obtuli tuæ magnitudini : ut secundum præceptum inuictissimorum imperatorum pœnas exolueret de his : quæ in deos nostros audacter ingessit . Iudex autem cum id audisset : accersito Brinca præposito ait ad eum : Tu ei dedisti inducias : ut deorum nostrorum templum igne succenderet ? Ille uero respondens dixit : Ego sæpius sum hortatus eum : dans ei dillationem : ut secum retrectans consentiat nobis : et immolet diis immortalibus libamina . Si uero hoc non fecerit : tu cum sis iudex tanquam in contemptorem deorum refutatoremque principum inuictissimorum nostrorum exerce secuudum† datam tibi potestatam . Sedens ergo Præses pro tribunali iussit adduci beatum Theodorum et cum adductus esset : dixit ei . Vt quid nam ut sacrificares deæ nostræ et thurifica || res libamen quod ei offerres : ignem et incendium obtulisti ? Tunc beatus Theodorus . Quod inquit feci : non abnego igne eam succendi . Talis autem est dea uestra et potentia eius : ut ignis eam tangat : et inflamet eam : Ego enim ligna succendi : ut lapidem comburerem : quam ob rem furore repletus Præses iussit eum cædi dicens : Multa mihi uerba noli respondere . Expectant enim te tormenta durissima : ut te obtemperare præceptis imperatorum faciant . Cui beatus Theodorus : Neque tibi acquiesco pœnasque tuas non timesco : etiam si ualde sint terribiles . Fac ergo : quod uis : me enim expectatio bonorum inuitat : ut confidam propter spem : quæ mihi reposita est et coronam : quam mihi dominus meus Iesus Christus præparauit . Et Iudex : Sacrifica inquit diis : et erue te a tormentis : quæ tibi parata sunt . Sanctus Theodorus dixit : Non mihi sunt tormenta hæc : quæ ex te inferuntur terribilia : Dominus enim et rex meus Iesus ante faciem meam assistit : qui me eruet de suppliciis tuis : quem non uides : eo quod oculis cordis tui non uides . Indignatus est ergo iudex et fremens ut leo iussit eum mitti in carcerem : signarique officium carceris : atque ibidem eum dimitti ut fame moreretur : Beatus uero Theodorus a spiritusancto nutriebatur : In eadem autem nocte apparuit ei dominus dicens : Confidens esto serue meus Theodore : quia ego sum tecum : Ne ergo accipias escam aut potum ab hominibus :† istis est enim tibi alimentum incorruptum in cælis : Et hæc dicens abscessit . Et cum abscessisset dominus ab eo : cæpit beatus Theodorus exultare : et psallere deo . Erat autem populus multus audiens eum Hæc ergo cum audissent custodes carceris : et uiderent hostium clausum : signaculum sanum aspiciebant per fenestram : Et uidentes populum multum uestibus albis amictum et psallentem cum sancto Theodoro metuentes abierunt : et hæc nuntiauerunt iudici . Cum itaque hæc audisset iudex surgens cum festinatione cucurrit : et uenit ad ostium carceris : uiditque carcerem clausum : et uoces psallentium cum beato Theohoro† audiuit . Hæc intelligens præses iussit : ut milites armati carcerem custodirent in circuitu : suspicans aliquos chri | stianorum cum beato Tbeodoro† intus esse : Et aperiens et ingressus intus neminem inuenit nisi solum seruum dei sanctum Theodorum in ligno detrusum apprehenditque eum tremor magnus et eos : qui cum ipso erant : qui exeuntes cum stupore recludentesque carcerem rursus recesserunt . Tunc iussit preses dari beato Theodoro unciam panis et poculum aquæ diurnum . Fidelis autem martyr Christi secundum quod scriptum est : quoniam iustus ex fide uiuit ita faciebat : nec quicquam sibi accipiebat ab illis sed tantum in semetipso dicebat : Me dominus meus et rex enutrit Christus . Mane autem facto iussit præses adduci beatum Theodorum : cui et dixit : Acquiesce mihi Theodore absque tormentis :

sacrifica diis ut in celebritate scribam orbis terrarum dominis imperatoribus Theodorum pontificem et honorem ab eis non modicum accipiam et confessorem nostrum futurum . Beatus uero Theodorus aspiciens in cælum : et consignans se dixit ad præsidem : Etiam si carnes meas igne cremaueris : et supplitiis uariis expendas : et si in gladio me tradas : donec fuerit spiritus in naribus meis : non negabo dominum meum . Præses autem hæc audiens et simul cum præposito Brinca consilio accepto iussit quæstionariis : ut eum in ligno suspenderent : et ungulis ferreis latera eius raderent : qui adeo eum ipsum raserunt : ut etiam costæ eius nudarentur . Beatus autem Theodorus nihil respondit præsidi : sed psallebat dicens : benedicam dominum in omni tempore . semper laus eius in ore meo . Stupens autem præses super tantam beati martyris tolerantiam ait ad eum : Non erubescis miserabilior omnium hominum : quia speras in hominem : qui dicitur Christus : et hunc male peremptum : ita temetipsum irrotionabiliter† talibus pœnis tradis atque tormentis . Sanctus uero martyr dixit : Hæc confessio mihi et omnibus qui inuocant nomen domini mei Iesu Christi . Exclamantibus turbis tole eum : eo quod iam dissipatus esset præses per præconem :† interrogabat eum dicens : uis sacrificare : an adhuc amplius a me torqueri ? Respondit autem baatus† Theodorus cum fidutia dicens . O impiissime et omni iniquitate replete fili diaboli : et uere dignus operationis sathanæ non times deum : qui hanc tibi || donauit potestatem : per quem reges regnant : et tyramni obtinent terram : sed compellis me derelinquere deum uiuum : et adorare lapides : qui sine anima sunt ? Tunc iudex cum multo tractatu dixit ad sanctum martyrem : quid uis ? nobiscum esse aut cum Christo tuo ? Cui sanctus martyr cum gaudio magno respondit : Cum Christo meo et fui : et sum : et ero . Videns autem præses : quia non posset per tormenta superare sancti martyris tolerantiam : dedit aduersus eum sententiam dicens : Istum Theodorum non obtemperantem præceptis inuictissimorum imperatorum potentiæque deorum : credentem uero in Iesum Christum : qui crucifixus est sub pontio pilato : quemadmodum a Iudeis audio : igni tradi : Statim autem ut dictauit sententiam : simul cum uerbo perficiebatur . Quæstionarii uero continuo congregantes de negotiatoribus et balnearibus ligna adduxerunt eum ad præparatum locum . Cum autem ignis accensus fuisset : deponens uestimenta sua : soluensque balteum uolebat etiam excalciare se : Et quia unusquisque fidelium festinabat : quis prior sudarium eius tangeret : nam passionem eius omnes ascendentes tangebant eum . Statim autem apposuerunt ei ea : quæ ad ignem congregata fuerant necessaria . uolentibus eis beatum martyrem configere dixit eis : Sinite me sic : qui enim dedit mihi tolerantiam in supplitiis : ipse dabit : ut et ignis impetum intactus sustineam : Iam enim non eum confixerunt : sed tantummodo alligantes dimiserunt . At uero beatus martyr signaculo crucis et uerbis semetipsum consignans : manibus post tergum ligatis : tamquam aries electus de magno grege ad holocaustum deo acceptum ac præparatum aspiciens in cælum ait : Domine deus omnipotens pater benedicti pueri tui Iesu Christi : per quem tui agnitionem accepimus deus uirtutum et omnis creaturæ omnisque nationis iustorum uiuentium coram te . benedico te : quia me dignum fecisti horæ huius atque diei : ut accipiam partem cum sanctis martyribus in saluatore Christo in resurrectione et uita æterna anime : corporisque incorruptione spiritus sancti in quibus suscipias in conspectu tuo hodie sacrificium pingue acceptabileque : | quemadmodum præparasti : et præmanifestasti : et certum me fecisti sine mendacio . Tu enim es deus uerus : et ideo laudo te per dominum nostrum Iesum Christum dilectum filium tuum rogans ac præcans : Da domine et his : qui mecum detenti sunt ad hanc peruenire palmam . Et intuens oculis suis uidit in turba stantem et lacrimantem Cleonicum : qui cum eo ductus fuerat tiro : et exclamans dixit : Cleonice expecto te : festina sequi me : In uita enim hac corruptibili non nos dereliquimus alterutrum . et in uita cælesti ne nos separemus ab inuicem . Expleto sermone orauit dicens : Domine Iesu Christe mediator dei et hominum qui me dignum exhibuisti : ut uincam hoc certamen gratias ago : et collaudo et glorifico nomen patris et filii et spiritus sancti in sæcula sæculorum amen : Et cum finisset orationem : ministri diaboli succenderunt ignem magnum : flamma autem micante miraculum uidimus : quibus datum est uidere : qui et reseruati sumus : ut annunciemus cæteris ea : quæ facta sunt . Flamma enim in specie camere facta est tamquam nauis a uento repleta : et circumuallauit corpus beati martyris : et erat non quasi corpus ardens sed quasi

panis . qui coquitur : Sancto enim spiritu superueniente sine afflictione erat beatus martyr in medio flamme laudans et glorificans deum reddidit Christo spiritum quinto idus nouembres assumptus est in cælis . Odore uero suauissimo repleti sumus omnes . Facta est uox ad eum de cælis dicens : Veni dilecte mi Theodore : intra in gaudium domini tui : quia fideliter certaminis tui cursum consumasti . Hæc omnia nos circunstantes uidimus : et audiuimus : sed et cælos super eum apertos uidimus . Quedam autem mulier nomine Eusebia nobili genere ueniens petiit corpus sancti martyris Theodori : Et uino unguentisque præciosis corpus sanctum condens cum syndone munda inuoluens posuit in loculum : et transtulit eum in possessionem suam : quæ distat a ciuitate Amasiæ uia unius diei in locum : qui appellatur Euchaita : qua possessione cogitauit ecclesiam facere . Fecit autem ibi domum perfectam et sanctificatam : et erat illic celebrans quottidie commemorationem beati martyris Theodori : || In quo loco multi per eum mundantur a spiritibus immundis : et uariis infirmitatibus liberantur usque in præsentem diem ad laudem et gloriam dei patris et filii et spiritussancti : qui uiuit et regnat nunc et semper et in sæcula sæculorum Amen .

VITA SANCTI TAVRINI EBRIOCENSIS[1] EPISCOPI ET MARTYRIS .

Tempore Domiciani regis fuit uir quidam Romæ nomine Tarquinus paganus : qui et seuissimus lupus persequebatur christianos nesciens uxorem suam esse dei famulam . Illa autem sine cessatione dominum frequentabat orationibus : ut uirum suum ad christianum ritum conuerteretur : quinetiam talem ipsis filium daret : qui ueluti Samuel semper domino deseruiret . Et ecce quadam nocte cum fessa quiesceret : uidit sibi astare angelicum uultum uterum sua uirga tangentem : et pst† paululum procedere uirgam instar lilii cuius flores nimium dabant odorem . Adueniente autem tempore infans nascitur : et Taurinus a parentibus uocatur . Mox autem ut tempus sacri baptismatis aduenit : ad baptizandum illum sancto Clæmenti apostolico tradidit : eique somnium quod aliquando uiderat narrauit . Quod audiens beatus Clæmens ipse eum de sacris fontibus sustulit . Vocans autem beatum Dionysium ariopagitam : qui cum eo tunc Romæ uersabatur : rettulit ei somnium Euticiæ : et ait illi : suscipe illum : quoadusque gratia spiritussancti confirmem eum . At ille gratanter suscipiens eum : fertur talem uocem erupisse : O fili multa pro Christo tibi debentur certamina : qui beatus Dionysius cum a beato Clæmenti in Galliam mitteretur : secum filiolum suum Taurinum precibus matris uictus adduxit : Et ut cognouit cum hoste rapido se habere conflictum : Taurinum eundem Ebroicæ ciuitatis ordinauit episcopum . Iam enim ordinauerat in ciuitate Camerata germanum eius Gaugericum . Sanctus autem Taurinus a beato Dionysio confortatus et instructus : Ebroicas adiens priusquam appropinquaret portæ ci | uitatis in tribus se apposuit figmentis contra illum dirus hostis : primum in speciem ursi : deinde leonis : tertio bubali : quibus diuina uirtute superatis ait ad sathan . O miser modo assimiliaris† mutis animantibus derelicto consortio tui conditoris . Est tibi modo melius aut aliquod gaudium ? Respondit Sathanas : et ait : Quale mihi gaudium erit modo : dum tu huc adueneris : potestatem meam euertere cum deo tuo ? Tantum mihi remanserit in hac prouintia . Illum enim qui huc te transmisit cito faciam interire : ut tecum ineam singulare certamen . His dictis nusquam comparuit . Tertia die cum uir dei in domo Lucii prædicaret : subito dæmon filiam eiusdem Lucii uexare cœpit : atque in ignem mersit : quæ statim mortua est . Tunc beatus uir diutissime orauit : et fusis lachrymis tenens eius manus dixit : Euphraxia in nomine dei mei Iesu Christi surge : quæ statim surrexit : Et nullum signum adustionis in ea apparuit . Baptizati sunt autem illa die centum uiginti homines . octo cæci illuminati : quattuor muti sanati aliæque uirtutes non modice patratæ . Intrantibus autem fanum Dianæ dixit beatus Taurinus : Ecce dea uestra : rogate illam : ut adiuuet uos . Sacerdotes autem prostrati cœperunt clamare dicentes : Sancta Diana inuictissima dea uindica nos et te de malefico isto . Dæmon autem qui intus latebat dixit : Cessate miseri : cessate me inuocare . Ex quo enim uir iste

seruus dei altissimi ingressus est hanc ciuitatem : ego cathenis igneis religatus teneor . Nec auderem loqui nisi ipse iuberet . Tunc beatus Taurinus ait ad illos . Vultis uidere deam uestram ? Et præcipiente eo dæmoni : ut exiret de simulacro : apparuit æthiops niger quasi fuligo prolyxam barbam habens deque ore scintillas igneas emittens . Hanc effigiem uidentes populi prostrauerunt se ante pedes sancti obsecrantes : ut ab hac eos mortifera bestia liberaret . quos ille consolatus est dicens Nolite timere . tantum fidem habete . Et ecce angelus domini splendens ut sol aduenit : omnibusque cernentibus a templo ligatis in dorso manibus eum abduxit . Et baptizati sunt illa die ad duo millia uirorum : multique infirmi curati : Inter quos et ego Adeodatus || frater Euphrasiæ credidi : et baptizatus ab ipso sum de sacro fonte leuatus : ac postea ad honorem presbyterii ab eodem promotus . Tunc expurgauit templum Dianæ ab omni spurcicia idolorum : et consecrauit illud in honorem sanctæ dei genitricis Mariæ : cœpitque circumquaque idola destruere : et ecclesias consecrare : diocesim circuire : et canonicos ordinare . Cum autem beatus Taurinus ebrociensis† episcopus diocesim omnem circuiret : et idola destruens : ecclesias Christo consecraret : antiquus hostis inuidus bonitatis suscitauit quendam præfectum Licinium nomine aduersus illum . Interea erant duo magi Cambises et Saraa qui sacerdotes templi dianæ fuerant : quique concitauerunt uiginti discipulos suos : ut eum interficerent : quos cernens uir dei a longe cognouit nequitiam eorum : Porrexitque illis signum crucis : et illi steterunt illico fixi : aitque ad illos : Quid statis ? Facite quod iussum est uobis . Sin autem : abite : si uultis . Vt autem cognouerunt se solutos : ceciderunt ad pedes eius precantes baptismum consequi immortalem . Ille autem statim eos cathetizauit . Videntes autem magi sua figmenta deludi : propriis se interemerunt cultris . Audiens uero Licinius beati uiri famam in Gisaico uilla sibi præsentari eum fecit : qui dum traheretur : obuium habuit unum paralyticum sororemque eius cæcam surdam et mutam : Accepitque aquam : et benedixit ac superfudit illos : qui mox adepti sunt sanitatem . Carnifices autem qui eum trahebant crediderunt in domino . Mox autem ut uidit eum Licinius ait : Vnde es inueterata canicies ? Respondit beatus Taurinus : patre sum romanus : matre uero græcus . Genitor meus Tarquinius . mater mea Euticia uocatur . Ad quem Licinius ait : Quantum temporis est : ex quo fugisti patrem tuum ? Meus et enim auus fuit . Respondit Taurinus . Non fugi : sed domino meo Iesu Christo ducente huc adueni . a natiuitate Taurinus : fide tamen christianus . Tum Licinius propter hanc inquit dæmentiam ante sex annos occidi iussi matrem tuam . Sanctus Taurinus audiens matrem suam coronatam esse martyrio ait . Gratias ago tibi domine : quod matrem meam ante me suscipere uoluisti . Audiens itaque suam irride | ri Licinius insaniam : iussit eum nudum uirgis cædi . Cumque percuteretur ait : Domine respice in me : et miserere mei iam senis . Et facta est uox ad eum dicens Noli timere famule meus : quia tecum sum . Statim autem aruerunt manus carnificum . Leonilla uero uxor Licinii dixit : monita a spiritusancto adhuc tamen pagana : Non ne antea domine meus dixisti : quod pater istius senis fuit auus tuus ? Cur tam ferreum pectus habes ut consobrinum tuum iubeas tam pessime flagellari ? Ille uero ira accensus dixit ad eam : Et tu maga effecta es ? Per salutem deorum quia easdem pœnas sustinebis . Cum ego† traheretur : dixit : Serue dei adiuua me : si potes : et ego credam in deum tuum . Sanctus Taurinus noli ait timere . nihil mali sustinebis . Cum hæc agerentur : nuncius uenit dicens mortuum esse filium eius et unum eius armigerum . Venationem enim exercentes circa castellum Alerci ueloci cursu præcipitati interierint : quod audiens Licinius omnisque exercitus eius nimia astrictus angustia iussit laxari uxorem : quæ ueniens cecidit ad pedes Licinii : et ait ob hunc reuiuiscat filius noster : Et Licinius iussit eum sibi præsentari dicens ad illum : Canicies ueternosa potes mihi per tuas artes magicas resuscitare filium meum ? Audierat enim unum mortuum : iam ab eo resuscitatum . Ad quem Thaurinus : deus meus dixit : omnia possibilia sunt credenti . Tu ergo tantum fidem habe : et mox recipies filium tuum . Vbi uero in fide uerbis est confirmatus : beatus Thaurinus duxit omnes ad ciuitatem : Et intrantes ecclesiam sanctæ dei genitricis : prostrauerunt se ad orationem : Deinde surgentes uenerunt ad corpora defunctorum . Eleuans autem sanctus ad cælum oculos orauit : et puerum a morte reuocauit : qui quasi a somno surgens a facie sua sanguinem excussit : Et procidens ad pedes eius petiit sibi dari baptismum : ut sibi ab angelo fuerat imperatum . Surgens autem a fonte ait ad

patrem : Heu pater nescis quam miseram uitam ducimus : quantasque pro hac nostri similes sustinent pœnas : et quanta gloria est iis : qui diligunt et seruiunt illi deo : quem colit uir iste consobrinus noster . Vidi eum inter angelorum choros esse : et pro nobis precari . || Cumque hæc et alia hiis similia de uita æterna prædicaret : Licinius et uxor eius omnesque optimates procidentes ad pedes eius postulauerunt sibi dari sacrum batimatis† donum : et baptizati sunt in illa die mille ducentum uiri . Marinus autem prostrauit se ad pedes eius : et dixit : Vir dei altissimi resuscita armigerum meum : ne remaneat in pœnis : in quibus reliqui eum : quod cum fecisset : uir sanctus Pascasius surgens ait ad eum : Magnas sustinebam pœnas uir sancte : quando nuncius uenit ab altissimo deferens in mandatis me ad te reduci . Et ait ad seniorem suum Marinum : die octauo cum albas deposueris mandat tibi ille : qui me huc adduxit : ut redeas ad illum : qui mox leui febre corripitur : et secundum mandatum octauo die mortuus est . Interea dum hec agerentur : et omnis plebs esset orans : Zabulus inimicus ueritatis iterum uastissimam orientalem contra Gallos concitauit hostem . Cum uero certius compererunt Galli se casuros : nec ullo modo quiuissent resistere : omnes unanimes ad uiri dei confugerunt auxilium . Vir autem domini triduanum illico indixit ieiunium : quo peracto dixit ad eum angelus domini : Gratias age creatori : quia animas tantummodo impetrasti . locus uero iste desertus erit per longum tempus . sed iterum in melius restaurabitur . Tu uero octauo die recipies coronam a domino laboris tui . Mane autem facto conuocato in ecclesia populo annuntiauit illis : quid sibi ostendere dominus dignatus esset . Audiens autem populus : ualde perterritus est : sed uir dei blande consolatus est eos . Nolite inquit diffidere . properate Romam : et nuntiate beato Xisto papæ diem exitus mei : si adhuc non fuerit martyrio coronatus . Ego autem Deodatus filius eius iam edideram unum libellum de sanctis et bonis operibus eius et de libris : quos exposuerat . Longum autem est narrare : quomodo matrem suam ibidem sepeliuit honorifice : quomodo etiam Licinius simul cum uxore sua pro nomine Christi gloriæ coronam sunt adepti : et quomodo accepta benedictione Xisti apostolici remeauit ad propria : quæ omnia in libello superius memorato inueniuntur . Vt autem aduenit dies dominica : af | fuit omnis populus in ecclesia secundum consuetudinem . Vir autem domini post expleta missarum solemnia ait ad omnem populum : Fratres quinta die omnes huc congregamini . Prima igitur luce quinta feria affuimus in ecclesia omnes . Interea exortus est luctus intolerabilis de discessu patris . Ipse uero inchoato officio et ex more peracto : consolatus est uehementer populum : et prædixit eis multa uentura quæ postea probauimus . Et post multa prædicationis uerba residens in sede episcopali benedixit nobis dicens . Abite filioli mei in pace . Dominus autem erit uobiscum . Nos prospicientes ad eum uidimus subito circa altare innumerabilem multitudinem hominum candidatorum . Et audita est uox dicentium ab omnibus nobis . Veni nobiscum sancte dei Thaurine qui multas pro dei amore sustinuisti passiones : et intra in gaudium domini tui . Mox autem ut facta est uox nebula :† impleuit domum tam densa : ut nullus ibidem potuisset comparem suum aspicere . Transacto uero quasi unus† horæ spacio : recessit odorifera nebula : et apparuit sedens in sede episcopali quasi orans : extensas manus oculosque habens uersus cælum . Facta autem quæstione in populo quo in loco sepeliretur : ne ab hostibus potuisset inueniri : deprecati sunt dominum ut dignaretur eis ostendere quid facerent de sanctissimi uiri corpore . Moxque apparuit eis uir honorabilis uultu candidus uelut nix dicens ad illos : Fratres sūmite† corpus patris uestri et me preeuntem sequimini . Confidentes ergo et de uisione nihil hæsitantes sumpsimus corpus et exiuimus per portam occidentalem sequentes uirum usque ad tertiam partem miliaris eiusdem occidentis : et ibidem uir ille illico substitit et ait : Deponite corpus fratres . Deinde facta fossa : posuimus manseolum† et intus corpus sanctum . Factusque est flætus et luctus quasi pertingens usque ad cælum . Tum erexit se quasi uiuus de fossa : et ait ad nos : Filioli mei quid hic facitis ? Nolite timere : Istum uirum audite : et inclinato capite siluit . Nobis autem aspicientibus ad uirum : qui nobiscum stabat : quid uellet dicere : ait : Fratres uos timetis patrem uestrum a uobis aufferri ab hostibus : Non autem erit hoc . Ego || namque fui custos illius in uita : eroque custos illius in morte : et eius memoria multa erit in sæculo . Nunc autem ciuitas quidem ista subuertetur . sed nullus uestrum peribit . Et postquam omnia consumauimus sepulture ornamenta : ait ad nos

uir ille : ut credimus angelus eius : Recedite uelociter ne inuoluamini ab hostibus . per longa autem tempora incognitus erit iste locus . Postea† nusquam comparuit . Nos itaque accepta benedictione angelica : timore gentium iam appropinquantium aufugimus . Et ego Deodatus filiolus eius breuiter ista percurri . Mediolanis consistens febre detentus . Huius natale celebratur tertio idus augustas .

PASSIO SANCTE THEODOSIAE VIRGINIS ET MARTYRIS .

Passa est et sub Dioclitiano apud Cesaream palastinæ† Theodosia uirgo quarto nonas aprilis de eadem ciuitate nobilissimo genere orta annorum decemocto parentibus unica . deo consecrata elegantis speciei : dignum quippe erat in tali fabrica Christi palatium fabricari . hæc igitur nescientibus parentibus ad martyres in carcere reclusos refugit : eisque se coniunxit : et ut orarent pro ea rogauit : Quod cum facerent : facta est uox de cælo dicens : Ego eam oleo athletæ per ungo : meoque spiritu confirmo ad uincendas omnes cruciationes : Deinde interogata a præside Vrbano : Libere ac prudenter ad omnia respondebat : psalmosque frequenter ruminabat . Posthæc stipite capillis suspensa : Inter cætera dixit ad circunstantes : Ve qui uult dominus dici : et super se dominum non habere . Væ qui saturari uult : et esurienti non porrigit . Væ qui uult calefieri : et nudos non uestit . Væ qui requiescere uult et alium requiescere non sinit . Væ qui suum aliquid dicit : cum omnia a deo acceperit . Hæc igitur dicens uirgo cum nuda staret : nubes niuea apparuit : quæ illam uelauit . Vrbano autem minante se acriora supplicia illaturum : respondit : Exurge Vrbane . nullum de parato mihi prandio ferculum fraudes . In | omnibus itaque tormentis suis quasi dolorem non sentiebat . quia anima eius in corona tota pendebat . Amator inquit castitatis in honestis uultibus habitat . Frustra quoque mihi minaris corruptionem : quia non potest caro corrumpi nisi mens fuerit ante corruta† . Post hæc ait præses rebellem uirginem in angustiam† heronem coartate : Et eius collo grauissimum saxum alligate : Eamque in mare præcipitate : quod cum factum fuisset : ab angelis ad terram reducta est : saxum quod ei ad collum pependerat in manihus† reportans . Post hæc dimissi sunt ad eam leopardus et togala lenitatis sue signa mostrantes† : et nihil ei læserunt . Tandem dum decollaretur uisa est de ore eius exire columba auri splendore pulchrior ad cælum conscendens . Eadem uero nocte parentibus suis cum magno choro uirginum apparuit induta cyclade niuea : crucem auream in manibus et coronam in capite gestans : et dicens : Ecce qualis est gloria : Vnde me fraudare uolebatis .

PASSIO SANCTI THEOGENIS MARTYRIS .

Sub Licinio comprehensus est Theogenes : qui filius erat episcopi et perductus est ad legionem : quæ dicebatur secunda traiana . quæ considebat in Cyzico : quæ est prima ciuitas Hellesponti iussusque est extendi a quattuor palis in terra fixis : cædique fustibus : mutatique sunt super eum decemocto centuriones : et omnes fustes confracti . hic autem passus est : quia militare nolebat . Deinde publice extensus est in media ciuitate circa horam nonam . Transiens autem illac optio legionis dicebat ei insultans : Vbi est deus tuus et rex : cui militas ? si haberem potestatem : gladio de te partes facerem . Ad quem sanctus : Tu mihi nihil potes facere . Sed ueñient dies : cum tua et tribuni tui crura frangentur : et corpora uestra a feris et auibus consumentur : et rex tuus post modicum concidetur a persequentibus : et omnes ex uobis qui regi meo non credunt peribunt . Tunc præcepit eum tribunus mitti in carce || rem : et in neruo extendi : quattuorque clauis configi et consignauit carcerem : ubi sanctus a sancto spiritu pascebatur . Nam astitit ei dominus dicens : Theogenes conualesce : ego sum : et non accipias escam ab hominibus his . est enim in corruptibilis esca in cælis . recedente autem domino psallere cœpit : Accurentes uero custodes ad hostium uiderunt illud clausum et populum multum in albis uestibus cum eo

psallentem et renuntiauerunt tribuno : qui iussit multitudinem armatam stare ante carcerem multos cum eo putans esse christianos et neminem inueniens præter eum : iussit ei dari panem et aquam : qui noluit accipere dicens : me pascit rex meus : et annonam eius accipio quottidie : rescripsitque hæc tribunus Sicinio† . Ille autem iussit eum iactari in mare : et corpus eius non colligi : eductus autem a carcere uultum habebat et omne corpus sanum et innouatum quasi a balneo exiret . Veniens autem ad mare petiuit spatium orandi : orauitque per tres horas : et facta est lux magna super eum : cuius fulgore oculi nautarum et militum excæcati sunt : ne uiderent angelos sibi colloquentes : quorum tamen uoces audiebant et adiurauit eos dicens : quod iussum est uobis facite . Verumtamen credite in deum : et habebitis uitam æternam : qui† miserunt eum in mare tristes : et reuersi crediderunt in Christum et cum eis multi . Post dies nouem facta est pugna contra Licinium : et ex illa legione quicumque non crediderunt : gladio cæciderunt : pro quo facto Licinius iussit tribuni et optionis crura confringi : sicut sanctus Theogenes prædixerat . Collegerunt autem fidelles uiri corpus martyris : et posueruut† illud in loculo : tulleruntque noctu : et sepelierunt illud iuxta muros ciuitatis in uilla Adamanti fidelis uiri in Epogio . Fecit autem sanctus Theogenes in carcere : dum expectarentur relationes dies nouem nihil omnino cibi uel potus accipiens . Huius martyrium annotatur tertio nonas Ianuarii .

PASSIO SANCTAE THEODOTAE CVM TRIBVS PVERIS . |

Reuertente Diocliciano apud Sirmium a Macedonia oblata est ei Theodota cum tribus filiis natioue† bytimea† : ciuis nicena : quæ ideo fugerat de ciuitate sua : quia contra christianos illic persecutio uæhementer agebatur . Comes autem Leucadius quia eam tradiderat petiit ab imperatore dicens : Iubete eam mihi dari uxorem : quæ si non consenserit sacrificare mecum : diuersis eam pœnis interficiam . Accepta igitur potestate cum eam diabolicis suasionibus et terroribus fatigaret : illa ad eum dixit : Si ideo petisti me coniugem : ut facultatem meam et omnia quæ possideo inuadas uade occupa : et dum redieris : accipies me uxorem : quo eunte illa unanimis cum Anastasia permanens quottidie sanctorum curam exercebant . Et cum in dei laudibus permanerent : et aduenisset comes Leucadius : agebat : ut eius coniugio Theodota necteretur . Sed diu cum blandimentis et terroribus insisteret : et illa nullatenus consentiret : ferro uinctam cum tribus filiis ad consularem bythiniæ destinauit : uerum cum illa sacrificare nollet : primogenitum eius Enodium fecit fustibus cædi : Cui mater clamabat : Noli timere fili ista uerba : quia per ista attinges ad gaudia æterna . Tunc consularis Hirtato cuidam in libidinibus famoso dixit : compræhendens eam ducito : et posteaquam illuseris ei : inter publicas eam meretrices constitue : ut uideamus : si Christus eius eam defendet : qui dum : ad eam pergeret : ut teneret : et duceret : cœpit de naribus eius sanguis infinitus effluere : clamauitque : stat iuuenis pulcher : ex cuius manu pugnum accepi in naribus . Tunc consularis iussit ignem copiosum accendit† : in quo cum tribus filiis missa benedicensque dominum : martyrum† consumauit apud Niccenam Bytimiæ† quarto nonas augustas .

PASSIO SANCTI TERENTIANI MARTYRIS .

Sanctorum martyrum triumphos stilo memoriæ comendare dignissimum est : ut qui deum colere eiusque imitari uestigia cupiunt || martyrum legentes certamina : promptiores in fide Christi perseuerant : Et si persecutio eis contigerit : Leuius tormenta illorum sequentes exempla sustineant . Igitur beati Terentiani tudertinæ ecclesiæ episcopi et martyris triumphum exequentes qualiter pro Christo martyrii palmam susceperit aggrediamur . Adrianus itaque imperator qui et helios dictus est id est sol : dum orientales partes adiret : a quibusdam Christum colentibus intimatum est de Iesu Christo filio dei : quod multas illic uirtutes operatus sit . illico credidit : et

cœpit reædificare domum domini : et mirabili opere construxit : nec non et donaria multa contulit : ibi et ciuitatem Hierusalem ab imo reparauit : necnon et per omnes mundi partes edictum proposuit : ut nullus christianus pro Christo nisi causa alius criminis inuentus puniretur . Sed cum Romam reuerteretur : senatores et idolorum cultores atque templorum sacerdotes clamare cœperunt : quod nisi christiani aut a cultura dei sui recederent : aut tormentis deficerent : respublica ex toto periret . Ipse tamen non ausus est quod Christo crederet confiteri : sed iuxta eorum petitionem præceptionem ubique dedit : ut christiani aut sacrificarent : aut tormentis deficerent . Tunc Marianus tudertinæ urbis præfectus imperatori suggessit dicens : Ego pietati tuæ antequam Romam sis ingressus mandaui : quod nisi christiani damnentur respublica deorumque peribit cultura . Quidam et enim senex in quodam pago extra tudertinam ciuitatem manens christianus deorumque quos Romana colit religio inimicus suis persuasionibus atque superstitionibus homines a cultura deorum auertit : et monet ut ad Christum quem Iudæi reum mortis damnauerunt conuertantur . Hoc itaque imperatori suggestum est quarto calendas augusti in templo Iouis capitollini : quæ omnia imperator placido suscipiens uultu : præcepit : ut omnia templa deorum aperiantur : et homines utriusque ætatis et sexus proni diis sacrificia offerant et tura incendant : necnon et edictum per totum orbem discurrat : ut christiani aut sacrificia diis immortalibus offerant : aut diuersis pœnis intereant . Lætianus itaque proconsul Tusciæ et Andreas togatus tunc in conspectu Augusti astabant : | Cui Marianus præfectus ait : Edictum tuum serenissime imperator per uniuersum orbem promulgetur . Tunc omnes tam senatores quam proconsules acclamauerunt dicentes : Communis petitio clæmentissime imperator omnibus tribuatur : et per totum orbem diuulgetur . Imperator itaque tale edictum proposuit : Adrianus augustus inclytus triumphator Ratum et iustum est diis seruire omnipotentibus : per quos et nostra felicitas floret : et respublica gubernatur : ubicumque iuuentus† fuerit christianus sacrilegus aut diis sacrificia offerat : aut tormentis diuersis intereat . Propositum est hoc edictum quarto calendas augustas in foro Traiani . Lætianus itaque proconsul ueniens in ciuitatem tudertinam conuocauit maiores et magistratus Lucidium et Gabinium sedensque in foro sic adorsus est : Viri patres et amici principum cognoscite prouulgatum a Cæsare augusto edictum : ut cultores deorum floreant : et christiani nominis rei si inuenti fuerint pœnis uariisque tormentis intereant . Sequenti autem die inimici christianorum de curia tenuerunt beatissimum Terentianum episcopum necnon et aliquas sanctimoniales uirgines : perduxeruntque ad Lætianum proconsulem dicentes : Audi proconsul et uos clarissimi huius urbis uiri : hic est sacrilegús ille de quo mentio facta est apud dominum nostrum imperatorem in urbe Roma . Hic seducit populum : et a die qua prædicare Christum cœpit a diis quibus sacrificia obtulimus et tura incendimus responsa iuxta pristinum morem non accepimus . Tunc Lætianus proconsul dixit ad sanctum Terentianum : Non abscondas prudentiam tuam a nobis : ut amiciciis augusti per uestram suggestionem fruaris : et nobis ueritatem quam præcamur ostendas : Cui episcopus dixit : Ergo si ueritatem audire desyderas : rectum est ut tramitem ueritatis a nobis docearis . Tunc Lætianus iussit sanctum Terentianum intra palatium introire : et sic cum eo altercari cœpit . Ecce superstitiosam et uanam doctrinam : et audi monita mea : ut ad culturam deorum reuoces : quos tuis superstitionibus decepisti . ad hæc Terentianus respondit : Ego et quos docui in æternum peribimus : si tua monita obseruare studeamus . || cui Lucianus proconsul . Ergo inquit archana tua mihi non celes . Quare a die qua prædicare cœpisti nec sacerdotes nec uirgines consueta sacrificia offerentes responsa accipiunt et ignis in sacrificando extinguitur ? Tum sanctus episcopus uel sic ait cognoscere potes ueritatem : ut te tuosque non perdas . At ille : Ostende mihi ueritatem Et episcopus : ueritas est inquit Christus noster : sicut ipse ait : Ego sum uia et ueritas et uita . Ergo crede filium dei ante omnia tempora ex deo patre genitum in fine sæculorum ex uirgine natum . Spiritum quoque sanctum ex patre et filio procedentem : et sic saluus eris . Ad quem proconsul : Hoc non intelligo : quod mihi proponis : sed proprietates nominum mihi assigna : Cui sanctus episcopus : Audi proconsul et quod dico : intenta mente ausculta . Pater omnipotens ante omnia sæcula genuit ex se filium per omnia sibi æqualem : per quem et cum quo cuncta quæ in cælo sursum : et quæ in terra deorsum sunt creauit ex nihilo : quem in fine sæculorum ex uirgine nasci : et carnem sumere uoluit propter

hominem ad imaginem et similitudinem suam creatum : quem diabolus fraude decepit : ut qui ante immortalis erat : mortalis efficeretur . Spiritum quoque sanctum ex utroque procedentem æqualem patri et filiò existentem : si credideris saluus eris . Lætianus dixit : Ergo nihil sunt dii nec aliquod auxilium reipublicæ patrare ualent : nec nobis auxiliari queunt ? Quomodo itaque deprecationes nostras audiunt : et responsa dant : et ad interrogata respondent ? Ad hæc Terentianus . Dæmonibus a deo hoc datum est pro sua superbia : ut aliquando uera respondeant . Vera itaque respondere nisi sanctis angelis nuntiantibus nequeunt . Mendacium uero et falsitatem ut respondeant illis proprium est : quare Lætianus exclamans ait : O magica ars quod clarum est et manifestum non affirmat : et quod nec audiri nec sciri potest ostendit ad insipientiam populorum : Cui sanctus Trentianus† dixit : Ammoneo te proconsul : ut oculos et mentem a uanitate coherceas : et ad cognoscendum ueritatem dirigas . Tum proconsul : Non nos magica ars tua decipiat sicut cæteros : sed depone pertinaciam : et sacri | fica diis omnipotentibus : ut pœnas meorum tormentorum euadere possis . Cui sanctus Terentianus respondit : a die qua sacerdotalem honorem immeritus suscepi non cessauit† sacrificare deo hostiam uiuam et immaculatam : quæ corpore et sanguine domini nostri Iesu Christi conficitur . Respondit proconsul : Ergo frequenter occiditur Christus uester : ut de corpore et sanguine eius sacrificium faciatis . Ad hæc Terentius† : Ipse diabolus in quem credis cor et sensum tuum obturauit : ut ueritatem agnoscere non possis : Christus enim noster pro nostra salute semel passus est et occisus : sepultus est : et resurrexit tertia die ascendit ad cælos : indeque uenturus est iudicare uiuos et mortuos : necnon et ipsum patrem tuum diabolum : qui cohercet te : ne ueritatem agnoscas . Lætianus itaque proconsul iracundia plenus dixit : os illius lapide tundite : ne loqui audeat amplius uanitatem . Tum Terentianus confundat te dominus Iesus Christus et patrem tuum diabolum : in quo ignem supplitii es subiturus : Cui proconsul ait : Depone cordis tui amentiam : et sacrifica diis . Terentianus autem respondit : Chirographum diaboli percepisti : ut de ore proferas blasphemiam : quæ de deo non conuenit . Quare Lætianus iussit eum denudari : ita ut secreta illius omnibus paterent : præcepitque sacerdotibus idolorum : ut deferant herculem et Iouem necnon tripoda et ignem dicens : Sacrifica diis immortalibus . Sanctus itaque Terentianus nudus stans in conspectu populi eleuansque oculos suos ad cælum uoce clara dixit : Confundantur omnes : qui adorant sculptilia : qui gloriantur in simulachris suis : Et tu domine deus ne derelinquas sperantes in te : et ne tradas bestiis animas confitentium tibi . Tunc princeps sacerdotum cæcus effectus est . Iupiter quoque et hercules necnon et tripos : omnia cominuta sunt . Lætianus et paruo iussit eum in equileum† leuari dicens : Edissere nobis magicam artem tuam : et uiues . Nam aliter igne cremaberis . Ad quem Terentianus episcopus subridens : Confundat inquit te dominus Iesus Christus : quem me hortaris deserere . Proconsul itaque iussit eum affligi scorpionibns† . Ille autem clamabat : Gloria tibi benedicte : qui benedicis omnes || sperantes in te : et ego modo sensu† benedictionem tuam . Proconsul enim iussit ignem copiosum accendi : et massas ferreas calefieri dixitque ministris : Applicetur ignis ad latera eius : ut uideamus : si ars sua magica eum liberare poterit : cum qua cæcauit summum sacerdotem et immortalium deorum cultorem . Allatus est itaque ignis ad latera eius : Tunc proconsul dixit ad eum : Vbi est Christus tuus ? Terentianus episcopus dixit : Hic adest . etiam uirtutem eius uidebis . Ad hæc Lætianus : Si mihi illum ostenderis : deinceps te magum non dicam : et laxaberis a tormentis : Cui sanctus Terentianus episcopus respondit : Ecce totius iniquitatis plene : nonne credis essc† Christum : quia ignis tuus et tormenta nihil mihi mali operantur ? Tunc Lætianus proconsul iussit præcidere linguam eius : et ministri ab ore linguam eiicientes præciderunt : et in terram proiicientes pedibus conculcauerunt : Statimque Lætianus proconsul obmutuit : necnon et Flaccus idolorum sacerdos cæcus effectus est : et Terentianus episcopus sine lingna† cœpit clamare dicens : Gloria tibi Christe Letianus itaque proconsul mutus effectus manibus annuit : ut sanctum Terentianum uestimentis suis induerent : Ductusque alienis manibus domum suam in lectulo decumbens expirauit . Tunc Lucidius et Gabinius magistri militum iusserunt sanctum Terentianum in carcere recludi . Alia autem die Celsus et Leontius augustales uiri eiecerunt sanctum Terentianum de carcere : et adduxerunt eum ad forum : et dum duceretur : occurrit ei Flaccus sacerdos idolo-

rum : qui cæcus fuerat : misitque se ad pedes eius dicens : Adiuro te per deum unum : ut illumines oculos meos quia per uisum pulcherrimus homo mihi apparuit : qui me communuit† dicens : Vade ad Terentianum episcopum : et illuminabit te . Cumque omnes : qui conuenerant ad spectaculum : audissent uerba Flacci : sanctus Terentianus habens cathenam in collo : et uincula in manibus misit utrasque manus ligatas supra oculos Flacci dicens : Non speres te posse a me illuminari : quia homo sum similis tui : sed illuminet te dominus Iesus Christus : qui est uerum lumen : qui illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum . | Tunc aperti sunt oculi Flacei† sacerdotis : et cœpit clamare dicens : Credo in deum Iesum Christum dei filium : qui me illuminauit : quem uideo protegentem Terentianum senem episcopum : Dixitque ad eos : qui eum uinctum ducebant : precor : ut modicum stetis : atque unius horæ spatium detis . Tunc beato Terentiano dixit : precor te pater sancte : ut saluam facias animam meam . Dixit ei sanctus Terentianus : Si uis saluare animam tuam : oportet : ut in nomine patris et filii et spiritus sancti baptizeris . Itaque Flaccus rogauit ministros : ut paululum morarentur . Currensque attulit doliolum plenum aqua . Illi autem qui ad spectaculum conuenerant putabant quod ei quam† ad potandum dedisset : Ipse autem acceptam aquam benedixit : fuditque tertio super caput eius dicens dicens† : baptizo te in nomine patris et filii et spiritssancti† . Dehinc secutus est Flaccus Terentianum episcopum : usque dum uenisset in ciuitatem ante conspectum Celsi et Leontii : et dum uidissent Flaccum cum gaudio currentem post sanstum† Terentianum uoce magna dixerunt : Ecce arte magica derelinquantur† dii immortales et monita sacrilegi Terentiani sequuntur . Tunc iusserunt ministris decreto imperiali : ut ambo pœna puniantur capitali . Ducti sunt itaque sanctus Terentianus et Flaccus extra ciuitatem iuxta fluuium : et capita eorum ab impiis ministris excisa sunt . Superueniente itaque nocte Exuperantius presbyter cæterique sacerdotes collegerunt corpora eorum : et sepelierunt eos octauo milliario ab urbe Tudertina in loco petroso : qui appellatur Collonia . Passa† sunt autem sancti martyres calendis septembribus . Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI THERENI MARTYRIS .

Philipus præses statuit : ut si quis sacrificare noluisset : aut sacrificaret : aut puniretur : Erat in illa ciuitate quidam nomine Therenus timens deum et religioni catholice uæhementer insistens miseri || cors et largus in pauperes . Hic ubi præceptum tale didicisset : dixit illis : qui cum eo erant idest omnibus christianis : quos appellat deos iudex iste nescio quis impius ullus profanus eneos ligneos uel saxeos : His ne nos simulachris manu imperiti hominis effectis genua capitaque flectemus ? et effigiem deo artifice perfectam inclinabimus idolis mortali errore formatis ? Hæc illum loquentem officiales præsidis audierunt : statimque respondent : Quis tu es : qui deos nostros noua præsumptione contemnis ? Ait Therenus : Ego me et assero et dici gaudeo christianum . Tunc irati cæsum uæhementer et uinctum iudici suo offerunt dicentes : Hic stans in foro deos nostros et maledixit ipse : et exemplum populo quo facilius impune nisi uindicans maledicetur ostendit . Ait Philipus tunc Thereno : Cur sacrificare contemnis : et blasphemare non desinis . tandem emenda peccatum . Respondit Therenus : Id ago : ut mandatis dei omnipotentis obtemperem Quam ob rem expoliari eum iudex iussit : et cædi . Sed post uerbera ad satisfactionem iratæ mentis illatam parari præcepit incendium . Missus itaque in flammam dicebat : gloria tibi deus Israel . Tua enim sunt cuncta miracula : Per te tot tormenta non sentio : per te dolorem hunc sæui tortoris ignoro . per te quod superest in igne positus ignem non sentio : Cum prospexisset igitur præses frigidam circa illum et inanem uim esse flamarum : egredi eum aliquando iubet : et ait ei : Quare stultus et fatuus es ? Respondit Therenus : Ineptia mea uera sapientia : quam deus probat : non illa tua : quam diabolus inflammat : proinde feris eum præses seruari mandauit : qui cum isset ad theatrum : tantus eum secutus est populus : ut diuersi sexus uel ætatis turba concurrens optato uix frui possit aspectu : Tunc plenis aliquando spectaculis et repertis cum admiratione

noua : sollicita omnis turba penderent : septem leones et magnitudinis et crudelitatis experti simul ad carpenda Thereni membra mittuntur : Illi autem curuatis usque ad terram capitibus primam salutationem a Thereno secunda uenia poposcerunt : His uisis Philippus repente conticuit : nec quid loqui possit inuenit : tamen ne furor | diabolicus ueniam uel in pœnitentia collocaret : Post tanta miracula scelus maius agressus est : craticulam iussit afferri : qua exhibita beatus Therenus dixit : Philippe ignis mihi frigidus est . Frustra tot ac tanta meditaris . Ad sacrificium me nemo perducet . His dictis repente mons motus est : et tonitruo cuncta tremuerunt . Tunc se Philippus supplicem pedibus eius adiecit . Sanctus Therenus oculis ad cælum leuatis hæc dixit : Gratias tibi ago domine pater Iesu : quod merui hanc fidem : ut me nec uerbera afficerent : nec feræ carperent nec flamma combureret . Gratias tibi domine : qui et Philippum pœnitere fecisti . Tunc ait Philippo Therenus : erige te : et deum adora iam uerum : ut audientiam merearis et ueniam . His toleratis omnibus Therenus iuxit† postea annis tribus et mensibus sex : diebus uiginti septem et positus est in ciuitate Bosrena .

PASSIO SANCTI THYRSI MARTYRIS .

In illis diebus tempore quo Christi membra hostis in terra premebat sæua fuerat fidelibus orta tempestas . Iam enim infiniti aggeres martyrum per totum mundum alueum sua sibi defenderant loca : Illudque solum desidia presserat membrum : quod non illustraret memoria sanctorum . Sed cum Bricius ex præcepto dominorum suorum iussa portaret : ut aut christianos ipsos subiugaret idolis aut rabido in illos quo posset fureret dente : mox Nicomediam tetigit ciuitatem Ioui et Syluano libamina fudit : Vnde illum Apamia ueloci cursu suscepit : ibique Ioui et Appolini sacrificia misit . Putares pestiferum nunquam posse iussa effectibus mancipare : nisi tot sibi dæmones muneribus complacaret . Illico illum Cæsarea matutinum accepit Leutius quidam secundum legem testimonium habens : et omne uenerandum planta deterens lumen : de plano sic ad præsidem dixit : Ille mortem habeat in suspecto optime præsidium : cuius uita uenit in dubium : atque pro lege sua paterna paratus est usque ad gladium tradere membra . Illud in eo feraliter iudex exer || ce : quod sine causa punit in sontem . Istas nobis futuras ex uestra nece corouas : spiritussanctus prophetali sermone ante prædixit : Et ideo quia ante prædicta completa sunt : restat unum : ut gladio uindincante† transeamus ad cælum : cui Bricius dixit : Non te talem ex in prouiso impegisse putabam : nec hoc mihi quod hodie complatui promiserant dii : Sed interim aut sacratica† illis : aut per te grecia hodie sum et† exemplum : Ad quem Leontius : Quid cum insania loqueris iudex : et ex furia uerba constringis ? Istis sermonibus non accommodo sensum : quidquid ut rabidus impegeris carni : sumam libens deo auctore . Tu autem contemnens eum : qui te ex nihilo fecit deum : et dæmones adorans substantiam tibi perditionis acquiris . et Britius dixit : Equuleum applicate : et membra eius pœnis subiicite . Tunc Leontius dixit : Qui regnas in æternum deus ostende huic insensato : quia cæcus per tenebras offendit : dum his qui sunt irrationabilibus sacrificat . Tum Combritius : Fortius inquit eum torquete : ut uanitates uerborum pœna compescat : et aliquid dicat sapore conditum . Respondit Leontius : Verba mea ita sunt saporata : ut tuam mentem præcedant insulsam . Tu autem sicut sal infatuatum . Postmodum regno priuatus : mitteris foras : ut conculceris ab hominibus . Et orauit dicens : Deus gratias ago tibi : quia deuicto hodie in terris diabolo uiderunt oculi mei salutare tuum . Exeunte autem Combritio in portam : quæ dicitur disponti : magnus athleta Thyrsus et futurus continuo martyr : tenuit eum dicens : Aue carissime præses : et patienter audi : quæ a me ad te dicenda sunt . Combritius dixit : Aue et tu amice deorum . Thirsus dixit : Vnicus et uerus deus excelsus præcepit per paginas ueteris testamenti dicens : Dominum deum tuum adorabis : et illi soli seruies . Si ergo sibi soli iussit seruiri : quid istas uacuas et odibiles effusiones demonum culturas præcipitis excoli : et a uero deo mentes nostras cupitis retorqueri ? Isti quos colis inutiles sunt : ut nec male possunt nec bene . Combritius dixit : Multiloquium didicisti : audi me : et sacrifica diis . ad quem

Thirsus dixit : Ego non multum loquor nec sacrifico : sed timeo | unum et uerum deum : qui in cælis est : Ipsum solum noui : dii qui cælum non fecerunt dispereant a terra . Si ergo disperdere eos iubet creator cæli et terræ : quomodo ergo cum sis cæcus alios cogis ad mortem ? Ergo scias me multum loqui : sed perseuerare in ueritate . Age : quod uis : paratus enim sum mori pro ueritate . Tunc Combricius dixit : Plumbatis eum contundite : et membrorum eius diuaricate iuncturas . Et Thyrsus : O perfide magister et tenebrarum : non me terrent pœnæ tuæ temporales enim sunt . Timeo autem deum : qui æternas pœnas dat eis : qui irritant eum : quas nec tu effugies nec pater tuus : qui dicitur Sathanas . Ad hæc Combritius ait crura eius confringite : et uno detentus loco nullum pedibus imperet gressum . Ligentur illi pollices manuum resticulis gracilioribus : ut in pœnis ualidis ossa eius exmedulentur . Respondit Thirsus : Festina nequissime in maioribus pœnis : in quibus ipse torquearis . Combritius dixit : Vncinos afferte acutos et palpebras eius ab oculis dissecate : quo deturpata primitus facies ludibrium efferat intuentibus . Thirsus dixit : Omnium malarum artium magister cum te mihi putas confussionem adducere : præclarum costituisti† : quod ignobile erat corporis mei . Quanto enim exterior homo meus corrumpitur : tanto interior renouatur in agnitione ueritatis . Et Combricius : Per ueros deos festino in multis pœnis manifestum te facere : quoniam cum christianus non sis sed finctionibus† et magicis artibus multos seducens : uis te ostendere : quod propter deum pateris . respondit Thirsus : Verum me constitue martyrem . Ad domini per pœnas istas temporales . Ad hæc Combritius . Aeneos afferte obelisscos† : quos fortes capitulini gigantes manu pro hasta constringunt : et ei lacertos ac brachia minutatim confringite : ut pendule ac debiles manus sint : ne faucibus ingerant cibos : nec se in corpore pro membro sed magis impedimento esse disgnoscant . Hic Thirsus . Putabam præses : quod aliquid nouum ministro suo diabolus inspirasset . Solet quippe multa medicus noster de oculto armario suo exquisita proferre genera tormentorum . Sed aut tu iuuenis† ista : et peintus† nulla sunt : aut diabolus ministrat : et || iam uictus est . De utroque† lætus exulto : omnes dii gentium dæmonia . Dominus autem cælos fecit . Tum Combritius : Sacrifica diis Thirse : et uanitatem uerborum prudenti sensu compesce . Ad hæc Thirsus ait : Surde et mute spiritus non audis : quia dominus eius dæmones dicit : quos me cogis adorare ? Respondit Combritius : Quomodo dicis : quia dominus est : cum ut homo et uisus et locutus est ? Tum Thirsus dixit : Et diffidis de deo : quia locutus est ut homo ? Cui Combritius : Diffido : nec enim fas est : ut dei natura linguæ nostræ fabula misceatur . respondit Thirsus : Quæ ab imperatore tuo per te geruntur : uera sunt an non ? Qui respondit : Ita uera sunt : ut nisi iussa facta sequentur : gladius animas petat : et uita mortalis diem claudat extremum . Ait Thirsus : Si ergo de homine coæquali tibi quæ iubentur fieri dicis uera esse : quæ hodie ædificantur : et cras destruntur† : quomodo quæ a deo dicta sunt uerba æterna et opus permanens per hominem deum dicis esse mendacia ? Tum Combritius : Similem ais augustum cui omnia subsunt : qui totius mundi limites tenet : illi qui sub obtentu ueritatis locutus est mendacium ? Tyrsus ad hæc : Augustus iste quibus dominatur scire desidero : Qui ait : iis quæ sub cælo sunt dominatur . Tum tyrsus : Imperet mari : ne sui metas excedat : et rediens iterum sui portus custodiat locum . Certe uel naturam terræ prohibeat temporibus certis per campos suos aureos spargere flores . Cui Combritius : Sacrifica diis Thirse : et imperio subiace augustali : si non uis male et sceleste mori . Respondit Thirsus : Habeo regem deum et non dæmones deos : qui etiam reges creat : et dæmones eradicat . Ait Combritius Multa loquens in insania cecidisti . unum restat : ut pœnis confusus sis pro documento cæteris : qui de hac lege impia scelerate sibi blandiuntur : Et Thirsus . Erras ait præses : et nescis . non ludibriosus apud christianos ero : sed superans tuæ artis patronum pœnas coram pro Christo portabo . Ad hæc Combritius : Nolo credas Thirse : quia per insaniam uerborum tuorum caput tibi semel abscidam : ut recedas : sed partibus te exterminabo : ne credas te Combri | tium superasse . Respondit Thirsus : Miser time deum : qui in cælis est : et licet honorificare me debueras amplioribus pœnis et arctioribus : quas mihi intulisti : tamen et nunc quidquid imperat inimicus agere festina : quia gloria mihi est permanere in confessione dei : ut uitam hæreditem æternam . Cui Combritius dixit : Aeneum cacabum afferte . plumbum in eo collocate : et subicite ignem : ut aquæ similis in liquido reputetur . Thirsus autem

per quattuor neruos extendatur super ferreum lectum : stringeturque cathenis per membra ligatus : Vasque ab igne rapite : et super dorsum eius perfundite : ut et ipse cum metallo liquefactus nullum quod in eo respiciatur remaneat membrum . Tum Thirsus : Hæ sunt pœnæ tuæ : quæ sub ingenti ira a te excogitate putantur : et in hoc iuuat me Christus† . Hoc enim supplicium quod mihi paratur euiscerat carnificum membra frigidius id aqua reperio : quia diligentibus deum omnia procedunt in bonum Carnifices autem Thirso dicebant : Miser uides quæ tibi parata sunt tormenta ? Recede a stulticia : et sacrifica diis : Respondit eis O omnium malarum artium cœnosa uasa non persuadebitis mihi neque pater uester qui dicitur Sathanas : qui uos in ignem missurus est gehennæ . Tum Combricius : Insanit iste : uas quod paratum est : Tyrsus suscipiat . Suspiciens autem Thyrsus in cælum dixit : Deus cæli cui astat chorus angelorum : qui exilio dedisti per tuam claritatem perditionis principem : noli derelinquere animam confitentem tibi : ut dominetur ei nequissimus præses : qui confudisti eum in desyderio suo . Te inuoco illuminatorem uitæ meæ : libera me ab insania pestilentiosi huius : et disperge pœnam paratam mihi in aduersarios meos : ut uideant gentes gloriam tuam : et cognoscant quoniam nomen tibi est deus . Sic ait : et ministros debita subsecuta est ultio . Nam ut uas per membra martyris extensa fuderunt : ebulliens per aærem metallum scintillis petentibus cælum ministros qui prope stabant ita conflauit : ut liquentibus membris ante uita caruissent : quam pena eorum membra desecaret . Omnes autem qui circumstabant magna uoce dixerunt : magnus est deus chri || stianorum . Thirsus autem attonitus uoce populi quasi a somno uigilans : ubi est inquit Combrici pœna quam mihi promittebas . Iam illam in somno uidi : certius perpeti uolo . Et cum auertisset beatus martyrium et sibi illatam pœnam et ministros igne conflatos : sic ait : Repletum est gaudio os meum : et lingua mea exultatione . Et iterum dixit : Verum dic Combrici ad huc non intelligis : quia regnat deus in cælo : qui in conspectu uestro hodie fecit mirabilia ? Sed quomodo implebuntur eloquia prophetarum . iustus ex insidiis eripitur semper : pro illo autem traditi sunt impii ? Combritius dixit : Per salutem deorum quia per te propitiabuntur mundo : dum sanguinem tuum sibi uiderint immolari . Et ait Thirsus : Sic Christo effundetur sanguis meus maledicte propter regnum cælorum : quomodo prius pro nobis domini sanguis effusus est in remissionem peccatorum . Aesculapium et alios quos deos dicis æternus suscipiet ignis : sed et omnes pariter qui uobis consentiunt . Tum Combritius : Gladium afferte . et per partes eius uentrem secate : non tamen lætales simul inducite plagas . sed in frustra eius membra concidite : ut et terra putridas eius suscipiat carnes . Cui Thirsus : In hoc certo pro Christo et confidens in domino agonizor : ut corpus meum quod male peccauit : diuersa accipiat tormenta . Sed tu deus meus respice in me : et aufer a me uel magis exue me ab hoc corruptibili corpore et ab æternis pœnis : et sapientem me fac ad manifestandam gloriam tuam : et ostende mihi filium tuum dominum meum propter quem hæc patior : ut in illa die securus dicam : Sicut audiuimus : sic uidimus in ciuitate dei nostri : in monte sancto eius . Hæc Thirso orante cælum resplenduit inenarrabili luce : et uox increpuit de nube : Confide Thirse ego sum : per quem pateris : nolo deficias . esto fortis athleta . Auxiliatus sum tibi : et auxiliabor . Tunc immutatus est subito uultus beatissimi Thirsi . Combricius dixit : Audio Thirse deos loquentes tecum . unum tantum restat : sacrifica illis : et lucrasti pœnas nostras : Cui Respondit Thirsus : Nunquam tibi bene sit nec illis per quos mundus illuditur : ut ipsi tales uoces habe | ant . Deus autem et dominus noster : de tuba uerbi sui armat semper in certamine suos athletas . in illa hora terremotus factus est totus in quo iudex sedebat . Et Combricius dixit : Præualuerunt magiæ artes Thirsi : sed donec desinat cælum a fragore . rapiatur æneis uinculis in custodia : et sit armata militum manus obsidens fores carceris : Proxima autem sessione offeratur mihi : in Nichomediam ciuitatem . Recipitur itaque in carcere sub diligenti custodia . Peruenerat autem dies in uesperum . In alio autem loco carceris procul erat beatissimus papa Sileas Syluanus :† preterea quidam comes et perfidus ciuis pestilentiosus in moribus petunt ab imperatore uniuersam terram sub dicionem tenere . Hoc autem diabolus subministrabat : ut posset qui supererant perdere christianos . Illico præstitit qui rogabatur imperator : et Syluanum præfectum constituit . Syluanus itaque accepta potestate ut interimeret christianos : circuibat rugiens quasi leo in heremo : aut sicut

draco sibilans in oculto pietatis cupiens perdere sectatores : sed nec Thirsum imparem inuenit : qui concultaret† leonem et draconem . Syluanus interea cateruatim confodiens aggeres martyrum : ingressus est in Mediam ciuitatem . Ex offitio uero dictum est : esse illic in uinculis religatum a Combritio Thirsum quemdam : qui pro fidie† nesciocuius crucifixi paratus esset occidi . Syluanus dixit : Vt moris est primum propicios nobis faciamus deos . Confestim igitur sacrificauit Syluano et Appolini . unum autem matyiri† restiterat : ut ex aqua renasceretur et spiritusancto . Thyrsus autem in alium diem dillatus est audiendus . Erat autem in carcere inclusus Laudans et benedicens deum Media autem nocte cum iam custodes membra quieti dedissent : et diu uigiliis fessos in sopore oculos premeret somnus : dum non dormiret neque dormitaret : qui custodit Israel : multitudo irruit angelorum : quæ ostia carceris ut ingressa est : lumen refulsit in tabernaculo carceris : et onera cathenarum a Tirso solnta† sunt . Et exiens de carcere ductoribus angelis uenit in illum locum : ubi episcopus erat inclusus : et pulsans ad hostium sic ait episcopo : Alienus sum ab omni ini || mici arte . Baptismum Christi cupio consequi : ut conditus trina confessione martyrium quod cœpi ualeam explere . Turbatus episcopus nec de sua cogitans fuga : precipiti gradu digitis per tenebras precedentibus gressu aperuit hostium : sed nec Thirsum beatum lux pedisequa deseruit . Thirsus uero ad episcopum sic ait : In huius sæculi stadio beatissime papa fortiter curro : sed palmam adhuc in manu agonista reliqui : notam fac mihi uiam : in quam ambulem : ut iam non metuam uitæ : ad quam festino uenire : ne alius præcedat : et mihi de manu auferat palmam . Hoc autem totum est : ut per te batismum+ consequar : et ad certaminis harenam illico reuertar . Sileas episcopus Thyrso dixit : Deus noster creator et custos et auxiliator omnipotens Christus qui rationabili uirtute omnia constituit : et cum deitate patris omnia perfecit : ipse illuminet animi tui intellectum : et perficiat certaminis gressum : fias utile uas sanctificationis cruore repletus : ad omne opus bonum paratus semper : ut suscipiens per has uisibiles manus baptismum sanctificationis in hoc uisibili corpore operetur in te per inuisibile uerbum : quod placet in oculis eius : ut in illa die in gremio Habrae nostri inter catheruas martyrum merear te uidere . Thirsus ad ista respondit : amen . Et tinctus ab eoiscopo† : regi sæculorum gratias egit . His ergo expletis beatissimus martyr exiens a suo patre spiritali comitibus angelis redditus carceri letus est : immolandus Christo sumpto baptismo : timor subito irruit in custodes : et quem non uiderant exeuntem : sensere regressum . Arma mouent : et micantibus gladiis carcerem petunt . Sed mox ut integrum reperiunt quem infixerant sigillum : gladios uaginis condunt : et ad martyris canoram quam psalmi reddiderant uocem : sopor qui erat timore fugatus : membrorum continuo possidet artus . Redditur terris continuo dies : et Syluanus comes simul cum Combritio ad forum processit : consederuntque parato sedili : Dixitque Syluanus : Qui hesterno die ab officio designatus est nostris aspectibus presentetur . Quo facto : ait Syluanus : Quid uocaris ? Respondit ei Thirsus : Thirsus uocor dixitque ei : cuius religionis ? ait chri | stianus sum : sicut et preses qui tibi astitit Combritius non ignorat . Syluanus dixit : Desperate et omnis sanitatis inimicæ quare non sacrificas diis ? Respondit Thirsus : Quibus diis carissime ? Et ille ait . Syluano et Appolini . Ad quem Thirsus : Te Syluanum hominem uideo non deum . Appolinem autem quem dicis : penitus nescio . Syluanus officio dixit : Ceruices frangite illi : ut nos non irrideat . Illico autem ministri diaboli facta dictis sequuntur . Thirsus autem dixit : Patienter me audi : et dicam ueritatem . Ante istud paucissimum tempus eram ipse paganus dæmones adorans : sicut nunc facitis uos . Ibam cæcus per tenebras sæculi : et delectabat uox popularis : quæ erranti dicebat : euge euge . Sed ubi hæc uana peruidi esse : odiosas a me laudes hominum abieci : uoluens prudteni† consilio mecum non esse uerum sacrificare dæmoniis . Sculptilia enim sunt ex metallo fabricata : suus artifex : cum placuerit : fingit : et cum displicuerit . frangit . Syluanus ait . Ista superflua sunt et uana : audi me : et sacrifica diis . Ad hæc Thyrsus : Deo adiuuante me et non dæmone : faciam : I præ† : quod uidebis . Ingressus igitur templum Appolinis cum Syluano comite et omnibus cum eo comitantibus : sic ait : Videte nunc astantes auxilium ueritatis dei et sacrificium quod : sacrifico ego regi sæculorum . Et intendens oculos in cælum dixit : Tu omnipotens refugium meum : tu gloria mea unigenite deus : ne deseras me : quoniam tu illuminasti tenebrosa mea : et per memorabilem uiam salutaris tui Christi reuelasti

mihi immaculatum et uiuum deum : qui est et permanet in sæcula . Te precor lumen ueritatis propter quem patimur : ut sanemur : ueni mihi in adiutorium : ut cognoscant hii : quoniam tu es deus omnipotens : si tamen uelint : ut conuertas cor eorum . Et hiis dictis terra dissiliens repente aperta est : tristemque locum sol abscedens reliquit : ceciditque Apollo de luminari suo : et comminutus est sicut harena . Tremor tenuit præsentes : et tristem uisum in sculptili confracto . oculos defigebant . multa denique lingua siccis hæserat faucibus : et membrum præ grandi pauore uix sua tenebat compago . Beatus autem Thyrsus sic attonitus ait : Videte mendacem Mercurium || nominatum idolum : et colligentes ossa testarum eius : cognoscite : quoniam nihil sunt uanæ uestræ insaniæ . Syluanus dixit : Ferreas cathenas afferte : non quas impostura præcedens artificum fabre fecit : sed quaslibet in publicis mœnibus æneis constrictis trabes : hisque per quattuor neruos menbrorum extensis carnes eius per partes minutatim ab inuicem conscindantur . Thyrsus dixit : Verum et in hoc uictus recedit inimicus . ultra manus artificum diabolus fortiores preparat ligaturas . Arctantur manus delicate et molles digiti pedum morsibus cathenarum : sed dei non defuit gratia . Namque cum esset quattuor neruis extensus : talem domino psalmum dicebat : Dirupisti domine uincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis . Nec dum uerba compleuit : et dirute sunt ab eo cathene tanquam stipula : si odorauerit ignem . Exultat gaudio continuo martyr : et riuulus faciem rigat lachrimarum : cartham conscriptam deo pura ingerit conscientia . de gemitu et lachrymis conficit attramentum et oculis petentibus cælum tales hilares personat laudes : musipula contrita est : et nos liberati sumus : adiutorium nostrum in nomine domini : qui fecit cælum et terram . Fulget in medio carceris beatissimus : et candida ueste laudes cum Thyrso chorus resonat angelorum : suscepimus deus misericordiam tuam in medio templi tui . Thyrsus autem iussus in cloaca constringi : et per duas partes eum serra media diuidi : ditalio et sauino sectoribus . Nouem exempte sunt horæ : et nec capillum quidem martyris serra diuisit . Thyrsus uero oculos in cælum defigens ait . Video Iesu Christe esse completum : quia capillus de capite sine tua uoluntate non esset casurus . Interea laudum debita subsequatur ultio : Cum ingenti namque hululatu fragis per membra diuisus est : et omnia illa quæ in martyrem rediderat perpessus est genera tormentorum : tales conclamans uoces : Sucurrat mihi clæmentia tua deus : Si meritum exigit . me cicius terra suscipiat : ne ludibriosus habear uiuis . Continuo uox de cælo facta est Thyrso dicens : Intra Thyrse in gaudium domini fortem athletam sequitur uictoriæ palma de diaboli triumpho : mecum eris hodie in pa | radiso . Continuo martyr terrena exutus corporis ueste illibatum deo tradidit spiritum . Mox sanctum corpus luminaribus præeuntibus sollemnia in deductione martyris adueniente Cæsario episcopo et Laoditio presbytero feretrum comitantibus sepulchrum accepit . Vbi magnæ uirtutes fiunt : et omnium curantur ægritudines : cuius cineres apud Græciam latent : et ubique beneficia patent . Illum tantum sanitas non sequitur : cuius fides nulla precessit : cuius autem in pleno reperta fuerit dies : reportat præmium cum laude eundem dominum benedicens : qui manet in trinitate uiuit in sæcula sæculorum amen .

PASSIO SANCTORVM TYBVRTII ET VALERIANI .

Turgius Almachius urbis præfectus sanctos dei fortiter laniabat : et in humata corpora eorum iubebat derelinqui . Tyburtius uero et Valerianus ad hæc uacabant quottidie ut pretiosas facerent martyrum sepulturas eleimosynis et pietatibus insistentes . Interea ut solitum est bonos odiunt mali : qui indicant uniuersa Almachio : quæ per eos dominus circa egentes ageret : uel quasi studiose quos ille occidi iubebat sepelirent . Tenti igitur ab aparitoribus Almachio præsentantur : Quos Almachius his protinus aggressus est uerbis : Cum uos nobilitatis titulus clarissimos fecerit : Cur per nescio quam superstitionem infelices et degeneres exhibetis ? Nam facultates uestras uos audio nescio in quas personas expendendo consumere : ac pro scelleribus suis punitos cum omni gloria tradere sepulture . Vnde datur intelligi : quod conscii uestri sint : quibus pro coniuratione honestam traditis sepulturam . Respondens

Tyburtius dixit : Vtinam dignentur nos seruos suos computare hi : quorum tu extimas nos esse collegas : qui contempserunt : quod uidetur esse : et non est inuenerunt illud quod uidetur non esse : et est . Almachius dixit : quid est : quod uidetur esse et non est ? Cui Tyburtius : Omnia quæ in isto mundo sunt : que inuitant animos ad mortem perpetuam per læticiam tempora || lem . Almachius dixit : Et quid est : quod uidetur non esse : et est . Ad quem Tyburtius dixit : Vita quæ futura est iustis : et pœna quæ debetur iniustis . Nam ex utraque parte uere nouimus : quod ueniat : et infelici dissimulatione quod oculis cordis nostri quimus uidere oculis corporis nostri subducimus : ut contra conscienciam nostram qnæ† bona sunt malis sermonibus obumbremus : et quæ mala sunt bonis sermonibus adornemus . Tunc chius : Alma† non puto inquit quod mente tua loquaris . Tyburtius dixit : Non mea mente loquor : sed eius quem in uisceribus meæ mentis accepi . Ad hæc Almachius : Numquid tu ipse scis : quæ loqueris ? Respondit Tyburtius : Et noui : et didici : et credo quod uniuersa quæ a me dicta sunt : ita ut dicta sunt permanebunt . Almachius dixit : Et ego quare non aduerto : quia ista prosequeris ? Tyburtius dixit : Quia animalis homo non percipit ea : quæ sunt spiritus dei . spiritalis autem iudicat omnia : ipse uero iudicatur a nemine . Tunc ridens præfectus iussit ammoueri Tyburtium : et appliari† Valerianum : Cui et dixit : Quoniam non est sani capitis frater tuus : tu saltem poteris sapienter dare responsum . Dixit ei Valerianus : Auditus tuus errorem patitur : quia uiam sermonis nostri non potes intueri . Præfectus dixit : Nullus sic errat : sicut uos erratis : qui relictis rebus necessariis et utilibus ineptiam sectamini et ocium . Respuentes enim gaudia et execrantes læticiam atque contempnentes quod uitæ omne blandimento concessum est : illud tota mentis auiditate suscipitis : quod saluti contrarium inueniri potest et gaudiis inimicum . Valerianus ad hæc respondit : Iocantes et ridentes et uariis deliciis affluentes uidi glaciali tempore transire per campos in quibus stabant rustici pastinantes : et cum omni studio sarmenta pagentes† : atque spinoxa† surcula rosarum animose et cautissime componentes Alii quoque taleas inserebant : alii radicitus noxia quæque truncabant : cuuctaque† ruris opera nimio studio excollebant . Tunc illi qui delitiabantur et epulabantur : cœperunt laborantes irridere : ac dicere : Infelices et miseri istum superfluum laborem abiicite : et nobiscum gaudentes delitiis uos ac uoluptatibus exhibete | Quare sicut insani duro labore deficitis : et uitæ uestre tempora tristissimis occupationibus fatigatis . Et hæc dicentes soluebantur super eos risu : et dabant plausum manibus : multis increpationibus insultantes . Hæc illis agentibus imbriferis atque algidis mensibus serena tempora successerunt . Et ecce floribus roseis uernantes campi : floribusque pampineis ornabantur : et crispas botrionum sertas exhibebant suo partu sarmenta et uario genere taleæ arborum meliflua poma gignebant in quibus uidemus usque hodie aliquando dare gratiam et fructum pariter et decorem . Tunc gaudentibus uel qui putabantur uani cœperunt flære qui putabantur urbani : Et qui sua sapientia fuerant gloriati : a nimia pestilentia perierunt . Et sera penitudine mugitum sui ocii gemitumque reddentes sibi inuicem loquebantur . Isti sunt quos habuimus in derisum : laborem ipsorum putabamus obprobrium : uitam eorum execrabamur ut miseram : personam eorum iudicabamus indignam : et conuentum eorum sine hoonre† . Isti autem inuenti sunt sapientes : et nos probamur misereri† tunc fuisse ac insipientes et uani : quando nec ipsi laborauimus : nec laborantibus auxilium pro labore præstitimus : quin᷾imo : quos in deliciis positi risimus et credidimus dementes : hos fulgentes nunc aspicimus et florentes . Ad hæc præfectus dixit : Sapienter te quidem uideo prosecutum : sed non ad interrogationem meam uideris dedisse responsum . Ad quem Valerianus : Stultos nos et insipientes esse dixisti : quod facultates nostras egentibus damus : aduenas suscipimus : uiduis opem ferimus : orphanis subuenimus : inhumatā corpora tegimus : et honestas dei martyribus tradimus sepulturas . Insipientes nos esse et insanissimos iudicas : quod non cum lætantibus lætamur : neque cum uoluptuosis deliciis resoluimur : aut ignobilis uulgi oculis nos illustres et nobiles ostentamus . Veniet tempus : in quo fructum huius nostræ tristitiæ colligamus : et nobis gaudentibus lugeant . hi qui nunc in suis gaudiis extolluntur . Tempus enim seminandi modo est : qui in ista uita seminauerint gaudia : in illa uita luctum et gemitum metent . Qui autem nunc seminauerint lachrymas temporales : in illa uita || gaudia sunt sempiterna messuri . Tum præfectus dixit : Ergo et nos et inuictissimi principes

nostri æternum habebimus luctum : uos uero æternum possidebitis gaudium . Respondit Valerianus : Quid enim uos estis aut quid principes uestri ? Homuntiones estis tempore uestro nati : tempore uestro expleto morituri : tantum deo maiorem redditurі rationem : quantum uobis summam tradidit potestatis : Cui Almachius dixit : Quid uerborum circuitu immoramur ? Exhibete diis libamina : et abscedite illæsi . Responderunt ambo : et dixerunt : Nos non diis sed deo quottidie sacrifitium exhibemus . Respondit Almachius : Quis est deus : cui uestrum dicitis tradere famulatum ? et ambo dixerunt : Et quis est deus alius : ut de deo nos interroges ? Est ne alius præter unum ? Almachius dixit : Ipsum unum quem dicitis : nomen ipsius dicite . Valerianus dixit : Nomen dei non inuenies : etiam si pennis uolare possis . Almachius dixit : Ergo Iouis nomen non est dei ? Valerianus respondit : Nomen est hominis corruptoris et strupatoris† : homicidam illum uestri auctores commemorant : et criminosum litteræ uestræ demonstrant . Hunc tu deum miror qua fronte locutus sis : cum deus dici non possit : nisi ab omni peccato alienus sit : et sit omnibus uirtutibus plenus . Tunc Almachius : Ergo omnis mundus errat : et tu cum fratre tuo uerum deum nosti . Ad quem Valerianus : Innumerabilis multitudo christianitatis sanctitatem suscepit : et pauci magis uos estis : qui sicut astulæ de naufragio remansistis ad nihil aliud nisi in ignem mittamini . Tunc Almachius iratus iussit eum fustibus cædi . Ille autem statim ut exutus est : cœpit gaudere dicens : Ecce hora quam sitiens optaui . Ecce dies omni festiuitate iucundior . Cumque cæderent eum uox præconia super eum clamabat dicens : Deos et deas blasphemare noli . Ille autem clamabat populo dicens : Ciues romani uidete : ne uos a ueritate ista mea plaga reuocet : sed state uiriliter : et deos lapideos quos colit Almachius in calcem conuertite : quia in æterna tribulatione erunt omnes : qui colunt eos . Tunc assessor præfecti Tranquinius† lacca : dixit præfecto : Inue | nisti occasionem : tolle eos . Nam si moram feceris : et de die in diem protraxeris : omnes facultates suas errogabunt : et punitis eis tu nihil inuenies . Tunc iussit carnificibus : ut ab eis ducerentur ad pagum : ubi erat statiunculum Iouis : et iussit : si noluissent sacrificare ambo fratres pariter sententiam capitalem exciperent . Tunc gloriosi martyres tenti a Maximo corniculario præfecti ducebantur ad pagum : qui Maximus cœpit flære super eos dicens : O iuuentutis florem purpureum : O germanum fraternitatis affectum : et quem uos impia diffinitione uolentes amittere : ad interitum uestrum quasi ad epulas festinatis . Tyburtius† dixit : Nos nisi pro certo didicissemus alteram uitam esse perpetuam : quæ isti uitæ præsenti succedit : nunquam nos istam amittere gauderemus . Dicit ei Maximus : Et quæ potest esse altera uita præter istam ? Respondit Tyburtius : Sicut uestitur uestimento corpus : ita uestitur corpus anima : Et sicut spoliatur uestimentis corpus : ita spoliatur anima corpore . Et corpus quidem quod terrenum sæmen per libidinem dedit : terrreno† uentri redditur . ut in puluerem redactum : sicut phœnix futuri luminis aspectu resurgat . Anima uero ad paradisi delicias si sancta sit perferatur : ut delitiis affluens tempus suæ resurrectionis expectet . Dicit ei Maximus : Optarem et ego contemnere uitam istam præsentem : si possim apud me certum habere : quæ loqueris . Dicit ei Valerianus : quia nihil tibi superesse dicis : nisi ut probes uera esse : quæ diximus : in hora qua nos faciet dominus istam corporis tunicam in gloriosa nominis sui confessione deponere : aperiet dominus oculos tuos : et faciet te uidere : quanta gloria in illa uita suscipimur : si tamen promittas nobis : quod ex animo ad pœnitentiam erroris tui uenias Tunc Maximus denotabat se dicens : Fulmineis ignibus consumar : si ex hac hora non illum solum deum confitear : qui alteram uitam facit isti uitæ succedere : Hoc tantum uos mihi quod promisistis ostendite : Dicunt ei ambo fratres : Impetra a carnificibus : ut in domum tuam nos ducant : et hodierni diei inducias explica : ita ut custodias in domo tua : et illuc facimus ad te uenire purificatorem : qui te in ista nocte statim ut purificauerit faciet || te uidere hoc : quod tibi promisimus . quod cum impetrasset Maximus : duxit eos in domum suam : ad quorum prædicationem : et ipse Maximus cum sua domo omni et ipsi carnifices crediderunt : Tunc Cecilia uenit ad eos noctu cum sacerdotibus : et uniuersi baptizati sunt : Igitur dum aurora noctis finem daret facto magno silentio Cecilia dixit eis : Eia milites Christi abiicite opera tenebrarum : et induimini arma lucis . Certamen certastis : cursum consumastis : fidem seruastis . ite ad coronam uite : quam dabit uobis deus iustus iudex : non solum autem uobis : sed et omnibus

qui diligunt nomen eius . Locus autem qui uocabatur pagus quarto milliario ab urbe situs erat : in quo per templi ianuam transitus erat : ut omnis qui ingrederetur . si Ioui tura non poneret puniretur . uenientibus ergo sanctis offeruntur tura . illi recusant : Recusantes ponunt genua : feriuntur gladio : proiiciunt corpus temporale : et martyrium suscipiunt sempiternum . Tunc Maximus iratus asserebat dicens : Vidi angelos dei fulgentes sicut sol in hora qua uerberati sunt gladio : et egredientes animas eorum de corporibus quasi uirgines de thalamo : quas in gremio suo suscipientes angeli remigio alarum suarum ferebant ad cælos . Ista cum lachrymis narrante Maximo plurimi crediderunt : et ab idolorum errore conuersi suo se creatori reddiderunt decimoctauo calendas maias . Prestante domino nostro Iesu Christo : qui cum patre et spiritusancto uiuit et regnat deus per immortalia sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI THOMAE APOSTOLI .

Thomas qui et didimus dicitur cum esset apud Cæsaream : apparuit ei dominus Iesus Christus : et ait ad eum : Rex Indorum Gundophorus misit præpositum ad Syriam : quærere hominem arte architectoria eruditum : ueni mittam te cum eo . Dicit ei Thomas : Domine quocumque uis mitte me : Preter ad Indos . Dicit ei dominus : Vade : quia ego tecum sum : et non te deseram . Et | cum acquisieris mihi Indos : cum corona martyrii uenies ad me . Respondens autem Thomas dixit Deus meus es tu : et ego seruus tuus : fiat uoluntas tua . Hæc eo dicente ecce præpositus familiæ regis Indorum nomine Abbanes descendit de naui . et deambulabat iuxta mare in foro rerum uænalium . Dominus autem accessit ad eum : et dixit ei : quid comparare uis iuuenis ? Ille ait : Dominus meus rex Indorum misit me ad istas partes ut conducerem ingenuos artifices : aut seruos emerem : qui sciant artem architectoriam uel omnia : quæ ex lignis fiunt aut ex lapidibus : ut romano opere sibi palatium construant : Cui dominus ait : habeo seruum idoneum et fidelem mihi : quem ad diuersas iam ciuitates misi : et quidquid laborat : mihi laborum suorum mercedes apportat . Hunc itaque mittam tecum : et ad me eum facies cum honore remeare : quod Abbanes audiens magno repletus est gaudio : et gratias agens osculabatur genua eius . Et conuocat Thomam dominus : et tradidit eum Abbani : Cui ait Abbanes : Vere seruus ipsius es ? qui respondit : Si uere ipsius non essem . qua hora me tibi tradebat : numquid non habebam contradicere ? Sed quia seruus ipsius sum : non quod uolo facio : sed quod iusserit dominus meus . Seruus autem sum eius unus ex innumerabilibus seruis : qui omnes diuersas artes scimus : et imus per prouincias : et quidquid lucrati fuerimus de arte nostra ipsi fideliter reportamus . ascenderunt autem nauim : et cum nauigarent : dicit Abbanes ad Thomam : Quid et quæ scire de artibus potes : quia prætulit te mihi dominus tuus ? Cui Thomas respondit : Colloco fundamenta : quæ nunquam ueterascunt . extruo parietes : qui nunquam corruunt . Facio exhedras et fenestras : ut domus lumen nunquam deficiat . Erigo fabricam in altitudinem : ut omne ædificium præcellens despiciat . Hedificia autem mea quamuis extrinsecus habeant decorem : intus tamen maiorem habent pulchritudinem . Quid multa dicam de artis meæ peritia ? Omnia in structura quæ possunt esse necessaria ego faciam : et quotquot uolueris mihi discipulos ego docebo . Dicit ei Abbanes : Magnus est uir iste : qui tales seruos habet . Iste melior est quouis rege . || Dicit ei Thomas : Bene dixisti . Nam filius unicus regis est : et tenet regnum . pater eius in supernis montibus ubi hostis nunquam potest introire . ubi nullus penitus inuenitur infirmus : nullus pauper aliquo indigens . Cum hæc et his similia loqueretur Thomas uelificante naue septima die plenis uelis ac prosperis uentis tenuerunt ciuitatem Andropolim : Cumque ascendissent de naui : ecce cantantium uoces in organis et tibiis et citharis . Erant enim nuptie in quibus rex ciuitatis illius filiam suam nuptui tradebat . Nam et precones per ciuitatem circumeuntes clamabant : ut omnes interessent huic regali ac nuptiali conuiuio . Pauper : diues : nobilis : ignobilis : ciuis ac peregrinus : et quicumque non uenissent : regem offenderent . Contigit autem Abbanem cum Thoma interesse conuiuio . Stupebant autem eos discumbentes quasi peregrinos : et quos nunquam uiderant . Interea circumibat cantatrix ferens tibiam :

atque circa singulos unicuique quasi laudem canebat . At ubi uenit ad Thomam : Diutius immorata est stupens hominem non manducantem neque bibentem . Intellexitque hunc ebreum esse : et dei cæli adoratorem . Erat enim puella hæc quæ canebat hebrea : cepitque hebraice dicere : unus est deus hebreorum : qui creauit omnia : ipse fecit cælum et terram : et fundauit maria . Audiens hæc apostolus plus orabat : et attentus puellam hebream uerba ueritatis canentem eadem repetere admonebat . Tunc pincerna increpans apostolum : quod neque manducaret : neque biberet : dedit alapam in faciem eius . Apostolus autem dixit ei : Melius est : ut tibi in futuro sæculo detur indulgentia : ubi finis plage nullus occurrit : hic autem in isto sæculo plaga transitoria ista tibi reddatur : ut tu ipse intereas . manus uero tua de qua me percussisti a canibus rosa hic aportetur . Hoc autem Hebreo sermone cum dixisset : nullus potuit intelligere nisi sola illa puella : quæ cantico suo conuiuas aduocabat . Is ergo qui faciem apostoli palma sua percussit : egressus est ut aquam deferret a fonte : et inuasit eum leo qui bibens sanguinem eius abiit . Canes uero comederunt membra eius : In quibus unus niger canis dexteram manum eius suo ore ferens : in me | dium connuii† apportauit . Videntes autem conuiuæ stupuerunt . Illa autem cantatrix iactauit tibias suas : et currens osculari cœpit pedes eius : ac dicere omnibus : Hic homo aut propheta est : aut apostolus dei . Nam qua hora pincerna percussit palma in faciem eius : dixit ei Hebraico sermone hoc : quod ei aduenit . Dicens non exurgam de isto conuiuio : nisi uidero a canibus manum ipsam huc deferri : Cumque de strepitu hominum rex inquireret : et quid euenisset audiret : fecit ad se uocari apostolum : rogareque eum cœpit ut benediceret filiam eius una cum sponso suo . Et ingressus thalamum cum rege posuit manum suam super capita amborum : et dixit : Deus Abraham deus Isaac deus Iacob benedic adolescentes istos : et semina semen uitæ in mentibus eorum : ut quicquid pro utilitate sua didicerint : hoc facere cupiant per Iesum Christum recuperatorem omnium filium tuum unigenitum : qui tecum et cum spiritusancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen . Et cum hoc dixisset : exiit a thalamo . Post hæc sponsus puellæ iuuentute prima puer dum duceret eam : aparuit ei iuuenis ferens palme ramos plenos dactylis grandibus : et dabat ei : quos cum accepisset gaudens cucurrit ad sponsam suam et dedit ei : et gustauit de fructu eius : Cumque soporati somno fuissent : unum somnium uiderunt huiuscemodi : quasi rex potens gemmatus in medio eorum stans amplecteretur utrosque dicens : Apostolus meus benedixit uos : ut æternæ uitæ participes efficiamini . Euigilantes autem cum sibi ennarrarent quæ uidissent inuicem : ecce Thomas apparuit eis dicens : Rex meus qui in uisione uobis locutus est : ipse me huc clausis ianuis introduxit : ut benedictio mea super uos fructificet : Habetis enim integritatem : quæ est omnium regina uirtutum et fructus salutis perpetuæ . Virginitas uictoria est libidinum : tropheum fidei : uictoria de inimicis et uitæ æternæ securitas . Nam nascitur de corruptione pollutio : de pollutione reatus : de reatu confusio : et ex his operibus filii aliquando cum periculo parientis nascuntur : et dum prouidetur matri filius paulatim educitur : et tota mulier prægnans ægrotat : dolet : fastidit : angustiatur : et partus || dolore consumpta secretorum suorum propalatrix ipsa efficitur . tandem aliquando egreditur infelix homo aut strambus aut debilis aut quacunque parte læsus in membris . plerumque etiam cum dæmonio nascitur : et lunaticus procreatur . Ecce quibus casibus comixtio ista deseruit . Nam si nolueritis† benedictionem quam per me dominus uobis dedit custodire : faciam uos nunquam mori : sed perpetua felicitate gaudere . Cumque omnia hæc quæ ab apostolo dicebantur audirent : apparuerunt ibi duo angeli eorum : qui et dixerunt : Nos sumus angeli : qui dati sumus uobis a deo : ut ostendamus uosmetipsos† uobis propter benedictionem apostoli eius : ut dum custodieritis monita eius : omnes petitiones uestras domino offeramus . Nos denique clausis ianuis introduximus ad uos apostolum : ut sicut nos clausas ei iannas† palatii patefecimus : ita ipse uobis clausas ianuas uitæ æternæ aperiat . Tunc sponsus cum sua sponsa miserunt se ad pedes eius dicentes : Confirma nos in omni ueritate : ut nihil nobis de sapientia dei desit : quibus apostolus ait : Veniam ad uos sequenti nocte : et plenius uos instruens proficiscar : Igitur iuxta promissum suum ueniens de omnibus æternæ uitæ mysteriis ambos diligenter instruxit : et baptismatis eos unda sanctificans nauigauit . Post non multum uero temporis misit unum de discipulis suis : quem presbyterum ordinans ita constituit : ut in eadem ciuitate ordinaret ecclesiam : Ibique

multus est deo populus acquisitus : et est ibi sedes Thomæ apostoli : et fides catholica usque in hodiernum diem . Ipse autem Dionysius nomine episcopus factus : sponsam suam Pelagiam nomine sacro uelamine consecrauit : quæ post obitum eius duplex martyrium tenuit : unum quia uirum habere contempsit : alterum quia sacrificare idolis noluit : Atque his duabus de causis sententiam decollationis accepit : Et super tumulum eius græcis sermonibus et litteris ita scriptum est : In hoc loco requiescit sponsa Dionysii episcopi : quæ est filia Thomæ apostoli . Igitur quia longum est tendere historiam uirtutum eorum : in quantum possumus ad rerum exitum succinte pergamus . Cum autem esset apostolus Hierophorum Indiæ ciuitatem | ingressus : Abbanes ad Gundophorum nunciauit Thomam adesse . Rex autem ut uidit Thomam : dixit ei : Potes mihi fabricare palatium? Respondit Thomas : possum . Ostendens autem rex locum apostolo ait : Dic mihi : quo ordine poteris extruere in isto loeo† palatium? Thomas autem appræhendens armidinem† : cœpit metiri : et dicere : Ecce ianuas in isto loco disponam : ab ortu solis ingressum . Primo pro aulum . Secundo salutatorium . In tertio consistorium : in quarto trichorum . In quinto zetas hyemales . In sexto zetas æstiuales . In septimo epicaustoria et triclynia accubitalia . In octauo Thermas . In nono gymmasia . In decimo coquinam . In undecimo colimbum et aquaram lacus in fluentes . In duodecimo hipprodomum† : et per gyrum arcus deambulatorios . Rex autem hæc consyderans ait ad apostolum : Vere artifex es et decet te regibus ministrare . Relinquens autem ei pecunias nifinitas† abiit . Apostolus autem cœpit circumire ciuitates : et prædicare uerbum dei : donare eas pauperibus : baptizare credentes et abundanter donare egenis : Vnde factum est : ut innumerabilem populum domino acquireret . Ordinauit autem clericos . ecclesias fabricauit : et per totum biennium quod absens fuit rex Gundophorus firmauit ecclesias . Cum autem rex uenisset : et hoc quod fecit apostolus depræhendisset iussit apostolum simul cum Abbane ferro uinctos in ima carceris trudi . Et quoniam frater regis in extremitate uitæ languebat : distulit interfectionem eorum : Cumque cogitaret uiuentes eos excoriare : et ita eos flammis tradere : moritur Germanus eius nomine Gad : et factus est luctus intolerabilis . multum enim illum amabat : Cumque eum circumdedissent mortuum : bysso et purpura : etiamque gemmis regalibus totum eius corpus ornassent : iussit ex porphyreticis lapidibus memoriam extrui : et ipsum in labro purpureo poni . Igitur dum artifices tendunt moras sepulturæ eius : Gad ipse qui mortuus fuerat resurrexit quarta die hora diei prima : Et factus est pauor : et stupor et silentium : ita ut omnes uiri ac fœminæ qui regio funeri planctum exhibebant in silentium et pauorem conuersi : consyderatione || noua et inaudita expauescerent . Tunc Gad dixit fratri suo regi Gundophoro : Audi me frater : Iste homo quem tu disponebas excoriare : et incendere : amicus dei est : et omnes angeli famulantur ei . Nam anima mea ducta est in cælum ab angelis : et ostensum mihi est palatium : quod tibi Thomas fabricauit eo quidem ordine : quo tibi disposuit se facturum . Sed tota fabrica ex lapidibus smaragdinis et hiacynthinis et prasinis et albis instructa est intus et foris . Et dum considerarem uniuersam pulchritudinem eius : angeli sancti dixerunt mihi : Ecce palatium quod fratri tuo Thomas apostolus fabricauit : Et dixi : utinam mererer hostiarius in isto fieri : quique respondentes dixerunt : Frater tuus indignum se illo fecit : si uis tu in illo manere : rogamus pro te dominum Iesum Christum filium dei uiui : et iubet te resuscitari : et uade : et uendat illud tibi : ut frater tuus recipiat pecunias : quas se existimat perdidisse . Et hæc dicens : cœpit ire festinus ad carcerem : et ingressus misit se ad pedes apostoli : plorans et postulans fratri suo indulgentiam dixit : Ignorans quod apostolus dei sis : incurri graue delictum . Statim abiectis uinculis cœpit eum rogare : ut uestem acciperet pretiosam : Cui apostolus ait : Adhuc ignoras : quia nihil terrenum nihilque carnale gestiunt : qui cupiunt habere in cælestibus potestatem? Vnde sufficere mihi hoc pallium atque hoc collobium meum quo utor noueris : et hæc sandalia : que omnia non extricabuntur penitus : quo adusque de isto corpore exeam . Factum est autem : ut egrediente apostolo de carcere occurreret ei rex Gundophorus : qui et ipse pedibus eius aduolutus : ueniam postulabat . Dicit autem eis Thomas : Multum uobis præstitit dominus meus Iesus Christus : ut ostenderet uobis secreta . Ecce prouintiæ et ciuitates uestræ : ecclesiis plenæ sunt . Parati ergo estote : et sanctificamini : ut loti aqua fontis æterni : efficiamini perpetui regni participes . Dicit ei Gad : Palatium quod fabricasti conspexi : et petentibus

angelis hoc merui obtinere . Dicit ei Thomas : hoc in potestate fratris tui est . Dicit ei Gundophorus rex : Iam quod mihi fabricatum est : credo : | quod meum erit . tibi uero fabricet alterum apostolus : quod si non poterit aliud fabricare : istud unum ambobus sufficiat . Dicit eis apostolus : Hoc uos nosse uolo : quia innumerabilia sunt in cælo constructa palatia : et ab origine mundi iam parata : quæ pretio fidei comparantur . Si ergo de cælestibus diuitiis et regnis et palatiis agere uultis : diuitiæ uestræ uos antecedere possunt : sequi uero exeuntes de mundo omnino non possunt : Præmittite ergo illas seruire tribulantibus : peregrinis : afflictis : necessitatem patientibus : infirmantibus : debita habentibus : uiduis : orphanis : esurientibus atque uariis casibus subiacentibus : et estote securi : quoniam ibi centuplicabuntur uestræ diuitiæ : ubi nullus finis decurrit . Igitur cum exisset fama apostoli per Indos : quod esset in prouincia eorum : qui infirmantibus manus imponit : et sanantur : et cæcis reddit uisum : surdis auditum : dæmones fugat : etiam mortuos suscitat . Putantes deum esse : de longinquis et proximis ciuitatibus uenientes et deferentes coronas ex auro : et gemmis et auleas ex auro textas et uestes regias : uolebant induere eum : et sacrificare ei uitulos et arietes quasi deo . Apostolus autem petiit regem Gundophorum : ut per unum mensem expectarent : quousque fieret prouintiæ totius congregatio : et ita demum hoc facerent : quod ipsemet docuisset . Completis autem triginta diebus : quoniam nullum ædificium inueniri poterat : quod eos caperet : iussit apostolus : ut omnes congregarentur in campum iuxta Gazi montis ascensum . Venit autem hæc multitudo cum uariis ægritudinibus lāborantibus† . Omnes autem infirmantes in unum congregari præcipiens : ipse in medio eorum stans et expandens manus suas ad cælum dixit : Agie inuisibilis et incompræhensibilis et immutabilis perseuerans : qui misisti nobis illuminatorem filium tuum dominum nostrum Iesum Christum : qui ueniens dedit apostolis suis potestatem : ut omnibus doloribus omnibusque languoribus in ipsius nomine mederemur : et dixisti nobis : quæcumque petieritis a patre in nomine meo præstabit uobis : In ipsius nomine precamur : ut febribus et rigoribus et languoribus medela tuæ maiestatis succedat : Red || datur surdis auditus cæcis uissus claudis gressus et omnis eorum uaria infirmitas effugetur : ut cognoscant hi omnes populi : quia tu solus es deus unus cum filio tuo domiuo† nostro Iesu Christo : qui tecum et cum spiritusancto uiuit et regnat per omnia sæcula sæculorum : Cumque hi qui iam docti erant respondissent amem† : uenit coruscus super eos : At omnes se putassent ictu fulguris interisse . Omnes autem prostrati simul cum apostolo iacuerunt per dimidiam fere horam . Erigens autem se apostolus clamabat omnibus dicens : Surgite quia dominus meus Iesus Christus sicut fulgur uenit : et ipse saluabit uos . At illi omnes exurgentes sani glorificabant deum et Thomam apostolum eius . Accessit autem apostolus : et ascendit super petram : ut uideret omnes : et uideri ab omnibus posset : Et facto magno silentio dixit : Audite omnes populi : dominus meus Iesus Christus cuius seruus sum ipse me ad uos misit : Ipse etiam hunc populum et uisitare dignatus est et curare . Ego autem homo sum sicut et uos : et ad hoc missus sum : ut doceam uos recedere a simulachris : quæ sunt sine sensu : et colatis creatorem uestrum unum : qui in cælis est : deum : qui sine personarum acceptione omnes uult saluare credentes in se . Audite ergo uiri et mulieres pueri et puellæ iuuenes et uirgines adolescentes et seniores siue serui siue liberi si omnes uolueritis ad uitam æternam attingere : Primum omnium credite in deum hebreorum : et in unigenitum filium eius dominum nostrum Iesum Christum et in spiritumsanctum : Non ut putetis tres deos : sed unum . Non sic unum : ut ipsum putetis patrem : ipsum filium : ipsum spiritumsanctum : sed patrem genitorem filii : filium unigenitum patris : spiritum uero sanctum procedere ex patre et filio et unam deitatis substantiam in trinitate integra adimplendo . Credite patrem filii : quia deus immutabilis est : et hoc est : quod est . Non enim aliquando fuit : quando non esset pater . Si enim cœpit esse pater : quod ante non fuit : mutabilis est . semper enim fuit : et spiritussanctus . Dabo autem uobis exemplum : quomodo tria de uno procedant . Certe una est sapientia in homine : et de una sapientia procedit intellectus | memoria et ingenium . Nam ingenium est : ut quod non didicisti adinuenias . Memoria : ut non obliuiscaris : quod didiceris . Intellectus uero est : ut intelligas : quæ ostendi potuerunt uel doceri . Si ergo tu homo habere potes tria ista in una sapientia : quanto magis deus in una deitate : tres quidem personas habere credendus est : sed unam substantiam .

Nam et caput unum quinque sensibus constat : habes enim in uno capite uisum : auditum odoratum : gressum et tactum . Et in uinea tua sunt lignum folium et fructus . Si ergo corruptibilia et terrena unum sunt . quod uere tria sunt : ita et hæc tria sunt : quod uere unum sunt . Nec antiquior pater : et nouus filius . Si enim hoc credis : iniuria erit . Nec enim ueteranus pater antiquior : et iunior is qui crescere habet : ut iuuenescat . et iuuenis factus : ut senescat . Cauendum ergo est : ut non ita extimes diuina sicut humana . Ipse enim minor fuit patre suo : qui est ex maiore progenitus . Si ergo pater domini nostri Iesu Christi fuit alicuius alterius patris filius . quod credi blasphemum est : recte filius ex eo genitus iunior esset et inferior : et quantum huic restabat : ubi cresceret : tantum illi ubi senesceret : existebat . Cauete ergo : qui creditis unum deum : Cauete hoc blasphemum . Primum ergo fructum habebitis : si ibi bene creditis . Secundum ut credentes baptizemini . Tertium ut a fornicatione abstineatis . Quartum ut auaritiam temperetis . Quintum ut a gule moderetur expensis . Sextum ut pœnitentiam teneatis . Septimum ut perseuerantiam in bonis operibus specialiter conseruetis . Octauum ut hospitalitatem sectemini . Nonum ut quæratis : quæ sit uoluntas dei : et eam faciatis . Decimum ut inquiratis quidquid est : quod non uult deus fieri : et penitus non faciatis . Vndecimum ut caritatem non solum omnibus amicis uerum etiam et inimicis non negetis . Duodecimo loco posita est sollicitudo diuturna et nocturna ad custodiendas omnium uirtutum diuitias : Vt qui plus habet æternas diuitias : plus eas ualeat custodire : ne perdat . In his itaque duodecim uirtutibus integra libra æqualitatis consistit : quæ perfectionem eorum continet : qui ueri dei cupiunt esse cultores . Hæc autem || dona et munera quæ mihi attulistis pauperibus erogate . Ego enim deus non sum . sed seruus dei sum . Parati ergo estote : ut baptizetur unusquisque uestrum . Quod cum fecissent : ueniente die dominico baptizati sunt ad nouem millia uirorum exceptis paruulis et mulieribus . Profectus est autem apostolus per reuelationem in Indiam : et ad opinionem eius omnes populi festinabant . Videntes autem signa magna et prodigia : quæ faciebat apostolus : non poterant contemnere prædicationem eius . Nam et dæmones pellebat : cæcos illuminabat : leprosos mundabat : omnes etiam dolores et calores et rigores pellebat : mortuos etiam suscitabat . Contigit autem ut amicam Migdoniæ Synticem nomine : quæ fuerat per annos sex cæca : curaret : uenit enim ad Mygedoniam† : et uidens eam adeo sanos oculos habentem : ut nec signum preteritæ infirmitatis clarissimus haberet aspectus : exclamauit Mygdonia dicens : Hic aut deus est aut angelus dei : qui tibi lumina sine aliquo medicamento restituit Dicit et Syntice : Nunquid me solam illuminauit ? O quanti uiri quantæ fœminæ : quantique infantes uaria infirmitate detenti saluti sunt restituti ab eo per inuocationem nominis sancti Iesu Christi . Dicit ei Mygdonia : putas : potero uidere eum ? Dicit ei Syntice Cras constitutum est : ut sermonem faciat ad populum si uis interesse : muta uestem tuam : et uelato capite inter mulieres non intelligeris . Erat enim Mygdonia uxor Caricii cognati regis Mygdei : Cumque hoc fecisset inter ancillas suas et amicas mutato habitu applicuit se : ubi sanctus Thomas dei filium prædicabat : et propter quod uenisset inter homines dei filius ore apostolico edocebat dicens : Quoniam uita nostra in qua nati sumus misera est : et subiacens casibus : et ita fugitiua : ut cum putatur teneri labefacta diffugiat : Tollit enim illam repentinus casus : et ita fugit : ut ultra teneri non possit . Ideo uenit nobis lux de cælo filius dei : et docuit esse alteram uitam : quæ mortem nunquam incurrit : nunquam dolorem : nunquam gemitum : nunquam tristitiam : sed est semper in gaudio : semper in læticia : semper in lumine . Fecit autem hoc : ut omnes qui nati sunt ad mor | tem : renascantur ad uitam : et efficiantur filii per doctrinam apostolorum : hi qui sunt peccatores et filii peccatorum . Non enim poterunt filii hominum mortalium immortales fieri : nisi per aquam et spiritumsanctum renati efficiantur filii dei : Et ne forte hæc prædicatio credi non possit : dedit nobis potestatem : qui nos iussit hoc docere : ut in eius nomine cæcos illuminemus : surdis reddamus auditum : claudis gressum : fugemus dæmonia : etiam mortuos suscitemus : ut homo rationabilis dicat intra se : Si uera non esset prædicatio eorum : non eos comitarentur ista signa uirtutum . Ideo filioli mei heri et nudiustertius ad hoc uos uocari : ut prius corpora uestra sanarentur . Hodie uero hoc constitutum est : ut medicamento uerbi dei saluentur animæ uestræ : cum susceperitis uerbum salutis . Sicut enim oculi infirmi qui non recipiunt colyrium : a medicis non

curantur : et qui potiones non bibunt : aut emplāstrum† recusant : a medicis despiciuntur : ita ab apostolis et doctoribus animæ curari non possunt : nisi acceperint uerbum : et crediderint ueritati et castitatem tota intentione seruauerint : et a gula se segregauerint : auaritiam uero execrati fuerint : neminem læserint : et ad uerbum dei audiendum et custodiendum uacauerint . Hæ animæ curantur : et curatæ sanum sapiunt : et incipiunt petere escam uerbi dei : quæ antequam sanæ essent fastidium patiebantur . Langor enim corporum non permittit hominem cibum carnalem carpere : et languor animarum non permittit eas cibo spirituali saginari . Nam qui amorem suum in amorem carnis expenderit : unde amare possit animam suam non habet : unde antiquus propheta dixit : Quoniam qui diligit iniquitatem odit animam suam : et sequitur asserens : quod pluat super peccatores laqueos ignís . Audite pluuiam : et intelligite debitas peccatorum pœnas . Consyderate aquæ dulcissime pluuiam : quam qui incurrerit : aut in campo aut sine tecto : causabitur se debilem propter hybrem† : et hoc ad unius horæ indignationem posse fieri sepæ probauimus : quid ergo tunc facient miseri : super quos pluuia ignis et sulphuris iugiter et sine intermissione profunditur ? Credite inferri || peccatoribus pœnas : et ueras habituros diuitias iustos . Ideo autem ueras quia æternas : non enim quod finem habet uidebitur : cum esse desierit . Hæc et his similia múlta dicente apostolo credidit uniuersa multitudo : et batismate† domini suo ordine per septem dierum ieiunium consecrata est . Mygdonia autem cum nollet thorum uiri sui ultra contingere : et cognouisset uir eius : hoc illi euenisse : perrexit ad Mygdeum regem : et impetrauit ab eo : ut tentus apostolus mitteretur in carcerem : et dato munere carcerario introiuit ad eum : prosternensque se ad pedes eius cœpit dicere : Oro te apostole dei : ne propter me hanc iniuriam sustinens facias super me uenire iram dei . Dicit ei apostolus : Reuertere cito in domum tuam : et ego illuc ad te ueniam : ut cognoscas me libenter pati pro nomine domini mei : et quid possit fides : quæ est in domino meo Iesu Christo : Et reuersa in domum suam clausit se in cubiculo : et prostrata orabat ad dominum dicens : Deus omnipotens quem predicat Thomas apostolus fac me dignam doctrinæ eius fieri participem . Medio autem noctis tempore adest apostolus dicens . Constans esto Mygdonia : quia sicut per me tu ad uitam æternam attinges : ita ego per te ad dominum meum Iesum Christum cum martyrii corona perueniam . Et expauescens Mygdonia ait : Obsecro te luminis æterni ostensor : ut sicut carnales oculos cæcorum aperuisti : ita animæ meæ aperias oculos : ut uideam uiam rectam : et ne incurram foueam . Dicit ei apostolus : Septem diebus ieiunium imple . Octauo uero die ueniam ad te : et baptismatis unda consecrabo te et omnes : qui crediderint . Caritius autem cognatus regis cuius rex Mygdeus sororem habebat uxorem petiit regem dicens : Obsecro te rex bone : ut facias dominam meam reginam uisitare Mygdoniam : si forte posset eam reuocare ad mentem suam . Ego enim precibus : ego minis ego blandimentis ego per amicas et parentes et notos non cesso deprecari eam : ut ad thorum súum redeat : et nulla ratione potest uel manducare uel bibere mecum : uel in faciem meam respicere : Cui rex ait : Hortare sororem tuam comparem meam | quoniam non erit infructuosum si eam uiderit . Exorata itaque a fratre suo perrexit Treptia uxor regis ad Mygdoniam : et dixit ei : O Mygdonia carissima amica et soror dulcis : et confabulatrix mea : peto : ut dimittas hanc amentiam : nec connubii tui legiptima† iura contemnas : contra deos agens et contra natales tuos et contra animam uiri tui . Nam rex contristatur et omnes domestici eius : omnes pariter de te loquuntur : te genuunt : te quærunt : et plorant subito amentem effectam . Cui Mygdonia respondit : O soror Treptia : si scires quæ ego didici : hominem quidem attendis : sed deus est . Nam amica nostra Syntice quæ per multos annos cæca fuit ab eo uisum recepit . Quid autem memorem surdis auditum redditum : salutem omnibus ægrimoniis restitutam : quando etiam mortuos reuocat ad uitam ? Hic ostendit esse alteram uitam immortalem nesciam omnis doloris : omnisque tristiciæ : et ne incredulum ducas : quod dico : Dux multum Symphorus filio suo hac nocte mortuo abiit ad eum in carcerem : et in fide sua suscepit eum a carcerariis : et duxit eum in domum suam : orationeque facta suscitauit ei unicum filium suum : et modo in ipsius domo sedet : et docet omnes ingredientes ad se : et curat uniuersas infirmitates . Dicit ei Treptia . Si ita est : ut asseris eamus illuc : si uere comprobauero : plane quia credam . stultum est enim æternam uitam nolle appetere : et tantis uirtutibus

non credentem durum animum permanere . Perrexerunt autem ad domum ducis Symphori : et inuenerunt ante domum eius Elefanticum stantem : et cupientem introire ad apostolum : sed nullus eum permittebat introire : Nimis enim erat in aspectu horribilis : et scrabro uultu et uoce raucissima : et non erat penitus quicquam preter uulnera quod uideri posset in eo . Ingressa autem Mygdonia cum Treptia : nihil poterat loqui ad eum : quia occupatus erat imponens manus super infirmitates narias† . Sed cum uideret Treptia regina tanta mirabilia obstupefacta ait : maledicti sunt a deo : qui non credunt his operibus salutis . Mygdonia autem dicit ad apostolum : Domine quidam leprosus cupit ingredi : et non permittitur introire . || Apostolus ait ad Symphorum : non patiaris prohibere eos : qui credunt : quod possunt salutem consequi per me . Dicit ei Symphorus : Penitus non est : quod uideatur in eo . Facies ipsa plena uulneribus et uniuersa eius compago membrorum sub uno cortice uulnerum plena putoribus scatet . Dicit ei apostolus : Recte tantum eius uulneribus datum est : ut leue sit in eo : quod operemur : Iussumque est : ut introduceretur : et aspiciens eum apostolus flæns et fixis genibus orauit diutissime . Post hæc iussit eum ad se adduci : et imponens ei dexteram dixit : Creator omnium rerum uisibilium et inuisibilium deus : qui nobis per Iesum Christum filium tuum dedisti potestatem cæcos illuminandi : et dæmones effugandi : et mortuos suscitandi ad uitam : ut cognoscant omnes hi : quia tu es deus : et non est alius præter te : iube per manus angeli inuisibiliter ut expolietur hic ab hac lepra : ut sanus effectus agnoscat creatorem suum et saluatorem : Cumque hæc dixisset apostolus : apparuit quidam puer fulgido aspectu : qui tulit leprosum a parte secretiore et exuit eum uestibus eius . Post hæc expoliauit eum corio quasi tunica corporali : sicut qui excoriat uitulum : et reuocauit eum ad apostolum . Apostolus autem consignans signo crucis baptizauit eum : Et fecit uestiri uestimentis nouis et candidis : et omnis populus magnificabat eum dicens : Quia uere angelus apparuit in regionibus nostris . Tunc Treptia uxor regis misit se ad plantas eius : et osculans pedes eius uoce clara dicebat : Obsecro te apostole dei uiui : ut facias me participem uitæ æternæ . Apostolus autem respondit : et dixit ei : Thesaurus cælestis regis patet : et qui credunt ex toto corde ingrediuntur in eum : et tu ergo si uere credis : digna eris sacramentis eius . At illa ait : Fgo† credo : quia non est alius deus nisi unus : quem tu prædicas : et ideo precor : ut facias me participem eorum : qui ad ipsum pertinent . Imponens autem manus super caput eius : benedixit eam : et post benedictidnem† instruxit eam de omnibus et dixit ei . Audiui uocem domini Iesu Christi uocantis me : quia tempus mihi migrandi de corpore isto aduenit : Ideoque suscipipite† regenerationem : quæ datur per aquam et | spiritumsanctum : et baptizauit eam : et omnes qni† aderant : aqua consecrati uniuersi uiri et mulieres et puellæ et pueri reuersi sunt ad loca sua : Admoniti : ut ecclesiam diligerent : sacerdotes honorarent : et assidue ad audiendum uerbum domini in ecclesiis conuenirent . Treptia autem ut reuersa est ad regem : dixit ei rex : Quare tantas moras habuisti ad Mygdoniam : ut a matutino tempore usque ad uesperum non uenires ? Dicit ei Treptia : Quoniam superba ea et stulta effecta ad ueram sapientiam peruenit : in qua et me fecit ætetnæ† uitæ participem . Nam et ipsum dei apostolum uidi : qui dat omnibus salubre consilium : Vnde et tu ipse cum sis rex : quia non potes immortalis fieri : Hunc si audire uolueris : non morieris in æternum . Tunc expauit cor regis : et iussit ad se adduci Caritium : cœpitque contra eum clamare et dicere : Cum tuam studui recuperare uxorem : meam perdidi . Nam Treptia peior facta est mihi quam tibi Mygdonia : Statimque iussit mitti ad Thomam : et manibus a tergo ligatis adduci ante se et dixit : Quis est iste deus tuus : qui coniuges nostras per te a nobis sepârat : Dicit ei Thomas apostolus : Tu cum sis rex : nnnquid† uis habere inquinata seruitia ? Si ergo hoc cum sis : mundos seruos habere studes : atque mundas ancillas : quantomagis credere debes amare deum castissima et munda seruitia ? Si hoc in seruis et in ancillis suis deum amare prædico : quod tu in seruis tuis diligis : ut quid culpor ? Dicit ei Mygdeus rex : Ego permisi Treptiam uxorem meam ut cognatam suam Mygdoniam de præcipitio liberaret : et ipsam tu in præcipitio misisti . Respondit apostolus : Præcipitium non est : nisi recedere a castitate : et ire in libidinem . Nam qui a libidine se tollit : et ad castitatem redit : Hic a præcipitio remeat : et egrditur† de tenebris ad lucem . Dicit ei Mygdeus rex : Quomodo seperasti animos earum his uerbis et artibus magicis a consortio coniugii : sic

age consilio tuo : ut suasione tua redeant et sint coniuges : sicut ante fuerunt . Dicit apostolus : Errat uissio† regis : Dicit ei rex : In quo errat iussio mea ? Apostolus respondit . Fabricaui turrem excelsam : et dicis mihi : ut ego qui fabricaui destruam eam . Fodi ter || ram profundam : et eduxi fontem de abysso : et dicis mihi : ut ego illum obruam . Ego magis dicam illis uerba domini mei : Quia qui diligit patrem aut matrem plus quam deum : non est deo dignus : Tu enim rex temporalis es : et si uoluntas tua non fiat temporaliter punis . Deus autem rex æternus est : et si uoluntas eius contempta fuerit : æternaliter punit . Et quidem tu rex postea quam occideris corpus : animam occidere non potes : deus autem potest animam et corpus mittere in æternum interitum . Tunc Caricius dixit ad regem : Hunc magum si tardius occiderimus : nos ipsos in precipitium mittet . Quare iratus rex iussit laúces† ferreas agniri† : et precepit excalciari apostolum : et nudis pedibus substans hoc dolore deficere : Statimque prorupit aqua : et extinctæ sunt lauces† : Et ait ad illum apostolus : Hoc non propter me fecit dominus sed propter te : ut uel sic credas . Mihi autem dominus hanc patientiam dare potest : ut sine aqua ignem tuum non timeam : Dicit regi Caricius : Iube eum in fornacem thermarum mitti : quod cum fieri iussisset rex : therme ultra calere non potuerunt . Apostolus autem dei altero die egressus est incolumis . Tunc Caritius dicit regi . Fac illum sacrificare deo soli : et iram incurret dei sui : qui liberat illum ab his : quæ inferuntur ei : Cumque urgeretur : ut in templo symulacro solis sacrificium offerret : ridens in faciem eius dixit : Dic mihi rex : quis es melior inter te et imaginem tuam ? Non dubito : quod prestantior tu sis quam pictura tua . Et quomodo dimittitis deum uerum : et picturam eius excolitis ? Erat autem statua solis facta ex auro : habens quadrigam equorum auream et currum habenis effusis quasi cursu capido† agebatur ad cælos . Et dum compellerent eum adorare illum : dixit ad regem : Tu putas rex : quod sicut dixit Caritius : deus meus mihi irascatur : Cum ego deum tuum adorauero . Hoc magis te nosse uolo : quod deo tuo irascetur : et euertet eum : si mox adorauero eum . Dicit rex : inuictissimum solem deus tuus quem Iudæi occiderunt euertere potest ? Dicit apostolus : uis ergo probare : si hoc potest fieri ? Dicit ei Caritius . Excusationes sibi inuenit : ut non adoret solem : neque sacrificet ei . Dicit eis apostolus : Pri | mum ergo adoro eum : et si eum non euerterit deus meus : sacrificabo ei . Dixit ei rex et Caritius et amici eius . Ita fiat : Et introduxerunt eum in templum ducentes choros eos ritu quo solebat . Erant autem uirgines cum lyris canentes : alii cum tybiis : alii cum tymphanis alii cum uitulis atque turibulis : Et cum introisset : ait ad simulacrum : Tibi loquor dæmon : qui in isto simulacro habitas : et das responsa deceptis et stultis hominibus : qui simulacrum uident : et te non uident : adiuro te in nomine domini mei Iesu Christi : quem Iudæi crucifixerunt : ut exeas : et stes ante me : et uideam te : et quod imperabo tibi : hoc facias . Egressus autem dæmon stetit ante eum : ita ut solus apostolus uideret eum : et dixit ei : Ego corde colo dominum meum Iesum Christum . Mox autem ut posuero genua mea in terram : et dixero : ut confringas eum : rogabo dominum meum : et mittet angelum suum : qui te religet : et mittat in abyssum : et ita comminuet non solum simulacrum : sed et templum ipsum euertet . Dicit ei dæmon : Rogo te apostole dei : ne me in abyssum releges : sed permitte me ut omnes istos interficiam : Dicit ei apostolus : Impero tibi in nomine domini Iesu Christi : ut non noceas ulli homini : nisi hoc simulacrum mox ut genua flexero comiminuatur† . Loquebatur autem apostolus cum Dæmone sermone hebraico : et nullus sciebat : uel quid diceret : uel cui loqueretur . Conuersus autem ad regem dixit : Cogita tecum rex . Tu istum deum inuictissimum dicis : et meum deum dicis hominem a Iudæis occisum . Ac per hoc si fortior fuerit deus tuus et non eum inuocatione nominis mei dei confringet eum : ipse dæmon qui in eo latitat : ego non solum adorabo sed etiam sacrificabo ei . Si uero minutatim fuerit attritus hic inuictus tuus : par est : ut relinquas errorem : et teneas ueritatem . Dicit ei rex : Adhuc ausus es mihi ex pari coufabulari† . modo faciam tundi arteriam tuam : si non adoraueris : et sacrificaueris ei . Dicit ei apostolus : Ecce adoro : sed non idolum . Ecce adoro : sed non metallum . Ecce adoro : sed non simulacrum . Adoro autem deum meum Iesum Christum : in cuius nomine impero tibi dæmon : qui in ipso lates : ut nullum hominem lædas : et metallum || simulachri comminuas . Statim autem quasi cera iuxta ignem posita liquefactum idolum resolutum est . quam ob rem omnes sacerdotes†

mugitum leqauerunt† . Pontifex autem templi eleuans gladium transuerberauit apostolum dicens : Ego uindico iniuriam dei mei : Rex autem fugit cum Caritio . Facta est autem dissensio maior : dum pars populi pro apostolo clamabat : ita ut ipsum pontificem qui eum percussit quærerent : ut uiuus incenderetur . Corpus autem apostoli cum honore apostolico cum laudibus et hymnis transtulerunt ad ecclesiam condentes aromatibus pretiosis et fiebant signa magna et prodigia in loco : in quo positum erat . Nam et dæmoniaci liberabantur : et omnes ægritudines curabantur . Denique supplicantes Syri Alexandro imperatori romano redeunti uictori de persidis prælio Xerxe rege deuicto : impetrauerunt hoc : ut mitteret ad regulos Indorum : et redderent eum ciuibus suis . Sicque factum est : ut translatum esset de India corpus apostoli : et positum in ciuitate Edissa in locello argenteo : quod pendet ex cathenis argenteis : In qua ciuitate nullus hæreticus potest uiuere : nullus Iudæus : nullus idolorum cultor : sed nec barbari aliquaudo† eam inuadere potuerunt : tam uoluntate saluatoris quam orationibus sancti Thomæ apostoli : qui et didimus : quique latus domini contingens dixit : Deus meus : et dominus meus : Cui agamus omnes gratias credentes nos per hanc gratiarum actionem indulgentiam consequi peccatorum : et ad apostolorum gandia† peruenire Amen .

PASSIO SANCTI THOMAE CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPI .

Sacrosanctam ecclesiam uigiter† impugnat hostis antiquus . Sed qui ipsam cruore proprio redemit dei filius eam sanguine membrorum suorum in ueram asserit et prouehit libertatem : in quibus præeminet gloriosus apostolorum chorus et sanctorum matyrum† purpuratus exercitus . Sed cum omnes martyres prerogatiuam habeant gloriæ sempiter | næ . titulus tamen illorum illustrior est cæteris : et corona clarius radiat : qui duplici honore et offitio funguntur . Forma gregis ex animo facti et tempore necessitatis ponentes animam pro ouibus suis . Sicut enim stella differt in claritate : sic in resurrectione sanctorum singuli in ordine suo iusti fulgebunt : quibus iure et merito sanctus cantuariorum Thomas archiepiscopus associandus est : Vt qui socius extitit pro Christo tribulationis et patientiæ : sit eis socius consolationis et gloriæ : Cuius ut merita clarius elucescant : summam conuersationis eius et passionis succintus admodum et breuis sermo percurrat .

Prædictus igitur beatissimus martyr Thomas londoniis oriundus a primis adolescentiæ anni† gratia multiplici ditatus est . Erat enim decorus forma : ingenio perspicax : dulcis et iucundus eloquio et uenustate morum pro ætate amabilis . Ab infantia sua sicut referre solitus erat a matre didicit timorem domini et beatam uirginem Mariam sicut ducem uiarum suarum et patronam inuocare : et in illa post Christum totam fiduciam iactare . Publice mendicantibus pleno compatiebatur affectu : et hilari subueniebat affectu† . liberalium disciplinarum scholas egrediens ad curiam se transtulit . Erat autem supra modum captator auræ popularis : et quod de beato Bricio Turonum episcopo legitur : de ipso non dubitauerim affirmandum . Quia si superbus esset et uanus et interdum faciem prætenderet : et amantium uerba proferret : ammirandus tamen et imitandus erat in corporis castitate . Cum uero in curiis procerum plurima contra honestatem clericorum geri conspiceret : instinctu potius gratiæ diuinæ quam consilio amicorum se ad patrem piæ recordationis Theobaldum cantuariæ archiepiscopum contulit : et promerente industria inuentus est dignus : ut familiarissimus eius inter paucissimos ascriberetur . Quot autem et quantos labores ibi pro ecclesia dei tulerit : et quotiens pro expediendis necessitatibus apostolorum limina uisitauerit : quamque felici exitu quæ sibi iniuncta fuerant expedierit : nequaquam dictu facile est . Iuri etenim ciuili et sacris canonibus operam dederat : Et ut rerum experientiam facilius dispensationis ecclesiasticæ usum consequeretur || a præfato archiepiscopo cantuariensis ecclesiæ archidiaconus institutus est . Postmodum cum Henricus secundo dux Normanorum et comes andecauensium succedens in iura matris suæ Matildis imperatricis ad regnum anglorum : ab optimatibus terræ inuitatus est sæpe nominandus martyr noster in tanta familiaritate a rege illo nobili ac potentissimo admissus est : ut per multas regiones se beatos reputarent : qui ei ut consiliario et

cancellario regis effecto obsequi potuisset† . Quippe ex habitu et corporis proceritate ita regendis rebus aptus uidebatur : ut sicut potentes eius tremebant potentiam : sic sancti et humiles quos secretius consulebat : de sanctitate humilitatis eius gloriabantur . Igitur postquam archiepiscopus Theobaldus fati munus impleuit : in archiepiscopum eligitur cancellarius : obloquentibus quibusdam : qui de moribus eius solus† hoc quod exterius uidebant suspicabantur . Post modicum temporis interuallum : cum dux Normandiæ et Aquitaniæ Henricus Gualfredi andegauensis et Matildis imperatricis filius : regi Stephano in regnum Angliæ successisset : elaboratum est ab antedicto archiepiscopo : ut archidiaconus suus regis cancellarius efficeretur : Cuius ope et opera noui regis ne seuiret in ecclesiam : et impetum cohiberet : et consilii sui temperaret maliciam et reprimeret audaciam officialium : qui sub obtentu publicæ potestatis et iuris tam ecclesiæ quam prouincialium facultates diripere conspirabant . In primis autem cancellariæ suæ auspiciis tot et tantas uariarum necessitatum difficultates sustinuit : ut eum sicut archiepiscopo suo et amicis suis sub lachrymarum testimonio referre solitus erat : sæpe in singulos dies tæderet uiuere . Et post uitæ æternæ desyderium super omnia exportaret : ut absque nota infamie posset a curiæ nexibus explicari : Vbi autem immolatus est martyr Christi anima aduertite certe in ecclesia quæ caput regni est et omnium mater in Christo coram altari inter consacerdotes dei quos armatorum carnificum tumultus conuenire fecerat : ad stupendum et miserabile spectaculum intra ecclesiam dei quam natiuitatis dominicæ sollempnitas consecrabat . Et omni iure decuit : ut natalis eius qui | innocenter et sanctissime uixerat : natalem sanctorum innocentium sequeretur . Passurus autem in ecclesia ut dictum est coram altari Christi martyr antequam feriretur : cum se audisset inquiri a militibus : qui ad hoc uenerant in turba monachorum clamantibus : ubi est archiepiscopus : occurrit eis intrepidus dicens : Ecce ego quid uultis ? Cui unus militum pre furore dixit : Vt modo moriaris . Impossibile est enim : ut ulterius uiuas . Respondit archiepiscopus : Et ego pro deo meo paratus sum mori et pro iusticia et libertate ecclesiæ . Sed si caput meum quæritis : prohibeo ex parte dei et sub anathemate : ne cuiquam clerico alii siue monacho in aliquo noceatis : sed sint immunes a pœna sicut extiterunt a causa . Non enim illis sed mihi imputandum est . his dictis uidentibusque eum carnificibus inclinatum habere caput : eduxerunt gladium : et is dixit : Deo et beatæ Mariæ et sanctis huius ecclesiæ patronis et beato Dionysio commendo spiritum meum : et ecclesiæ libertatem . Carnifices autem statim manus iniecerunt in eum : et corona sacrata amputata : et quod dictu horibile est : funestis gladiis iam defuncti eiecerunt cerebrum : et per pauimentum cum cruore et ossibus crudelissime sparserunt . Sed martyr Christi nec uerbum ulterius protulit : nec clamorem emisit : nec brachium aut uestem apposuit ferientibus : Sed caput inclinatum tenebat immobile : et tandem in terram procidens tradidit spiritum . Ex eo autem tempore amplius crebruerunt miracula : quæ uidebantur impiis occultanda . Nam cum beati Martyris corpus sepulturæ tradendum esset et secundum morem pontificalibus uestibus : quod admodum pauci familiares eius nouerant : inuentum est cylicio pediculis et uermibus referto inuolutum : ipsaque femoralia eius cylicina usque ad genua : quod ante inauditum apud nostrates fuerat : reperta sunt . Quis quod sequitur sine lachrymis potest audire ? equidem nullus in omnibus his persecutorum martyris Christi non quieuit furor dicentium : Corpus proditoris inter sanctos pontifices non esse humandum . sed esse proiiciendum in paludem uiliorem : aut in patibulo suspendendum . Vnde sancti uiri qui aderant : uim sibi timentes inferri : eum in cripta antequam satellites Sathanæ qui ad sacrilegia per || petranda conuocati fuerant conuenirent : ante altare sancti Iohannis baptistæ et sancti Augustini anglorum episcopi in sarchophago nouo marmoreo sepelierunt . Vbi ad gloriam omnipotentis dei : per eum multa et magna miracula fiunt cateruatim confluentibus populis : ut uideant in aliis : et sentiant potentiam eius : qui semper est mirabilis in sanctis suis et gloriosus . Nam et in loco passionis beati Thomæ cantuariensis archiepiscopi : et ubi ante maius altare pernoctauit humandus : et ubi tandem sepultus est : paralytici curantur . cæci uident . surdi audiunt . loquuntur muti . claudi ambulant . euadunt febricantes† . arepti a dæmonio liberantur et a uariis langoribus ægroti mundantur . blasphemi a dæmonio arrepti confunduntur . Et quod a diebus patrum nostrorum non est auditum : mortui resurgunt : et orbatis lumine et genita-

libus præcisis : noui oculi nouaque genitalia redduntur . Illo cohoperante hæc et alia multa : quæ referre ualde longum est : qui est super omnia benedictus in sæcula sæculorum . Aspiciebam in uisu noctis primæ martyrii eius : et ecce dilectus noster candidus et aspectu desyderabilis in uestibus et ornamentis pontificalibus introibat ad altare dei : quasi missarum celebraturus mysteria : quod cum etiam sequenti et tertia nocte uidissem : cogitare cœpi : et intra me dicere . Nonne iam sæpius per uisum mihi dominus meus apparuit ? Quare dissimulanter egi : et ei non sum locutus ? Vadam ad eum : et alloquetur me . Et accedens comminus petita benedictione subieci : ne quæso domine irascaris : si te interrogauero : Et ille ait : loquere . Domine inquam non ne mortuus es ? At ille gallice interroganti . Latino sermone respoudit† : Mortuus fui : sed surrexi . Tunc ego : Si uere surrexisti : et inter martyres computandus es : ut credimus : quare te ipsum non manifestas mundo ? Sanctus ad hæc : Lumen porto : sed non potest propter nebulam interpositam apparere . Hæsitante uero me et usque ad propositionis huius intelligentiam non attingente adiecit : Vis uidere ? Volo inquam domine . Prolatam ergo laternam magnam cum ardente intrinsecus candela manu dextra eleuauit : et me circumspicere præcepit . Et uidi | et ecce totum aera tantæ densitatis nebula repleuerat : ut etiam prope astantium oculis lucernam furari uideretur . Animaduerti ergo sermonem : quem dixerat et uisionem intellexi . Sanctus autem lucerna reposita ad altare accessit : incipientibus qui aderant introitum missæ festiuum et gaudio plenum . hoc modo dicentes : Lætare Hierusalem : et conuentum facite omnes : qui diligitis eam : innuit eis pater pius : ut fieret officium doloris et precum : absque modulatione musica et uoce summissa : in hunc modum inchoauit . Exurge quare obdormis domine . exurge : et ne repellas in finem : quare faciem tuam auertis . obliuisceris tribulationis nostre ? adhæsit in terra uenter nonoster† . exurge domine adiuua nos : libera nos . Ex hoc ergo quod ait mortuus fui : sed surrexi : excitatus cogitare cœpi : quia et si mortuus est ex infirmitate : sed uiuit ex uirtute dei : Sicut et episcopo exoniensi Bartholomeo de morte eius grauiter dolenti uir quidam in somnis assistens innotuit : Vnde inquit doles ? At ille : Super domino nostro cantuariensi : quia mortuus est : Verum est inquit homo mortuus est : sed manus eius et brachia uiuunt . Viuit itaque martyr noster . uiuunt et manus eius ad operandum : et brachia eius ad uindicandum . Porro ex hoc quod eum cum tanta deuotione orantem aspexi : intellexi quoniam hic est : qui multum orat pro populo . Has et alias uisiones : complures uidimus . Sed quia longum est narrare : de eius etiam innumerabilibus miraculis quam breuissime potero exponam . Perlatus est rumor execrandi facinoris die tertio in militis domum de Susexia Roberthi de sancto Andrea nomine : Cuius uxor nomine Emma graui præssa infirmitate lucis etiam beneficio carebat . Audiuit mulier : et conturbatus est uenter eius : et cor eius contremuit . Et ab imo pectoris longiora trahens suspiria : uere inquit : præciosum Christus martyrem fecit : Subnectens uerba quoque huiuscemodi : Sancte martyr Christi Thoma præciose tibi me deuoueo : Si mihi uisus gratiam restitueris : et reuocaueris me ad salutem : locum requiei tuæ adibo : uota cum muneribus oblatura . Statim namque ac si conuersus ad illam martyr Christi uoce dominica respondisset : O mulier magna est fides tua . fiat || tibi sicut uis . Quasi sub horæ dimidiæ spatio uoti compos effecta uisum recepit : et citra sextum diem a lecto surrexit . Votum igitur assecuta uoti solutionem uel negligentia uel obliuione diutius protelauit . Correpta est iterum atque correpta grauis flagello infirmitatis . Reuocauit uotum : et conualuit illico et Cantuariam una cum uiro suo super duplicata sibi gratia martyri gratias actura conualuit . Hoc fecit initium signorum Iesus in Anglia pro beatissimo martyre suo Thoma : et manifestauit gloriam suam . Crebrescentibus itaquę paulatim miraculis ad martyris auxilium cæteri cantuarienses infirmi paulatim confugiunt In quibus loripes quidam nomine Manguinus Pauper quidem sed in urbe tamen notissimus Biennio lumen oculorum amiserat . stillam sacri cruoris a quodam pricatus† obtinuit : quam alacriter suscipiens cum ea oculos suos liniuit : statimque uisum recepit : quem ciuitas cantuariensis sicut cæcum extitisse cognouit . ita postmodum uisum recepisse probauit . Altera autem die apud Cantuariam quarti miraculi lumen illuxit . Paupercula Britina nomine cæcitatem incurrerat . Tacta itaque maiestatis spiritu quamuis simplex quamuis cæca corpore : uidit tamen posse esse martyrem : qui sic occubuisset . Vnde in fide fundata uicinum petiit hospitium matrifamilias

supplicans : ut si quid quod de martyre esset acquisisset ad tangenda lumina sibi commodaret . Protulit panniculum rubentem : qui martyris adhuc liquido cruore madebat . Cæca tersit oculos suos : et cæcitatis abstersit caliginem . Ducta uenerat : alterius absque ducatu rediit . Et post dies octo quinti miraculi succreuit læticia uiro Guilielmo presbytero simplicis innocentiæ : qui dum quarto die ante natale beati Thome martyris discumberet : officium linguæ paralisis subtraxerat . Vocati sunt duo medici periti . spondet ei uterque auxilium . Suscipit ægrotus ab utroque Tyriacam quam probatissimam se uterque protulerat habere . Sed tyriacæ eficacia nihil profecit : Cumque sanctissimus martyr dei occubuisset : apparuit uir quidam clari aspectus : cuidam clerico dormienti dicens : Surge : et uade . Dic Guilielmo presbytero : ut Cantnariam† ad nouum Christi martyrem pergat : Si stilla sacri cruoris eius linguæ fue | rit superposita reformabitur ad loquelam . Venit autem ille nuncians presbytero iuxta quod in mandatis acceperat . Credidit homo sermoni : quem dixit ei nuncius : et profectus est statim . Venit itaque Cantuariam : et ad tumbam sancti martyris per noctem uigilauit . Datur ei potus : aqua stille cruoris mixta . Quod proculdubio uoluntate diuina inceptum est : et usque in præsentem diem frequentatum . Primus itaque omnium presbyter prædictus martyris cruorem gustauit : et loquendi gratiam deum collaudans percepit . Noti itaque nominis et magne erga beatum Thomam deuotionis uidimus militem de oylande nomine Stephanum : quem annis non minus triginta dæmones in somnis per singulas noctes fatigauerant : ita ut uel oppresus uel suffocatus : nisi cito excitaretur† deficeret . Clamare consueuerat in somnis oppressus : et seruientes suos ut sibi succurrerent appellare . Excitati illi ex eius præcepto non excubantes eum quandoque ita erigebant : ut sederet uel erectus permaneret . Rogans etiam eos : ut saltem per capillos acrius excussum excitarent . In tanta igitur angustia triginta circiter expleuerat annos : ut omnibus suis possessionibus mallet renunciare : quam tali intolerabili phantasia uexari . Multis locutus medicis multa promittens munera : nihil omnino profecit : Dicentibus tamen illis grauissimam esse infirmitatem ipse autem constanter asserebat id esse dæmonium . Viuebat adhuc Christi martyr in carne : et ab exilio iam reuocatus sui brauium expectabat . Cum ergo miles ante domini eiusdem passionem aliquando obdormiens solita laboraret miseria : uisum est sibi deum adiuuare† : ut sibi fugato dæmonio quietis impenderet beneficium . Nihilque proficiens casu uel nutu diuino subiecit : Domine pro amore cantuariensis archiepiscopi Thome qui ultimus exulauit pro libertate ecclesiæ libera me : Statimque euanescente qui eum uexabat liberatus est . Nec fuit famulo Guilielmi de Guarcebona minor læticia : qui non a phantastica illusione sed a uæhementi dentium dolore mirabiliter ereptus est . Erat enim tumor maxillæ maximus dolor et immoderatus : ita ut furere potius uideretur quam dolere . Et nisi citius alleuiasset eum dominus : || profecto amentia sua coniectus esset in uincula : sed miseratione diuina dormens† elegantissime formæ iuuenem coram se uidit assistere : qui interrogatus : quis esset : se clericum domini cantuariensis esse professus est : Cui ait : Tu uero iuuenis quid habes ? Reuelauit æger quid pateretur : responsumque suscepit huiusmodi . Aperi os tuum : et refrigerium conferam tibi domini cantuariensis pallio : quo passionis suæ hora fuit indutus . Et arrepta chlamidis ora : tenuem auram in os ægrotantis uentilauit : et eandem chlamidem tumidæ faciei apposuit . Expergefactus ille ab omni se dolore liberatum inuenit : Et super se ipso plurimum miratus non sine maiore audientium ammiratione pallium sancti : quod nunquam uiderat quale fuerat : ueraciter descripsit . Factum est autem miraculum hoc citra quadragesimam : et nobis citra sanctum pentecostes diem ostensum . Mulier pregnans Altida de Guerde uenit usque ad partum : et non erat uirtus pariendi : Tribus autem diebus noctibusque totidem parturiens non pariens : et ex nimia doloris angustia morti apropinquans a presbytero suo qui et consanguineus eius erat uiaticum suscepit : seseque orationibus illius arctius commendauit : uidelicet ne obliuisceretur mortuæ : quam uiuam caste dilexerat . At ille dolori patientis compassus : ecce inquit orarium a dei martyre Thoma arhiepiscopo† benedictum . Confide igitur te posse meritis eius liberari : et proculdubio liberaberis . Adhibet illa fidem : et fideliter nomine martyris inuocato cingitur orario . Vix presbyter a domo stadii unius spatio fuerat elongatus : Cum reuocante illum patrefamilias cognouit : quod peperisset mulier : et iam non meminit pressuræ : quia natus est homo in mundum . Miraculum

autem de sanguinis augumentatione gloriosum retulit nobis presbyter Guilielmus de burnis cantuariensibus tum propter uiciniam tum propter sui bonitatem notissimus . Idem cum audisset martyrem se ipsum deo sacrificium obtulisse : cogitare cœpit quam patienter exilium per septem annos porrectum et iniurias proprias sustinuerit : et pro Christo caput obtulerit : Singulas etiam in passione circunstantias conferens luce clarius prospexit omnia ad martyris gloriam concurrere : et titulum gloriosi eius martyrii | commendare . Et de præterito trahens argumenta posuit in corde suo : quod citius miraculis glorificaretur manifestis . Vnde et reliquias eiusdem martyris in breui præciosas futuras esse coniiciens eis aquirendis† totis uiribus incubuit . Ne si miraculorum tempus expectaret : acquirendi sibi copia denegaretur . Palium namque sancti martyris in quo passus est : pro anima eius datum ita ut fuerat cruentatum : uænale inueniens comparauit et de cruore liquido ampullam plenam acquisiuit . Alius autem presbyter eiusdem presbyteri familiaris cum hoc audisset : sibi sanguinem impertiri ut dignaretur impetrauit . Ille igitur postulanti partem daturus in uas mundum liquidum cruorem infudit : quod in ampulle fundo pulueri ammixtum inuenit in sacrarium altaris proiecit : Cumque cruoris parte separata postulanti residuum in ampulam infudisset : augente illo sanguine ampullam ut prius extiterat inuenit impletam . Inuenit idem uir domini honorati uiri Radulfi de Burnes filiam ægrotantem et preualente ægritudine omni sensu destitutam : et insensibilis iacebat . Desperantibus ob eam parentibus : non nisi luctum materia ministrabat . At ille martyris pallium attulit : et in eo puellam inuoluit . Excubantibus circa eam custodibus et dei misericordiam præstolantibus : cœpit paulatim sensum recuperare : et pallii sentire uirtutem . Quid uerbis opus est ? Venit in crastinum presbyter : ut uisitaret infirmam . eamque coeuis suis colludentem inuenit . Edeltridam quamdam Cantuarie degentem sed aliunde genitam paulominus anno quartanæ affecerant . Morti eam esse uicinam febris facies indicabat . Veniens ergo ad sanctum dei martyrem ipsius cruore se potari poposcit . Misciut† ei monachus ut cæteris solebat aquam : ne sapor aut color sanguineus bibenti horrorem incuteret . Exhausto itaque quod erat in calice : redit mulieri color : et uigor pristinus recuperatur . Illam autem postea omnino non tetigit febris . Aderat dies resurrectionis dominicæ : dies in qua tota lætatur et exultat ecclesia . Sola cantuariensis ecclesia hululabat et plorabat in ea . Nobis coram in ecclesia os muti deus aperuit : qui cum ecclesiam fuisset ingressus : statim spiritus conturbauit eum : et concidit elisus in terram . et uolutabatur spumans . Casu fræquenti læ || sus tandem resedit : sed uix intelligibilis potum sibi porrigi postulauit . Aberat tunc populus : eo quod a diuinis cessaret ecclesia . Multitudinem non facile numerares : quam in momento rumor nouitatis attraxit . Quærunt singuli : quid sit : et quid ei contigerit . Votis satisfacere singulorum absque labore non poterat . Quia uero balbutiebat : cogebatur iterare : quod dixerat : De territorio Senofordiæ se orimidum† ante quinquennium in prato dormientem perdidisse loquelam . Accidisse nuper in uisu ut Cantuariam ad nouum Christi martyrem conuolaret loquelam se recuperaturum . Nomen eius scire uolentibus Sampsonem se nominabat . Exclamauimus igitur et nos simul cum aliis ecclesiis : Hæc est dies : quam fecit dominus . exultemus : et lætemur in ea . Eadem etiam die resurrectionis seruienti cuidam catuariensis† ecclesiæ : filium suum morientem martyr reuocauit ad uitam . Godofredi namque pistoris filius nomine Geldegunius quattuor et eo amplius mensibus languore graui fuerat attenuatus . In extremis ex hoc agere credebatur : quod tribus diebus totidemque noctibus absque cibo et potu sine uoce et sensu uelut insensibilis iacuisset . Reuersus pater eius ab ecclesia post perceptam eucharistiam panniculum sanguine martyris infectum in aqua lotum expressit : aquam ipsam in os morientis iniecturus . Mirabile dictu patre suo prope considente sanctuarii præsentis uirtute reuocatus ex insperato alterum oculorum aperuit : patrique suo non parum ammiranti locutus est : Numquid hoc pater bibiturus sum ? porrectumque sibi potum ebibit : Et quinto die reparatis uiribus uidimus eum ludentem . Erant præter hunc eidem uiro duo filii : quorum alter tantumdem temporis alter interuallo breuiore : ui febrium fuerat debilitatus . Videns autem quia sanctuarii uirtus primo profecisset filio : diuisum panniculum utriusque collo appendit . Sed et his statim a febribus liberatis : quattuor hebdomadibus euolutis cum nulla prorsus esset patri eorum reddituri morbi suspicio : soluit ab alterius collo suspensum sanctuarium . Vix illud abstulerat : et conuerterat se : ut

abiret puer itterum febribus correptus totus contremuit : ammirans pater miram nouitatem | sublatam medicinam collo rursus alligauit : Statimque non sine intuentium ammiratione dimissus est : cessauitque tremere . Adiecit ad hæc dominus miraculum non minimum : matronam quandam Ethelburgam nomine uidimus plenam operibus bonis et eleimosynis : quam in humero brachioque sinistro grauis gutta diebus multis afflixerat . Destituta itaque brachii usu cereum iuxta longitudinem eius in honore martyris facere disponebat . Vix enim brachium filo commensa fuerat : cum omnem dolorem illum mitigari sensit : ut confessa est . Cereum itaque factum martyri attulit : et plenam retulit sanitatem . Sanitatis nihilominus inuenit gratiam faber de Nothati Insule nomine Robertus : sed sanitatem præcessit uisio non minus ipso salutis dono miranda : Annis non minus duobus lumen oculorum amiserat . Rei familiaris inopia luminis amissi magis reddebat sollicitum . Iam uero uenerando patre nostro ab exilio reuocato : et ad martyrium suum apropinquante : responsum acceperat huiusmodi uir prædictus in somnis . Vade Roberthe Cantuariam ad ecclesiam Christi : imponetque monachus lac oculis tuis . et uisumque recipies : At ille se primo delusum existimans : nec promissis credidit : nec paruit præceptis . Audito uero postea sanctum dei tot coruscasse miraculis recordatur : quid in somnis audierat : et ad ipsius ecclesiam suorum ducatu peruenit . Nam et uxorem eius et filiam cum ipso uenisse uidimus . Oculis uero illius linitis ex optato martyris cruore : in oratione se prostrauit . Prostatus† quasi tonitrui magni sonitu caput sibi turbari sensit . Turbatus post paululum quietem cum uisu recepit : et dei gratiam publice prædicauit . Qui uero corporeos oculos illuminauit iuuenem de Fornico Henricum nomine menti restituit : Insaniuerat enim diebus aliquot : et amicis suis inopinatum doloris uulnus inflixerat . Colligatis a tergo manibus ad sanctum trahitur . Sancto renitens licet atque reclamans præsentatur : Vbi tota die insaniens recedente luce solis : lucem rationis paulatim recuperare cœpit . pernoctauit in ecclesia . sanissimus in crastino remeauit . Nunciatum est in ecclesia cantuariensi : quod congregassent quidam qui neci martyris inter || fuerant exercitum et fortes auxiliares : quodque parati essent manu armata in proxima nocte martyrem rapere . Nec simul eos in unum conuenisse : sed per loca dispersos audiuimus . Securitatis causa parantur a nobis uires imperatis eorum contraire : Sed et corpus sancti martyris de tumba marmorea in capsam ligneam transponentes : retro altare beate Mariæ abscondimus : Vt si forte uiribus preualerent illi maligni : martyrem non inuenientes in sepulchro : Fraudati redirent atque confusi . Itaque noctu tot uigiles in ecclesia quot monachi fuere . Vigilauit enim dominus pro nobis : et dispersit illos in uirtute sua . Sicut etiam cuidam fratrum nostrorum infirmo et quid circa sanctum fieret ignoranti per uisum ostensum est . Videbat super pinnam templi angelum luce radiantem et monacos plures in circuitu eius super tabulata deambulantes . Et in aliam partem conuersus uidit quasi funem igneum contra faciem ecclesiæ porrectum : et ambitum ecclesiæ cingere minabatur : Rursumque oculis ad angelum coniectis quasi fulmen in aere pendens : iuxta angelum copulatus est . Dum igitur predictus frater ea propter staret stupens ac tremens astitit iuxta eum uir quidam et ait : Quid contemplaris ? numquid scis : quid ista portendant ? Angelus ille resplendens archiepiscopus est . monachi quos in circuitu eius conspicis : huius ecclesiæ filii nocte ista circa illum excubantes fumus igneus capita in diuersas partes iaciens malignantium inuidia est et mala nobis† machinantium . Fulmen autem quod uicinum angelo intueris terror diuinus est impediens ne malum quod mente conceperunt opere compleant . In his uerbis frater ille euigilauit : sedensque in lecto dominum pro defensione ecclesiæ suæ precabatur . Et factus est repente de cælo sonus tonitrui horribilis : et incanduit ignibus : factaque sunt tonitrua et fulgura : et inundauerunt aquæ de cælo . Et uenit tempus quale non fuit a multis ante diebus : et benediximus deum cæli : qui emisit fulgura et coruscationes : et dissipauit eos : et a timore inimicorum ereptos lætificauit nos .

PASSIO SANCTI TORPETIS MARTYRIS . |

Sub Nerone imperatore qui per omnem prouinciam imperauerat : et in amoris sui nomine in partes Tuscie ciuitatem Pisanam restaurauerat et ornatu prætorii thessalarum pallatium ornauerat : quique multis diebus imperium pro traxerat : recogitans cum suis quibus in locis templum ædificaret : ubi quottidie adoleret : inueniens locum in ingressu portæ latinæ ciuitatis Pisanæ in capite pontis fluminis Ausari : et ibidem et in omni pulchritudine ex marmore incisis uel iugulatis tabulis templum iussit adornari : et iussit artificibus : ut ex auro mundo et margaritis statuam Dianæ facerent : quam per singulos dies adorarent . Tunc facta est statua dianæ miræ magnitudinis uultu et oculis quasi uiuens . Et sic eam Nero imperator cum magna ueneratione et multitudine paganorum in uultu templi iussit configi . Et in eadem die cum magna læticia epulantes : templum dedicauerunt : et singulis diebus sacerdotes eorum non cessabant officiis seruientes . Et dum initia templorum essent recogitans imperator cum suis dixit : Credo quia possum et ego cælum facere : in similitudine cæli quod oritur super nos : Et nullus inuentus est : qui præpediret sermonem eius . Tunc fecit cælum æneum in pauimento columnarum marmorearum numero nonaginta : quod cælum iussit minutis foraminibus pertundi . Et effusa a ministris aqua quasi pluuia cadens in terram cœpit Nartius loci saluator clamare dicens : Cognoscant omnes : quia uerum : et inextimabile est nomen Dianæ : ad cuius honorem Nero imperator istas uirtutes ostendit . Et sic mane iussit lampadas fieri in factura solis : et per cælum trahi : ut lucerent populo : qui erat sub cælo . Et uenientes ad occasum extinguebantur . et iterum sero hora undecima fecerunt simile speculum cum magnis gemmis refulgens clare in factura lunæ . Et ante horam constitutam cecidit : et nec ipsa fragmenta inuenta sunt . Sic nocte iussit quadrigam per cælum trahi quasi tonans . Tunc misit dominus uentum ualidum super eos : et quadrigam in fluuio mergi fecit . Et transcapitatus est auriga et nusquam comparuit . Alia die imperator || sedens pro tribunali nesciensque quod factum fuerat : dixit ad populum . Cognoscant omnes quia magna est Diana mater deorum : per quam et ego istas uirtntes† ostendo . Tunc inter eos exiens uir magnus nomine Torpes qui et ipse de officio eius se subtraxerat : repletus spiritu sancto dixit : Quid dicis imperator ? Melior est : qui unum deum uiuum adorat : qui fecit cælum et terram mare et omnia : quæ in eis sunt . Nam qui plures deos colit : unumquemque offendit . Sed audi me imperator : quia ego de eorum genere sum qui a fidelibus tuis Romæ passi sunt : quos coronatos uidi per manus angelorum : quique uitam repromissionis acceperunt æternam . Ad quem Nero : Et tu solus inuentus es : qui hanc ciuitatem euertas ? Cui sanctus Torpes dixit : Ciuitas non euertitur . Nam qui Christum confessus fuerit : saluabitur . Tunc Nero : Pro quo ordine conscientiæ tuæ hoc protestaris ? es† Sanctus Torpes : Conscientia bona de malo ad uitam reuocat : et spiritussanctus ubi uult ingreditur . Nero uero ait . Quare denegas deos nostros ? Respondit sanctus Torpes : Denego : quia uideo omnia fieri imaginaria . Tum Nero : Non contraheris quia uidisti . Sanctus Torpes Respondit . In his probaberis operibus tuis . Sol tuus iam non lucebit . liuia† nusquam comparebit : sonus tonitrui et qui mouebant in fluuio interierunt . Ad quem Nero imperator dixit : Quid non adoras secundum consuetudiuem† deos nostros ? Tum sanctus Torpes respondit . Ego dominum deum uiuum adoro : qui in altis est : qui in cælo fecit luminaria magna solus . Ad quem Nero dixit : Audi Torpes : cogita tecum bene seruiendo ne diuersis pœnis cum iniuria puniaris† . Exiens sanctus Torpes palatium : et multum intra se cogitans dixit : Quid faciam ? Idolis seruiendo baptismum non accipiam salutis : Et sciens quod sanctus presbyter nomine Antonius absconsus esset in monte : exiensque per portam : quæ appelatur Lucana e latere amphiteatri per noctem ambulauit ad eum . Et ascendens in montem clamare cœpit dicens : Pater sancte Antoni presbyter : ubi es . responde mihi : Cui sanctus presbyter Antonius dixit de loco orationis suæ . Et quis es tu fili sancte . Sanctus Torpes respondit : ego sum seruus | tuus Torpes . ad quem presbyter : in monte timeo te : quia ex officio es . Sanctus Torpes respondit : Audi

me pater non timeas : quia osculabor manus tuas : et orabis pro me . Quia iam ego hesterna die imperatori dixi : Christum adorare desydero : et dubius factus sum : quia non baptizatus : ideoque requiro te : ut baptismum percipiam salutis . Tum presbyter : Nescio si uera sunt : quæ hortaris . Sanctus Torpes respondit : Et si mentior : non sum dignus baptismum percipere salutis . Sanctus Antonius dixit : In nomine domini mei Iesu Christi ego te baptizabo . Et descenderunt ad pedem montis : ubi est aqua uiua ad latus storiæ leonum : Et benedixit aquam suis manibus : et perfudit eum baptismo salutis . Et signaculo Christi facto dixit ad eum . Vade fili : quia crescet tibi uirtus loquendi . et expugnandi aduersarios tuos . Tunc osculatus est eum : et plorans dixit ei : Angelus domini comitetur te fili . Ait sanctus Torpes : Ora pro me domine pater : Et dum eadem nocte in ciuitatem reuerteretur angelus domini dixit ei : Torpes sustine . Dum post se respexisset : uidit angelum album indutum et magnum splendorem cum eo : et cecidit pronus in faciem suam tamquam mortuus . Tunc angelus dixit ad eum : Noli timere Torpes : quia dominus hac nocte coronabit te per manum suam . Neque paucas minas inimicorum tuorum : quia ego tecum sum : Et non est in hac ciuitate inuentus homo : qui pro Christo alapam suscepisset : uel pro iusticia cælum intuitus esset . Tu autem fortis esto in ueritate scio : quia mundum dereliquisti : et tu nobiscum eris in paradiso cum multitudine sanctorum dicens : Nam corpus tuum in aliam prouinciam transfretabo . Tunc angelus domini sublatus est ab eo . Et erigens se sanctus Torpes dixit : Gratias tibi ago domine deus meus : quia misisti angelum tuum : qui consolatus est me : et tribuit mihi fortitudinem : sicut propheta dicit a dextris est mihi dominus : ne commouear . Propter hoc delectatum est cor meum : exultauit lingua mea : insuper et caro mea in spe requiescet . Domine deus meus esto adiutor meus ut habeam fiduciam a te : quia me solum elegisti in hac ciuitate confidere in te . Da mihi fortitudinem sufferret† tormenta : ut qui non || credunt : credant nomini tuo altissime . Si ingressus mane in ciuitatem per portam lapideam uenit in forum ciuitatis Pisanæ : ubi residens Nero imperator et plus quam quingenti uiri et consiliarii eius cum eo postquam uidissent eum : stridebant dentibus super eum dicentes Iste est : qui hesterna die magnam dianam : uel alios deos abnegare præsumpsit ? Respondit Torpes : uos negatis : qui deum uiuum non adoratis . Nam Dianam qui colitis simul cum ea peribitis . Tunc nuntiatum est imperatori : quod ille dixerat . Elegit autem imperator unum ex latere suo nomine Satellicum : qui et ipse affinis Neronis inueniebatur : Et Nero Romam ambulare festinabat : quia ibidem non pauci erant : qui pro Christo patiebantur . Dixit autem Nero Satellico : Sede pro tribunali : et audi eum diligenter . Et si non de isto uaniloquio se emendauerit : diuersis pœnis interficiatur . Et aduersum eum sententiam : si perseuerauerit in duritia cordis sui gladio puniatur . Satellicus dixit : quecumque commiseris ordinabo . Tunc Nero Romam ambulauit . Satellicus uero iussit Torpetem in carcerem mitti : dicens : ego probabo : si deus tuus liberabit te de manibus meis . Iussit autem : ut fere tribus diebus escam non acciperet† : propter quod sanctum martyrem deuoraret† . Transactis autem tribus diebus : iussit Satellicus adduci sanctum de carcere : et uenire ante conspectum suum : sedensque pro tribunali dixit ei : Torpes quid enim cogitasti circa salutem tuam ? Iam crede mihi : et sacrifica diis : sicut prius : et antecedet te honor tuus : Sin autem diuersis pœnis maceraberis . Cui sanctus Torpes : Quod semel uidi : negare non possum . Satellicus dixit . Quid uidisti ? Ad quem sanctus Torpes : Qui credit : uidebit angelum Christi . Tum Satellicus : Recede ab hoc uaniloquio . Et ille : Omnes qui non credunt in Christo : ipsi uana loquuntur . Tunc Satellicus iussit eum alapis cædi : et ad columpnam aueritinam nudo corpore ligari . Ait autem sanctus Torpes : Tu autem domine non longe facias auxilium tuum a me . Et dum cæderent eum : fluebat sanguis de latere eius : sicut aqua de fonte . Sanctus autem Torpes eleuans cum fidutia oculos suos in cælum dixit : Memor sum domine : quæ mihi dixisti per angelum tuum . Domine deus uindica sangui | nem meum . Et dum complesset orationem : columpna excelsa : ubi tenebatur : cecidit : et oppresit impios quinquaginta . Sed et ipse Satellicus sub ea mortuus est . Ministri autem tenentes eum : miserunt in rota . Et filio Satellici : cogitante qualiter eum perderet : altera autem die dum sedicio facta fuisset : et magna tristitia in populo : eiecerunt eum de rota : et duxerunt ut ad feras mitteretur . ueneruntque in amphiteatrum : et statuerunt eum in medio eius . Et

subito dimissus est leo dans rugitum super eum . Sanctus autem Torpes signaculum Christi fecit contra eum . Et eadem hora leo mortuus est : et ammirati sunt omnes . Iterum dimissus est leopardus : et ipse flectens caput lingebat eius plantas . Tunc Euellius imperatoris consiliarius uidens mirabilia dei credidit in Christum fugiensque Romam : ibidem decollatus est quinto calendarum maiarum : compleuitque martyrium suum in pace . Tunc sanctus Torpes regressus de amphiteatro introiuit sub cælum æneum cum ministris : et sic elleuans oculos suos in cælum ait . Domine deus uirtutum exaudi orationem meam in hoc loco : Et mitte angelum tuum : qui euertat æneum cælum et columnas : quæ ferunt eum : ut cognoscant omnes : quia tu firmasti cælum : non homines : qui faciunt similia . Tunc angelus domini uenit cum imbribus et tonitruis et corruscationibus : et euertit cælum æneum et uigintiquatuor columnas eius : et non minima multitudo paganorum eadem die mortui sunt . Et ab eadem die multi dubii fuerunt ad sacrificandum idolis . Tunc Syluinus filius Satellici iussit : eum gladio finiri . Ministri tenuerunt eum : ut duceretur ad portam Romanam . Ille autem rogat ministros dicens : Oro uos fratres : per amicum meum Andromeum transeamus . Et sic uenerunt ante domum eius qui cum multitudine populi clamans ad se et plorans : osculatusque est eum dicens : Amice sequere me : et sepeli corpus meum : cum finiero agonem . Credo in domino : mercedem consequeris . Tunc audientes ministri non permiserunt eum uenire ut implerentur : quæ dicta sunt ab angelo : quia corpus tnum† in aliam pronuntiam† transfretabo . Et sic exierunt cum eo portam cirmensem et introierunt in nauiculam modicam . Ministri autem tenebant eum : ne in fluuium mergeret : Syluinus autem residens in foro ciuitatis cum multitudine || paganorum dixit : Melius est ut ad mare decolletur : ne reuiuiscat : quia deus eorum multas uirtutes ostendit . Illi autem dixerunt : Ita fiat : sicut præcepisti . Tunc iussit ut nunciaret eis : qui ducebant eum . Currens unus ex officio clamabat post eos dicens : Hoc uobis præceptum est : ingredimini ad mare : ibidem decolletur . Et uenerunt in graduarnensem : exieruntque ripam fluminis . Tunc ait sanctus Torpes : Domine deus meus suscipe spiritum meum : Nihilque aliud dixit : nisi tantum oculos leuauit in cælum : et sic decollatus est . Ministri autem inuenerunt nauiculam modicam foris : et quia iam nullam utilitatem facere poterant : miserunt in ea corpus iusti : et canem et gallum cum eo : et aquæ decurrenti eam dimiserunt . Et tandiu ibi steterunt dum eam non uiderent . Tunc ministri ciuitatem regressi indicauerunt : qualiter corpus perdidissent . angelus autem domini deduxit eum in portum Sinus ad littus : Adhuc modice a mare concutiebatur nauis . Factus est canis quasi uigilans ad corpus gallus uero indicans . Tunc exiens angelus domini per noctem uenit ad quandam matronam Senatricem : et uero nomine Celerinam : dixitque ei : Celerina ueni diluculo : et uadens ad littus maris in portu Sinus sepeli corpus iusti nomine Torpetis . quæcumque uero petieris a domino impetrabis . Senatrix uero quasi uigilans audiuit angelum loquentem sibi . Exurgens deinde a somno residensque in grabato suo et territa cum lachrymis dixit : Gratias tibi ago domine deus meus quia dignatus es mittere angelum tuum ad commouendam† ancillam tuam . Domine deus meus comple desyderium meum . Alia autem die colligens Senatrix multitudinem sacerdotum et innumerabilem populum ieiunantesque ambulauerunt cum omni ueneratione ad mare . Et dum quærerent corpus : non inueniebant : Tunc Senatrix dum per littus ambularet et lachrymans aspiceret in cælum dixit : Domine deus uirtutum ostende nobis mirabilia tua : ut ancilla tua lætetur in te . Et ostende mihi : quæ audiui ab angelo tuo : Et dum complesset orationem : eadem hora ille gallus cantauit : et ipse indicans eum : et sic ad latus scopuli inuenerunt nauim corpus et gallum et canem cum eo . uidentes† sacerdotes et populi ammirati sunt omnes plorantes et dicentes : Vere iustus et dei seruus iste : qui sic meruit : ut cum tali fragmento ueteris nauis ad littus perueniret . Tunc leuauerunt corpus inuoluen | tes linteaminibus mundis : Et cum magna lætitia deduxerunt eum gaudentes in locum : ubi deo placuit in portum : qui cognominatur Sinus . Senatrix uero condiuit cum aromatibus corpus eius : et cum omni reuerentia et honore disposuerunt in locum . Eadem hora canis et gallus nusquam comparuerunt . Nam et ipsa Celerina super medietatem Hispaniæ imperauerat . Tunc ædificauit ecclesiam mire magnitudinis fundatam cancellis : et cymbo aureo refulgens : Et in eadem die qua fabrice officia in omnem pulchritudinem persoluentes dedicauerunt : multi ægroti salui facti sunt : et usque in hodiernum diem ibi mirabilia dei decla-

rantur . Senatrix uero non minimam pecuniam uel substantiam ecclesie dereliquit : et usque in hodiernum diem congregatur ibi . Post quindecim autem annos audierunt Neronem periisse . omnesque prouinciæ propterea lætabantur : et conuertebantur credentes in dominum Iesum Christum . Tunc exiens unus ex officio eius nomine Archemius qui et ipse iam Christi baptismum susceperat profectus est in locum Sinus . Exiensque de nauicula ingressus est ecclesiam : et orauit ad corpus : et dixit : Cuius uocabuli sanctus in hoc loco requiescit ? habitantes uero ibi dixerunt . Torpes dei seruus . Tunc cognouit : quia ipse fuerat : qui a Nerone in ciuitate Pisana passus fuerat : et dixit : Indulgeat mihi dominus : Quanta ego in eum gessi : per iussa iniquorum principum paganorum : qui interfui : quando iustus iste passus est . Et dixerunt ad eum : Quomodo uocatur nomen tuum ? Ille dixit : Archemius . Et illi dixerunt : Et scis uere : quomodo passus est ? Archemius dixit : Ego in omnibus interfui : et manifeste scio : qualiter passus est : et illi : Nuncia nobis gesta ipsius : Et quia ipse Archemius magnis litteris eruditus erat : residens dictauit gesta qualiter passus fuerat : et exceptor reuelans nomine audacis . Celebratur natalis eius tertio calendas maias . Gloria Christo : qui tantam gratiam dedit timentibus se : et sanctum suum eripuit de altitudine maris . Et omnes qui eum ipsum inuocant in mari adiuuante domino liberabant : Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen . ||

PASSIO BEATI VALENTINI EPISCOPI ET MARTYRIS .

Propheta loquitur ad deum : secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum . in ipsa multiplicatione illi specialiter ad hoc pertinent : qui uitam suam uouerint creatori : ita ut corpus et animam intentissimam Christo faciant . Vnde beatus interapnensis† episcopus sanctus Valentinus bene uiuendo meruit uirtutibus adhærere : quæ latentem hominem omni mundo credentium animis tradiderunt . Cum autem athenienses nobiles natu Proculus Ephibus et Apollonius scholastici uiri apud grecorum scholas latina studia desyderassent : apud Cratonem ciuem suum oratorem utriusque linguæ in urbe roma hospitabantur : huius et magisterio et hospitio utebantur . Factum est autem ut unicus Cratonis filius Cerimon nomine iuuenis scholasticus usque adeo incurreret ægritudinem : ut incuruatus dorso caput habens inter genua remaneret : Cumque omnes pene medici qui in urbe Roma erant nulla ei possent ratione succurrere : quidam Fonteius tribunitius ei dixit : istam passionem acrius suo euenisse germano : curatumque esse a quodam sancto Valentino episcopo : qui est urbis Interapnes† ciuis : hortatur itaque transmittere ad eum . Denique ipse puer ex quo curatus est non illum deseruit dicens : se nimio huius bonitatis affectu esse constrictum . Audiens hoc Craton : misit ad illum nobiles uiros amicos suos : qui illum rogarent : ut ad urbem Romam dignaretur uenire : quem cum uenientem Craton hospitio recepisset : ostendit ei filium suum Cerimonen : et cœpit petere eum : ut sicut curauit germanum Fonteium ita et isti succurreret : Cui sanctus Valentinus episcopus : Tu : si uis : curabitur . Et Craton dixit ad eum : Dimidiam partem substantiæ meæ tibi dare disposui : si istum ab hac infirmitate liberare potueris : Respondit sanctus Valentinus : Miror te magistrum prudentem non aduertisse : quod dixi : tu si uis : curabitur . Nam si credideris Christo meo : fides tua pretiosa est deo et magis quam tu : qui in rebus uilissimis | et uanis uitam tuam expendis : credens effigies malignorum hominum in ligno aut in quocumque metallo expressas aliquam diuinitatem habere : quæ merito hoc obtinuerint . Nunc autem ut non possunt credi : qui sordidissimis actibus et crudelissimis occupati : nullum tempus immune a sceleribus habuerunt . Sed si istam quam insinuo fidem ab hac defendas iniuria . et deo illam inuisibili et omnipotenti committas : dabitur salus filio tuo : quam postulas . Censum uero tuum cuius mihi medietatem polliceri uoluisti : offerre debes pauperibus : qui orent pro filio tuo . Mihi autem nulla ratione suadere poteris : ut pro salute eius aliud quam fidem queram . Crede ergo filium dei uerum deum esse Iesum Christum : et omnibus renuncia simulacris . et uidebis saluum filium tuum . Dicit ei Craton : licet ignorem quo ordine religio uestra teneatur : audiui tamen hoc : quod uniusquisque† per fidem suam saluetur : nec prosit alteri alterius fides : nec obesse popuerit†

alteri infidelitas alterius . Sanctus Valentinus episcopus dixit : Certæ causæ sunt conuersationis humanæ : quæ alterum pro alio nec liberari faciant nec perire . Neque enim in fide dubius pater filio potest obesse fideli . In his ergo causis quas necessitas flagitat sanitātem† quærunt : dum patitur pater pro filio . soror pro fratre . pro seruo dominus : et filiam patri esse redditam . et fratrem sorori . et seruum legimus domino restitutum . igitur pro eorum interitu . IIii qui cruciabantur fidem integram acceperunt ad hoc : ut efficerentur utrique fideles : et salus temporalis data corporibus acquireret animabus æternam : sicut et factum est : ut centurio morientem seruum suum reciperet : et filiam mortuam archisinagogus ad uitam reuersam aspiceret : et sorores Lazarum iam sepultura quatriduanum habentes quem lugebant et flæbant uoce domini suscitatum esse gaudebant . Sunt et multa alia : quæ in nouis et ueteribus sacris uoluminibus ista affirment : et fidem alterius subuenisse aliis doceant : et infidelitatem aliis non nocuisse : quæ nunc memorare longum est . Nam pharaonis unius hominis infidelitas totam Aegiptum cædi fecit uariis plagis : quo adusque cum suo interiret exercitu : et fides Moysi prælian || tibus uictoriam ex hostibus tribuit : et Iesu Naue sanctitas populis in dispersione positis plurimum triumphum attribuit . Quid memorem uiduæ credeuti† ab Helia mortuum unicum suscitatum : dolenti e feretro redditum a Christo unicum uiduæ ? Quid autem paralyticum a credentibus cum lectulo suo funibus depositum ac curatum ? Nonne fides alterius ita aliis profuit : ut fides credentium diuini oris laudem acquireret : et ante credentibus incredulitatem eiiceret : et sanitatem languentibus restitueret : et uitam in mortuis reperaret† ? Hæc et his similia multa sancto Valentino episcopo prosequente : Craton orator cecidit ad pedes eius dicens : Credo : quod iste quem prædicas uerus sit deus : et præter ipsum non est alius : qui imperat langori : ut abscedat : imperat morti : ut fugiat : imperat uitæ : ut redeat . Tum Sanctus Valentinus Fides inquit christiana non tantum uerbis sed operibus demonstratur . Dicit ei Craton : Quæ sunt opera : per quæ fides possit ostendi ? Et ille : Vt abrenuncietur idolis manufactis : quorum effigies adorantur in templis : et ab omni peccato lotus fonte purissimo dei filius adopteris . Craton dixit : Aqua quæ sordes corporis lauat : quomodo potest peccata mundare ? Ad quem Valentinus dixit : Aqua ipsa per mysterium inuocatæ trinitatis spiritum sanctum in seipsam recipiet : et per ipsum uniuersa peccata et crimina dimittuntur . Dicit ei Craton : Dum disputatio longius tenditur : uita mei filii breuiatur . Dicit ei sanctus .† Valentinus : Nisi credideris ea quæ nec audire potuisti aliquando nec uidere : saluus esse non poterit filius tuus . Dicit ei Craton : Quid est : quod ego nec audire potui : nec corde conspicere ? Cui Valentinus : Nunquid ait audisti aliquando uirginem concepisse : uirginem peperisse : uirginem permansisse post partum ? Audisti aliquaedo† aut uidisti siccis pedibus undarum pelagus pertransitum : imperasse uentis : tempestates iussu compescuisse ? Postremo crucifixum mortuum ac sepultum die tertia resurrexisse : atque multis uidentibus ascendisse in cælos : angelis testantibus : ita ut ascendit uenturus assertus est ? Si ista credis facta : accede : et baptizare : ut possis ad salutem filii tui pertingere : | et per ipsum ad uitam perpetuam peruenire . Dicit ei Craton : Quantacumque dixeris et uerborum ampliata fuerit multitudo : uno hoc colligi poterit : si saluetur hic : pro quo ista dicuntur . Respondit Valentinus : Quoniam sapientia mundi in qua tu magister esse uideris stulta est apud deum : et non potest tam perfectæ credere quam fides ipsa deposcit : cui credendum est : da mihi fidem tuam sub hac pollicitatione : ut si filius tuus per meam fidem saluetur : tu uero per salutem filii tui cum omni domo tua conuertaris ad Christum . Tunc Craton uocauit coniugem suam cum omni familia : et prostratus pedibus eius cœpit promittere : quod si ille saluus fieret : omnes crederent Christo : Erant autem in hoc spectaculo Proculus Ephibus Appolonius quos cognouimus græce perfectos ad latina studia peruenisse . IIii itaque simili modo oratoris sui filium Cerimonem cupientes saluum fieri : se credituros affirmant . Tunc sanctus Valentinus iussit sibi cubiculum præparari : et die et nocte silentium fieri : claudens ostium super se et puerum Cerimonem : qui tertio anno transacto ita toto corpore implicatus atque glomeratus iacebat : ut caput habens inter genua remaneret : nullamque partem corporis posset liberam in membris habere . Erant enim eius brachia simul et crura contorta : ut nullus medicorum passionis istius assereret repertum esse uocabulum . Tunc sancto Valentino episcopo ueri dei fide pleno clauso ostio stratoque humi cylicio in quo ipse orare

consueuerat per totam noctem in dei laudibus oratione manenti lumen circa medium noctis tantum apparuit : ut ii qui in spectuculis† erant circa cubiculum putarent intus flamas accendi . Sed spatio unius horæ transacto surgens sanissimus puer simul cœpit uoce clara in dei laudibus incolumis exultare . Audientes illum parentes eius deo canere : quem per annos tres solum gementem audierant mugitumque reddentem : omnes simul gaudentes foris ut reseraret eis : sanctum Valentinum orabant : At ille dixit : Nisi compleuero statutum orationis numerum et hymnorum non uobis aperiam . Sed cum aurora noctis finem imponeret : sanctus Valentinus reserat claustra cubiculi : et Cerimonem iuuenem parentibus ac si nihil || perpessus fuisset : ægritudine liberatum assignat . Tunc Craton cum coniuge sua et omni domo credidit : et baptizatus est . Cerimoni autem uestigia relinquere sancti Valentini nulla potuit ratione persuaderi . Proculus uero et Ephibus atque Appollonius abiicientes studia humanæ sapientiæ ita se contulerunt ad dominum : ut ultra penitus nihil humanarum legerent litterarum : sed conuersi ad dominum spiritualium studiorum se tradiderunt magistro : cuius non tantum sed etiam facta mirabilia probarentur . Interea per hos confluebat multitudo scholasticorum ad Christum : ita ut Abundius præfecti urbis filius animo duceretur : ut tota fidei plenitudine Christi se famulum publica uoce clamabat . Tunc indignatio pene omnium senatorum accensa est : et tentus est sanctus Valentinus episcopus : atque uirgis cæsus . Compellebatur sacrificare dæmoniis : et post diuturnam cædem custodiæ mancipatur : Et uidentes eum constanter gloriari : et omnium qui per ipsum Christo crediderant animos confortantem : medio noctis silentio eiectum de carcere decollauerunt iussu furiosi Placidi urbis præfæcti . Tunc a Proculo et Ephibo atque Appollonio ablatum corpus uenerandum Christi martyris Valentini ad suam ecclesiam interamne urbis nocturno itinere transtulerunt : ibique in suburbano empto terræ spatio non longe ab eadem ciuitate sepulturæ honestissime tradiderunt : Vbi cum quottidianis uigiliis in dei laudibus permanerent : tenti a gentilibus custodie sunt traditi consulari Licentio : qui Licentius agnoscens quod Proculus et Ephibus atque Appollonius populos multos quos cognouerat amatores haberent : timensque ne uiolenter ei a populo tollerentur : noctis medio suis eos iussit tribunalibus præsentari : quos cum uidisset nec blandimentis decipi nec terroribus frangi : iussit eos capitalem subire sententiam . Ipse autem statim cum officio suo fugiens : quo perrexit non se permisit sciri . Tunc populus omnis luctum de nece eorum et gaudium de martyrio habuerunt : quique a sancto Abundio non longe a corpore sunt sancti Valentini sepulti : collaudantes dominum Iesum Christum : qui uiuit et regnat cum deo patre una cum sancto spiritu per im | mortalia sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI VINCENTII LEVITAE ET MARTYRIS .

Probabile satis est ad gloriam sancti Vincentii martyris : quod descriptis passionis ipsius gestis titulum inuidit inimicus : Vnde credimus fide plena relata gestorum : quæ litterarum apicibus annotari iudex non in merito uoluit† : qui uictum se erubescebat audiri . Naturalis siquidem prouidentia est male errantium auferre de medio testimonium probibatis† . Sed quoniam nobilem martyris triumphum noticiæ fidelium tradere disponimus : dignum est : ut et generis nobilitas breuiter intimetur . Fuit enim patre Euticio progenitus : qui Agessi nobilissimi consulis filius fuerat . Mater uero eius Enola ex Osca urbe noscitur procreata : qui a puericia studiis litterarum traditus superna prouidente clæmentia : quæ sibi eum præuidebat uas electionis futurum : gemina scientia sub beato Valerio Cæsaraugustæ ciuitatis antistite efficacissime claruit : a quo etiam sanctitate insignis diaconii arcem suscepit : Et quoniam episcopus impeditioris linguæ fuisse dignoscitur : tradito doctrinæ ministerio uenerabili Vincentio ipse orationi et diuinæ contemplationi sedulus insistebat . At uero memoratus archidiaconus uices sæpe pontificis diligenter exequebatur : Cum igitur apud Cæsaraugustam ciuitatem ut multorum sinceritas et insignita ueritatis uerba testantur : Daciano cuidam præsidi gentili et sacrilego a dominis suis et principibus Diocliciano et Maximiano sæuiendi in christianos sorte occasio cecidisset : et ei oblatranti prophanæ crudelitatis rabies aspirasset : episcopos ac presbyteros cæterosque

sacri ordinis agitatus rapi præcepit . Protinus ergo Valerius episcopus et Vincentius archidiaconus fidei soliditate et perfruendi uictoria subnixi in confessione deitatis alacriter cucurrerunt : tanto feliciores se esse credentes : quanto acriora tyranni supplicia pia longanimitate certassent euincere . Vnde certaminis ac pœnarum dilatio remunerationis uidebatur diminutio . || At Dacianus eius iudex sanctos dei primo Valentiam sub carcerali custodia et famis miseria ac cathenarum stridore pertrahi præcepit : ut eos uexatione itineris frangeret : et facilius subigeret iniuria : quos pœna uidebat superari non posse . deinde cum manibus et ceruicibus immensa ferri pondera sustinerent : et per omnes iam artus tunc mortis supplicia paterentur : cum iam defecisset eos iugis iniuria : et tamdiu a publica conuersatione seclusos nec corpore præualere nec spiritu : timens ne seuiciæ suæ damna pateretur : produci iussit e carcere : nolens eos ante tormenta uitam finire : quibus proponebat : quod nec mortuis parceret : si deorum suorum culturam suscipere renuissent . Hinc pauefactus ad conspectum eorum : quod integri corpore et uiribus essent et inter supplicia fortiores : ait suis : Vt quid istis largiore pastu indulsistis et potu ? Mirabatur enim furore cæcus robustiores esse : quos deus pauerat . Et mox conuersus ad episcopum : quid agis inquit Valeri : qui sub nomine religionis contra principes facis ? Nescis : quia qui regalia decreta spernūnt† : de uita periclitantur ? Iusserunt domini orbis et principes : ut diis libamina persoluatis : nolentes dignitatem ueteris culturæ nouis et inauditis legibus profanari . Quare quod monemus obsequenter attende : quatinus tuo exemplo inferiores facile suscipiant : quod te : qui religionis huius cerneris episcopus esse : uiderint non spreuisse . Sed et tu Vincenti uerbis meis salubriter audi : quem et nobilitas generis et decor commendat gratissime iuuentutis . Itaque uestræ definitionis sententiam in commune edicite : ut aut consentientes honore amplificemini : aut contemnentes tormentorum suppliciis subdamini . Cumque reticeret episcopus : erat enim miræ simplicitatis et innocentiæ eruditus scientiæ : sed ut præmisimus impeditioris linguæ : ait Vincentius : Si iubes pater : responsis iudicem aggrediar . Ait ei beatus Valerius : Dudum fili carissime diuini uerbi tibi curam commiseram . Sed et nunc pro fide qua stamus : responsa committo . Tunc Vincentius cuius mens tota iam erat coronæ conscia : conuersus ad Dacianum : hactenus inquit habitus a te sermo de neganda fide factus est . | Sed nefarium apud christianorum prudentiam esse cognosce : deitatis cultum abnegando aliquatenus blasphemare : Et ne longius pertrahamur : profitemur nos christianæ religionis esse eultores† in sæcula famulos et testes : In eius nomine contra exquisita calliditatis tuæ argumenta spiritalia constanter arma pugnaturi excipimus : minas tuas et supplicia non metuentes : sed potius pro ueritate amplectentes . Suppliciis enim tuis erudimur ad coronam : morte deducimur ad uitam . Seruiat proinde moritura caro in pœnis : quoniam homo interior fidem intemeratam suo seruabit auctori . Ille et enim uenenatissimus serpens et insatiabilis homicida christianam innocentiam tormentis et mortibus uos cogit appetere : qui paradisi hominibus immortalibus spoliatos dignitate morti mirabiliter subdidit : ac substrauit . Ille malignitatis astu idola pro deo coli instituit : uolens† illuc hominem posse obediendo redire : unde ipse superbiendo noscitur corruisse . Iste est : quem cum satellitibus suis a corporibus humanis diuina inuocatione eicimus : cui uos sub uanissimis figmentis ritum profani cultus exsoluitis : et noua dæmentia creaturam creatori præfertis . Exarsit ergo diabolus aduersus christianam fidem : et dum contemni se ac despici uidet : ingemit : Iamque præ ira pene extra se positus Dacianus præses dixit : Amouete hinc episcopum istum . Iustum est enim subire eum exilium : quoniam imperiale contempsit edictum . Grauiorem autem rebellem qui in contumeliam publicam uenit : exhibete tormentis . Animositati enim eius uideo inferenda esse maiora supplicia : quidquid sibi accessurum est pro pœna : ipse præsumit ad gloriam . Applicate eum ad equuleum . membris distendite : et toto corpore dissipate . Hanc pœnam ante tormenta sustineat . Inter hæc Dacianus præses ait : Quid dicis Vincenti ? Vel ubi conspicis tuum iam miserabile corpus ? At ille dei præsentia roboratus alacri uultu Respondit : Hoc est : quod semper optaui : Hoc est quod uotis omnibus exquisiui . Nemo mihi amicicior nec familiarior fuit . Tu solus meis maxime uotis concordas . Ecce iam in sublime agor : et ipsos sublimes principes tuos a sæculo altior de || spicio . Nolo gloriam meam minuas : nec damna inferas laudi . Paratus est enim dei seruus ad omnia pro saluatoris nomine sustinenda . Insurge ergo : et toto malignitatis tuæ spiritu debacchare : et uidebis me

dei uirtute plus posse : dum torqueor : quam possis ipse : qui torques . Crudelitate qua spiras præstabis mihi gloriam : cum inter grauiora suppliciorum meorum exitia uinceris : Vnde ego iam singulariter gaudeo : quia dum patior : uindicabor . Clamare Dacianus cœpit : et inter tortores et carnifices uirgis et fustibus amplius desæuire : sicque facto a pœna paulatim tuto et de dei auxilio securo prius suos diabolus uexabat : et uere quos in potestate habebat . Ait ergo Vincentius : Quid dicis Daciane? Ecce iam de apparitoribus tuis uindicor . Vltionem mihi in pœna ipse fecisti . Summa autem uoce minister diaboli rabidiores cœpit intonare sermones : stridore dentium frendere : Et dum dei martyrem lacerat : se potius ipse lacerabat . Tandem cessere torti carnifices : et defatigata lictorum manus dum per sancti latera pendet uicta deficit . Expalluit torquentium uultus : fortium uultus emarcuit . Anhelum pectus fessis intremuit : et putares eos potius in tormentis sancti martyris torqueri . Exanguis et ipse Dacianus pectore trementi toruis et minacibus oculis clamare militibus cœpit : Quid agitis? Non enim agnosco manus uestras . Homicidas sæpe pertinaciter obsistentes uicistis : paricidarum magorumque silentia alta rupistis . Archana quoque ipsa adulterorum uobis incumbentibus patefacta sunt : Et quisquis pro confessione sui reatus mori timebat : in mortem sua confessione perductus est . Hodie inquam o milites principum meorum : quod in contumeliam imperatorum nostrorum dicitur non possumus cohibere : ut pro solo nostro pudore taceatur? Et qui alteros in confessione suæ mortis cogimus : Hinc silentium pro nostra contumelia nequimus imperare? Sed uos continete paulisper dexteras : uires resumite : ut improbum hostem innouatus miles ad pœnas durius cohereeat . Rimetur acrior ungula intima costarum : et dolor interiora penetrans : gemitum reddere faciat non contemptum . Tunc | denuo surridens Vincentius Daciano ait : Hoc est sane : quod legitur : quia uidentes non uidebunt : et audientes non intelligent . Dominum enim Christum confiteor filium altissimi patris unici . ipsum cum patre et spiritu sancto : unum solum deum esse protestor : Quia ergo quæ uera sunt fateor : negare me asseris . Plane debes torquere : si mentiar : sicque deos principes tuos dicam . Sed torque diutius confitentem . Nec a mea obsecro pœna cesses : ut uel sic possis probatam licet sacrilego spiritu tuo suspirare ueritatem : eiusque in superabilem agnosce confessorem . Nam quos iubes deos confiteri : idola sunt lignea et lapidea . Tu illorum testis tuque mortuorum fias mortuis pontifex . Ego quoque uero et uiuo deo sacrifico : qui est benedictus in sæcula . At nimia præses feruens insania totaque facie humanitatis euersa : solam in corpus beati martyris aciem luminum uenenumque pestiferum fundebat oculorum : profluentem non iam a solis lateribus sed a toto corpore sanguinem cernens . Erant enim uiscerum interna patefacta . Nam iuncturas e compagibus diuersitas tormentorum seperauerat . Nihil enim erat : unde iam suis posset irasci . Sed quod uincebatur iam et ipse mirabatur . Ait autem miserere tui Vincenti : ne florem perdas nunc primum uernantis ætatis : et in primis annis positus uitam tibi minuas longiorem . Parce suppliciis tuis : ut uel sero quæ supersunt tormenta lucreris . At ille repletus spiritu sancto ait : O uirosa diaboli lingua quid in me non facies : qui deum et dominum nostrum Iesum Christum temptare uoluisti . Non timeo supplicia : quæcunque iratus impegeris : Hoc magis formidini est : quod fingis te uere misereri . Incurrant denique omnes pœnæ : et si quid præstigiorum : si quid tuæ artis peruerse : si quid malignitatis uiribus potueris exere . Debes enim dulcem sub amarissimo ueneno fidem et fortitudinem ab animo experiri christiano . Præstat quippe tolerantiam fortitudinis : qui suis in euangelio loquitur : nolite timere eos : qui corpus occidunt : animæ autem non habent quid faciant . Nihil ergo de suppliciis minnas† : ut in omnibus te uictum esse fatearis . Post hoc Dacianus dixit : transferratur hic ad legitimam quæ || stionem : ac percurrat molestiora tormenta : et si tandiu anima durare potest inter supplicia : uel membra deficiant : Vincere me iste non potest : dum uiuit . Vincentius respondit : O felicem me inquit : istæ minæ tuæ ad laudem et gloriam mihi sunt : et terror asperior cumulatior beatitudo . Quod ergo irasci te putas grauius : modo melius incipis misereri . Hinc ex equuleo assumptus leuita Vincentius atque ad ignis patibulum raptus : tortores suos pene ipse præueniens : moras carnificum arguens ad pœnas alacriter properabat . Iam enim truculentus minister proferri lectum cum serratis iusserat costis : et addita subter carbonum congerie exurendum dei martyrem applicari . Intrepidus itaque dei athleta candentis ferri machinam ultro conscendit . Tor-

quetur . flagellatur . exuritur : et distentis membris crescit ad pœnam . Inseritur quoque pectori et membris depræssa asperitas lamminarum : et decurrente inter ipsas candentis ferri acies lipuore† stridens flamma aruina respergitur . Vulnera uulneribus infliguntur : tormentis tormenta desæuiunt . Salis ignis sparsi crepitantes minutiæ per membra dissiliunt . Etiam non ad artus tantum sed ad ipsa uiscerum addita suppliciorum tela iaciuntur : Et quoniam integri corporis pars nulla supererat : quæ primum non fuerat plaga illata : iam et ipsa renouatur . Manet dei seruus immotus : et erectis in cælum luminibus dominum præcabatur . Interea Dacianus de Vincentio beatissimo non recte sollicitus recurrentibus militibus suis quid ageret : quid diceret : inquirebat . Renunciatur ab afflictis et præ labore mærentibus percurrisse illum uniuersa supplicia hilari uultu et spiritu fortiore : pertinaci magis eum professione quam cœperat Christum dominum nostrum confiteri . Tunc ait Dacianus : Vincimur . Sed hoc solum de suppliciis superest : si flecti pertinacia non potest : uel semper duret in pœna . Spiritus qui coherceri non potest : priuatur . Quærite locum tenebrosum et oppræssum urgente tectura ab omni publica luce sepositum perpetuaque nocte damnatum : reatui eius peculiarem extra uidelicet carceris carcerem . Ibi fragmenta testarum exasperata congerite : ut quidquid iacentis corporis male incisa fractura teti | gerit : illimatis infigat aculeis : et ipsa conuersio laterum innouetur ad pœnam : ut id scilicet quod commutatis artibus membra quærunt euadere semper offendant . diuaricatis præterea et distensis cruribus ligno pedes eius constringite : quatinus discissis pœna artubus rebellis principum expiret . Inde clausum relinquite in tenebris : ne oculis quidem respiret ad lucem . Nullus ibi hominum relinquatur : ne uel consortio alicuius sermonis animetur . Clausa et obserata sint omnia . Solliciti tantum estote : ut quando defecerit : nuncietur . Implent sine mora ministri : quod iudex præceperat : et dei athletam fortissimum horrendo recludunt ergastulo . Sed cum prima quies fessos artus custodum somno uincente lassasset : quod Dacianus pro pœna grauissimæ mortis intulerat : diuinitus commutatur in gloriam . Carceris illius nox æternam accepit lucem . Flagrant cerei ultra solis fulgorem radiantes : laxatumque ligni robur dissiliuit : ac testarum asperitas fit florum redolentium iucunditas et mollities : quibus dei seruus et inuictissimus athleta refectus : psalmum domino et hymnum dicens lætus exultat : Sicque solitudo horribilis angelica releuatur frequentia : quorum caterua uallatus martyr egregius uenerando fouebatur obsequio : et mulcebatur alloquio . Agnosce inquiunt o Vincenti inuictissime : pro cuius nomine fideliter decertasti : ipse tibi coronam præparatam seruat in cælestibus : qui te uictorem esse fecit in pœnis . Ego igitur iam securus de præmio : quia mox deposito carnis onere nostro addendus eris collegio . Dantur hinc laudes deo altissimo : et resonante organo uocis angelicæ modulata suauitas procul diffunditur . Turbati uero subito expauere custodes . Et ut uæhementi stupore attoniti certius de miraculo explorare contendunt . clausas fores adeunt : et introspicientes per rimas deitatis ministros syderea uenustate corruscare cernebant . Antrum tartareis tenebris pridem horribile immensa luce splendere . Testarum aculeos multipliciter florere : sanctumque dei martyrem solutis cunctis nexibus deambulantem psallere : qui mox diuino terrore atque respectu cumpuncti relicto gentilitatis errore chri || stianæ religioni fideliter se dedere : cupientes iam mente mutata deuotionis suæ obsequia ei impendere : in cuius ante fuerant nece crassati . Venerat et multitudo uicina fidelium dudum de ipsius mæsta suppliciis : sed de concessa cælitus gloria alacris : quibus beatus Vincentius dixit : Nolite timere : Laudesque dei contemnendas nolite putare : imo propere irrumpite : et solatia angelico obsequio ministrata oculis haurite securi . Vibi† reliqueratis tenebras : gaudete lucem : Et quem in gemiscere in suppliciis credebatis : in laudem ueri dei exultare gaudete . Laxata sunt uincula : creuere uires : corpus stramenta mollia refecerunt . Miramini potius et ueritatis asserite præconiis Christum in seruis suis semper esse uictorem . Renuncietur ergo Daciano : qua perfruor luce . Commitetur si ualet aliquid : et addat gloriam meam : de laudis titulo nihil defraudans : sed exercens quidquid adhuc furor debachantis inuenerit . Si quidem soli illius misericordiæ timeo : ne uideatur† uelle ignoscere . Ad hanc renunciationem exanguis et trepidus Dacianus in hæc uerba prorupit : Et quid amplius faciemus ? Victi sumus . Referatur itaque ad lectum corpus . stramentis mollibus foueatur . Nolo enim gloriosiorem facere : si inter tormenta defecerit . Indulta pausillum requies

attrita pœnis membra refoueat : et obducto in cicatricem hiatu uulnerum denuo nouis et exquisitis suppliciis innouatus : et ipse subdatur . Verum Daciano inaniter tractante de supplicio Christus clæmenter disponit de proprio : delatus namque dei martyr ad lectulum : ac piis sanctorum manibus in stratu mollitiæ repositus : mox præciosa resolutus in morte cælo spiritum reddidit . Videres circumstantium frequentiam sancti uestigia certatim deosculando lambere : uulnera totius laceri corporis pia curiositate palpare : sanguinem linteis excipere sacra ueneratione posteris profuturum . Cognito igitur abscessu eius iam uictus atque confusus Dacianus dixit : Si non potui superare uiuentem : puniam uel defunctum . Non est spiritus : qui repugnet . non est anima : quæ uincere contendat : cum uacuo corpore nullum est certamen . In exangues artus corporis desti | tuti nouis suppliciis debachabor . Satiabor nunc de pœna : et si mihi non potuit prouenire uictoria : Proiicite inquit illum in apertum campum nullo defendente obstaculo : ut cadauer exanime sæpulturæ carens honore a feris et auibus penitus consumptum non compareat : ne forte christiani eius tollentes reliquias : martyris sibi uendicet dignitatem : Expositum ergo ad supplicia sine tegmine uenerabile corpus angelicis rursum excubiis et obsequiis honoratur . Non illud aliqua hominum quæ forte corrumpi potuisset manus seruabat . Non ipsa licet pia sanctorum miseratio : quæ sibi tantum prouenisse martyrem in commune gaudebat : et puto ob hæc diuino instinctu humana negata esse obsequia : ut diuina non deesse aliquatenus uideretur custodia . Corpus† itaque auis lenta et pigerrima haud procul residens quasi tetra sui spetie lugentis habitum demonstrans : cum aduentantes aues aliquas ac pernicibus metuendas alis quodam impetu eminus fugaret : aduenientem subito immanem lupum incursu etiam non segni abegit a corpore . At ille reflexa ceruice in aspectum corporis sacri stupefactus hærebat : et ut credimus custodiam mirabatur angelicam . Reddita nunc nobis est antiquitatis historia per auem similem . Nam qui ante heliæ pleno ore cibos detulerat : nunc sancto Vincentio martyri iussa ministrat obsequia . Territus ad hæc Dacianus nuncio dixit : Puto quia iam nec mortuum uincam : Cum enim acrius sæuiens prosequor gloriosiorem mea sæuitia facio . Sed si consumi in terra non potuit . Demergatur in pellagus : Ne erubescamus quottidie sub oculis omnium . Victoriam eius uel maria celabunt . Insuatur inquit complicitum cadauer in equuleo paricidæ : breuique fixela impositum : ubi nautæ spatia longiora processerint altioris sali fluctibus imprimatur : quatinus scilicet pasti pisces si quid lacero superest corpori uel lambendo consumant : aut belluino lacerans ore quem lenitudo non attigit bestialis . Fidus præterea minister haud parui ponderis molam nectere non negligat : ne forte unda mobili ad peregrina cadauer deuectum littora negatam assequatur aliquatenus sepulturam : quin potius recipro || catum fluctibus ad scopulos frequenter allisum dispereat : ut nec mortuus inter saxa quiescat . Ecce quid agis sæuissime Daciane . Facis et in alio elemento martyrem nostrum esse gloriosum . Ergo ut fuerat iussum cadauer insuitur : et ceruicetenus constipatum duris ad molam funibus coarctatur . Tunc quidam Eumorphius homo prophanæ mentis et sacrilegi spiritus : qui in id ipsum Daciano funestum promiserat obsequium : collectis ex urbe nauticis uiris : infandum scelus instabat peragere . Et facto agmine nauem conscendens promisso fidelis in crimine : socios spatia longa atque diffusa hortabatur transmittere : quod incitati nautæ implere non differunt . At ubi eorum oculis montium sunt obducta cacumina : atque omne littus euanuit : timentes : ne forte ad aliam prouinciam deportarentur : in medium maris iniectum fluctibus impressere : Et redeuntes ad Dacianum hilares quasi suo præsidi prima gaudia reportarent : plausu dissono perstrepebant nautica uociferantes lasciuia : subtractum ab oculis omnium esse Vincentium . Et ob hoc primi nuncii magis præcipites summa cum celeritate festinabant redire . Sed illos Daciani fortissimos remiges dei manu gubernante . beati martyris corpus præuenerat : et quod altioris sali credebatur profundo teneri iam ad portum sibi uenerat quiescendi : Ante quodammodo honorem reperiens sepulturæ : quam nunciari potuisset expositum : ut diuinis clarescentibus miraculis Christi miles post mortem quoque ostenderetur inuictus : quem nec supplicia deuincere : nec maria quiuerunt absorbere . In die enim sui certaminis non est a pio domino destitutus : quia illi caput antiqui serpentis conterere dum fideliter studuit in mandatis domini decertare . Interea sanctus martyr quemdam uirum in ectasi conueniens se deportatum ad littus indicat : locumque in quo iacebat demonstrat : qui de uisione aliquantulum hæsitans dum tardius funeri

monstratum exhibere parat obsequium : commonita in somnis quædam uidua ætate et sanctitate plenissima uera signa quiescentis corporis accepit scilicet ubi illud reciprocatum fluctibus mollis harena tumulauerat : et elementi ipsius prolambente congerie ad honorem sepulturæ famulando seruiebat : quam | uisionem non ignorans diuinitus sibi esse manifestatam pluribus christianæ relligionis clam innotescere studuit : et ut ad negotium sibi cælitus ostensum una pergerent : sollertus eos exhortari curauit : Venit ergo ad locum et quasi relegans certa oculis signa in curuo littore intentione dirigitur . Mox beati Vincentii corpus inter ipsa soli aquarumque comercia reperiunt : quem diuina miracula pro suæ sanctitatis merito et terris clarificauerant et pelago . Itaque propter metum gentilium non ualentes cum digno uenerationis tumulare cultu : ad quamdam paruam detulerunt Basilicam sepeliendum . Tandem autem cessante perfidorum crudelitate ac fidelium crescente deuotione beatissimus martyr ad sepulturæ honorificentiam inde leuatus digna cum reuerentia deportatur : et sacro sub altari extra muros eiusdem ciuitatis Valentiæ ad quietem reponitur . Vbi meritis ipsius diuina multipliciter præstantur beneficia ad laudem et gloriam nominis Christi : qui cum patre et spinitu† sancto uiuit et regnat per omnia sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI VICTORIS MARTYRIS .

Regnante impio Maximiano imperatore in ciuitate Mediolanensi erat persecutio ingens christianorum . Erat et ibi quidam miles Maurus genere nomine Victor notissimus imperatori . Tunc renunciauerunt Maximiano imperatori dicentes : Domine clæmentissime imperator Victor Maurus christianus effectus est : et blasphemat deos nostros dicitque eos dæmonia esse . Tunc indignatus imperator iussit compræhendi : et ad se perduci : Cui et dixit : Victor miles noster quid tibi deesse extimasti : ut te christianum faceres ? Victor respondit : Non ego nuper christianus sum effectus : sed ab ineunte ætate mea . Cui Maximianus : Ergo : ut asseris : manifeste christianus es . Victor respondit : Manifeste christianus sum : et Christum Iesum filium dei uiui de Maria uirgine per spiritum sanctum natum adoro : et credo corde : et ore non cesso lau || dare . Tunc Maximianus ira repletus iussit in carcerem mitti iuxta circueuntihus† ad portam ticinensem : et diligenter custodiri dicens ad eum : Vade Victor . tracta tecum : qualiter possis euadere horrida : quæ te fortiter laniabunt : si sacrificare nolueris . Missus itaque in carcerem fecit ibi dies sex : et iussit neque panem neque aquam ei dari . Septima autem die iussit sibi Maximianus imperator tribunal ex alto in hippodromo circi præparari : et iussit adduci sanctum Victorem : aitque ad eum : Quid est Victor quod tractasti circa salutem tuam ? Sanctus Victor Respondit : Salus mea et uirtus mea Christus est : cuius spiritu nutrior : quem in uisceribus meis accepi . Quare Maximianus imperator ira repletus iussit fustes afferri : et iussit in conspectu suo extendi eum : et tres terniones transire et ei clamare : Sacrifica diis : quos imperator et omnes adorant : Cumque fuisset cæssus† : iussit eum erigi : Cui et dixit : Victor audi consilium meum accede : et deserui diis istis : quia nemo potest deseruire eis sicut tu et præterea cum sis canis decoratus . Ad quem Victor : Beatus Dauid rex et propheta docet omnes christianos dicens : Omnes dii gentium dæmonia : Deus autem noster cælos fecit . Si ergo ab initio dæmones appellantur : quomodo eos adorabo ? Tunc Maximianus ei dixit : Ecce tibi honorem magistri militum aurum et argentum multum et ministeria possessionesque : tantum immola diis : quos nos colimus . Cui Victor : Iam dixi : et iterum dicam : non sacrificabo dæmoniis : sed deo sacrificium laudis meipsum offero : quia scriptum est : omnis sacrificans dæmoniis et non deo erradicabitur . Anolinus consiliarius Maximiani imperatoris dixit : Victor promissi sunt tibi honores a clæmentissimo imperatore : quare non sacrificas diis : quos imperator adorat : et quibus ceruicem suam flectit ? Ad hæc uictor : Ego præmia a uobis promissa non accipio : sed a deo meo quottidie accipio fortitudinem . Tunc iratus Maximianus iussit eum iterum in carcerem mitti ad portam : quæ dicitur romana : et ibi custodiri a militibus : cumque ibi esset tribus diebus : iussit ipsa tertia dei† eum de carcere adduci : et dixit ad eum imperator : Immola diis : quos

uera diuinitas demonstrauit . Et | Victor : ego diis paganorum non immolo . Turpe est mihi : ut quem in baptismatis sanctificatione percepi a te homine corruptibili et in omni necessitate constituto coactus deseram . Non facio . fac : quod facturus es : quia scio : quod fortior te est : qui pugnat pro me . Tunc Maximianus imperator et Anolinus consiliarius eius iusserunt fustes afferri : sternique eum : et quinque terniones transire : et clamare : sacrifica diis : quos imperator et omnes adorant . Tunc sanctus Victor cum esset in pœnis positus : dolores non sentiebat : sed sic orauit ad dominum dicens : Domine Iesu Christe cuius annona quottidie nutrior rex meus et deus meus adiuua me in pœnis istis positum . Deinde Maximianus imperator ei dixit : Vuictor† consule sanguini tuo : et immola diis : quos alii adorant . Nam per deos et per salutem meam et statum reipublicæ : faciam te ad omnium hominum experimentum deuenire : Et ne speres quod si a me punitus fueris christiani te seruum meum sibi martyrem faciant : sed ibi te iactari iubeo : ubi nunquam corpus tuum inueniri possit . Ad quem Sanctus Victor respondit : Non sacrifico . fac : quod tibi uidetur . Non de seruo tuo facis : sicut dixisti : sed de seruo Christi . Indignatus itaque Maximianus quod sic ei respondisset : iussit in carcerem mitti iterum ad portam Romanam : iussitque pedes eius in cippo extendi : Cumque ibi esset reclusus : misit ad eum Anolinus consiliarius imperatoris . Ite dicite Victori : Homo male consule senectuti tuæ : et ne amplius ad iracundiam pro uoces Imperatorem . Audi consilium meum : et sacrifica diis nostris : et pete ab Imperatore qualem uolueris honorem : Nam per deos et per salutem imperatoris multa tibi tormenta præparantur . respondit Victor ad illos ipsos qui ad eum uenerunt : Ite . dicite Anolino : Ego diis paganorum non immolo : quia docet nos scriptura : confundantur omnes : qui adorant idola : et qui gloriantur in simulachris suis . Ego deum uiuum et uerum adoro : ut non confundar in æternum : Cumque hoc renunciatum fuisset Anolino et Maximiano imperatori irati sunt ualde . Altera die iussit imperator Maximianus educi eum de carcere : dixitque Anolinus : Victor tantum est obduratum cor tuum : ut non || obedias imperatoris iussioni : et sacrifices ? Cui sanctus Victor : Non sacrifico diis immundis et sine sensu . Quare imperator iussit omnia genera tormentorum ante eum afferri : aitque ad eum : Vides Victor quanta tormenta te expectant : si non sacrificaueris . Et ille : Ista tormenta quæ mihi inferre uis a deo meo maiora tibi præparantur in illa die iusti iudicii : quod Maximianus indigne ferens : quod eum aperte blasphemasset : iussit plumbum afferri : et regelari : totumque corpus eius perfundi : Et cum perfunderetur : sic orauit ad dominum dicens : Domine Iesu Christe propter cuius nomen hæc sustineo adiuua me : et sicut liberasti tres pueros immaculatos de medio camino ignis ardentis : et confudisti tyrannum ita et nunc libera me seruum tuum : ut erubescat impius Maximianus cum satellitibus suis . Statim affuit angelus domini : et plumbum ita frigidum fecit quasi aquam de fonte leuatam : et non est combustum corpus eius in ulla parte . Igitur expandens manus suas beatus Victor benedixit dominum dicens : Benedico te Christe Iesu fili dei uiui : quia dignatus es misereri seruo tuo : et mittere angelum sanctum : qui et plumbum refrigerauit : et plagas quas in me exercuit impiissimus Maximianus in unguento tuæ misericordiæ unxit . Tunc Maximianus cœpit in stupore esse et omnes qui aderant ei : quod non fuisset combustum corpus eius : et Sanctus Victor dixit : Gratias tibi ago domine deus pater domini nostri Iesu Christi : qui et plumbum refigerasti† : et tormenta me uincere fecisti : ne facias me temptari a diis istis . Maximianus itaque imperator iussit : ut duceretur ad portam : quæ uocatur Vercelina : Et dum expectarent quæ iuberet Imperator : quieuerunt ibi . Tunc milites deinde qui custodiebant sanctum Victorem soporati sunt : Et exurgens sanctus Victor fugit : et abscondit se in amphiteatri stabulo : exurgentes uero milites secuti sunt eum : et inuenientes unam mulierculam interrogauerunt eam dicentes : Num uidisti hunc hominem canum scissa ueste ire ? Respondit mulier : et dixit : Vidi huc hominem canum : scissa ueste fugere . Itaque sequentes eum milites uia quæ uocatur stabuli | peruenerunt ante theatrum : et intrantes in stabulum : inuenerunt sanctum Victorem absconsum ante capita equorum . Tunc milites exprobrantes ei : eduxerunt illum foras . Porro audiens hoc Maximianus : quod sanctus Victor fugisset : indignatus est militibus illis . Iussitque ab illis militibus eum duci foras ciuitatem ad hortum : qui uocatur Philippi . Ipse autem Imperator deambulans in hippodromo circi misit ad eum cursores dicens : ite dicite Victori : Desperasti de

uita tua non uis sacrificare ? Per deos quia si non sacrificaueris : faciam te capitalem subire sententiam : quibus sanctus Victor respondit : Ite . dicite Imperatori uestro : quod facturus es : fac celerius : quia ego desydero percipere mercedem meam a deo meo : propter quem hæc patior : quia tempus est : si tamen illi placet : qui mihi animam et spiritum dedit . Tunc Maximianus imperator iussit uocari scurrones : et iussit eis ut duceretur ad syluam : quæ ad Vlmos uocatur : ubi uiridarium habebat Imperator : et ibi eum decollari : cumque duceretur : dixit militibus : qui eum ducebant : Dicite imperatori Maximiano : quia in isto anno morietur : et cum mortuus fuerit : nulla eum capiet sepultura nisi ei tibiæ frangantur : cum autem hæc dixisset : peruenerunt ad locum : et fecit orationem dicens : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : quia non me segregasti a sanctis tuis conciuibus meis Nabore et Felice . Benedico te : et gratias ago in omnia sæcula sæculorum : amen : cum uero compleuisset orationem amputatum est caput eius ab scurrone . Tunc iussit Imperator : ut nemo sepelliret corpus eius : ut a bestiis deuoraretur . Post dies sex misit Imperator quæstorem suum cum militibus suis : ut uideret : si iam a bestiis aut a serpentibus deuoratum fuisset . et euntes inuenerunt corpus eius intactum atque in nulla parte contaminatum : et duas bestias unam ad caput et aliam ad pedes custodientes corpus sancti Victoris . Et reuertentes renunciauerunt imperatori . Tunc iussit maximianus imperator : ut sepelliretur corpus eius . Abiit sanctus uir beatissimus Maternus episcopus : et ita inuenit duas bestias unam ad caput aliamque ad pedes custodientes corpus eius et ipsum ac si eadem hora fuisset decollatus . At ubi || uiderunt sanctum Maternum episcopum : cesserunt locum : et tamdiu ibi steterunt : quamdiu leuatum est corpus eius . Qui corpus sanctum Linteaminibus inuoluentes perduxerunt non longe ab ipsa sylua : et sepultus est in pace . Tunc Anolinus consiliarius iussit compræhendi omnes exceptores : qui erant pallatii : fecitque iurare per deos suos : quod si quis haberet aliquam cartha muel† scedulam : nemo illi celaret . Tunc iurauerunt omnes per deos et per salutem Imperatoris : quod nemo illi celaret . Et afferentes omnes carthas : fecit eas incendi ante se a scurrone : quod factum placuit Imperatori . Tunc ego Maximianus notarius imperatoris christianus ab infantia iuraui per paganissimum eorum : et tamen per noctem cum luminaribus in hippodromo circi scripsi prout memoria potui retinere : quia ibi manebam : et adiuraui omnes : ut si quis inueniret scripturam hanc : christiano uiro non negaret hæc omnia oculis meis uidi deo teste et sancta trinitate . Decollatus est autem sanctus Victor octauo Iduum maiarum : et sepultus est a sancto Materno episcopo pridie Iduum maiarum . Passus est sanctus Victor in urbe Mediolanensi sub Maximiano imperatore regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sempiterna sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI VITALIS MARTYRIS .

Sanctus Vitalis militans uir consularis postquam cum paulino iudice suo Rauennam ingressus est : uidit in conspectu suo quemdam christianum nomine Vrsicianum arte medicum : natione lygurem post nimia tormenta capitalem accepisse sententiam . locus autem ubi decollabantur christiani hoc habebat uocabulum : ut diceretur palma . Arbor enim antiqua et palma illic erat . Igitur ut diximus post nimia tormenta cum decollandus uenisset Vrsicianus ad palmam : expauit : Et cum uellet male euadere : exclamauit Vitalis dicens ei : Noli Vrsiciane medice : qui alios curare consueuisti : teipsum æterne mortis iaculo uulnerare : et qui | per passionem nimiam peruenisti ad palmam : ne perdas coronam a domino tibi præparatam . Audiens hæc Vrsicianus genu posuit : et spiculatore† ut feriret hortatur agens pœnitentiam : eo quod expauisset Christi martyrium : Statimque ipse Vitalis corpus martyris rapuit : et intra Rauennatium urbem cum omni honore sepeliuit . Post hæc autem sanctus Vitalis ad iudicem suum uoluit ire : Quem Paulinus consularis ideo maxime teneri mandauit : non tantum quia contempsit ad eum ire : quantum ex hoc : quod ita . christianus esse detectus est : ut etiam uolentem sacrificare Vrsicianum arguerit : ne periret . Et affuit ei domini misericordia : ut rediret ad palmam martyrii : et gemmam prætiosam : quam diabolus rapere studebat domino Iesu Christo : redderet .

Paulinus igitur consularis iussit sanctum Vitalem leuari in equuleo : ut per nimia tormenta potuisset eius animum ad sacrificandum euertere : Cumque impositus esset sanctus Vitalis in equuleo ita respondit : Infinita tibi dominatur stulticia consularis : ut putes me ipsum decipere : qui alios a periculo deceptionis liberare studui . Tunc Paulinus consularis dixit ad officium suum : Ducite eum ad palmam : et si sacrificare noluerit : nolite eum decollare sed fodite foueam in terra : quousque perueniatis ad aquam : et ibi eum supinum deponite : et terra atque lapidibus obruentes dimittite : quod cum fuisset impletum deus sibi beatum Vitalem ita martyrem consecrauit . Contigit autem post hæc : ut sacerdos Paulini qui hoc consilium Paulino consulari dederat a diabolo arreptus : per septem dies inerguminos† clamaret : ubi obrutum est corpus sancti Vitalis martyris Christi : et clamans inerguminus hoc dicebat : Incendit me martyr Christi Vitalis : et cruciat me . Post septem uero dies præcipitatus a diabolo in flumine expirauit . Sanctus autem Vitalis est gloriosus martyr Christi in ciuitate Reuennatium præstans orationibus suis beneficia omnibus hominibus usque in præsentem diem . Valeria autem coniux sancti Vitalis dum uellet corpus beatissimi martyris auferre : a christianis prohibita est . Et sæpe in uisionibus fuit ab ipso ammonita : ne sanctum corpus a malo homine bene positum uiolaret . Ipsa autem beata Valeria cum || reuerteretur ad urbem Mediolanum incurrit in homines idolatras Syluano sacrificantes : Qui deponentes eam de sagmario hortabantur : ut cum ipsis epularetur de his quæ erant Syluano immolata . At illa dixit eis christiana sum : et non licet mihi de sacrificiis Syluani uestri manducare . at illi hoc audientes tanta eam cæde mactauerunt : ut uix eam semiuiuam sui homines ad urbem Mediolanum perducerent : Ita ut intra triduum beata Valeria migraret ad dominum : Passus est beatus Vitalis in ciuitate Rauennatum sub Paulino consulari quarto calendas maias : Regannte† uero domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM VITALIS ET AGRICOLAE .

Ambrosius seruus Christi Iesu uocatus episcopus dilectissimis fratribus et uniuersæ plebi in domino æternam salutem . Magna martyrum et præcelsa testimonia quæ attenuat noster potius quam explicat sermo . Igitur inuitatus a plebe Bononiensi negare præsentiam meam nullatenus potui : quia tempus aderat : ut sua dominus mirabilia quæ solet ostenderet : Apophorita quidem plena sanctitatis et gratiæ mecum detuli . Christi enim nostri principis triumphi sunt martyrum palmæ . Ergo quia in me minus est quam præsumebatur : in martyribus plus repperitur . Sancti martyris nomen Agricola est : cui sanctus Vitalis seruus fuit antea nunc consors et collega martyrii . Precessit seruus ut præuideret locum : secutus est dominus secure : quia iam fidem seruuli inuenerat paratam . Non alienam laudamus passionem : serui domini disciplina est . Hic instituit : ille impleuit : Nihil illi decerpitur . Quomodo minui potest : quod Christus donauit ? Et ille quidem homini seruiendo didicit quomodo Christo placeret . Hic tamen geminam laudem acquisiuit . In illo magisterii in se martyrii . Certauerunt inter se inuicem beneficiis postquam æquales esse meruerunt . Hic illum ad martyrium præmisit : ille istum accersiuit . Non ergo ad commendationem hominis conditio affert impedi | mentum : nec dignitas prosapiæ meritum sed fides affert . siue liber : siue seruus omnes in Christo sumus : et uniusquisque† quod fecerit bonum hoc recipiet a domino . Apud dominum bona seruitus et bona libertas æqua lance appenduntur : quoniam nulla maior dignitas : quam seruire Christo : qui nos tali pretio estimauit : ut animam suam traderet pro nobis . Sed iam ad proposita redeamus : Cum sanctus Vitalis cogeretur a persequentibus : ut Christum negaret : et ille amplius profiteretur dominum Iesum Christum : omnium tormentorum in eum genera exercentes : ut non esset in corpore eius siue uulnere locus : orationem fudit ad dominum dicens : Domine Iesu Christe saluator meus et deus meus iube suscipere spiritum meum : ut accipiam coronam : quam angelus tuus sanctus mihi ostendit : et completa oratione emisit spiritum . Sanctus uero agricola initior† habebatur moribus : ut ab ipsis etiam inimicis diligeretur : ideoque differe-

bant eius passionem . Denique postquam non acquieuit persecutoribus . Sanctus Agricola crucifixus est : ut aduertamus illas blanditias eorum non sedulitatis fuisse sed fraudis per supplicia : quæ sancto Vitali exercuerunt : dominum eius sanctum Agricolam terrere uoluerunt . Sed uertit hoc Christus dominus noster in gratiam : ut martyrium serui dominus imitaretur . Vtrisque nomen aptum ut martyrio designati iam ipsis uocabulis uiderentur . Ille Vitalis dictus est quasi qui contemptu istius uitæ ueram illam æternam uitam sibi acquireret . Iste Agricola qui bonos fructus spiritalis gratiæ sæminaret : et sacri sanguinis effusione meritorum suorum omnium uirtutumque rigaret plantaria . passi sunt autem Sancti martyres temporibus Diocliciani et Maximiani imperatorum : sepultique sunt in Iudæorum solo inter eorum sepulchra : qui dominum Iesum Christum negauerunt . eodem loco mihi dominus noster Iesus Christus eos reuelare dignatus est . Illic martyrum excubias requirebamus tanquam intra spinas rosam eligentes . Circunfundebamur a iudæis : Cum sacra corpora ueherentur : aderat populus christianus cum plausu et læticia . dicebant iudæi : flores uisi sunt in terra : cum uiderent martyres Christi christiani dicebant : Tempus incisionis adest iam qui metit : mercedem accipit . Alii || sæminauerunt : nos metimus martyrum fructus . Audientes iudæi uocem plaudentis ecclesiæ dicebant inter se : Vox turturis audita est in terra nostra . Vnde a propheta dictum est : dies diei eructat uerbum : et nox nocti indicat scientiam . Dies diei : christianus christiano . Nox nocti : Iudæus Iudæo . Detuli ergo munera : quæ meis elegi manibus crucis trophea : cuius gratiam in operibus agnoscitis . Certe et ipsi dæmones confitebantur : et ab hominibus mox egrediebantur : et multi qui ægrititudinibus† diuersis affligebantur contingentes Sanctorum sudaria sanabantur . Sed et alia multa mirabilia per sanctos suos in præsentia populi : dum transferentur : facta sunt . Passi sunt autem Sancti martyres Vitalis et Agricola in ciuitate Bononiensi sub Dioclitiano et Maximiano imperatoribus pridie nonas nouembres .

PASSIO SANCTORVM VITI MODESTI ATQVE CRESCENTIAE MARTYRVM .

Beatus Vitus Lucania prouincia ortus nobili ex senatorum stirpe descendit : qui septimo ætatis anno imperantibus Dioclitiano et Maximiano tyrannis . dominoque opitulante ad martyrii coronam peruenit : Cum quo etiam Modestus atque Crescentia nutricii illustris pueri perpetuitatis meruere adipisci palmam . Multas denique uirtutes operabatur sanctus Vitus spiritus sancti gratia in infantia sua colens deum sincero mentis affectu : noctibusque ac diebus orationibus uacans conuertebat ad dominum animas diaboli fraude possessas : atque ex propriis facultatibus larga manu ut puta locuples stipendium egentibus ministrabat : Nihilque sibi thesaurizare curabat in terris : cuius conuersatio semper extabat in cælis : illud semper in pectore dominicum ferens mandatum . Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra : ubi tinea demolitur : et ubi fures effodiunt : et furantur . Thesaurizate autem uobis thesauros in cælo : ubi tinea non demolitur : et fures non effodiunt : nec furantur . Interea cylicium sub ueste in | dutus Christum depræcabatur dicens : Domine Iesu Christe fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam : et ne repellas me a mandatis tuis : neque me secerni patiaris a cœtu sanctorum tuorum : sed tribue communicari meritis : quorum me fidei participari uoluisti . Erat enim pater eius sacrilegus et impius nomine Hylas : atque ita iuri dæmonum mancipatus : ut nequaquam ab idolorum cultura uellet recedere : Beatus itaque Vitus sedule domini flagitabat clæmentiam : ut aut patri suo fidei lumen ostenderet : aut se de ipsius dignaretur minis uel blandimentis eripere . Et facta est illi uox de cælo dicens : Exaudita est o Vite tua oratio : et faciam tibi : sicut petisti . Et quidem suadebat ei pater suus diabolicis argumentis : ut ad culturam eum perduceret idolorum . Cui beatus infans spiritus sancti repletus gratia Illico respondit dicens : Ego non scio deum alium præter unum : qui uiuit in æternum : cuius spiritus ferebatur in principio super aquas : qui dixit : fiat lux : et facta est lux : et separauit lucem a tenebris : uocauitque lucem diem et tenebras noctem : Cui ego seruio factori omnium

rerum uisibilium atque inuisibilium : qui cuncta per uerbum suum uixta† consilium uoluntatis suæ creauit ex nihilo : idest cælum et terram mare et omnia quæ in eis sunt : illi ego confiteor omnibus diebus uitæ meæ . Hæc audiens pater eius iussit infantem cathomo cædi : dicens : Quis te docuit hæc confiteri ? an nescis : quia si hoc imperatoribus perlatum fuerit : morieris ? Beatus Vitus dixit : Ista quæ me uides loqui : Christus me docuit : cuius seruus sum ego . Tunc Hylas uocauit Modestum papatem eius : monuitque eum dicens : uide : ne aliquando filius meus talia uerba loquatur : Cui Vitus respondit : Hæc mihi dulciora sunt super mel et fauum : secundum prophetam dicentem : Bonum mihi lex oris tui : super millia auri et argenti . Manus tuæ fecerunt me . et plasmauerunt me : Doce me iustificationes tuas . Hæc eo loquente apparuit illi angelus domini dicens : Ecce datum suum tibi custos a domino : ut custodiam te omnibus diebus uitæ tuæ usque dum recipias coronam uitæ : quam repromisit deus diligentibus se : et omnia quæcunque petieris impetrabis a Christo . || Tunc pater filium flæbat : quia unicus erat illi : et tenere diligebat eum : ac mollibus uerbis atque blanditiis demulcebat : quatenus ad culturam eum perduceret idolorum : Cui indignans Vitus respondit : Quibus me diis iubes o animalis pater libare ? Respondit Hylas more blandientis filio dicens : hactenus nescisti o fili deos esse inuictos Iouem et Herculem . Iunonem . Mineruam et Appollinem : quos diui principes : et uniuersus excollit orbis romanus ? Ad hæc sanctus Vitus ait : Ista nomina quæ mihi pater recenses : non deorum sed corruptibilium et sceleratorum hominum fuisse ego et omnes qui sanum sapiunt scimus . unius autem et omnipotentis dei in trinitate perfecta cognosce nomen manentis : hoc est quod ego tibi a spiritusancto edissero : idest patrem ingenitum . filium unigenitum . spiritum sanctum ex utrisque procedentem . hæc est sancta trinitas : unus et omnipotens deus . Nam filius quem dixi : sicut apostolus ait : cum in forma dei esset : non rapinam arbitatus† est esse se æqualem deo : sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens : in similitudinem hominum factus : et habitu inuentus ut homo : humiliauit semetipsum factus obediens usque ad mortem : et passus est pro peccatis nostris : cuius sanguine nos redempti sumus : Hic est Iesus Christus mediator dei et hominum : agnus dei : qui tollit peccata mundi : quem tu miser o pater ignoras . In quem si recta fide credere maluisses : et peccatorum tuorum ueniam consequi et æternæ uitæ gaudia appræhendere potuisses . Ad hæc pater Hylas . Ego inquit scio : quia Christus de quo hæc dicis a Iudæis compræhensus Pilato traditus est : quem flagellis cæsum cruci affigi præcepit . Ecce talia pertulit : quem tu deum forti pertinacia confiteris . Cui Vitus : Illius traditio et crucifixio nostrorum est redemptio peccatorum : quia homo superbus in æternum periret : nisi deus illum humilis inueniret . Interea in uirtute domini multa mirabilia beatus Vitus operabatur . Nam cæcos illuminabat . infirmos curabat : atque ex opressis corporibus dæmonia expellebat . Audiens hæc Valerianus præfectus appræhendi iussit patrem eius dicens : Audio : quia filius tuus Christum illum qui in Iudæa crucifixus est adorat et colit : et de | os nostros deserit : quos habere propitios omni religione decebat . Iube ergo illum nostris aspectibus exhiberi . Tunc eleganti forma infans eius est conspectui præsentatus : Sedensque pro tribunali Valerianus : talibus eum adorsus est uerbis : Quia annos tuos infra ætatem conspicio : ideo te modestius ammonere curabo : ut relicta superstitione : qua magica es arte imbutus ad deorum nostrorum cultum secundum Imperatorum reuertaris decretum : quod si facere contempseris : necesse est : ut iuxta eorum edictum diuersis afficiariis† tormentis . Nam ita in mandatis dare dignati sunt : ut si quis Christum inuentus fuerit adorare : nisi eum abnegauerit : diuersis suppliciis puniatur . Beatus Vitus repletus spiritusancto : signaculoque se salutari muniens uoce constantissima ait : Nolo me iuxta incrementa corporea ueluti inconstantem puerulum cernas : sed secundum interiorem hominem habitare per fidem Christum in corde meo intellige : cuius in me spiritus suo quasi in templo habitans hæc sana quæ tu audis facit proferre responsa . Verum quia me iubes dæmoniis sacrificare non deo : hoc modis contemno omnibus : nec tuis obtempero iussis : sed pro Christo deo uiuo me hostiam immaculatam impendo : cui die noctuque obtemperans : sincerum exhibeo famulatum . Permotus ad tantam sui filii Hylas constantiam pater uoce lachrymabili circumstantes affatur amicos . Venite o carissimi : qui uiscera uos scitis habere paterna : et mecum super unicum amare quem perdidi flæte . Sanctus denique Vitus patri suo Respondit :

Ego non pereo : sed uiuo : quia sempiternum regem adoro . Valerianus Præfectus hæc audiens ira permotus dixit infanti . Nisi quia nobili te noui stirpe progenitum et amicicia me tui patris retentat : alioquim† fustibus mactari uississem† : Nunc ergo acquiesce : et sacrifica diis . Ad quem Beatus Vitus Respondit : Nostra uoluntas talis est : quæ opere non mutatur . Semel dixi tibi Christum adoro dei filium uerum . Iratus Valerianus iussit infantem cathomo cædi : qui autem in infantem manus miserunt : statim eorum brachia arefacta manserunt : clamabatque Præfectus dicens : Manum perdidi : dolore torqueor . Tunc uocatus pater eius aduenit : Cui Præfectus || Valerianus ait : Tu non filium ut uideo . sed magum non modicum enutristi . Ad hæc sanctus Vitus . Ego inquit non magus ut uos coniicitis . Seruus sum Iesu Christi : qui me ab ipsis cunnabulis spiritus sui illustratione perdocuit abiicere opera tenebrarum : et indui arma lucis : qui mortuis uitam reddidit : et maria siccis calcauit uestigiis : qui imperauit mari : et cessauit a furore suo . Nunc igitur dii tui : quibus fictam deitatem ascribis : manum tuam si præualent pristinæ saluti restituant . Dicit ei Valerianus : tu quæso restitue eam : Respondit beatus Vitus : In nomine Iesu Christi fiat quod petisti : ut cognoscas : quia ipse est : qui mortificat et uiuificat : deducit ad inferos et reducit : Et statim manum eius reddidit . Tunc Præfectus assignauit eum patri suo dicens : Vade emunda filium tuum : ut acquiescat : et sacrificet diis : ne pereat . Tunc pater eius introduxit intra domum filium suum : multisque deliciis et mollibus uerbis suadebat ei in cymbalis et cytharis : ut demulceret animum eius : et ornatas ancillas suas ante eum saltare fecit . Ille autem oculis ad cælum respiciens dicebat : Cor contritum et humiliatum deus non despicias : Et iussit ornari cubiculum diuersis lapidibus prætiosis . At ubi ingressus est beatus Vitus cubiculum : præcepit pater eius hostium claudi . Ille uero genua flectens . Dominum præcabatur dicens : Deus Abraam . Deus Isaac Deus Iacob miserere mei : et confirma me in uirtute tua : ut non præualeat Draco iste iniquitatis in seruum tuum : nequando dicat inimicus meus : præualui aduersus eum . Sed da gloriam nomini tuo : et erue me in mirabilibus tuis : ut non dicant gentes : ubi est deus eorum . Post hæc autem eductus de carcere præsentatus est Cæsari Diocliciano . Tunc Cæsar uerborum cœpit ambagibus mentem beati pueri demulcere et blandis sermonibus oblectari dicens : acquiesce meis consiliis : et nostris sacrifica diis : Daboque aurum et gemmas argentumque et uestimenta præclara : Cui sanctus Vitus dixit : Aurum tuum et uestes quas mihi spondes te daturum : apud me ut stercora pro nihilo reputantur . Habeo enim Iesum Christum filium dei : qui me ıtola† immortalitatis induet : si eius puram in meo pectore inuiolabiliter con | seruauero fidem : Cui Cæsar comminans dixit : Vite consule tuæ animæ : et diis libâmina offer . Quod certe si distuleris : diuersis te deinceps iubeo perimi pœnis . Tum uero sanctus Vitus forti constantia ait illi : Pœnæ quas minaris nostræ sunt fercula mentis : quia per has credimus ad sempiternam refectionem uenire . Tunc Cæsar præcepit tenebroso eum cum Modesto et Crescentia carcere trudi : et ferri pondus immensum super eos imponi : atque suo annullo signauit ostii seras : ut nullus eis hominum saltem uel aquam præberet . Et cum fuissent Clausi solatio destituti humano : diuina eis pietas cælesti amminiculo fulsit : ac totam domum carceris ingenti claritate perfudit ita : ut custodes qui in tenebris obseruabant insontes : tanto lustrati lumine fugere præ pauore cœpissent . Tunc sancti una domino laudem canebant dicentes : ad auxilium nostrum tu intende domine : accelera : ut eripias nos . Quibus iterum totus carcer refulsit : atque terræmotus factus est magnus : ac timor inuasit eos . quos ibidem esse contigit . Christus ad suos famulos aduenire dignatus est confortandos . Tunc benigno ut est animo Vitum affatus est dicens : Surge dilecte Vite : mea te uittus† saluauit . Et ecce sum tecum semper : quousque a me uite una cum tuis sociis percipias coronam . Tunc tres uno quasi ex ore : Domino cantabant dicentes : Benedictus dominus deus Israel : quia uisitauit : Et fecit redemptionem plebis suæ . Et liberauit nos ab inimicis nostris et de manu omnium : qui nos oderunt : ut sine timore de manibus inimicorum nostrorum liberati seruiamūs illi in sanctitate et iusticia omnibus diebus nostris . Visitauit et enim nos oriens ex alto . Illuminauit in tenebris et in umbra mortis sedentes : ad dirigendos pedes nostros in uiam salutis et pacis . His territi custodes uocibus ad palatium confugerunt dicentes : Ecce Cæsar omnis romana ciuitas perit : et nisi cito subueneris : populus tuus periclitabitur . Nam uinctos quos in carcere uestra nobis custodire magnitudo præcepit : lux

emissa desuper cum ui terremotus absoluit . Et ecce canunt uocibus Christo suo domino laudem : Et est quidam cum illis super solis lumine clarus : cuius aspectum fulgidum nullus uel ad mo || diium† contueri uisus mortalium potest . His auditis Cæsar expergefactus præcepit ministros scenam parare dicens : quia ego ferocium bestiarum dentibus eorum immaniter membra tradam . et uidebo si Chrictus† eorum potest eos de manibus meis eripere . Tunc iussu crudelis Cæsaris sancti e carcere prodeunt : atque clara facie coram eo pro tribunali assistunt . Interea sanctus Vitus senem exhortabatur papatem ut forti esset animo : nec diaboli arma paueret dicens : quod nostra modo ecce apropinquauit corona : ad quorum spectaculum nonnulla uirorum millia et mulierum confluxerat : multitudoque paruulorum . Tunc Imperator ait : ubinam esse Vite te conspicis modo ? Ille ad cælum oculis conspiciebat serenis : cui iterum Cæsar præmisa uoce retulit uerba : Ad quem beatus Vitus uirtute domini ait : Illic me esse uideo : quo Christi me uoluntas perduxit : In cuius astans conspectu tuas minas contemno quia quod ipse promiserit : tu quoque in nobis exerces : quia et ipse deduxit nos : spes nostra factus est et turris fortitudinis : ut propheta cecinit a facie inimici : Vnde securus pronuncio sanctospiritu mouente . Dominus mihi adiutor est : non uereor : quid mihi faciat caro . Tunc ira repletus Cæsar iussio† eos in clibanum mitti : et plumbum solutum pice atque resina permixtum suis præcepit parasitis feruens super eos iactare : atque subsecutus furenti mente adiecit . Vide modo Vite : si tuus quem colis deus meis manibus aufert . Tunc Christi probatus tiri† signo salutis munitus proiectus est in clibanum instar maris feruentis . Verum angelus domini subito de cælo descendens extinxit feruorem clibani : et sanctos illæsos reddidit . Tunc hymnum deo patri læto corde canebant : quemadmodum tres pueri olim in ignis camino . Tunc uocem beatus Vitus in sublime gratanter extollens : insultansque aiebat Cæsari : Vbinam dicito sunt tuæ nobis minæ promise ? Ecce parasti balneum : iube : si tibi placet : etiam et sabana ferri . Vniuersus autem populus uersus in ammirationem clamabat : Nos tanta mirabilia hactenus non sumus experti : et ut uere perpendimus magnus est deus huius infantis . Tandem beatus Vitus populi | delectatus est clamore : quibus clara uoce de medio ut stabat clibani clamitabat ardore : meus ultra est magnus quam uos asseritis deus : qui fecit mirabilia magna solus in terra : Cui propheta canit ueraci testimonio dicens : Magnus dominus et laudabilis nimis : et magnitudinis ipsius nullus unquam est finis . In quem uos oportet uera credere fide : et pompis idolorum diaboli fallacia factis ab renunciare corde baptismatis unda perfusi . Mox de clibani medio sancti prodeunt illæsi nulla in suo corpore ignis uestigia deferentes . Tunc beatus Vitus Diocliciano Cæsari ait : Probasti modo uere : quod noster quem colimus deus ualuit nos de tuis manibus liberare et minis . Si qua sunt tibi alia : adhibe adhuc maiora tormenta : ut et his cunctis potentiam Christi mireris . Tunc Imperator ira fundo cordis succensus iussit : ut leonem immanis crudelitatis laxarent : qui sanctorum membra effera dilaceratione carperet : et suam tandem uesaniam eorum mortibus delineret : Factumque est : ut iusserat . de cauea emissus est leo : et sanctos dei ut uidit feroci impetu aggressus est : Cui beatus Vitus mox extensa dextera : crucis opposuit signum : sicque a suo fremitu ueluti in agnum conuersus est : et suam ad sancti martyris deflexit plantas ceruicem . Deinde passim se erigens blando conatu cœpit extergere sudoris guttas . Tunc beatus Vitus Imperatorem alloquitur : Cerne nunc o stolide et ferrea uiscera gestans : quomodo animalia ratione discretionis carentia honorem deo tribuunt : suoque famulantur factori : et tu ratione præditus ut puta ad dei similitudinem factus ligna adoras et lapides : et tuis ad dei iniuriam famularis dæmonibus inimicis . Hæc Imperator audiens : sansto† Vito respondit : Quia multos tuis magicis sapientes artibus mente euertis : putas quod et me poteris tuis captionibus irrætire ? Per deos quibus studiosissimo famulatu seruio : nunquam me tuæ magie ab eorum cultura secernunt : sed eorum ulciscens iniurias te uariis non cessabo punire tormentis : Ad quem beatus Vitus : Bonum mihi munus te allaturum promittis : quod læto semper corde pro Christo excipere opto . Nam sicut bis expertus es uictoriam Christi : || ita quidquid adieceris : tuam profecto amplius confusionem augebis . Tunc Imperator præcepit : ut eis præpararent catastas : atque in eis protinus sanctorum extenta corpora dira ambitione torquerent . Dumque in eis beati martyres Vitus Modestus et Crescentia immaniter torquerentur : ueritus beatus Vitus : ne mulieris constantia turbaretur :

Vexantibus eam militibus uoce magna clamauit : parcite o miseri iam uel decrepitæ anui : ut quid eam tam sæuiter et pertinaciter torquetis insontem ? Conuersus demum ad Cæsarem sanctus Vitus . Vt quid ait uesane tyranne tuam in mulierem ostentas uirtutem ? Certe uel sexu fragili : tua saltem debuerat sedata rabies esse . Torquebant eum nimium ita : ut eorum pene omnia commouerentur ossa per artus . Quare sanctus Vitus domino præcem obtulit dicens : Domine rex omnium Iesu Christe dei uiui fili : secundum tuam clæmentiam nostri celerius miserere . Tunc terræmotus ingens et corruscatio magna facta est : ita ut idolorum sternerentur delubra : et maxima pars populi repentina morte spiraret . Mox Imperator fugit : et cola uerberans ait : Væ mihi misero uicto ab hoc infantulo . Angelus autem domini cum magna claritate descendit . solos quos repperit sanctos de catastis absoluit : eosque uelut inscios iuxta Siler fluuium in momento perduxit : Ibique dilecti domini requieuerunt : ut olim tripudiantes in arborum umbra . Tunc beatus Vitus erectis ad cælum manibus præcem fudit domino : et mente lætissima dixit : Domine rex omnium qui in te credentes custodis : atque pro te certantibus coronam perennitatis largiris : recipe nostras animas in tua pae† beata : nosque ad te uenire deuicto diabolo lube† . Hoc eo orante uox ei de cælo clamauit : Exaudita est o Vite oratio tua : et ecce iam ueni : et fruere gaudiis paratis æternis . Tunc sanctorum animæ uinculo carnis exutæ cum angelorum choris ad regna cælorum conscendunt : per triduum autem : sanctorum obseruant corpora ila tumulis exhibenda . Quædam uero Florentia matrona illustris periclitabatur in Silere fluuio : Cui beatus Vitus uisus est super transire aquas : quem cum uidisset mulier illico pauens clamauit : Oro si angelus | dei es : mihi subuenias cito : ad quam beatus Vitus uoce respondit sonora : Ego sum inquit Vitus : cuius puto uomen† audisti . Sepeli nostra corpora : et cuncta consequeris postulata . Statimque enixa mulier gurgitis periculo sana reperta sanctorum corpora aromatum condiuit odore : et cum honore congruo in mariano prædio sepeliuit : Vbi eorum sollemnitas medio celebratur Iunio mense cum honore domini : qui sanctos coronauit in cælis : atque eos prodigiis corruscare in terris largitur : qui uiuit et regnat pereniter per cuncta sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI VICTORINI MARTYRIS .

Hucusque nos patris Hieronymi dicta referentes per interpretem locutos Lector aduertat : reliquum opus ut sermo noster est : uestra caritas libenter audiat . Quæ enim singulis de sanctis fideli auctore comperimus : in historia misimus : ne laterent homines : quorundam quæ non latuerunt uirgutes† . Primumque a Victorino inchoantes : quem Seuerini legimus fuisse Germanum : Vt uelut ab optimo fundamento opus nostrum inchoans ad perfecti ædificii solida tecta consurgant . Hi post utriusque parentis obitum se inuicem pedagogi facti pari custodia et mutuo obsequio æmulantes : etiam bonis operibus Germanitatis uinculo probabiles deo hostias obtulerunt . Picentinæ acolæ prouinciæ qua uadosus Flusor prætertluit septem pedum : cum legentes euangelia uenissent ad locum : in quo temptator locuples repercussus est audiens a deo : si uis esse perfectus : uænde omnia : quæ habes : et da pauperibus : et habebis thesaurum in cælo : et ueni sequere me : Ne ut extristasti† redeuntes domine† sequenti sententia ferirentur : Facilius camelum transire per foramen acus quam diuitem ingredi in regna cælorum : absoluentes se a nexu sæculi omnibus distractis facultatibus pauperibusque diuisis : quorum sciebant esse regna cælorum : nihil sibi præter se inuicem relinquentes expediti post dominum cucurrerunt : ut merito dicerent . Post te in odorem unguentorum || tuorum currimus : possentque cum Petro dicere Ecce nos reliquimus omnia : et secuti sumus te . Alter itaque seruiens alteri in mutua uice : et æmulla caritate seruabat imperium liberalitas . nihil deerat : cum nihil haberent . Igitur Victorinus sperans altius et id ipsum quod sibi parebat imperfectum computans . et satis sibi factum : si alteri liceret in altero : sic Germanum allocutus est : mi frater care magis iam ex confamulatu dei quam ex germanitatis uinculo : si ideo uendidimus omnia : ut expediti sequamur dominum : cur mutua caritate separamur a deo ? Nam cum mihi in te idem : quod tibi in me iuris sit : nec mihi de est serui-

cium : nec tibi : Paret alter alteri : dum facio quod iubes : et quod iubeo facis : non facimus : quod iussit deus . Sumo indumentum tuum : tu meum : sic geminæ sunt singulæ uestes . cum uitisque suæ communes sint . heremum peto : quæ perfectos habet : Cumque dictis faciens uale : se e tugurio eliminat : syluas petiit uicini montis : quem dicunt Prolacem : nec defuit habitaculum : quod natura præstiterat : sedit in specu excelsæ rupis : quod subter fluentis aquæ geminum fecerat abruptum : uni tantum hospitium uiro : ut sedens somnum caperet : uel si reciperet alterum stans oraret . Texit hostiolum uimine : ut ex antro faceret domum . Hic annum perpetim legens oransque pernoctat otiosum agens negotium : et cum nullus intercederet : soli se exhibebat deo : cum hæc antiquus hostis bonorum solito libens modo : simulans puellam : seque ad antrum uiri uelut oberraret applicuit : et sic humili uoce obsidens : ut expugnaret : uerba cum gemitu dedit : Heu me miseram : quoniam diuersa trahor syluarum errore et tenebris uaga nec locus agnoscitur : et iter quæritur : et a uiis impedimur : Quisquis istius dominus loci proculdubio pararis : cui cælum undique et undique syluæ : fac me uirtutum tuarum opus : Eripe frendentibus apris redditurus statim ut eluxerit : Nec longum posco habitaculum : unius noctis hospes ero : satis superque sufficeret operiri limine tuo : ni me fragilis sexus urgeret : et transeuntium ictus terreret ursorum . Ecce sæuientes hululant lupi . fer opem : dum potens sit : quod uictura sum : tuum erit : si moriar tuum . sæue artifex . quid non expu | gnas dolens ? Reserat Victorinus cellulam : et hostem secum dum miseretur includit . Iubet ingressa ut resideat in angulo : quia et ipse in alio sedit : ut caperet utrunque . Vix horæ spatium in te recesserat : dum inter molimina et assiduum corporis motum protenso pede tetigit hominem dei : et uelut compungens uulnere : noxio calore succendit . Addidit igniculum dulcedo sermonis : et male sana iam uiscera decor formæ sauciat . Exquisitos cerneres oculos male radiantes uultumque feraliter nitidum : quasi per intexta uimina lunares radii fulgebant . Vrguet facinus solitudo : quæ sit acturus ut pote sine teste . mentitur ignari magis id omnibus sciri . Quod quidem tanto teste peccatur : sed postquam ad opus sceleris est perductus : resupinus in iuuenem prædo consurgit : et qui expugnator fuerat pudoris : censor extitit castitatis . Quid agis inquit uir perfectissime : cui etiam frater grauis fuit : et tu ne adiungeris alteri : qui recessisti a tuo ? non ne tibi Germani tunica grauis erat ? adeo ut censum integrum computares : qui uices duorum ducebas officium seruulorum : qui nouum syluis dogma constituens suadebas scopulis castitatem . Adeo immemor nostri : despectorque roboris : ut uetustum sperneres bellatorem . Disce quantis impugneris insidiis . iaces saucius : qui præsumpseras de corona . Statim ut hæc locutus est ex oculis decepti uelut fumus euanuit . Iacuit qui ceciderat diu . Et tanquam cadauer exangue nocte perpetim sine aspiratione durauit . Sed postquam luce clarescente sydera delitescunt : fugiens testem criminis cellulam : nocentes deserit syluas : redit ad Germanum . Atque incurrentes lapsos pedes diu uocem pudore compressit . pudet tamen lachrymasse dolore : quod erubesceret dicere : sed postquam causam uictus exposuit : et a consolantis affectu pœnam sibi ipse censor imposuit : findens arborem : manusque inserens : et præduratam cuneis pessulans cicatricem agit : Vt in supplicio pedes pendeant : qui ante deum stare noluerunt . Vna sub obtestatione colligans fratrem : Ne quis se prius solueret : quam cui deliquerat ignouisset . Sed mox Seuerinus sancto episcopo nunciauit de fratris facto : et pœne nouitatem quam ipse sibi || ingesserat : Deducit suum pontificem ad locum : qui allocutus pro ingenio : cum satisfactum diceret : uolens soluere prohibetur a reuincto id ipsum grate obuiat : differens orat : benedicit : redit . cumque id ipsum sæpe fecisset : interim uinctus post impetratum ieiunium uespere dominica modicumque panem nec plus aut minus aquæ coactus a fratre capiebat : qui etiam se simili cibo et ieiunio pro fratre macerabat . Iam ferme totum transierat triennium : assumptisque inedia uisceribus : uixque inhærente cute sola in uinculis ossa pendebant . laxior pœna nondum retentura suspensum : si uoluisset reuinctus uitare supplicium . Igitur cum hoc per omnes fama iactaret in alieno casu sui quisque misericors . Coeunt omnes ad episcopum qui huiusmodi ambiret inuidiam . Clamant esse soluendum : quem etiam pœna ingereret absolutum . Venit cum omnibus ad monasterium : nec ut solebat lenius sed plurima auctoritate succinctus ac sic erecto supercilio alloquitur reuinctum : satis exaustum est pœnarum . Crede Victorine mihi : si credis : deus tecum erit . Hoc iam meo agi

sacerdotio : quod Petro Christus contulit : cuius nos hæredes sumus : in cælo soluitur : quod in terra soluitur : quia et quod ligatur in terra : ligatur in cælo . Cum uideam tibi etiam ipsa uincula iam parcere : quæ cernimus laxiora : soluo in terra : quem solutum confido apud regem cælorum . sed postquam hæc episcopus est locutus : statim ad reserandum arborem artificum manus et multitudo colligitur : et dum Victorinus nequiret resistere : nec sic optaret absolui : Petit hebdomadæ ieiunium : et cum cunctis se oratione et ieiunio iuuantibus solueretur : impetrato statim quia non longe distulerat et ne minus crederetur dolor alienus : impleta hebdomadæ redit cum populo episcopus . Omnis ætas uterque sexus accurrit : magnis ac minimis terra densatur . scanditur tectum monasterii : Vicinæ arbores onerantur : clamor idem omnium : beatissime papa absolue : quem absoluit deus . Tunc Episcopus exerta manu facto silentio sic locutus est . Expletum est Victorine ieiunium : quod petisti . redde : quod promiseras . stet sermo : quem dixeras . Ne iterum mentiendo pecces : et iam non est alia pœnitentia . Tunc | sanctus Victorinus ubi se uerbis constrictum uidit : eleuans ad cæleum† uultum post triennium : quia eleuare uincula non permittebant manus : oblatoque prius a sacerdote sacrificio altum congemiscens sic locutus est : Deus pater unigeniti tui filii domini Iesu Christi : cum quo per spiritumsanctum uniuersa fundasti : per quem hic mundus in diuersa est specie diuisus : qui es omnium creaturarum reparator et conditor : per quem et factus homo et refectus est : per quem et concessa immortalitas et uicta mors inducta per diabolum : sed subacta per Christum : per quem eleuati secunda natiuitate sumus : si tamen peccare desinamus : quia primam peccando uiolamus : per quem hunc lucis usum cum fratre commerui : meque uita sine fratre priuaui : a quo mundi censum cum luce suscepimus : ob quem mundi censum pro immortalitate distraximus : ut pura tibi seruicia exhiberemus : si te pura mente secutus sum : ut essem perfectior : et a fratre discesi : si te omnibus præposui affectibus† : si te innocentibus syluis solum quæsiui : si te in illo mee carnis ergastulo semper oraui : si et quod sum deceptus a diabolo misericors fui : si quod non persuasus sum : admisisse tamen nolui : tibi sine teste peccaui : si a te statim lapsus cucurri : si tibi me reum cum fratre obtuli : cui sine fratre deliqui : si ut satisfacerem delicto huic uolui subiacere supplicio : si me reum feci ante iudicium : si ad te cum mea pœna festino : si satisfeci pœnæ : conuerte sententiam : sit absoluti testis hic populus : qui est testis addicti . Si iam mereor ueniam : solue uincula mea : si adhuc pœna superest : detur dillatio soluentis . Vix hæc Victorinus ediderat cælum ex serena parte contonuit : uincla arboris purior ignis absoluit . Ruit in faciem turba circunstans : et qui ceciderat solus erectus est . Itaque omnibus collaudantibus deum deductus est ad ecclesiam : in qua degens sine crimine raptus breui ad urbis amiterninæ sacerdotium . Cum esset omnibus uirtutibus pollens : ut angelicus haberetur : choros meruit introire sanctorum : Regnante domino nostro Iesu Christo : qui uiuit et regnat in sæcula sæculorum amen .

Porro Seuerinus quem illius ut supra diximus || fuisse germanum : dum prauis actibus studens edomat carnem suam : ut illius fraudem qui fratrem decipere uellet omnes impetus euitaret : culpam uelut suum delictum in se ipse damnasset : ut impleret : quod dictum est : frater fratrem adiuuans exaltabitur septempedanæ meruit ecclesiæ sacerdotium : quem locum ut meritum se probaret adeptum braui omnibus superatis : Sed quia hic breue est omne quod magnum est ad cælestia cito meruit regna migrare sexto calendas maias in eodem sepultus loco : in quo habuerat monasterium : et quod dilexit in corpore non deseruit sanctitate . plures enim nunc in spiritu quam tunc præsens exhibet medicinas . Sed tacendum non puto : quod de eius comperimus sanctitate . Nam cum idibus maiis eius depositio celebretur : licet et calendis maiis quibus est adeptus sacerdotium turba conueniat . Tamen ad supradictum diem uelut ex omni orbe deuota conuenit multutudo† . Accurrunt plurimi sacerdotes : ut et deuotionem deferant : et benedictionem deportent : sed pridie quidam Innocentius uir sui nominis auctor adhuc et unicus uicum Fauenanium petens uidit noctis medio lucere syluas ita : ut incendium crederet : sed cum strepitus existeret : ingrediens quendam locum credens iter rectorem prouinciæ noctu ingredi : paululum se ex aggere eximit pauens uti uicinam causam diceret . Nec longum post spacium : uidit quattuor cum funalibus præcedere quarum illud lumen erat : duos post eos stolatos ire cum uirgulis post unum residentem in equo : cuius et uestium candor

et capitis niuem antecederet . Post quem caluus alius equo uehebatur : quos magna sequebatur peditum cohors : e quibus unum qui claudicans remanserat : curiosius inquirit : et ait : quattuor lampadarios quattuor esse episcopos : Xistum : Marcum : Marcellum et Iulium : duos cum uirgis : Stephanum et Laurentium . Duos sedentes : Duos apostolos Petrum et Paulum : reliquosque sequentes martyres et episcopos : sed et Zifernium† ire cum mutatoriis Petri : qui rogatus a Seuerino semper hac die inter sit : ut benedicat populum : et uisitet . Quis de meritis ambigat Seuerini : cui tantum uidet apostolos deferre ? Vel quis et hunc immerentem estimet : cui est uidere promissum ? | Sed si quis etiam uitam uult scire Innocentii : paucis audiat . Cum hæc uidisset : statim ad ecclesiam properauit : Factusque catecuminus interposito tempore etiam baptizatus est . Nec unquam deserens ecclesiam factus clericus : etiam presbyterii meruit benedictionem . Vt semper innocens atque in sua innocentia permaneret : ut de eo dictum putemus : Ecce uir israelita : in quo dolus non est . Hic aliquando cum ad sancti Seuerini monasterium properaret in quo erat ordinatus : sequereturque eum ouicula : in qua totus ei census erat : Nequiretque transire Flosorem quem imber incitauerat : forte per perticelum quod rippis superposuerant pastores transiit : oue in alia relicta ripa : quæ erumpens in uoce hoc ait : cui me hic reliquisti ? Tunc uir plenus deo inquit : transi : quia ipse transiui in nomine domini Iesu Christi . Tunc animal innocens : sumpta per deum fiducia sequitur Innocentium : Per meritum pastoris est data uox pecori et confidentia per dominum nostrum Iesum Christum : qui uiuit et regnat in unitate spiritus sancti per omnia sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTORVM VICTORIS ET CORONAE MARTYRVM .

In diebus illis facta in christianos persecutione ab imperatore Antonino temporibus Sebastiani ducis Aegipti Alexandriæ fuit quidam uir christianus a Cilitia nomine Victor miles ab infantia metuens deum . Cui dux dixit . Victor littere mihi uenerunt ab Antonino : iubentes ut sacrificent christiani : Qui autem noluerint sacrificare diis in magna erunt damnatione . Ergo Victor sacrifica : ne periclitetur anima tua . Victor dixit : Ego enim miles sum magni regis immortalis Iesu Christi : Nam regnum huius Antonini instabile et exterminabile est . Regnum autem domini mei Iesu Christi semper stabile et incorruptibile est : finem non habet . Sebastianus dux dixit : Et tu ad regem nostrum pertinens : obaudi illi et sacrifica diis . Victor dixit : et ipsi quidem militabam : et ipsi audiebam . Sed quia in corde meo deum meum colo : propterea non me uidet diabolus . || Hoc solum scito : quoniam in carnem meam habes potestatem : perdere animam autem meam non habes . Solus deus est qui habet potestatem mortificare et uiuificare corpus et animam : ipsi gloria et honor : laus et imperium in sæcula sæculorum . Sebastianus dux dixit . Video te magnam hahere† sapientiam in sermone . Victor dixit : Sapientia hæc non est mea : sed dominus donauit mihi eam . Sebastianus dux dixit : Erue te a malis tormentis . Victor dixit : Ego propter hoc libenter torqueor et plus confortor : quoniam dignatus est me deus ad hoc perducere : ut propter testimonium eius possim torqueri : et in spem uenire regis sempiternalis . Sebastianus dixit : Lector es aut diaconus quod talem eloqnentiam† habes in sermone ? Victor dixit : Non fui dignus talem habere gratiam : sed gratia Christi perduxit me ad hoc . Ipse est qui donat rectis corde et iis qui seruant mandata eius : sapientiam et prudentiam de diuitiis suis . Quomodo ergo agricola : si bene colit agrum suum superueniente pluuia perducit eum ad fructus suos : sic et sapientia dei omnes sperantes in illum suscitat et non permittit inimicum superuenire in illis : sed potius perducit eos fructiferos ad deum . Sebastianus dux dixit : Ergo num est cogitatio tua magis mori quem uiuere ? Victor dixit : hæc mors non est : sed uita æterna . si perseuerauero in hoc sufferens tormenta tua . Sebastianus dux dixit : hoc ergo consilium tenuisti ? Victor dixit etiam : Tunc iussit Sebastianus confringi digitos eius quousque exirent a cute sua . Tunc sanctus Victor dixit : Gratias ago deo meo : quoniam appropinquauit ad me gratia eius per dominum meum Iesum Christum . Sebastianus dux dixit : Acquiesce et sacrifica diis meis : ut

non male moriaris . Dicit ei sanctus Victor : Hoc nunquam ero facturus : ut lapidibus et sculpitibus† : quibus tu ipse similis es : ego sacrificem . Sed ego sacrifico deo uiuo : qui fecit cælum et terram : mare et omnia quæ in eis sunt . Ipsi soli seruiet anima mea : nam tibi nunquam consentio . Tunc Sebastianus furore repletus : iussit eum in carcerem mitti . Altera uero die iussit sibi præsentari sanctum Victorem . Cui et dixit : Quare anonam non accipis ? Sanctus Victor respondit : Quoniam | per uim et iniustæ exigitur : propterea nolo accipere nec manducare . Ego enim habeo cibum meum spiritalem et non exuriam in sempiternum . Tunc dux ira repletus iussit mitti illum in caminum nimis ardentem : ut consumeret eum ignis . Tunc illi accipientes eum perduxerunt ad locum camini . Et respiciens sanctus Victor in cælum dixit : Deus patrum nostrorum exaudi me peccatorem : quia propter te hæc patior : et præsta mihi integrum in conspectu tuo permanere . serua me ab igne : quem parauerunt mihi : ut cognoscant hii : qui te non nouerunt : quoniam tu es deus . Et signans se signo Christi : intrauit in caminum . Et erat glorificans nomen domini in camino ignis dicens : Gratias ago tibi Deus pater domini nostri Iesu Christi : quoniam sicut uisitasti Ananiam Azariam et Misahel misso spiritu sancto : et liberasti eos a camino ignis : ita fecisti et mihi peccatori : et non dereliquisti me sperantem in te . Post dies autem tres iussit præses aperiri caminum : ut colligerent ossa eius : et conuenit militum multitudo : et audierunt eum decantantem in camino laudes deo et gratias agentem . Aperientes autem milites caminum uiderunt eum illæsum : et dixerunt ad eum : Egredere . uocat te dux . Cum uenisset autem sanctus Victor ad Præsidem : dixit ei præses : Quomodo sic præualuerunt magiæ tuæ : ut non te læderet ignis ? Dic mihi quemadmodum maleficiis tuis extinxisti ignem ? Ad quem ille : Gratias ago deo meo : quoniam magus non sum : ut tu dicis : sed christianus sum . Tunc iussit confici uenenum mortiferum : et dari illi in carnibus a malefico : ut ederet ex eis . Sanctus Victor dixit . Non auderem tangere carnes nisi confisus in uirtute domini mei Iesu Christi : Ideoque ut ostendam tibi : quoniam possum omnia maleficia tua dissoluere : accipio de carnibus istis : et orans manduco : Et accipiens manducauit : et nihil mali sensit . Tunc Maleficus alia illi peiora uenena attulit : et dixit : Manduca et nunc : et si manducaueris : et nihil mali perpessus fueris : ego derelinquam omnia maleficia mea : et credam in deum : quem tu colis : et manducauit beatus Victor : et non est mortuus . Dixit illi Maleficus : Salueris Victor . uicisti enim et fortior me || extitisti : et saluasti animam meam perditam ab inferis : ut deinceps uiuam . Quomodo enim statua ænea ueterescit : et in nouissimis extergitur et innouatur : sic et hominem ueteratum in maliciis suis conuertit per te deus : et saluauit in gratia sua : Statimque maleficus ille combussit codices suos omnes : et abrenunciauit omni substantiæ suæ . Et docuit eum Sanctus Victor de omnibus : quæ pertinebant ad fidem : et consignauit eum in nomine domini nostri Iesu Christi . Post hæc iussit Sebastianus ut reducerent ante conspectum suum sanctum Victorem : Cui et dixit : Victor sacrifica diis : et esto sapiens . Sanctus Victor dixit : Semper sapiens extiti : Sebastianus dixit . Sed nunc factus es stultus . Ad hæc ille : Stulticiam istius mundi elegit deus : ut sapientiam euacuet . Tum Sebastianus dixit : Vbi est scriptum ? Sanctus Victor dixit : Beatus Paulus apostolus hæc dicit . Respondit Sebastianus : Ergo Paulus deus est ? Sanctus Victor dixit . Paulus deus non est : sed apostolus est dei : ut sapiens architectus in templo dei fundamentum posuit : quod ædificatum in adimpletione ædificii conuenientis in angulari Christo . Vnde et accepit sapientiam a deo : cum plenitudine scripturarum : ut ostendat uiam salutis iis : qui uoluit† salui fieri . Cui Sebastianus dixit : Parce ab stulticia ista : et sacrifica diis : non enim sunt tibi utilia ista uerba . Et Victor : Non sum stultus : sed sapientiam quæro : sunt enim stulti omnes : qui tibi audiunt : et sacrificant diis : qui ipsi nesciunt uerum deum : et sicut pater illorum diabolus : qui ab initio non agnouit ueritatem : ita hii cecati sunt corde : et scientiam fidei non nouerunt . Tunc commotus dux : iussit omnes neruos eius a corpore amputari . Sanctus Victor dixit : Ego in nomine domini mei Iesu Christi : non pauesco tormenta tua . Ad tempus fac : quod facis . noli cessare : Sed ista omnia tormenta dolorem mihi non faciunt . Quomodo enim spina de pede tollitur : et post illam exiit omnis dolor : et post hæc fit requies : ita et ego neruis amputatis a corpore meo quieui nimis propter fidem Christi dei omnipotentis . Iterum dux iussit oleum feruens mitti in pudenda eius . Sanctus

Victor dixit . O | miser quare non erubescis : et uides : quanta est uirtus domini mei Iesu Christi ? Nam incendium istud quod mihi præparas magis mihi refrigerium præstat . Tibi enim æternum supplicium præparat . O insania tua infelix non cognoscis : quia sic est mihi oleum feruens tanquam aqua : quæ datur uiatori sitienti : et bibit : ut refrigeret : ita et ego refrigeratus sum propter nomen domini mei Iesu Christi . Tunc iratus Præses dixit : Appendatur equuleo . Cumque fuisset appensus : iussit lampades ardentes applicari ad latera eius : et sub uoce præconis clamari : et dicere illi : Immola diis : ut ab imperatore præceptum est : Tunc ait Victor : ne deficias miser uariis crutiatibus hypocrita communicator dæmoniorum putas me his pœnis terreri ? Non timeo minas tuas : quia habeo dominum meum Iesum Christum : qui me confortat : Et non dubitabo pœnas : expectans desyderabiliora bona illa : quæ promissa sunt quærentibus eum : Et benedico te domine Iesu Christe : quia in te confidens nihil sentio eorum : quæ mihi ministri diaboli intulerunt . Itaque iussit impius præses acetum et calcem simul misceri : et mitti in ore eius ; et adiecit Sebastianus : Sacrifica : multum enim in te confundor . Sanctus Victor respoodit† : Non uoluntatem tuam ego facio : sed dei mei : ut me offeram illi sacrificium castum : quoniam ipse habet in potestate corpus et animam meam . Iratus autem Præses iussit a carnificibus oculos eius erui . Tunc sanctus Victor dixit præsidi : Insensate alienare me speras per has pœnas ab amore dei mei et saluatoris Iesu Christi ? Sed non potes : quia habeo corroboratorem meum et saluatorem ipsum dominum Iesum Christum filium dei uiui . Si oculos istius corporis obcæcasti : de interiore lumine plus uidebo oculis animæ . Sebastianus dux dixit : cogis me multa peiora tormenta imponere tibi . Et ille : Gratias inquit ago deo meo : et quomodo uolueris torque : nihil mihi parcens . Paratus sum omnia tolerare deo donante fortitudinem . Tunc dux iussit eum suspendi capite dehorsum per triduum : quousque earthilagines† eius sanguinem traherent in terram . Milites autem ut iussi fuerant dimiserunt eum triduo pendentem : Et post triduum || uenerunt milites uidere : si mortuus esset : an adhuc uiueret : Et cum uiderent illum uiuum : statim effecti sunt cæci . Tum sanctus Victor dixit : In nomine domini mei Iesu Christi . pro cuius amore ita suspensus sum : aperiantur oculi uestri : Et statim aperti sunt oculi eorum : Et redeuntes ad Sebastianum ducem : omnia illi retulerunt . Tunc Victor cum esset in dolore positus : eleuatis oculis ita preces ad dominum fudit dicens : Domine deus omnipotens : anima mea in exitu posita est : confirma me : et exaudi me : et miserere mihi : et ueniat in me misericordia tua sicut omnibus : qui tibi placuerunt : domine deus suscipe me : et ne derelinquas me : neque despicias me deus meus : et ne proicias me a facie tua : et ne deseras me in tempore doloris mei : et nunc gratias tibi ago domine Iesu Christe fili dei : adesto in adiutorium mihi famulo tuo : et adiuua me a doloribus istis : ne permittas me a prophanissimo hoc iudice uinci . Tu enim nosti : quia propter nomen tuum hæc† omnia patior . Tunc quædam mulier uxor cuiusdam militis nomine Corona : quæ ætate fuerat annorum circiter sexdecim : exclamacuit† diens† : Beatus es Victor : et beata opera tua . Susceptum est sacrificium tuum : quo modo sacrificium Abel : quoniam obtulisti te deo in sinceritate mentis : et deus suscepit te : quomodo Enoch iustus translatus es : ut non gustes mortem huius sæculi : quousque aduenerit tempus promissionis . Iustificatus es sicut Noe perfectus a generatione sua . Et sicut ille ita et tu in omnibus perfectus et iustus es . Credidisti deo sicut Habraam : qui ei obtulit filium suum Isaac . Tolerasti persecutiones sicut Iacob : quem persequebatur Esau et Laban . Factus es sapiens sicut Ioseph : qui gubernauit colonos terræ ægipti tempore famis . Perseuerasti in tolerantia fortissimi Iob : qui sustulit multas persecutiones : quousque uinceret immissiones inimici . Zelauerunt te sicut Esaiam : qui sectus est medius . Suscepit deus sacrificium tuum : sicut prophetæ Samuelis . factus es in odorem suauitatis sicut Eleazar in sacerdotio suo . Suscepit te deus sicut Danielem . Non tetigit te ignis : sicut tres pueros sanctos Ananiam Azariam et Misael in incendio : quod eis intulit Nabuchodono | sor rex : quoniam obtulerunt se sacrificium deo . Sperasti in domino sicut Dauid . Suscepisti sapientiam Salomonis : quousque uinceres omnes colluctationes et circunuentionem diaboli : et cum hæc mulier locuta fuisset : addidit dicens : Ecce uideo duas coronas deferri de cælo manibus decem angelorum . Tibi dabitur maior : mihi uero breuior . Et si minas fragilis ducis non metuo : Christi reguum† ut fortis hæreditabo . Et cum audisset ista omnia dux illam dicentem : com-

motus iussit illam ad se adduci et ait : Quot annorum es : cui ait Corona : annorum sum sexdecim . Sebastianus item dixit : Quando nupsisti ? Cui Corona : Ante annum et quattuor menses . Et ille : ergo ait accede : et sacrifica diis . Respondit Corona : Ego Corona uocor : et persuades me perdere coronam meam . Ad hæc Sebastianus Quare tam cito deornas te ? Corona dixit : Hoc apud me consideraui exterminare ornamenta temporalia : conculcatione corporis : ut possim uenire illi obuiam : in quo credo Iesu Christo immortali sponso . Nam sponsus terrenus temporalis est et mortalis . Iesus Christus autem indulgentia est in pœnitentes : qui nunquam dissoluitur . Sebastianus dux dixit : Sacrifica diis . Corona respondit : Ideo non sacrifico : ut accipiam coronam a deo : Tunc dux iussit duas arbores palmæ a militibus declinari : et de cannabinis funibus beatam Coronam alligari utraque parte manibus et pedibus : Et iussit militibus : ut subito dimitterent partiri . Et cum hæc fierent : diuisa est in duas partes . Atque ita consumauit agonem suum sapientissima et bona Corona : martyrium suum fideliter adimplens in domino . Beatissimo autem uictori iussit caput præcidi . Tunc sanctus Victor dixit : gratias ago deo meo : qui mihi donauit constantiam istam ingenuitatis meæ usque in finem . Accellerabat quippe gressum iam prope uictoriam coronandus : et extendens manus suas ad cælum dixit : Gratias tibi ago domine Iesu Christe : quia consolata est uirtus mea : et non permisisti perire animam meam : sed donasti mihi gratiam nominis tui : Et nunc domine suscipe spiritum meum in pace : Et cum hæc diceret percussit eum spiculator : Et postquam decollatus est sanctus Victor : exiit ab eo sanguis et || lac . Populi autem circunstantes admirabantur omnes passiones eius usque ad finem . Et multi augumentati sunt in fide domini Iesu Christi . Passus est sanctus Victor martyr et beata Corona octauo calendas maias hora noua† : sub imperatore Antonino agente impiissimo duce Sebastiano in thebaide Egypti contra ciuitatem : quæ dicitur Lycos : benedicentes deum et dominum nostrum Iesum Christum : qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in sæcula sæculorum Amen .

PASSIO SANCTI VRBANI PAPAE ET MARTYRIS .

Vrbanus episcopus natione romanus ex nobilissima prosapia ortus est : cuius pater Pontianus dictus est : qui Vrbanus a beato Petro apostolo octauus decimus uicarius extitit . Postquam beatus Calistus episcopus tempore Macrini imperatoris per triumphum martyrii migrauit ad Christum : Sanctissimus Vrbanus† iam senex cathedram romanæ urbis suscepit : qui in eodem fastigo† dignitatis sublimatus : multas calamitates et tribulationes huius mundi perpessus est : Nulla consecutus prospera cum aduersa omnia ob Christi portat amorem . Hic ante episcopatum probabilis fuit confessor : et post episcopatum nihilominus semel et iterum : usque septies pro nomine saluatoris examinatus atque diiudicatus . Hic fecit uasa quamplurima sacrata argentea Patenasque quoque similiter argenteas uigintiquinque apposuit : ministeria quoque sacra sollerti industria sanciuit . Denique hic sua prædicatione ac traditione multos ad credulitatem et baptismum Christi conuertit : etiam et Valerianum inclytum uirum sponsum sanctæ Ceciliæ et Tyburtium cognatum eius : quos etiam usque ad martyrii palmam perduxit : et per eius monita salutifera multi martyrio coronati sunt : qui et fecit ordinationes quinque per menses decembrios presbyteros nouem diacones nouem ; episcopos per diuersa loca instituit numero octo . Sedit octo annos menses undecim dies duodecim : Cui successit† in episcopatu uir uenerabilis Antheros natione græcus . Igi | tur pontificatus sanctissimi Vrbani in tempore Macrini et filii eius fore cœpit : quorum imperium paruo tempore fuit : hoc est uno anno : Post quos imperauit Antoninus cognomento Heliogabalus : qui ex phœnice oriundus fuit : et a templo solis cognomen accepit : qui et ipse probris omnibus se commiscuit : atque ex hoc quod accidit dictus est tractaricus thyberinus : Itaque gubernaculum imperii eius institit duobus annis . Hoc quoque mortuo tunc erat ab urbe condita nongentesimusseptuagessimusquintus : ab incarnatione domini nostri Iesu Christi anno ducentesimo trigesimo ac medio indicione sexta : successitque huic in imperium uigesimusquartus ab Augusto Aurelius Seuerus Alexander Mameas Ab exercitu Cæsar a senatu Augustus

nominatus a matre Mamea dictus est . Hic iuuenis admodum cum tresdecim esset annorum suscepit aduersus Persas bellum : Et horum genere gloriosissime Victor quasdam frementes et tumultuantes aduersus se regiones integras exauctorauit : Assessorem habuit Scrinum magistrum Vlpianum iuris conditoremque qui eo tempore in elementis abundantius uiguit : Cuius Aurelii mater Mamea erat Christiana : quæ Origenem præsbyterum audire curauit . Bonus quoque reipublice fuit sed criminosus sibi . Huius temporibus in oriente Taurinus Augustus effectus est . At ubi intellexit : quod Aurelius illuc adiret : ob timorem ipse se in Euphrate fluuio abiecit . Tunc etiam Iulius Maximus apud Sallias† regnum arripuit pluribus de eius exercitu per munera corruptis : Alexander uero cum se deseri a stipatoribus apud Mangontiam uidisset : matrem sibi causam mortis fuisse exclamans : accurrenti percussori obuoluto capite ceruicem manibus compræhensam ualde præbuit . Tali uoce consumptus est anno imperii eius tertiodecimo . Non est ut coniicimus omittendum : quod in Mameam matrem suam unice pius fuit et ob id omnibus amabilis . Hæc Mamea quia christiana erat : filium coegit suum : ut in christianos dum uiueret persecutionis rabiem non exerceret : De qua re obediuit eius uoto et talia minime egit . Hæc poposcerat a filio suo : ut propter illam ipsa permodica edulia quæ || mensa prandioque superessent non ei acclamaret : aut detraheret : quamuis se mensa altero conuiuio reponerentur . Imperii huius tempore uidelicet Alexandri ut apertius indagauimus ac subtilius : fuit sanctissimus Vrbanus episcopus : qui a præfecto urbis turgido Almachio multis suppliciis est coangustatus cum illis : qui infra habentur : et ad extremum capite plexi sunt : qui ita peruenerunt ad cælicam ædem . Igitur : ut diximus : dum Alexander ob matrem persecutionem in Christi seruos non haberet : zelo diaboli et inuidia ductus Almachius præfectus exquirere cœpit diligentius : si tandem aliquando inuenire potuisset receptacula christianorum : quorum sanguinem anxius potare cupiebat . Muneribus ob id quampluribus datis obstinatius præstolabatur : ut carnes dilaceraret sanctorum : Et quod Imperator non egerat : ipse se immunem ab hac nequaquam fecit nequitita . sed cum omni auiditate nefanda peragens se ipsum in inferno demersit : et ignem sibi accendere minime distulit . Peractis itaque multis diebus : quibus huc atque illuc circumeuntes apparitores ierant : ut edictum explerent tyramni . Quadam die cum sollicite ab eis Almachius inquireret : quid actum habuissent : proposuit quidam uicarius nomine Carpasius : qui et ipse crudelior erat : et pecuniam a tyramno acceperat : et ait ad eum : Illustrissime uir domine præfecte dum ego uestra pacifica adimplere iussa satagerem : et circunquaque uagarer lustrando : fortuitu accidit : cum graderemur una tramitis usu diuerti mente pariter et obtutu et subito occurrit aspectui meo antrum quammagnum : in quo dum diutius iter sisterem : conspexi : Et quia : ut uestra gnara est clæmentia : dum quis æstiuo tempore quo solis magnitudo satis irradiat centrum : polique splendescunt excelsi : uisus obtunditur : non apertis oculis intuetur . deinde si uelit aspicere in opaca loca minime contemplari in illa possit hora : Ob quam rem dum enixius intro reuerberatis luminibus intenderem : ecce apparuerunt conspectui nostro uiri christiani numero sex cantantes et psallentes suauiter : quia ut arbitror in clanculo ibi morantur . Hæc uerba Turgidus cum audisset alludens manibus gratias ei | agebat : O ait si tu tanta erga desyderia mea ualueris gesta : quanta in te digna profuturus ero : Vade inquit concito equitatus cursu in spelea antra : ne fugam ineant : et frustrata constet nostra uoluntas . Profectus est itaque uicarius Carpasius uelociter : et cum peruenisset ad locum : ubi erat sanctus episcopus orans cum tribus diaconibus et duobus presbyteris cœpit eos non bene conducere : quibus et dixit : Vnde estis : et quid habetis ocius indicate mihi . Respondit sanctus episcopus : Nos ciues sumus Romani . causam in hoc loco nullam habemus nisi dominum nostrum Iesum Christum : cui famulamur die noctuque . Ad quem Carpasius : Ergo quia christiani estis : et in eo quod cupiui animo celerius indicastis : ob hoc nihil est morandum : sed ad iudicem usque pergendum . Sanctissimus præsul respondit : Putas fortasse ut timeamus te aut iudicem tuum : parati enim sumus in nomine domini . Eia eamus . agite quod immane est : ut a nobis quod sordidum est abstergatis : Et dixit ad clerum suum : Qui estis uasa domini filii carissimi egrediamur inter peccatores : ut emere aliquid possimus scilicet uænundando terrestria : et emendo cælestia . Dando luctum : recipiendo gaudium : Dando refectionem carnis quæ est ad modicum : recipiendo refectionem spiritus sine fine manentem .

Dando lucem tenebris mixtam : et recipiendo lucem sine tenebris : ubi ille solus Imperator regnat : qui est uera lux . Hæc autem audiens Carpasius cum irrisione cœpit clamare dicens : Deos deasque testor insani capitis estis : et nescitis : quid loquamini . Tunc deducti sunt ad palatium Vespexiani : in quo erat Almachius ambiens et expectans aduentum Carpasii : ut uideret : quid inuenisset . Sic nimirum sic cupiebat sanctorum sanguinem effundere : sicut qui cupit hostes sibi extinguere . Factum est autem : cum ingrederetur beatus papa Vrbanus aperiens os suum dixit : Quoniam omnes dii gentium dæmonia : deus autem noster cælos fecit : Et dum introducti fuissent ante conspectum Almachii aperuit os suum Iohannes presbyter dicens : In tuis iustificationibus domine meditati sumus : ne obliuisceremur sermones tuos : quos intuens præfectus Almachius cum || furore affatus est : Non ne iste est Vrbanus sacrilegus seductor hominum : qui iam in prescriptionibus semel et iterum damnatus est : quem christiani suum papam commemorant ? Cui beatus episcopus respondit : ego quippe seduco homines : ut uiam iniquitatis respuant : et ad uiam ueritatis perueniant . Almachius præfectus respondit : uere uiam ueritatis non doces : quia nec deos times : nec iussa imperatorum expauescis . Ad hæc beatus Papa respondit : Ego nec te timeo : nec tuis obtempero præceptis . fac : quod facturus es . Scio enim dominum meum Iesum Christum : cuius auxilio gubernatus sum : et gubernor : Cui Almachius miser inquit sacrifica et uiue . Nam si non feceris : tu eris exemplum omnium christianorum . Respondit Carpasius ad Almachium præfectum et cunctum populum : Quid uobis uidetur de hominibus istis . Almachius dixit : ut ducantur ad pagum iuxta templum Iouis : et ibidem in ergastulo mancipentur . Mox alacer effectus Carpasius compræhendit beatum Vrbanum papam una cum clero eius : et in præfato ergastulo ubi ei præceptum fuerat illuc eos mancipauit : quod cum audissent multi christiani : gauisi sunt in domino : quia et ipsi desyderabant ad coronam peruenire martyrii . Attamen tristitia nimis eos compullerat : quia ille ab eorum erat præsentia sequestratus impie : qui pie eis assueuerat prædicare : et consolari . Dicebant ergo : O sanctissime et benignissime præsul pauperum uiduarum et orphanorum altor : christianorum infatigabilis consolator : litterarum sanctarum sollertissimus sæminator : præ omnibus sermone promptissimus : sanctitate plenus : pietate farcitus : omnique modestia nactus audax ob animarum salutem pugnator : et indeficiens gubernator præsentis uitæ lucri strenuissimus contemptor incomparabilis perhennis uitæ amator . Elegans quamuis forma sed longe elegantior fide : nec non et operibus quæ ex fide geruntur : pastor inclitus ouium suarum dulcis amator atque defensor adeo : ut animam suam traderet pro ouibus suis : Et ne lupus insidians aliquem raperet ipse spiritusancto fultus seipsum inferre . non distulit benedictus . Talia dicentes uenerunt usque ad carcerem : Et ac | cepto ab eis munere carcerarius qui erat nomine Anolinus introduxit eos usque ad beatissimum præsulem : qui cum uidissent eum cœperunt altius gemere : et prostrati in in† humum benedictionem apostolicam expectabant . Data uero eulogia : surgite fratres ait : et de agiographia peruigiles excipite uerba : ne dormientes inueniat nos ille pestifer hostis : qui perimere sanctos semper conatur : Et tunc cœpit eis sancti euangelii dicta ad memoriam reducere astruens et illud : quod dominus ait : Beati sunt serui illi : quos inuenerit uigilantes dominus illorum : cum uenerit id est in bona et sancta opera persistentes . Audiuimus laborem : audiamus retributionem . Amen dico uobis : super omnia bona sua constituet eos . Præssuras et tribulationes huius sæculi et temptationes atque aduersiones diaboli : quas immobiles et constanti animo pro saluatoris dilectione ferre debemus ipse saluator præuidens dixit : Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ : ut possitis agnoscere uersutias tyramni et ut sitis mundi : et extranei a fellis malicia : Cauete ab hominibus . Tradent enim uos in conciliis : et flagellabunt uos : et ante reges et præsides ducemini propter me in testimonium : Et quid dicat in alio loco diuina scriptura : Estote fortes in bello : et pugnate cum antiquo serpente : et accipietis regnum æternum . Aeternum quippe est : quod ñunquam finitur . Perseuerantes sicut ait usque in finem consequentur præmia uitæ : quam omni nos auiditate speramus : et quibus ipso annuente perfruituri sumus in æuum Amen .

PASSIO SANCTAE VRSVLAE ET VNDECIM MILLIVM VIRGINVM ET MARTYRVM .

Vndecim millium uirginum passio hoc ordine celebrata fuit . In Britannia rex christianissimus quidam fuit nomine Notus alii Maurum dicunt : qui filiam nomine Vrsulam habuit . Hæc mirabiliter morum honestate sapientia et pulchritudine pollebat : ita ut eius fama ubique uolitaret Rex autem Britanniæ cum nimis præpotens || esset : et multas nationes suo imperio subiugasset audita huius uirginis fama beatum se per omnia fatebatur : si prædicta uirgo suo unigenito copularetur . Iuuenis etiam ad hæc plurimum æstuabat . Mittunt igitur solemnes nuncios ad patrem uirginis magnis promissionibus et blandiciis magnas adiicientes minas : si ad dominum suum uani reuertantur . Rex autem cœpit plurimum anxiari : tum quia Christi fidem insignita cultori idolorum tradere indignum duceret : tum etiam quia ipsam nullatenus consentire cognosceret : tum etiam quia regis ferocitatem plurimum formidaret . Ipsa autem diuinitus inspirata patri suasit : ut prædicto regi assensum præberet ea tamen conditione proposita : ut ipse rex cum patre decem nirgines† elegantissimas sibi ad solatium traderet : et tam sibi quam aliis mille uirgines assignaret : et comperatis† taeribus† inducias triennii sibi darent ad dedicationem suæ uirginitatis : et ipse iuuenis baptizatus in hiis tribus annis in fide instrueretur . Sapienti siquidem consilio usa ut aut difficultate propositæ conditionis animum eius ab hoc euerteret : aut hac oportunitate prædictas uirgines secum deo dicaret . At iuuenis libenter hac conditione accepta apud patrem institit : et protinus baptizatus accelerari cuncta quæ uirgo petierat imperauit . Pater autem puellæ ordinauit : ut filia sua quam ualde diligebat uiros quorum solatio tam ipsa quam eius exercitus indigebat in comitatu suo haberet . Vndique igitur uirgines confluunt undique uiri ad tam grande spectaculum currunt . Nam multi episcopi ad eas confluxerunt : ut secum pergerent : inter quos fuit Pantulus basiliensis episcopus : qui eas usque Idmam perduxit : et inde reuersus cum eis martyrium suscepit . Sancta quoque Gerasina regina Sciciliæ quæ uirum suum regem crudelissimum quasi de lupo fecerat agnum . Soror Macirisii episcopi et Dariæ matris sanctæ Vrsulæ : cum eidem pater sanctæ Vrsulæ secretum per litteras intimasset : continuo inspirante deo cum quattuor filiabus suis Babila Iuliana Victorina et Aurea et paruulo suo Adriano : qui amore sororum suarum ultro se peregrinationi ingessit : relicto regno in manu huius filii | sui usque in Britanniam nauigauit : Cuius consilio uirgines de diuersis regnis colligebantur : earumque semper ductrix existens cum eis tandem martyrium passa est . Iuxta condictum igitur uirginibus trieribus et sumptibus præparatis militonibus suis Regina secreta reuelat : et in nouam militiam omnes coniurant . Nam modo belli præludia incohant† . modo currunt . modo discurrunt . interdum bella plurimumque fugam simulant : omnique genere ludorum exercitatæ nihil quod animo occurrebat relinquebant intactum . aliquando meridie aliquando uesperi redibant . Confluebant proceres et primates ad tam grande spectaculum : et omnes ammiratione et gaudio replebantur : Tandem cum Vrsula omnes ad fidem uirgines conuertisset : sub unius diei spatio flante prospere uento ad portum Galliæ qui Vella dicitur et inde Colloniam deuenerunt : ubi Vrsulæ angelus domini apparuit : et prædixit eas illuc integro numero reuersuras : et coronas ibidem martyrii percepturas . Inde igitur ad angeli ammonitionem Romam tendentes . ad urbem Basiliam applicuerunt : atque ibidem relictis nauibus Romam pedestres uenerunt : Ad quarum aduentum papa Cyriacus ualde gauisus : cum ipse de Britannia oriundus esset : et multas inter eas consanguineas haberet : cum omni clero ipsas summo cum honore suscepit . In ipsa autem nocte papæ diuinitus reuelatur eum cum ipsis uirginibus palmam martyrii percepturum : Quod apud se celans multas ex ipsis : quæ adhuc baptizatæ non fuerant baptizauit . Verum cum opportunum tempus uideret : et anno uno et undecim ebdomadibus post Petrum ecclesiam decimns† nonus rexisset : in conuentu omnium propositum suum indicauit : et coram omnibus dignitati et officio resignauit . Sed cum omnes reclamarent et maxime cardinales : qui eum delirare putabant

eo quod relicta pontificatus gloria post quasdam mulierculas fatuas ire uellet : ille nullatenus aquiescens quendam uirum sanctum : qui Ametos dictus est : loco suo in pontificem ordinauit . Et quia sedem apostolicam inuito clero reliquit : nomen eius de cathologo pontificum idem clerus abrasit : omnemque gratiam quam sacer ille uirginum chorus in curia Romana habuerat a tempore illo || amisit . Duo autem iniqui principes romanæ militiæ scilicet Maximus et Aphricanus uidentes magnam uirginum multitudinem quod multi et multæ ad eas confluerent : timuerunt : ne per eas nimis cresceret religio christiana : Quapropter iter eorum diligentius explorantes nuncios miserunt ad Iulium cognatum suum principem gentis hunnorum : ut educto contra eas exercitu : ipsas cum christianæ essent : cum uenirent Coloniam : trucidaret . Beatus igitur Cyriacus nocte illa cum uirginum multitudine de urbe egressus est . Secutus est autem ipsum Vincentius presbyter cardinalis : et Iacobus : qui de Britannia patria sua Antiochiam profectus archiepiscopatus dignitatem septem annis ibidem tenuit : Qui cum papam tunc temporis uisitasset : et iam urbem egressus de uirginum aduentu audisset : concitus reddiit : et itineris ac passionis se eis socium fecit . Maurelius quoque leuitanæ urbis episcopus auunculus Babylæ et Iulianæ necnon et Folanus lucensis episcopus et sulpicius Rauennensis episcopus : qui tunc Romam aduenerant : prædictis uirginibus adhæserunt . Aethereus quoque sponsus beatæ Vrsulæ manens in Britannia per uisionem angelicam a domino ammonetur : ut matrem suam hortaretur fieri christianam . Nam pater eius in primo anno quo christianus factus fuerat mortuus est : et filius eius Aetereus a domino ammonetur : ut protinus surgens sponsæ suæ occurrat : ut cum ea in colonia martyrii palmam accipiat : Qui diuinis monitis acquiescens matrem suam baptizari fecit et cum ipsa et sorore sua paruula Florentina iam christiana nec non et Clæmente episcopo ipsis uirginibus obuians se ad martyrium sociauit eisdem . Marculus quoque episcopus Greciæ et neptis sua Constantia filia Dorothei regis Constantinopolytani : quæ nubens cuidam adolescenti filio cuiusdam regis : sed ante nuptias morte præuento uirginitatem suam domino uouit : per uisionem ammoniti Romam uenerunt : et prædictis uirginibus ad martyrium se iunxerunt . Omnes igitur uirgines cum prædictis episcopis coloniam redierunt : et ipsam iam ab Hunius† obsessam inuenerunt : Quas barbari uidentes super eas cum clamore ni | mio irruerunt : et quasi lupi sæuientes in oues totam illam multitudinem occiderunt . Cum autem ad beatam Vrsulam cæteris iugulatis uenissent : uidens princeps eius miram pulchritudinem obstupuit : et consolans eam super necem uirginum promisit : quod eam sibi in coniugem copularet . Sed cum hæc illa penitus respuisset : ille contemptum se uidens directa sagitta eam transfixit : et sic illa martyrium consumauit : Quædam autem uirgo nomine Cordula timore perterrita in naui nocte illa se abscondit : sed in crastinum sponte se morti offerens martyrii Coronam suscepit . Sed cum eius festum non fieret eo quod cum aliis passa non esset : ipsa post longum tempus cuidam reclusæ apparuit præcipiens : ut sequenti die a festo uirginum eius quoque sollemnitas recolatur . Passæ sunt autem anno domini ducentesimotrigesimooctauo . ratio autem temporis ut quibusdam placet non sustinet : quod hæc tali tempore sint peracta . Scicilia enim tunc non erat regnum nec Constantinopolis cum hic fuisse dicatur : cum uirginibus has reginas . uerius creditur : quod diu post Constantinum imperatorem hummi† et Gotthi sæuiebant tale sit martyrium celebratum tempore scilicet Marciani imperatoris ut quidam uolunt . qui regnauit anno domini trecentesimoquinquagesimosecundo . Abbas quidam ab abbatissa coloniæ corpus unius uirginum impetrauit . promittens : quod ipsam in capsa argentea in sua ecclesia collocaret . Sed cum per annum integrum super altare eam in capsa lignea tenuisset : nocte quadam dum abbas ipsius monasterii cum suo conuentu matutinas cantaret : uirgo illa corporaliter desuper altari descendit : et ante altare reuerenter inclinans per medium chorum uidentibus monachis et stupentibus inde recessit . Abbas igitur ad capsam currens : et uacuam ipsam inueniens : Coloniam properauit : et abbatisse rei ordinem intimauit . Pergentesque ad locum unde illud corpus sumpserant : illud ibidem inuenerunt . Cum autem abbas ueniam petens illud uel aliud peteret certissime promittens capsam prætiosam citius se facturum : nullatenus impetrauit . Religiosus quidam cum has uirgines in deuotione multa haberet quadam die dum grauiter infirmaretur : uidit quan || dam uirginem pulcherrimam sibi apparentem : et si se cognosceret inquirentem : qui cum ad eius uisionem

miraretur : et se nequaquam ipsam cognoscere fateretur : Ille† ait : Ego sum una uirginum erga quas tantam habes dilectionis affectum : et ut inde mercedem accipias si amore et honore nostri undecies miles[1] dominicam orationem dixeris : in hora mortis in protectionem et in solatium nos habebis : qua disparente ille quamcitius potuit : hæc impleuit : Statimque uocato abbate inungi se fecit : qui cum ungeretur subito exclamauit : ut fugerent : et uenientibus sacris uirginibus locum darent : quem cum abbas quid hoc esset interrogaret : et ille promissionem uirginis sibi per ordinem ennarrasset : recedentibus cunctis et paulo post redeuntibus ipsum migrasse ad dominum inuenerunt .

FINIS

PASSIO SANCTORVM XISTI EPISCOPI FELICISSIMI ET AGAPITI MARTYRVM .

Magnas martyrum præclarasque uirtutes humilis potius ac tenuis quam tumidus explicet sermo . Decius Cæsar et Valerianus præfectus aliquando iusserunt sibi Xistum episcopum cum clero suo præsentari noctu intra ciuitatem in Tellure : prius enim apud Athenas natus et dictus Iesus fuit : postea Christi discipulus et dixit ad clerum suum . Fratres et commilitones nolite pauescere . Omnes sancti quanta passi sunt tormenta : ut securi perpetuam obtinerent uite æternæ palmam : Nam et dominus noster Iesus Christus passus est pro nostra salute : ut nobis exemplum relinqueret : et uoce clara dixit . Venite : nemo metuat terrores . Responderunt Felicissimus et Agapitus diacones : et dixerunt . Et nos sine te patre nostro quo ibimus ? et præsentatus est noctu Decio et Valeriano cum duobus diaconibus suis . Dicit ad Xistum episcopum .† Decius Cæsar : Scis : quapropter tentus conuentione publica : et nobis præsentatus es ? | Respondit Xistus episcopus : Scio : et bene scio . Cui Decius : Ergo si scis : fac : ut uniuersi sciant : et tu uiuas et clerus tuus augeatur . Respondit Xistus : Vere feci : et facio : ut clerus meus augeatur . Ad quem Decius dixit : Ergo sacrifica diis immortalibus : et esto princeps sacardotum† . Beatus Xistus respondit : Ego semper sacrificaui et sacrifico deo patri omnipotenti et domino Iesu Christo et spirituisancto hostiam puram et immaculatam . Tum Decius Consule ait senectuti tuæ : et clero tuo . Beatus Xistus dixit : usque adeo consului mihi et clero meo : ut de profundo mortis æternæ coner omnes eripere Ad quem iterum Decius : Sacrifica . Nam si non feceris : tu eris exemplum omnium . Xistus episcopus respondit : Iam semel dixi tibi : sacrificia semper offero deo et domino Iesu Christo filio eius . Decius dixit ad milites : Ducite eum ad templum Martis : et sacrificet deo marti : quod si noluerit : recludite eum in priuata Mamurtini : Et duxerunt eum ad templum Martis : et coarctabant eum sacrificiis coinquinari . Tunc beatus Xistus episcopus dixit : O infelices qui non ploratis : sed adoratis idola uana et manufacta muta et surda : qui nec sibi nec aliis prossunt : sed audite me filii et liberate animas uestras de æterno supplicio : et nolite pauescere ista tormenta . sed illa metuite : et agite pœnitentiam : quia nescientes sacrificatis idolis uanis ? Et contempto præcepto Decii : Duxerunt eum in custodia priuata cum duobus diaconibus Felicissimo et Agapeto : cumque audisset beatus Laurentius archidiaconus : beatum Xistum episcopum iterum in custodiam reduci : his uerbis appelare cœpit : quo progrederis sine filio pater : quo sancte sacerdos sine diacone properas ? Tu nunquam sacrificare sine ministro : nec offerre consueueras . Quid in me ergo displicuit pater ? Num degenerem probasti ? Experiri debueras certe : utrum idoneum ministrum elegeris : Cui dominici sanguinis et consumandarum consecrationem et consortium sacramentorum credidisti ? Huic sanguinis tui consortium negas ? Vide ne periclitatur in me iudicium tuum dum fortitudo laudatur . Abiectio discipuli : detri || mentum est magistri . Quid quod illustrius præstantes uiri discipulorum certaminibus quam suis uincunt ? Denique Abraam filium optulit : et Petrus Stephanum præmisit : Et tu pater in filio ostende uirtutem tuam : et offer : quem erudisti : ut securus iudicii tui comitatu nobilem peruenias ad coronam . Tunc Xistus episcopus dixit : Non ego te fili desero : nec derelinquo : sed maiora tibi debentur certamina . Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recepimus :

te quasi iuuenem manet gloriosior de tyramno triumphus . post uenies . flære desiste : post triduum me sequens . Inter sacerdotem et leuitam hic medius numerus decet . Non erat tuum sub magistro uincere quasi adiutorem quæreres . Quid consortium passionis meæ expectis† ? Totam hæreditatem eius tibi dimitto . Quid præsentiam meam requiris ? Helias Heliseum reliquit : et uirtutem non abstulit . Et adiecit beatus Xistus ad beatum Laurentium . Accipe facultates ecclesiæ uel thesauros : et diuide : quibus tibi uidetur . Tunc beatus Xistus episcopus tradidit beato Laurentio Archidiacono omnes facultates ecclesiæ . Eodem tempore accepta potestate beatus Laurentius cœpit per regiones quærere curiosæ : ubicumque sancti clerici uel pauperes essent absconsi . Et portans thesaurum prout cuique opus erat ministrabat . ueniens autem in cælium montem : ubi erat quædam uidua : quæ fuerat cum uiro suo annis undecim et in uiduitate permansit annis trigintaduobus : quæ habebat in domo sua multos christianos et presbyteros et clericos absconsos . Hoc cum audisset beatus Laurentius tulit uestes et thesauros : et uenit noctu ad eam . Tunc ueniens inuenit multitudinem christianorum in domo Cyriacæ uiduæ : et cæpit pedes omnium christianorum lauare : Et in ipsa nocte ueniens Cyriaca ad beatum Laurentium misit se ad pedes eius dicens ei : Per Christum te coniuro : ut manus tuas super caput meum ponas : quia multas infirmitates patior capitis mei . Tunc beatus Laurentius dixit : In nomine domini nostri Iesu Christi filii dei omnipotentis ponam manum meam super caput tuum . Et facto signo Christi posuit manus super caput Cyriacæ uiduæ : posuit et spper† manus eius | linteum : quo extergebat pedes sanctorum . Eadem nocte ambulauit inde : et cœpit quærere : ubiccunque congregati essent christiani siue in domibus siue in criptis . Venit autem in uicum : qui dicitur canarius : et inuenit multos christlanos† in domo cuiusdam Narcissi christiani congregatos : ubi introiuit cum lachrymis : et lauit pedes omnium : et dedit eis de thesauris quos beatus Xistus præcipiens tradidit : Et inuenit in eadem domo hominem nomine Crescentium cæcum : Vbi ipse cum lachrymis cœpit rogare eum dicens : Pone manum tuam in oculos meos : ut uideam faciem tuam . Tunc beatus Laurentius lachrimas oculis distillans dixit : Dominus noster Iesus Christus qui aperuit oculos cæci nati : ipse te illuminet . Et facto signo crucis in oculos eius : in ipsa hora aperti sunt : et uidit lumen et beatum Laurentium : sicut petiuit . Tunc exiens inde audiuit quod in uicum Patricii multi christiani congregati essent in cripta nepotiana : Et ueniens ibi beatus Laurentius detulit secum ea : quæ necessaria erant sanctis : Et inuenit ibi animas quadraginta tres promiscui sexus : et introiuit cum lachrimis ad eos dans pacem omnibus : inuenitque ibi presbyterum nomine Iustinum : qui fuerat ordinatus a beato Xisto episcopo : et misit se ad pedes eius : Et cœperunt se ambo in pauimento uolutare : ut inuicem pedes oscularentur . Dixit autem beatus Laurentius ad beatum Iustinum : Comple uotum meum : ut lauentur pedes sanctorum et uestri per manus meas . Ad quem Iustinus presbyter : Hoc inquit dominicum præceptum est : fiat uoluntas domini nostri Iesu Christi . Et posita pelue misit in eam aquam : et lauit omnium uirorum pedes . ueniens autem ad beatum Iustinum cœpit primo osculari pedes eius : et lauare : Et ubi lauit omnium pedes : commendauit se beato Iustino presbytero . Eadem hora exiens inde ecce beatus Xistus episcopus ducebatur iterum ad tellurem : ut audiretur et cum eo duo diacones Felicissimus et Agapitus : Et sedit Decius et Valerianus . Dixit autem Decius ad sanctum Xistum iracundia plenus : Nos quidem consulimus senectuti tuæ : audi præcepta nostra : et sacrifica . Respondit beatus Xi || stus episcopus . Miser tu tibi consule : et noli blasphemare : sed age pœnitentiam de sanguine sanctorum : quem effudisti : quam ob rem Decius furore plenus dixit ad Valerianum : Si iste extinctus non fuerit : non erit clarus timor . Valerianus respondit : Capite puniatur : Respondentes felicissimus et Agapitus diacones dixerunt : O miseri si audiretis monita patris nostri euaderetis tormenta æterna : quæ uos torquere habent . Valerianus præfectus dixit : Quid diu uiuunt isti qui nobis tormenta promittunt ? Sed ducantur ad templum Martis iterum : et sacrificent . Quod si noluerint supplicare et sacrificare in eodem loco capite truncentur . Educti igitur foras muros portæ apiæ cœpit beatus Xistus dicere : ecce idola uana muta surda et lapidea : quibus miseri inclinantur : ut perdant uitam æternam : Et dixit ad templum Martis : Destruet te Christus filius dei uiui : et cum hoc dixisset beatus Xistus : Responderunt omnes christiani : amen . Et subito cecidit aliqua pars templi : et comminuta est . Tunc beatus

Laurentius cœpit clamare : Noli me derelinquere pater sancte quia thesauros iam expendi : quos tradidisti mihi . Tunc milites tenuerunt beatum Laurentium archidiaconum audientes de thesauris . Sanctum uero Xistum episcopum et Felicissimum et Agapetum diacones duxerunt in cliuum Martis ante templum : et decollatus est ibi cum duobus diaconibus : et dimiserunt corpora eorum in platea nono idus augusti . Noctu postea uenerunt clerici et presbyteri et diaconi et maxima pars christianorum : et collegerunt corpora sanctorum : et sepelierunt beatum Xistum episcopum et martyrem in cripta cymiterio calisti in eadem uia . Sanctos uero Felicissimum et Agapitum martyres et diacones sepelierunt in cymiterio pretextati nono idus augustas : Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sempiterna sæcula sæeulorum† Amen .

FINIS.

SANCTI ZENONIS EPISCOPI VERONENSIS VITA .

In prouincia Tuscia et in urbe Cui nomen Verona Sancti ac uenerabilis Zenonis acta fulgida claruerunt : cuius uirtutis insignia manifesta fieri populo decreuimus : quia uelut quis ardore solis adustus fluenta fontium concupiscit aut bonum nuncium quis audire festinat : uel etiam in deliciis enutritus et longa exulatione a suis disiunctus ad solum proprium remeare congaudet : ita ego tanti uiri mirabilia quamuis omnia quæque egerit uel in conuersatione uel in sanctitate siue in miraculis explere non ualeo : tamen uel quantum attingere pro parte potero : enarrare non desinam : Et ne quilibet lector deroget : aut audiens legentem desidioso animo : cuiquam detrahat . cum scriptum sit : qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi : uir itaque sanctus quia sicut dominus dicit per prophetam priusquam te formarem in utero noui te : et antequam exires de uentre sanctificaui te . a cunnabulis benedictus et a uentre sanctificatus erat : ad hoc pertingere meruit : ut sancta ageret : et pastor in populo esse mereretur . Ideo quia in omnem terram exiuit sorus† conuersationis eius : et sanctitas eius emicuit : audiant omnes populi eius miracula : et summa cum deuotione ad eius festiuitatem occurrant . Erat enim sanctus Zeno episcopus sedens in monasterio atque in secretiore parte in opido Veronensi ad conuertendas in Christi amore animas hominum deditus : et spiritus sanctus erat in eo . Doctor egregius : pastor bonus : imitator magistri qui animam ponere pro ouibus festinabat . In sermone affabilis : in mansuetudine mitis : ut deus in ipso benediceret omnibus ad se uenientibus . ita alacer ac lætus : ut ex ipsius eloquio mentes et corda hominum ad amorem supernæ patriæ accenderentur : sicut scriptum est : Nos autem de plenitudine eins† omnes accepimus gratiam . Implebatur enim in ipso propheticus sermo : qui dictus erat in corde ipsius . Per idem tempus iuxta ciuitatem Veronensem in propinquo itinere egrediente eodem sancto Zenone a monasterio in fluuio Athesi piscationem agere cœpit : erectisque || sursum oculis uidit e contra quendam hominem cum plaustro et bobus subiunctis mergi in flumine . Tanta enim uelocitate efferebatur : ut omnibus demonstraretur : hunc diaboli arte fuisse gestatum . Hunc quidem Sanctus uir eleuans oculos dum uidisset : cognouit hoc factum diaboli esse . Denique eleuata sursum manu fecit :† sanctæ crucis frequenter signum dicens : Reuertere retro Sathana : ne perdas animam : quam deus creauit : Statimque euanuit uelut fumus . Ita ut cum clamoribus ac stridore nefando de alta rupe diceret : Et si me non permittis animam hominis huius lucrari : tamen paratus sum in patrias notas quæ circumquaque sunt ad impedimentum tuum perpetrare aduersa . Ad quem Sanctus Zeno ait : Non te permittet dominus aduersus seruum suum nequitiæ tuæ stimulos agitare : tamen conare : quæ uis . His ita peractis cum hululatu et clamore dæmon recessit : et festinanter ingressus est dæmon palatium Gallieni compræhendens eius filiam : quæ tunc uirgo aderat et parentibus unica cœpitque eam crudeliter uexare . Tunc miserabilis pater simulque tota domus regia in tristicia uersa cruciabatur : et affligebatur eo quod sic crudeliter suffocaretur : quæ dum crudeli uexatione arrepta esset : cœpit de ore infantulæ dæmon clamare dicens : Non egredior de corpore isto nisi Zeno episcopus euenerit . Per ipsius enim imperium egrediar . Mox uero ut hæc Gallienus rex audiuit missis apparitoribus ad perquiren

dum sanctum uirum cœpit solicite præcepta inquisitionis per singula loca dirigere . Tunc eius iussu milites pergunt ad uirum dei . Ille enim sedebat super lapidem : qui in proximo monasterii erat : et piscabatur in flumine . Venientes uero milites quia inscii illius erant : cœperunt sollicite interrogare sanctum dei sacerdotem dicentes : Quis es tu homo dei ? Indica nobis : si uidisti Zenonem episcopum : quem nos ex iussu regis perquirimus . At ille respondit eis dicens : Quamuis sint plura nomina in monasterio nostro de nomine isto . quod uos inquiritis : tamen pro qua causa uenistis dicite . Ego enim quamuis tantillus : seruus tamen Christi Zeno . Tunc uero conferentes simul adinuicem : dicebant inter se : | Quid multa loquimur ? indicemus ei : pro quo missi sumus . Et respondentes dixerunt : Rex te uult te uidere . Respondit beatus Zeno : Quid me uult Rex : qui omnium christianorum inimicus esse non desistit ? At illi dixerunt : Rogat te Rex : ut filiam ipsius : quæ a dæmonio uexatur sanam reddas : quia unica illi est . Ille uero dixit eis : Ite ecce ego subsequar uos : quia dei mirabilia oportet ut omnibus manifestentur : quo audito milites abierunt . Exurgens uero sanctus Zeno fecit orationem : et perrexit ad palatium : ubi excruciatus affligebatur Gallienus pro filia sua . Et iter sanctus episcopus agens anteuenit ad locum quam milites qui missi fuerant ad perquirendum eum . Cum autem ingrederetur episcopus : facto signo crucis statim cœpit per os puellæ clamare dæmon : Ecce tu Zeno uenisti ad expellendum me : et ego propter tuam sanctitatem stare non possum : Quo dicto tenens sacerdos puellæ manus statim exiit ab ea dæmon . Cœpit autem clamare puella uoce magna dicens : Et si hinc a te expulsus sum : ecce Veronam uenies : et inuenies eos : qui præsentes sunt expugnantes aduersum te . Sanctus uero Zeno sanam restituit regis filiam : Quod factum ut uidit rex Gallienus ammirari ualde cœpit : et coronam quam capite gestabat sancto sacerdoti obtulit dicens : Talem medicum qui sanam unicam filiam meam restituit : nullis dignis muneribus honorare possum : nisi ut ei tota uoluntate ipsam quam capite gesto coronam offeram . Quod dum gereretur : uidens multitudo populi qui in pallatio conuenerant : ab errore conuersi gentili Christo domino crediderunt : postulantes a sacerdote : ut eis uiam salutis ostenderet : et baptismum atque remissionem perciperent peccatorum . At ubi sacerdos accepit coronam a rege : statim distribuit eam pauperibus . Si dominus operatur excelsa : ipsi offeratur gloria . Hoc iam peracto ingressus sacerdos Veronam prædicabat securus uerbum dei : et idola quæque confringens ecclesias fidelibus construebat . Rumor autem populi pagani super eum excrescebat : ut ei impedimentum faceret . Sed uigilans in suis seruis dominus Christus Iesus uincebat men || dacia : eo quod pura fides a fidelibus tenebatur . Igitur post hæc reuerti ad monasterium festinabat salutaria cunctis populis pocula ministrans quod ab ineunte ætate Christi pro amore facere solitus erat : qui dum hoc per dei adiutorium iugiter ageret : quando diuinæ placuit uoluntati : non post longum tempus receptus in pace a domino est . Et quia in miraculis omnibus placuit : quidam timens deum ex genere Gallieni in honore beati Zenonis ecclesiam ædificauit iuxta fluuium Athesim : ubi nnnc† sanctum eius corpus quiescit : qui locus in nomine Christi etiam miraculis corruscat . Post uero aliquantum tempus cum die natalis eius populi et monachi clerici ac sacerdotes ad missarum sollemnia deuenissent : fluuius Athesis tanta inundatione accreuit : ut aqua fluminis usque ad fenestras uel tectum pertingeret : quod cernens populus qui illic ob amorem dei et sancti sacerdotis conuenerant : in ammirationem conuersus est : Et dum tanta esset inundatio : ut aqua uelut murus circumquaque basilicæ erigeretur : intus tamen minime ingrediebatur : quia uirtus orationis ipsius apud deum omnipotentem impetrauerat : ut aqua in specie muri erecta ingredi locum uenerabilem non auderet : Vnde accreuit ueneratio et timor in amorem sacerdotis Christi : ut etiam infirmi ueniant : et liberentur : Et si quis ex uera fide ad sanctum eius corpus aduenerit : cum salute et gaudio reuertitur . Ecce de multis eius mirabilibus ego inutilis Coronatus notarius : quod compertum memoriæ tenui in paruo conclusi uolumine : ne legentibus uel audientibus fastidium generaret . Venerabilis uiri acta quousque mundus uoluitur : fulgida cunctis patebunt Regnante domino nostro Iesu Christo : cui est honor et gloria in sempiterna sæcula sæculorum Amen .

FINIS |

Boninus Mombritius magnifico domino Cicho Simonetæ salutem dicit .

Parcite compositis hæc ad scribenda metallis .
Parcite . sat magnum : cernitis : extat opus .
Nec mihi iam quæri nec uobis omnia fingi
Vndelibet sumptis posse putate libris .
Dum satis ista meo tandem sint credita Cicho :
Hic omnem neque enim cogere curo polum .
Ex his quos nobis uideas hic esse relatos :
Innumeras cæli scire phalangas habes .
Diues ac exemplo tot eris mi Ciche bonorum .
Quem non hi doceant nil didicisse potest .
Quem non hi moueant montes grauitate putetur
Vincere : sit quamuis Hæmus et altus Athos
Non adeo multos ducas ut tædia gignant .
Non adeo paucos : ne bonus esse queas .
Multarum porro nouitate tenebere rerum :
Vt nil lectori gratius esse putes :
Tu tibi sis iudex . tibi tu persuasus amici
Munere quæ uolui dic liber iste dedit .
Interea tibi uiue meus natisque superstes
Auratos degas otia pulchra dies . ||

SANCTAE MONYCE MATRIS BEATI AVGVSTINI VITA .

Monyca mater sancti Augustini : cuius hystoria trahitur ex sententia sancti Augustini ex nono confessionum et ex duabus epistolis quas Augustinus scripslt† sorori suæ Perpetuæ uirgini . Hortor te inquit Augustinus dilecta sponsa Christi : ut deo studeas in omnibus placere : sicut et caram matrem perfecisse nouisti . Nam dum esset puella ad ecclesiam fugiebat : diu in angulo permanens uirginales orationes ad Christum fundebat : Dum autem domum tarde rediret a baiula sua uerberabatur : eo quod extra domum sine pedisequa recessisset : et totum ipsa puella patienter portabat . In tota autem sua pueritia nunquam cum puellis ludentibus se miscuit : sed frequenter in nocte adhuc in pueritia de lecto surgebat et genibus flexis orationes quas a matre nomine Facundia didicerat : domino offerebat . Ab infantia etiam cum ea creuit miseratio : et naturali affectione pauperes diligebat . Sepe panem de mensa in sinu collocabat : et de paterna domo fugiens pauperibus tribuebat . Hospites et infirmos uisitabat . Vicinas litigantes reprehendebat . pedes infirmorum lauabat : et eis ut puella poterat : seruiebat . Cum autem parentes eius more sæcularium uestibus delicatis eam ornare uoluissent : ipsa contristata respuebat . Et cum esset annorum tresdecim : nobili eam Patritio carthaginensi in uxorem tradiderunt . Quanto autem timore et honestate : quanta etiam summa pulchritudine fœminarum dominus eam dotauerit : quanta etiam pudicitia magnificauerit : certe in breui nullatenus dicere possem . Matrimonium tamen optime conseruauit : filios in omni timore domini sufficienter erudiuit : thorum immaculatum custodiuit : maritum ferocissimum deo cum magno labore in fine lucrata est . Cum autem uixisset cum uiro suo fere annis xii : respexit dominus humilitatem anciliæ† suæ et exaudiuit lachrymas eius : Nam inspirauit dominus maritum : ut deinceps uxorem pudicam et castam seruaret . O mira res : quia cum esset ferocissimus : quanto affectu car | nali ab ea diuisus est : tanto magis matrimonio spirituali ei per dilectionem coniunctus est . Cum enim uir eius esset annorum septuagintatrium : in pace obiit . Quantis salutaribus monitis et ieiuniis quantisque lachrymis

et orationibus illam uiduam sanctam castam sobriam et piam dominus dotauerit : mirum est : omnia tamen post mortem uiri contempsit : omne regnum mundi et omnem ornatum eius respuit propter deum in tantum : ut non solum mater pauperum uócaretur sed ancilla . Et quia dum uir eius uiuebat : potestatem proprii corporis non habebat : ideo eleimosynas non ita largiter tribuebat : sed modo non solum quod eleimosynas tribueret sed etiam cicatrices pauperum liniret : propter quod ei dominus centuplum reddidit : dum crucem eius in corde ipsius infixit et passionem . Dum autem quadam die præuenta et nisitata† a te domine beneficia tua quæ tu in carne humano generi clæmens exhibuisti ancilla tua consideraret : tantam conpunctionis gratiam tantamque lachrymarum copiam torculari tuæ crucis expressam in passione tua adinuenit : quod uestigia eius per ecclesiam achrymæ† desuper pauimentum copiose defluentes ostendebant . Et quanto plus ad desistentiam lachrymarum hortabatur desistere : tanto plus fluuius lachrymarum oriebatur . Tanta autem gratia ancilla Christi ieiunandi alios præcellebat : quod diebus quibus ad cænam uocabatur : tanquam ad amaram medicinam accedebat . Erat autem ei timor castus in corde tanquam fascia pectoralis quæ cogitationes constringeret . In ore tanquam frenum quo linguam reprimeret . In opere tanquam stimulus : ne pigritia torperet . In cunctis tanquam regula ne modum excederet . Timor autem iste tanquam scopa purgabat cor uiduæ ab omni duplicitate os a falsitate : opera ab omni uanitate . Nunquam uerbum sæculare ab ore eius me recordor audiuisse : sed in omnibus uerbis suis et factis semper Christum primo nominabat . Tantum timor domini mentem eius occupauerat quod non solum ab omni specie mali sibi cauebat : sed spiritu pietatis ad omne bonum prona erat . Satagebat mirabiliter opera pietatis pro posse cordialiter adimplere : super omnia infirmis seruire : sepulturam mortuis præbere : orphanos custodire ut filios : uiduas et marita || tas consolari Quapropter multa de archanis cælestibus domino reuelante percepit . Vnde tanta ebrietate spiritus sancti sæpe rapiebatur : quod in ea fere per totam diem quiescens : dum esset rex in accubitu sui cordis : non uox neque sensus in ea audiebatur . Neque mirum : quia illa pax quæ exuperat omnem sensum sepeliebat uiduæ sensus corporales : in tantum quod uix matronæ nostræ et conuicinæ eam pungentes excitare ualerent . In die autem beati Cypriani : dum hæc Christi ancilla mereretur accipere sacramenta : et dum esset in domo fere a terra per cubitum eleuata fuit clamando : quæ quietissima esse consueuerat : dicens uolemus ad cælum fideles : quam cum post interrogaremus quid sibi acciderat : non respondebat : sed tanto gaudio replebatur : quod omnes ad festum producebat cum propheta cantans : cor meum et caro mea exultauerunt in deum uiuum . Dum etiam in die pentecostes esset refecta refectione illius panis qui de cælo descendit : post sumptionem sacramenti tanta satietate repleta fuit : quod per diem et noctem absque omni corporali cibo perseuerauit . Cum autem apud Ostiam thyberniam† infirmaretur : et sacramentum nobis fideliter peteret : nec dolore stomochi† uexata retinere ualeret : uisibiliter infantulus nocte media ad lectum dei famulæ uenit : eamque in pectore amplectendo anima illa sancta ad cælum uolauit . Ergo die nono egritudinis suæ quinquagessimo anno ætatis suæ tricesimotertio ætatis meæ anima illa pia et religiosa carne soluta est die quarto maii : flæbam et effundebam tibi domine preces pro illa famula tua : ut non intrares cum ea in iudicio . gratulabar tamen testimonio eius quia appelabat me pium et commemorabat grandi dilectionis affectu nunquam se audisse ex ore meo uerbum durum aut contumeliosum sermonem . Illa famula tua domine continue satagebat uirum suum lucrari tibi : quem amabilem et reuerentem faciebat sibi . Expectabat enim ipsa misericordiam tuam super eum : ut in te credens castigaretur . Erat enim ipse iracundus : sed illa famula tua non tantum facto sed nec uerbo uiro tribulato respondebat : sed quiete rationem facti reddebat : quem tibi domine in extrema uita cor | porali lucrata est . Erat enim etiam ipsa serua seruorum tuorum domine et omnes qui eam uidebant domine scientes et credentes presentiam tuam esse in corde eius . Fuerat enim unius uiri uxor : et filios totiens parturiebat quotiens a te domine deuiari cernebat . Imminente autem die quo ex hac uita exitura erat : nobis ignorantibus domine : ipsa et ego soli stabamus incumbentes ad quandam fenestram : et terrena obliuiscentes loquebamur soli ualde dulciter . qualis esset sanctorum uita : quam nec oculus uidit nec auris audiuit : et inhiabamus ore cordis pariter in superna fluenta fontis uitæ : uilescebatque mundus iste inter uerba cum delecta-

tionibus suis . Tunc ait illa filio : unum erat propter quod in hac uita aliquantulum morari cupiebam : ut te catholicum christianum uiderem priusquam morerer . Ecce cumulatius mihi deus præstitit : ut te contempta etiam felicitate uideam dei seruum . Quid iam a modo hic faciam nescio : quid sibi tunc responderim non satis recolo : sed post dies quinque decubuit febribus : et subtracta a presentibus cucurrimus : et post modicum reddita est sensui : et intuens nos ait : ponetis hic matrem uestram . ego silebam : sed fletum frenabam : frater autem meus locutus est : quod non peregre commori : sed in patria et cum uiro sepeliri debebat : Quo audito uultu turbato reuerberans eum oculis : quod talia dixisset : ait : ponite inquit hic corpus meum : nihilque cura eius uos conturbet . Rogo tamen uos : ut ad altare domini memineritis mei : ubi fueritis . dominus autem illud resuscitabat† : ubicumque sepultum fuerit in nouissimo die . Quanto autem studio et amore beata Monyca ut filius eius Augustinus ad dominum conuerteretur contendit : quibus precibus et lachrymis dominum : qua etiam instantia Ambrosium mediolanensem antistitem fatigauerit : Idem Augustinus in libris confessionum suarum diligenter inquirenti expressit .

CORRECTIONES[1], VARIAE LECTIONES ET NOTAE

TABVLA SECVNDI VOLVMINIS

1, 32†) *lege :* fo. xxxvii. 34†) Iuliana. 45†) fo. xlviii. **2**, 43†) fo. cl. **3**, 5†) Achilleus. 15†) Parmenius. 36†) fo. ccxi. 39†) fo. ccxi. 46†) Processus. **4**, 11†) fo. ccxliii. 40†) fo. cclxxxxiiii. 44†) fo. cclxxxxviii. 50†) *lege :* filiis. 56†) fo. cccv. **5**, 2†) Tharsitius. 4†) Trophimus. 19†) fo. cccxiii.

PASSIO SANCTI HERMETIS MARTYRIS

Ex Martyrologio Adonis (*die* 28 *Aug.*), *qui Gesta SS. Alexandri et sociorum copiose exscripsit* (*cf. supra, tom.* I, *p.* 44). *Contulimus cum editione Adoniana H. Rosweydi* (*Vetus Romanum... et Adonis Viennensis Martyrologium, Antverpiæ*, 1613), *p.* 143 (= *Ro*).

6, 3) præfectus urbis Romæ] *Hermes in serie præfectorum Urbis non numeratur : cf. Borghesi, Œuvres*, IX, p. 389. 3-4) Scodera] Theodora *Ro.* 4) ducentos quinquaginta *Ro.* 5) *Aurelianum vocant Acta* comitem utriusque militiæ, *eumque dicunt missum ab Adriano principe* de Seleutia Isauriæ ad ipsam interfectionem omnium christianorum. *Hunc Ado fecit imperatorem* (*cf. H. Quentin, Les martyrologes historiques du moyen âge, p.* 492, *n.* 1). 7) est, vir illustris, ut *Ro, Gesta ut Mombritius.* 8) verum — feras] *Summa est hic varietas lectionum :* verum etiam præfecturæ honorem in vinculis tanquam privato honori æquanimiter feras *Gesta Mombritiana* (I, p. 44), verum etiam præfecturæ tanquam privatum vinculis te onerari æquanimiter feras *Gesta in recensione Henschenii* (*Act. SS.*, *Mai.* I, 371), verum etiam præfecturæ honore expoliatum, in vinculis te tanquam privatum trudi æquanimiter feras *Ro, clarior equidem, sed longe tum a lectione Gestorum tum a lectione Adoniana Mombritii distans.* 14) annos illam deridebam *Ro, Gesta ut Mo.* 15) utilem esse *Ro, Gesta.* 19) vinculis habeo et in *Ro.* 29) filius in nimio languore positus *Ro.* 30) adductus a me et matre sua, et sacrificassemus *Ro.* 32) enim] eum *Ro.* 45) decollatus et via salaria vetere, etc.] *Non ita Ado, ex Gestis :* Qui decollatus, a beata sorore sua Theodora collectus, in Salaria vetere non longe ab urbe Roma, sub die quinto mense Septembrio sepultus est *Ro.*

A sancto Hermete nomen accepit celebre cœmeterium viæ Salariæ veteris, nuncupatum etiam Scæ Basillæ, *seu* SS. Proti et Hyacinthi. *Pelagius* II *papa* (579-590) fecit cymiterium beati Hermetis martyris (*Lib. Pont., ed. L. Duchesne,* I, 309); *Hadrianus* I 772-795) basilicas cymiterii sanctorum martyrum Hermetis, Proti et Iacincti atque Bassillæ miræ magnitudinis innovavit (*ibid., p.* 509). *Cf.* « *Itineraria* » *apud de Rossi, Roma sotterranea,* I, 176. *Cœmeterium Hermetis recognovit Bosio* (*Roma sotterranea,* 561-571). *De eo cf. de Rossi, La cripta dei SS. Proto e Giacinto nel cimitero di S. Ermete Bullettino,* 1894, *pp.* 1-34); *Armellini, Scoperte nel cimitero di S. Ermete* (*Nuovo bullettino,* I, 1895, *pp.* 11-17); *G. Bonavenia S. I., Cimitero di Basilla. Osservazioni intorno alla cripta... dei SS. Proto e Giacinto* (*ibid.,* IV, 1898, *pp.* 77-93). *Memoriam sancti Hermetis agit Chronographus a.* 354 : V Kal. Sep. Hermetis in Basillæ Salaria vetere, *eodemque die martyrologium hieronymianum* (B) : Romæ via Salaria vetere in cimiterio Basillæ, Hermetis.

[1] Multa supra notavimus signo minusculæ crucis (†) typographorum menda. Ex his pauca tantum hic duximus corrigenda : ea nempe quorum vera lectio aut genuina scriptura dubiæ videri possent, aut non sine labore aliquo reperiri. Cætera prudens lector facile restituet.
In sequentibus numeri crassiores paginas, cæteri lineas designant.

PASSIO S. HERCVLANI PERVSINI EPISCOPI

Ex Vincentio Bellovacensi, Speculum historiale, XXI [XXII], *c.* 76, *qui, ut legitur in textu, totam rem mutuatus est a S. Gregorio, Dialog.,* III, 13. *Contulimus cum editione Veneta,* 1591, *folio* 289 (= *Ve*). *De sancto Herculano* II, *Perusino episcopo* (*c.* 534-546), *cf. Ughelli, Italia sacra,* I, 1156.

6, 50) patitur. Gregorius in dialogo tertio libro : Nuper *Ve.* **7,** 2) conversione *Ve.*

PASSIO BEATISSIMORVM MARTYRVM HERMAGORAE ET FORTVNATI

Eumdem textum edidit Ioh. Pinius (Act. SS., Iul. III, 251-255) *« ex ms. S. Maximini Treviris, collato cum cod. ms.* 13 *Reginæ Sueciæ, et editis apud Mombritium », non pauca addens ex mera coniectura, ut videtur. Paucissima inde accepimus* (= *Bo*).

7, 35) Tunc dicit ad eum beatus Petrus, etc...] *Cf. tom.* I, *p.* 117, *lin.* 36; *eodem modo et iisdem fere verbis loquitur Petrus ad S. Apollinarem :* quid sedes nobiscum? Ecce eruditus es de omnibus quæ fecit Iesus. surge . accipe . spiritum sanctum : simulque pontificatum : et perge ad urbem : quæ vocatur Ravenna, etc. *De apostolatu S. Marci Aquileiæ, vide Tillemont, Mémoires,* II, 507. **8,** 11) Tergestinam *Bo.* 18) ipsius Herodis *Bo, qui annotat : « Designatur Agrippa iunior, primi filius, nepos Herodis regis Chalcidis. »* 36) convertatur a via sua iniusta, et vivat *Bo.* 51) numina *Bo.* **9,** 12) animam — potestate] anima mea a Christo excepta ab Angelis eius in paradiso collocabitur *Bo.* 14) tura offeram] deditus ero *Bo.* 37) propter populi seditionem . Cumque reduceretur *Bo.* 45) ipse quoque orans procidit ad *Bo.* 56) et vicos civitatis *Bo.* 58) nam dii qui coluntur obdurant *Bo.* **10,** 20) potes] possit Christus *Bo.* 52) pastor] pater *Bo.* **11,** 21) et — consumemus *om. Bo.* 34) IIII idus iulias] *Cf. martyrologium hieronymianum* (B) : IV Id. Iul. In Aquileia sanctorum Furtunati et armageri [armigeri E, armagri W].

VITA SANCTI HILARII EPISCOPI ET CONFESSORIS

Sub hoc titulo edidit Mombritius « Vitam sancti Hilarii » a Fortunato scriptam cum « Libro de virtutibus sancti Hilarii » eiusdem auctoris, eoque non parum decurtato. Lectionem nostram contulimus cum editione opp. Fortunati quam paravit Br. Krusch (*M. G. H. Auct. antiquiss.,* IV, II, *pp.* 1-11 = *Kr*). *Inter codices quos adhibuit editor unus est* (V), *cod. Vaticanus n.* 1197 (*sæc.* IX), *qui prologum Libri de virtutibus resecuit, sicut textus Mombritianus : unde concludit v. cl. quod « manifestum est, codicem* V *a Mombritio adhibitum esse ». Non ita certum videtur, quum Vaticanus et prologum Vitæ habeat qui apud Mombritium desideratur, et permultas lectiones exhibeat quæ a Mombritianis lectionibus differunt. Compilator libelli Mombritiani inseruit operi suo epistolam S. Hilarii ad filiam suam Abram, de qua Fortunatus in sequentibus : hanc partem contulimus cum editione D. Coustant, opp. S. Hilarii* (*Parisiis,* 1793, *folio, p.* 1210; *cf. P. L.,* X, 549-552 = *Co*).

11, 37) Pictavorum urbis episcopus *Kr.* oceano brittannico] *Super hanc locutionem videatur Louis Gougaud, Un point obscur de l'itinéraire de saint Colomban venant en Gaule* (1907), *pp.* 14-16. 39) prae ceteris gratia generositatis ornatus, nitore pectoris addito, quasi refulgens *Kr.* 43) venerabiles animos — informandos *Kr.* 46) atque] nam *Kr.* 47) esse, qui se a Iudaeis vel haereticis cibo suspendat, adeo *Kr.* 49) praetereunti *Kr.* **12,** 1) reliquos promissione regni — cessabat in plebe verba veritatis fructu fidei redundantia *Kr.* 4) non posset *Kr.* 5-6) olim mysteriis deputatus *Kr.* 8) implebat. Meritorum gratia percurrente id actum est *Kr.* 10) de radice flore toxico *Kr.* 15[†]) pertinaciter. 18) insuperabilem sancti Hilarii facundiam haereticus *Kr.* 19) si retrusus exilio talis vir — defuisset *Kr.* 20) quis perversus voluit confligere, ac si mutus et claudus — proferre nec currere, sed — in pelagis ante fluctum eius *Kr.* 23) exilio ad virtutis augmentum gratias agit *Kr.* 27) Abram *Kr.* 29) sine contaminatione providerat *Kr.* 30) propria subscriptam *Kr.* 32) et — interponenda est *om. Kr.* 35) candorem nivis *Kr.* 37) emineret, dulcedo favi mella *Kr.* 38) odor suavitate flagraret *Kr.* 39) prius male divisa coniungeret — pollicentem et sponsum *Kr.*

42) cuius videlicet — sublimiusque extulit *om. Kr.* 42) Abræ *in plerisque mss.*, Apræ *Co.* 45) scirem — existimares, qui tam diu a te abessem : excusare — ut intelligeres — utiliter deesse *Co.* 47) te, filia, ut unicam, ita quantum a me est, et unanimem *Co.* 50) divitias et salutem et dives *Co.* 51) Ad hunc his *Co.* 55) et ob id venisse ; et si eam — præstare *Co.* 57) Et inter hæc prostratus in faciem fleo plurimum, et noctibus *Co.* **13**, 2) auditu cognovi *Co.* 3) et scio quia — est hac vesti uti, et hac margarita ornari. Et statim *Co.* 4) confestim ita fit . Ac vestem primo vidi — quod eloqui *Co.* 5) Numquid non sericum secundum subtilitatem eius spartum erat? Numquid — non nigrescebant? *Co.* 7) non lividatur? Ipsa enim multicolor *Co.* 8) Post quam vidi margaritam : qua visa statim *Co.* 14) atteritur, non sorde inficitur, non vi scinditur, non damno amittitur, sed *Co.* 16) moriatur. Nihil omnino in se habet, quod sit noxium corpori : sed utenti — accidit *Co.* 18†) exanimari *Co.* 19) sicut *Co.* 21) sollicitudini et vitæ *Co.* 25) quod hoc credidisti *Co.* 29) habitu, sed nativis coloribus et insumptuoso textu vestiri *Co.* 30) consuetudinem, purpuram perangustam vestis (*al.* per angustam vestis, *al.* per augustas vestes, *al.* per angustas vestes) habeat : non etiam purpura ipsa *Co.* 31) naturæ — habere eam nemo possit qui margaritam *Co.* 35) exardescit *Co.* 36) æqualis enim semper et *Co.* 40) Post quam *Co.* 41) secretum hoc habens — rogans te per *Co.* 42) neque miserum — facias *Co.* 45) domini] Deum *Co.* 45) habeas . Tu modo, si quando tibi vestis alia afferatur *Co.* 51) ita, Non mihi — sint istæ *Co.* 53) ille ei qui hanc spopondit *Co.* 55) salutem et æternitatem *Co.* **14**, 2) quid promittat *Co.* 6) hic et in — filia desideratissima *Co.* His igitur — extulit *om. Co.* 9) sed qualiter] *Resumitur Kr.* 14) qui quoddam castellum dum adisset *Kr.* 17) ab ipso sibi fieri fideliter *Kr.* 18) Quem] Quae *Kr.* 30) scilicet trinum] apud Ariminum *Kr.* 31) ut et orientales — composito fuco *Kr.* 37) iam magna] tantum in maligna *Kr.* 38) scientes] dicentes *Kr.* 40) illuc perturbationem *Kr.* 41) inimici iudicis *Kr.* 43) Nam quod se — ingerebat aperto periculo, optabat martyrium, si non *Kr.* 49) reliqui *Kr.* 52) lumen non absconsum *Kr.* 55) nisi per omnia mysteriis plenum in eo spiritum praevidisset 58) quod — operatus est *om. Kr.* **15**, 1) Gallinariam *Kr.* 8) quam] tanquam *Kr.* 9) Qui dum semper illam partem verentur attingere *Kr.* 10) quam vocem . O immutabilem *Kr.* 13) anguis antiquuum mendacium qui didicit *Kr.* 14) O Hilarii dulcedo, medicamentum et meritum, ante *Kr.* 18) et ac si omnes cum ipso redissent ad *Kr.* 19) beatum Martinum dum in vico Locoteiaco dum *Kr.* 24) praecedentibus *Kr.* 25 cathecuminum *Kr.* 29) oculi apertis palpebrae ianuis peregrinum *Kr.* 37) reliqua hoc miraculo cumulavit *Kr.* 38) praescriptam *om. Kr.* 44) sine contagio de praesenti filia mundi ludibrio migraret *Kr.* 48) fuit quam resuscitari sic mori *Kr.* 52) immaculata finierat . Quod cum vidisset *Kr.* **16**, 1) indivisae trinitatis libros stilo tumente *Kr.* 4) iuxta prophetam ut serpens — simplicis gratiam *Kr.* 5) conditi sal ingenii *Kr.* 6) scripturarum scientia] thesaurus scientiae *Kr.* 12-13) orationibus perseverant *Kr.* 14) singula de sancto *Kr.* 16) cum gloria migravit ad Christum *Kr.* caelo gaudente] *Desinit Vita, sequitur Liber de Virtutibus.* 17) Gaudeat — operatus est] *His verbis auctor libelli Mombritiani maximam partem prologi Fortunati praetermittit.* 19) postquam — virtute confidat] *Finis prologi.* 21) contingere *Kr.* cuncta quae gessit *om. Kr. Haec apposuit auctor ad supplenda quae in praecedentibus suppressit.* 22) fidei] haec fideli *Kr.* 30) cum ingenti fletu in confessoris tabernaculo detulerunt *Kr.* 32) verbo operante subrexit et in *Kr.* 34) lacrimas laetitiae mole superveniente siccavit, gemitus voto succedente praeclusit, ubi iam *Kr.* 36) amisit? Profecto quando alterum — se mors victa percussit . Qui tamen Probianus civitatis apicem — luminaria — debitor tributa *Kr.* 39) nobis est tam — memoriam revocandum *Kr.* 42) abstergebatur sua lavantes capita — perunguentes, tam diu sibi — impenderunt *Kr.* 48†) pictavis. 49) Quae tam praedicabilis patuit miseratio *Kr.* 51) sepulchri munditiae mundaverunt *Kr.* 53) et Crispio subdiaconus institutus — finem — per quem sanati sunt *Kr.* 55) domini, a quo poena *Kr.* 57) manum in specie glomi colligerant nervorum fila contracta : fluxa suo — tela marcebat *Kr.* **17**, 1) convenit, quod caeco felici post vota *Kr.* 7) Tonatiago *Kr.* 8) adtracta est venarum arefacto discursu . Tunc *Kr.* 15) sola vigebant *Kr.* 21) genuum vestigia *Kr.* 22) arentem] rigentem *Kr.* 23) armavit, liniamenta viscerum gratia pii muneris animavit . Aliquando *Kr.* 24) miraculum] mysterium *Kr.* 28) in animo socii nolentis *Kr.* 29) occulte ante tremendi sepulchri cancellos *Kr.* 30) fidelis oblatoris *Kr.* 34) est in voto *Kr.* 36) obdurare *Kr.* 36) Da mihi, pie, veniam, de textus huius parvitate, de usui culpam, de quo *Kr.*

VITA BEATI HILARIONIS MONACHI

De sancto Hilarione plura habet Sozomenus, Historia ecclesiastica, III, 14 *et* V, 10 (*P. G.,* LXVII, 1076, 1077, 1241), *in quibus minime a textu S. Hieronymi dependet. Hinc facile historicitatem Vitæ S. Hilarionis vindicavit O. Zöckler, Hilarion von Gaza, Eine Rettung.* (*Neue Jahrbücher für deutsche Theologie, tom.* III, 1894, *pp.* 146-178), *contra W. Israel, Die Vita S. Hilarionis des Hieronymus* (*Zeitschrift für wissenschaftliche Theologie, tom.* XXIII, 1880, *pp.* 129-165), *qui narrationem Hieronymianam meram esse auctoris fictionem contenderat, eamque inter fabulas reiiciendam.* (*Cf. Analecta Bollandiana,* XIV, 1895, *p.* 120.)

Varias lectiones nobis suppeditavit editio Bollandiana, a V. de Buck parata (*Act. SS., Oct.* IX, *pp.* 43-58), *ex iam editis et quibusdam manuscriptis* (= *Bo*).

17, 45) exæquentur *Bo.* 47) arietem] aes *Bo ex Rosweydo* (*Vitæ Patrum, l.* I; *cf. ed. Antverp.* 1615, *p.* 75), *qui hanc lectionem ex mss. depromptam, abunde probat ex Commentario S. Hierónymi super Danielem,* II, 32, VII, 6, VIII, 5 (*cf. P. L.,* XXV, 503, 529, 536). 48) qui magno frueris præcone meritorum *Bo.* 51) Cypriani epistolas] Cypri episcopus *Bo.* 53) *Epistola S. Epiphanii de qua auctor loquitur, deperdita est.* **18**, 2) in eo] meo *Bo.* 3) illum solitudinis calumniati, huic obiicientes *Bo.* 8) in vico Tabatha *Bo,* Θαβατὰ κώμη *Sozomenus.* 20) unquam *Bo.* 22) populos civitatum, sicque *Bo.* 30) a Maioma Gazæ emporio *Bo,* a Maiuma *Rosw. Maiuma portus Gazæ, ab ista, teste Sozomeno, viginti circiter stadiis dissita erat. Hanc Constantinus utpote christianam, civitatis iure donaverat vocans eam nomine filii sui Constantiam. Iulianus vero eam denuo, libertate et vocabulo spoliatam, Gazæis adiudicavit* (*Sozom.* V, 3). 37) pelliceum habens ependyten *Bo,* ependytem *Rosw.* 45) tirunculus Christi agitare *Bo.* 51) sustentabat *Bo.* 57) et rursus variarum *Bo,* et prorsus barbarum *Rosw.* **19**, 3) horrebat audire *Bo.* 15) cur dormitas? *Bo.* 27) carptim ascensum eius *Bo,* carptim magnalia eius *Rosw.* 29) ad vigesimum septimum *Bo.* 35) impetigine uri et pumicea quadam *Bo.* 46) vel æstimantes *Bo.* 49 reperto puero, quasi *Bo.* 53) correctiorem deinceps vitam *Bo* 55†) Eleutheropolitána *Bo.* **20**, 7) Aristænete [Aristæneta *Rosw.*] Helpidii — præfectus prætorio *Bo. Helpidius præfectus prætorio Orientis fuit sub Constantio* II *imperatore, ann.* 359-361 (*cf. B. Borghesi, Præfecti prætorio, in Œuvres complètes, Paris,* 1897, *tom.* X, I, *p.* 219). 10†) hemitritæo : « *est semitertiana febris* », *notat Rosweydus, Onomasticon, tom. cit., p.* 794. 18) martias] Marnas *Bo, Rosw. Idolum erat a Gazæis cultum, de quo S. Hieronymus in epistola* CVII (VII) *ad Lætam* (*P. L.,* XXII, 870) *et In Isaiam, cap.* XVII (*P. L.,* XXIV, 241). 21) tenuit *Bo.* 24) ardentia *Bo.* 33) Facidia *Bo. De Rhinocorura S. Hieronymus, In Isaiam* XVII, 12 : « *Pro torrente Aegypti Septuaginta Rhinocoruram transtulerunt, quod est oppidum in Aegypti Palestinæque confinio* » (*P. L.,* XXIV, 313); *cf. eumdem, De situ et nominibus locorum hebraicorum* (*P. L.,* XXIII, 918). *Locus, hodie* El-'Arisch, *ad ripam maris situs est, via quæ ducit a Gaza in Aegyptum* (*cf. E. Amélineau, La géographie de l'Égypte, p.* 404). 39) secuta est sanitatis *Bo.* 44) Mesecas] Marsitas *Bo.* 45) et hanc haberet palmam *Bo.* 56) Hailae] Haila, *seu* Aila, Ailath, Elath, *hodie* El-'Akabah, *in extremo sinu Elanitico, versus Arabiam. De ea S. Hieronymus, De situ et nominibus, cap.* I : « *Ailath, in extremis finibus Palestinæ, iuncta meridianæ solitudini et mari Rubro : unde ex Aegypto Indiam et inde ad Aegyptum navigatur . Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima : et olim quidem Ailath a veteribus dicebatur, nunc vero appellatur Aila* » (*P. L.,* XXXIII, 862). *Ex Ailath navigabat classis Salomonis ad quærendum aurum in Ophir* (III *Reg.* IX, 26; II *Paral.,* VIII, 17). *Ibi morabatur legio decima Fretensis* (*Notitia dignitatum, sect.* XXI; *cf. Ed. Cuq, apud Daremberg et Saglio, Dict. des antiquités grecques et romaines, art. Legio*). **21**, 4) meum palestritam *Bo.* 10) confusus *Bo.* 21) Zananus Maiometes *Bo,* Zananus Maiumetes *Rosw.* 26) Martiæ] Marnæ *Bo, cf. supra.* 28) ut propter — raptum quasi Conso consiliorum deo, quadrigæ septeno *Bo. Consus, deus agrestis priscorum Romanorum, in historia conditæ urbis percelebris : inter pacifica festa Consualia, quo Romulus vicinos populos amice vocaverat, peractus est raptus Sabinarum. Inde, videtur, Consus celebratus est ut deus consilii, ut qui Romulum hac in re memorabili felici consilio incitaverat.* (*Cf. E. Pottier, Dict. des antiquités grecques et romaines, art. Consus.*) 31) increpationibus] præcantationibus *Bo.* 33) ut *om. Bo.* 40) aurigas suos, rhedam carcerumque repagula *Bo qui annotat :* « *Carceres, les barrières, quibus coercebantur equi, donec signum daretur.* » 44) inimici] ethnici *Bo, Rosw. ut Mo.* 45) Martias] Marnas *Bo.* 47) retro de] retro *Bo,* dehinc *Rosw.* 52) reme-

diantis — perdentis, venit præsumptum animo *Bo.* 58) abductus *Bo.* **22**, 8) accomodasse *Bo.* 9) ad simulandum *Bo.* 10) increpuit [increpavit *Rosw.*] virginem *Bo.* 12) candidatus Constantii imperatoris] *De candidatis Cæsaris seu principis, qui principis favore subnixi magistratum appetebant, et de prætoribus candidatis qui peculiariter principi inserviebant, cf. Daremberg et Saglio, Dict. des ant. grecques et romaines, art. Candidatus Cæsaris seu principis. Verum locus verosimilius interpretatur de candidatis militibus qui « ob corporis proceritatem ad tutelam principis eligebantur », ut notat Rosweydus, quem vide in Onomastico, ad verbum Candidatus. « Ita appellati sunt, ait Forcellini, quia præ cæteris staturæ proceritate et fortitudine commendabantur, pugnabantque circa imperatoris personam, quo ei se commendarent, testem virtutis habentes, ut fidentius altiores militiæ gradus petere possent. »* 14) Inter Saxones — dicitur] *Pone hæc verba intra parenthesim.* 20) putantes eum ab Imperatore missum, ad monasterium adduxerunt, ut *Bo.* 22) offensæ *Bo.* 29) Syra ad purum verba *Bo.* 30) aliquod *Bo.* 33) multasque incantationum occasiones — artium obtendente *Bo.* 46) manu *Bo.* **23**, 15) Elusam *Bo. De situ Elusæ sic docet nos Itinerarium Antonini : « Ad secundum miliarium Gazæ requiescit sanctus pater Hilario. Et inde venimus in civitate Elusa in caput heremi, qui vadit ad Sina ... Proficiscentes de civitate Elusa, ingressi heremum. » (Ed. P. Geyer, C. S. E. L.,* XXXIX, 181.) *De situ vero deserti Cades, de quo agitur, cf. P. Lagrange, Revue biblique, tom.* VIII (1899), *p.* 373. 20) Barech *Bo.* 24) mitteret : et sacerdos eorum ut erat coronatus *Bo.* 27) per senem] simulque *Bo.* 32) esset aliena ab eo dispositis *Rosw.*, in vinea, qua venirent illi, dispositis *Bo.* 39-40) ministerio *Bo.* 48) pauxillum — abegerat *Bo.* **24**, 3) occupatos *Bo.* 7) en omnis *Bo.* 8) ad dispensationem *Bo.* 11) Aristænete *Bo*, Aristæneta *Rosw.* 11) habitu] Præfecti ambitu *Bo.* 23) ingredi *Bo.* 32) Bitellum] Betheliam *Bo, Rosw. De Bethelia Sozomenus, Hist.*, V, 15, *ubi et de Hilarione :* « Κατότι πατρὸς Ἕλληνος ὤν, αὐτός (*i. e. avus eius*) τε πανοικὶ καὶ οἱ ἀπὸ τοῦ γένους Ἀλαφίωνος, χριστιανοὶ πρῶτοι ἐγένοντο ἐν Βητελίᾳ κώμῃ Γαζαίᾳ. ... Λέγεται δὲ χριστιανισμοῦ αἴτιος γενέσθαι τοῖς τούτων οἴκοις Ἱλαρίων ὁ μοναχός · δαιμονῶντος γὰρ Ἀλαφίωνος τούτου, ἐπὶ πολύ τίνες Ἕλληνες καὶ Ἰουδαῖοι, ἐπῳδαῖς καὶ περιεργίαις τισὶ χρησάμενοι, οὐδὲν ἤνυον · ὁ δὲ, μόνον τὸ τοῦ Χριστοῦ ὄνομα ἐπιβοησάμενος, τὸ δαιμόνιον ἀπήλασεν, εἰς τὴν χριστανῶν μετεβάλοντο θρησκείαν. » *Item, lib.* VI, *c.* 22 : « ... Βηθελέαν κώμην τοῦ νομοῦ Γάζης » *nominat. Cf. P. G.*, LXVII, 1260 *et* 1392.) 35) Pelusium] « *est Aegypti urbs ad Nili fluminis ostium quod ab eo Pelusiacum dicitur » ait Rosweydus. Cf. Amélineau, La géographie de l'Égypte, p.* 317, 318 : « *... Il n'y a aucun doute à entretenir : Péluse, Pérémoun et El-Fermâ ne sont qu'une seule et même ville ... Cette ville, l'une des plus anciennes de l'Égypte, a complètement disparu aujourd'hui ... Elle était située à l'extrémité de l'Égypte et servit de frontière contre la Syrie.* » 36) Lycognos] Lychnos *Bo. Legitur inter subscriptores concilii Alexandrini, anni* 362 : Ἀδέλφιος ἐπίσκοπος Ὀνούφεως τῆς Λυχνῶν (*cf. Mansi, Concilia,* III, 358) : *hinc observat V. de Buck (Act. SS., tom. cit.,* 22, *Comm. præv., n°* 30) *Lychnon fuisse « angustam terram prope Onuphim ». De situ vero Onuphis, quæ eadem est ac hodierna Ménouf, caput provinciæ Ménoufyeh, cf. E. Amélineau, op. cit., p.* 251, 252. 36) Tobaston] Thaubastum *Bo*, Thebatum *Rosw.* 37) Dracontius *monachus invitus, agente sancto Athanasio, episcopus factus minoris Hermopoleos, prope Alexandriam ; ad quem Athanasius memorabilem direxit epistolam (cf. P. G.,* XXV, 523). *Anno* 356 *exulavit « circa Clismam » (Athanasius, Hist. Arianorum ad monachos, c.* 72; *cf. P. G., tom. cit.,* 780), *iuxta mare Rubrum ; redux anno* 362 *subscripsit dicto concilio Alexandrino (cf. Mansi, loc. cit.) ; vide de eo Tillemont, Mémoires,* VIII, 145-147. 38) Babylonem *Aegypti generatim cum Le Caire, vel potius le Vieux Caire, confusam improbat E. Amélineau, quem vide, op. cit., pp.* 75-79. 39) Philonem *episcopum apud Babylonem exsiliatum docet Athanasius, Hist. Arianorum ad mon., c.* 72 (*P. G.,* XXV, 780). *Coniicit Tillemont (tom. cit.,* 172) *eum fuisse episcopum Cyrene in Lybia.* 41) Aphroditon *seu Aphroditopolis ; locus vocatur hodie Atfieh, in provincia Gîzeh, ad occidentem Nili fluminis (cf. Amélineau, op. cit., p.* 326). Bisiano] Baisane *Bo.* 43) et pervigilem *Bo.* **25**, 3) addita *Bo.* 6) e ductoribus *Bo.* 9) abduxissent *Bo.* 12) reversus Aphroditon, duobus secum tantum retentis fratribus, in vicina heremo moratus est *Bo.* 17) ora luridi *Bo.* 25) Oasim eremum transiturus *Bo.* 26) in Bruchio *Bo. Bruchium, regio Alexandriæ splendidissima, sæculo quarto diruta erat, teste Ammiano Marcellino, Rer. gest., lib.* XXII, *cap.* 16 : « *Alexandria ipsa, non sensim, ut aliæ urbes, sed inter initia prima aucta per spatiosos ambitus, internisque seditionibus diu aspere fatigata, ad ultimum multis post annis, Aureliano imperium agente, civilibus iurgiis ad certamina interneciva prolapsis, dirutisque mœnibus, amisit regionis maximam partem, quæ Bruchion appellabatur, diuturnum præstantium hominum domicilium.* » (*Cf. edit. Bipontinam,* 1786, *tom.* I, *p.* 327, 328.) 32) lictoribus Præfecti *Bo.* 34)

Magus est *Bo.* 37) toto orbe *Bo.* 38) Oasim *Bo.* 45) Paraetonium *Bo : portus impeditus et minoris momenti, ad partem extremam occidentalis Aegypti.* 47) vastatis] convasatis *Bo.* 58) proderent *Bo.* **26**, 7) vigesimo a mari milliario *Bo.* 10) pauxillum *Bo.* 15) Pachymum *Bo : hodie* Passaro *vel* Passero, *promontorium in extrema Sicilia meridionali.* 18) intercutis aquæ *Bo.* 21) toto senem orbe quærebat *Bo.* 35) Epidaurum *Bo : hodie* Ragusa vecchia, *in littore Dalmatino.* **27**, 3) Lembus (Λέμβος) *parva erat navicula quæ remis agebatur. Cf. P. Gauckler, ad hanc vocem, apud Daremberg et Saglio, Dictionnaire des ant. gr. et rom.* 4) Maleam *Bo : promontorium ad meridiem Peloponesii ; ex adverso sita est Cythera insula, hodie Cerigo.* 5) Contus (Κοντός) : *longurius ferro instructus ad dirigendum navigium ubicumque ramis agi non potest. Cf. R. Cagnat, ad hanc vocem, in Dictionn. des ant. gr. et rom.* 5) Myoparon (Μυόπαρων) : *parva navicula, tum remis tum velis propulsa. Cf. P. Gauckler, ibid., ad vocem Paron.* 6) vertente] verrente *Bo.* 11) hora] prora *Bo.* 20) terræmotu lapsa *Bo.* 24) Lapetha — conclamabant *Bo qui annotat : « Est Salamina ad orientem, Curium ad meridiem, Lapetha ad Septentrionem, Paphus ad occidentem. Significat itaque Hieronymus S. Hilarionis famam totam insulam pervagatam esse.* 32) fratrum, et monasterii sui cineres visendos misit. Qui cum *Bo.* 39) irriguas et hortulum *Bo.* 44) invisente se *Bo.* 55) quo modo elaberetur *Bo.* 58) et importunitatem, semper enim silentium *Bo.* **28**, 9) terra — cylicina cuculla *Bo.* 17) Maiumam *Bo.* 18) prosequentibus *Bo.* 27) Depositus — duodecimo calendas novembres *om. Bo. Hac die* (= 21 *Octobris*) *colitur a Græcis* (*cf. Synax. Cpolitanum, ed. Delehaye, col.* 153).

PASSIO SANCTI HYACINTHI LEVITAE ET MARTYRIS

Textum Mombritii contulimus cum duplici codice Bibliothecæ Nationalis Parisiensis : mss. lat. 3789 (*sæc.* XI), *fol.* 281v-282v (= *A*) *et* 15437 (*sæc.* XI), *fol.* 72v-73r (= *B*). *Lectiones variantes in integrum damus, orthographicis exceptis.*

28, 30) subdiaconum *B.* 43) concrematum *AB.* 44) quem antea hæc fecerat *A*, quem antea fecerat *B.* 48) aqua illi dominari *AB.* 52) sic evenit ut eum per *AB.* 53) ventre *AB.*

PASSIO SANCTI HIPPOLYTI MARTYRIS

Hæc est pars historiæ vulgo dictæ « Gesta S. Laurentii ». Varias lectiones aliquas vel correctiones notavimus, ex editione Laur. Surii, IV (1579), *pp.* 615-617 (= *Su*).

29, 23) militiæ ornamentis. Hippolytus dixit : Non me expoliasti, sed potius vestire cœpisti. Decius Cæsar ait : An non es cultor deorum ? Quid ita insipiens factus es, ut non erubescas nuditate tua ? Hippolytus respondit : Ego vero et sapiens et christianus effectus sum : nam ignorantia tum laborabam, quando feci quod tu credis . Decius Cæsar dixit : Sacrifica et vive, ne pereas *Su.* 23) Utinam exemplum *Su.* 25) Et Decius : nunquid — cæsar dixit *om. Su.* 29) cum cordis] carduis *Su.* 32) militiæ tuæ, et sis amicus noster, atque in conspectu nostro fruere militia pristina *Su.* 33) Militia mea hæc est, ut me constanter christianum militem declarem. Itaque cupio *Su.* 39) christiana] cum marito suo *Su.* 51) decem et novem *Su.* 53) elevans oculos — et statim *om. Su.* **30**, 2) *S. Hippolytus commemoratur in Depositione martyrum :* idus aug. Ypoliti in Tiburtina ; *in martyrologio hieronymiano* (B) : Id Aug. Rome, via tiburtina, Eppoliti martyris. 9) quæstum . Cloacarius respondit : Secretum apud me erit : tu modo dicas veritatem. Ait Porphyrius : Ante hos *Su.* 9) creditariam] e familia *Su.* 11) Et ecce — haberet] Eam ego puto in vestibus suis habere margaritas et aurum . Cloacarius autem *Su.* 18) Porphyrium . Beatus Iustinus presbyter dixit : Vide, fili, ut sacramentum tibi creditum conserves . Abiit Irenæus ad Porphyrium, isque indicavit ei locum *Su.* 25) necati sunt septimo calendas septembris *Su.* 26) vigesimo septimo die *Su.* 31) Valerianus quoque exclamat : O Laurenti, igneis cathenis me trahis : eademque hora præsente Decio expiravit. Decius autem rediens in palatium, triduo perpetuo vexatus a dæmonio, clamabat die ac nocte : Adiuro *Su.* 39) Et omnes — ultus est *om. Su.* 42) sepelivit beatus Iustinus presbyter in eadem *Su.* **31**, 7) beati Laurentii corpus *Su.* 9) militesque baptizatos sibi præsentari . Præcepitque exercitui *Su.* 10) in civitatem Figlinam *Su. Locus « civitas Figlina » nuncupatus situs erat via Salaria prope cœmeterium « Iordanorum », ubi erant*

arenariæ magnæ. Cf. de Rossi, Bullettino di Archeologia cristiana, IV (1873), *ed. Gallica, pp.* 5-13; *L. Duchesne, Le Liber pontificalis*, I, 197, *n.* 82. 11) quadraginta sex *Su.* 15) centum viginti *Su.*

VITA SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI

Contulimus cum editione Dom. Vallarsii, Hieronymi opera, V (*Venetiis*, 1771), 323-324 (*cf. P. L.*, XXII, 201-214 = *Va*).

31, 21) quibusque doctoribus, quibusve eruditus sit litteris, quo denique quiescat *Va.* 30) modo] generi *Va.* 38) plerique carthagetæ, id est, præceptores fuere *Va.* 39) grammaticus] arthigraphus *Va.* 54) spargebatur *Va.* **32**, 2) didici : quod sciebam, illo docente, non perdidi . Putabant — discendi. Veni rursum Ierosolymam et *Va.* 3) Barrabanum *Va.* 4) Timebat — exhibebat *Va.* 6) Commorans itaque Hieronymus *Va.* 12) ac gloriosissima Petri urbe, corpus et sola tantum ferens quæ itineri utilia esse valuere, una cum — confecerat urbe, Ierosolymam *Va.* 15) advenit] *Hic Va interponit locum sat longum, manifeste ex aliis Vitis, ut ait Vallarsius, huc intrusum : hunc non habet cod. Reg. suec., Vat.* 439, *ab editore collatus.* 20) concessit . Digni etenim habitaculi, Bethleem, adiuvantibus vicis vicinis catholicis *Va.* 23) Eusebio Cremonensi *Va.* 24) matutinam psalmodiæ, quæ nunc — canonicam functionem *Va.* 28) accedere : quoniam nos — satiasse plurimis libris, copiosis *Va.* 30) sumens exordium usque ad semetipsum *Va.* 34) necesse fuit usque ad quartum decimum annum Theodosii *Va.* 41) ex senatore presbyterum *Va.* 46) colla confringit *Va.* 48) collaudans] defendens *Va.* 49) commendans] collaudans, modo lapsus in clericis, monachos *Va.* 57) ut crederes hic esse scriptum, quod *Va.* 58) catholicam istius hominis prudentiam, sanamque *Va.* **33**, 3) Paulæ] Eustochio *Va.* 5) Ubi ad terrendos *Va.* 7) coronare] reformare *Va.* 9) Paulæ] Eustochio *Va.* 20) dignitas quam memoria nominis non deleri *Va.* 23) amabilis eiusque *Va.* 26) aliquam voluptatem *Va.* 27) Sed sola virginitas *Va.* 32) sapientia] sententia *Va.* 32) ego nomen sponsæ, nec hominis mortalis sponsionem *Va.* 37) a Luxorio *Va.* 40) *lege :* addidimus tamen, quia . 43) Paulæ] Eustochio *Va.* 44) Quod non — verbo] Quid enim est hic aliud non posse, quam non velle? quod nonnullis aliis dici poterat verbis *Va.* 46) virtutum *Va.* 47) cum volueris, posse : ergo ubi non est velle Dei, deest posse. Deus quippe *Va.* 49) qui est veritas, ita iniustus esse non potest : hoc est nolens iniuste *Va.* **34**, 6) denique vel pene omnes qui *Va.* 9) obnoxii] *Alius ibi subnectitur ex aliunde in editione locus, qui omittitur ab eodem codice.* 12) religio] oblivio *Va. Fabula quæ mox sequitur, de leone sanato et mansuefacto, in nonnullis codicibus sola exscripta est* (*Cf. Biblioth. hag. lat.*, I, *p.* 578). *Hæc ad vitam S. Hieronymi minime pertinet ; sumpta est ex historia sancti Gerasimi, eremitæ Palestinæ inferioris, cuius Vitam edidit A. Papadopoulos-Kerameus*, Ἀνάλεκτα ἱεροσολυμιτικῆς σταχυολογίας, IV, *Petroburgi*, 1897, *pp.* 175-185). *S. Gerasimi festum celebrant Græci die 4 Martii* (*cf. Synax. Const., ed. Delehaye, col.* 507, 508, *ubi eadem narratur historia*). 15) ad sacram lectionem audiendam sedisset, et præcepta divina declararet, subito *Va.* 20) et quia loqui *Va.* 25) ultro citroque quasi domesticum et tranquillum animal pariter commorari *Va.* 31†) indicio. 37) iniuncta *Va.* 38) ubicumque *Va.* 47) inquirere] ire *Va.* 50) quod prius *Va.* 53) famis *Va.* 58) ut quoddam mortis indicium possent invenire. Qui nullum interemptionis *Va.* **35**, 5) moderate *Va.* 9) pro inde] qui *Va.* 11) prospiceret, cernebat *Va.* 18) ut dignum fuerat *Va.* 20) ante se ad cellam *Va.* 23) summumque *Va.* 26) demonstrare. Omnibus denique, quæ erga camelos fuerant iussa, peractis, cœpit leo *Va.* 34) imperata subsecuti, veloci quæque obedientia *Va.* 43) receptisque *Va.* 44) ecclesiæ luminaria *Va.* 49) tollentes *Va.* 53) hanc] hin (*quod est nomen mensuræ*) *Va.* **36**, 1) sanctus Antonius *Va, sed falso. Agitur de sancto Antonino Placentino, e cuius itinerario locus iste totus, ad verbum fere, exscriptum est :* « Bethleem locus splendidissimus; servi dei multi; spelunca, ubi natus est Dominus, in qua est præsepium ornatum ex auro et argento; noctuque intus luminaria. Os vero speluncæ ad ingrediendum angustum omnino. Hieronymus presbyter in ipso ore speluncæ ipsam petram sculpivit et monumentum sibi fecit, ubi et positus est... » (*Cf. edit. P. Geyer, C. S. E. L., tom.* XXXIX, *p.* 178.) 5) Ubi præstante — sæculorum *om. Va, finem diversum apponens. Cod. Vat.* 439 *des. ut Mombritius.*

PASSIO SANCTI IACOBI APOSTOLI

Tota ista narratio de passione sancti Iacobi fratris Domini, excerpta est ex Rufino, Historia ecclesiastica, II, 23, *paucissimis initio et fine exceptis. Contulimus cum editione Rufiniana Th. Mommsen* (*C. S. E. G., Eusebius,* II, I, *pp.* 165-171 = *Ru*).

36, 11) cum tribuno] *Omnes sciunt, ex Act. Ap.,* XXVII, 1, *Paulum in Italiam navigaturum traditum fuisse « cum reliquis custodiis, centurioni nomine Iulio cohortis Augustæ ».* 14) in Hierusolymis *Ru.* 15) productum *Ru.* 17) universo populo — profitetur filium esse dei salvatorem et dominum *Ru.* 20) væhementer commoti *om. Ru.* 24) ab ipsius *Ru.* 30) faceret in genibus ad modum *Ru.* 31) pro incredibili hac continentia *Ru.* 34) filius dei *om. Ru.* 39) nisi ut] quin *Ru.* 40) errat in Iesu putans quod ipse sit Christus. deprecamur ergo te *Ru.* 41) festo] paschæ *Ru.* 43) de Iesu, ne erret, quia *Ru.* 45) festo] paschæ *Ru.* 46) gentium *Ru.* 51) cœli . cumque hac responsione et testimonio Iacobi multis satisfactum esset *Ru.* 54) filio David *Ru.* **37**, 2) credant ei *Ru.* 3) et compleverunt scripturam, quæ — direntem : — quoniam inutilis *Ru.* 4-5) manducabunt *Ru.* 6) cœperunt eum urgere lapidibus *Ru.* 9) unus de sacerdotibus de filiis Rechab filii Rachabim *Ru.* 12) ex ipsis fullo — res exprimere solent, cerebro eius inlisit *Ru.* 13) sepultus in eodem loco prope templum . hic est qui extitit veritatis testis Iudæis et gentibus, quia Iesus est Christus *Ru.*

PASSIO SANCTI IACOBI APOSTOLI FILII ZEBEDAEI

Lectio Mombritiana plerumque concordat cum pseudo-Abdia. Contulimus cum editione Th. Beauxamis, Abdiæ Babyloniæ primi episcopi... de historia certaminis Apostolici libri X (*Parisiis,* 1571), *fol.* 45-50 (= *Be*), *paucas tantum lectiones notantes.*

37, 22) Siletum] Philetum *Be et sic deinceps.* 28) vidi eum dæmones ex obsessis corporibus eiicientem : vidi eum et cæcos illuminantem, leprosos mundantem *Be.* 40) maleficiis magistri *Be.* 41) insultaret, arte sua excitavit dæmones *Be.* 46) incendii, nos etiam exurimur *Be.* 52) dicentes : Ad quem nos miseras, cum incensi flagraremus, ecce hunc adducimus tibi. Ad quem Apostolus Dei : Stultissime *Be.* **38**, 7) ut discant *Be.* 25) evertisti, ut et revoces Domino quæ tulisti . Doce hoc esse verum . quod antea docebas esse falsum : et hoc esse falsum, quod modo docebas verum . Idolum — et divinationes — ab eo responderi confringe *Be.* 31) si magus esse *Be.* 36) *lege :* obtulerunt pecunias centurionibus. 37) Lysiæ et Theocrito, ut comprehenderent Iacobum *Be.* 43) non est super Ismahel, sed supra Israhel. Ille enim cum matre *Be.* 47) circuncidendo se, sed *Be.* 57) Ezechiel hunc etiam designat, dicens *Be.* **39**, 1) filius hominis, ita *Be.* 19) terram] sæculum *Be.* 24) Quid erit, si resurrexerint *Be.* 36) quod minus fuerat factum *Be.*

PASSIO SANCTI IACOBI INTERCISI

Contulimus cum codice Parisino Bibliothecæ Nationalis lat. 5351 (*sæc.* XI-XII), *fol.* 106r-109v, *cuius varias lectiones ex integro subiicimus, orthographicis exceptis* (= *P*).

